

VE RI TAS

SVRIVS

—

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

SVRIVS

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS

NUMERO AUCTAE MENDIS EXPURGATAE ET NOTIS EXORNATAE

QUIBUS ACCEDIT

ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO E CONGREG. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE

OPUS

ILLUSTR.MO AC REV.MO

D. D. LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURIN.

DICATUM

VOL. VI.


JUNIUS

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

MDCCCLXXVII



JUNIUS


MARTYRIUM B. ANDREAE DE CHIO

A GEORGIO TRAPEZUNTIO STATIM POST REM GESTAM SCRIPTUM

Passus anno 1465.

§ 1. Quando jam triennio e Creta Constantinopolim navigassem, universam illam urbem cum Galata simul in admiratione atque gaudio reperi non parvo, propter singulare et inauditum multis temporibus Andreae de Chio, pro Jesu Christi professione martyrium. Fuit enim paulo ante mirabili constantiâ per gratiam Dei gestum. Nam ego quidem mense Novembri applicui, anno ab incarnatione Domini MCCCCLXV. Andreas vero martyr Christi praecipuus XXIX die mensis Maji, ejusdem anni coronam martyrii misericordiâ Christi consecutus, in coelos ascendit ad eum, pro quo multos cruciatus sustinuit. Verum quod admirabilius rite consideranti videbitur, illud est, quod nisi Andreae martyrium divinitus destinatum divina gratiâ Christianis opem tulisset, et animos eorum firmasset, magna in eos clades, ac aerumna ingens ab inimico generis humani, procellae in morem fuisset effusa. Quidam enim, quem honoris causâ non nomino, ex Trapezuntana ortus urbe, Peripateticorum philosophiae professor, sive sua sponte, ut multi ajunt, sive impulsus, nescio, nec si sciam, dicere ausim, Crucem Domini negavit, et Mahumeto adhaesit.

§ 2. Quare Turcarum rex elatus, virum quemdam, cujus nomen me fugit, ipsumque Trapezuntium militiae peritissimum in carcerem conjecit: dignum ratus, ut Philosophum concivem suum volens nolensve imitaretur: cupiebat enim ejus operâ uti in re militari. Cumque Christiano non confideret, ad Mahumetum intrudere cupiebat. At ille animo martyr: « Philosophus, dicebat, in deliciis educatus, majore spe ipsarum, Christi crucem negavit: ego autem, qui pro Imperatore meo mortali tot tantosque labores, cum Scythis bella gerens tuli, vulneraque excepi (dixit, et aperto pectore, cicatrices ostendebat) pro Imperatore coelesti mortem timebo? absit a me tanta insania. Quae mens praeterea esset mea, vel potius, quae stultitia, veritatem doloris fugiendi causâ prodere, ac aeterna coelestiaque regna repudiare, Mahumetoque adhaerere, ut bellorum labores subeam, pericula magna pro Imperatore mortali suscipiam, gladios in Christianos Christianus ipse natus distringam? et denique in mortem ruere, quam


HARVARD COLLEGE
FEB 6 1914
LIBRARY.

JUNIUS

MARTYRIUM B. ANDREAE DE CHIO

A GEORGIO TRAPEZUNTIO STATIM POST REM GESTAM SCRIPTUM

Passus anno 1465.

§ 1. Quando jam triennio e Creta Constantinopolim navigassem, universam illam urbem cum Galata simul in admiratione atque gaudio reperi non parvo, propter singulare et inauditum multis temporibus Andreae de Chio, pro Jesu Christi professione martyrium. Fuit enim paulo ante mirabili constantiâ per gratiam Dei gestum. Nam ego quidem mense Novembri applicui, anno ab incarnatione Domini MCCCCLXV. Andreas vero martyr Christi praecipuus XXIX die mensis Maji, ejusdem anni coronam martyrii misericordiâ Christi consecutus, in coelos ascendit ad eum, pro quo multos cruciatus sustinuit. Verum quod admirabilius rite consideranti videbitur, illud est, quod nisi Andreae martyrium divinitus destinatum divina gratiâ Christianis opem tulisset, et animos eorum firmasset, magna in eos clades, ac aerumna ingens ab inimico generis humani, procellae in morem fuisset effusa. Quidam enim, quem honoris causâ non nomino, ex Trapezuntana ortus urbe, Peripateticorum philosophiae professor, sive sua sponte, ut multi ajunt, sive impulsus, nescio, nec si sciam, dicere ausim, Crucem Domini negavit, et Mahumeto adhaesit.

§ 2. Quare Turcarum rex elatus, virum quemdam, cujus nomen me fugit, ipsumque Trapezuntium militiae peritissimum in carcerem conjecit: dignum ratus, ut Philosophum concivem suum volens nolensve imitaretur: cupiebat enim ejus operâ uti in re militari. Cumque Christiano non confideret, ad Mahumetum intrudere cupiebat. At ille animo martyr: « Philosophus, dicebat, in deliciis educatus, majore spe ipsarum, Christi crucem negavit: ego autem, qui pro Imperatore meo mortali tot tantosque labores, cum Scythis bella gerens tuli, vulneraque excepi (dixit, et aperto pectore, cicatrices ostendebat) pro Imperatore coelesti mortem timebo? absit a me tanta insania. Quae mens praeterea esset mea, vel potius, quae stultitia, veritatem doloris fugiendi causâ prodere, ac aeterna coelestiaque regna repudiare, Mahumetoque adhaerere, ut bellorum labores subeam, pericula magna pro Imperatore mortali suscipiam, gladios in Christianos Christianus ipse natus distringam? et denique in mortem ruere, quam

fugiendam censuit Philosophus, ut in aeternam ac veram mortem deferar praeceps? » Haec ille. .

§ 3. Verum dum haec Constantinopoli fierent, Andreas febribus graviter laborabat coelibemque se perpetuo fore Reginae misericordiae Virgini vovit, si evaderet. Sedatis ilico febribus, paulo post quasi ex morte surrexit, et albis se vestimentis induit, ut scilicet numquam oblivisci posset munditiem corporis, quam Creatoris obtulit Matri. Constantinopolim deinde petiit, non ut mercator, aut vagus quidam magnarum urbium visendarum cupiditate: summa enim in juvene viginti et septem annorum gravitas atque constantia illucebat; raro quis inane verbum ab ore ipsius excidisse audivit: a joco enim penitus erat alienus. Cur igitur ivit? A gratia Dei, ut ego arbitror, ad martyrium vocabatur, ut et ipse in coelis Christi cum aliis martyribus assisteret, et omnibus prodesset, qui Philosophi sive levitate, sive terrore fuerant conturbati. Statim cum in urbem applicuit, accusatus fuit, quod cum Christianis conversaretur, ecclesiasque viseret, quasi Christianus summa cum religione ac devotione homo, qui crucem Alexandriae negavit, conculcavit, sputis foedavit, et demum in stercora projecit. Haec mercatores Aegyptii, qui tunc in urbe aderant, ad judicem detulerunt, seque ipsos vidisse eum negantem, confitentemque quod Mahumeto adhaereret, audivisse attestabantur.

§ 4. Trahitur in judicium Andreas iniquum, accusationeque recitata, numquam se a Chio, ubi natus educatusque fuit, nisi tunc recessisse affirmabat, idque multis testibus approbabat, universamque Chii civitatem hoc ipsum scire ajebat. Judex iniquus hac in re non esse audiendos Christianos censebat. Tunc Christianorum multitudo, quae circumfusa stabat, Si, inquit, Christianorum testimonium in hujusmodi causa refutandum est, Mahumetistarum quoque similiter non recipiendum. Nam sicut nos Christianum falso accusatum juste defendimus, sic Mahumetistae accusationem suorum veram esse contendunt. Quare praetermissis testibus, res ipsa quaerenda est. Non aliter igitur, quam Judaei secundum Mosaicam legem circumcidi suos Propheta vester jussit: quare si genitalia hujus membra simili nota laesa sunt, morte jure plectetur: sin minime, cum ipsa re causa determinetur sua, et nil ambiguitatis hominum animis remanebit. Spoliatur interea miles Christi, nudusque a tanta multitudine aspicitur: nullum in eo indicium, nulla circumcisionis macula, nullum Mahumetistarum apparet vestigium. Exclamant ex laetitia Christiani, confunduntur adversarii, et victi penitus prosternuntur: nisi diabolico astu adjuti, exposuissent moris esse in Aegypto, minoris homines aetatis circumcidi, majoris, si ad Mahumetum Dei prophetam convertantur, circumcidi si volunt: si vero abhorrent circumcisionem, nullo cogi modo posse, quoniam melius sit

lucrari animam hominis, ex toto nobis corde adhaerentem in caeteris omnibus praeter circumcisionem, quam rejicere, quoniam circumcisionem reformidet. His rationibus, vel magis, quia sectae favebat suae, confusus Judex, nullam pronuntiare sententiam velle in re tanta dixit, nisi Regem consuluerit: ita enim moris est in causis ambiguis et arduis.

§ 5. Regem igitur, in carcerem conjecto milite Christi, consultum adiit: cui omnia cum retulisset, interrogatus de aetate ipsius, habituque omni corporis, « Juvenis, inquit ipse, animo invictus atque magna staturâ, grandibus ossibus atque nervis convallatus. » Rex tales homines habere in militia cupit: « Vade, inquit, et primum illi, si noster voluerit esse, offerimus centurionatum in militia nostra: deinde prout in virtute ipsum valere conspexerimus, ad majora provehemus. Quod si beneficiis non commovebitur, minis atque terrore ipsum concutias: et si neutra poteris praevalere viâ, capite plectas. » Altero igitur die, producto ipso, primum Regis pollicitationes proponuntur mirabili cum amplificatione, quod caput statim eris, Andrea, centum militum et a privatorum tractus conditione, cum Principibus connumeraberis: quod facile virtus et diligentia tua extollet te ad majora. Verum cum martyr Christi, nihil respondendo, contemnere oblata videretur, qui circumfusi erant veritatis hostes, alii argentum atque aurum, alii vestes, alii supellectilem variam pollicebantur: cumque in silentio acrius perseveraret, « Quid, inquiunt, ne verbis quidem tuis nos dignos putas? » — « Digni quidem, ait, vos estis multo majoribus, quam ego dicere aut excogitare queam: sed res, quas offertis, nulla responsione sunt dignae. Quid enim caducam hanc vitam atque mortalem putatis magni aliquid habere, quo coelesti sit praeponenda? » — « Erras, ipsi respondent: nam nos, et ad illam tibi viam aperire studemus, et hanc insuper tibi felicem reddere conamur. » — « Non cohaerent, inquit, caduca aeternis, non felicibus misera, non profana beatis. Sed quid opus est verbis? Ego felicitatem hujus seculi nihili facio: ego crucem, passionem, sepulturamque Christi mei nunquam, auxilio illius fretus, negabo. Statuite in me quicquid malueritis: unum rogo, ne me verbis amplius tentetis. »

§ 6. His dictis, conjectus ilico in carcerem, vinculis catenatus, pedibus atque manibus alligatus, ad meridiem sequentis diei, qui fuit xx Maji, jacuit. Post meridiem statim protrahitur, et in partem urbis quae Orientem spectat, prope mare, ducitur, ubi ad palum nudus alligatus, flagellis atque loris caeditur, acriusque quam dici possit: principio flagellorum et verberum contremuisse dicitur, et manibus ad pectus contractis, ac digitis in pugnum compressis, magna exclamasse voce: Virgo Maria, adjuva me. Inde pedibus altero ad alterum adductis, stetit rectus in eisdem vestigiis, mirabile dictu, usque ad Solis occasum. Interea dum

fugiendam censuit Philosophus, ut in aeternam ac veram mortem deferar praeceps? » Haec ille.

§ 3. Verum dum haec Constantinopoli fierent, Andreas febribus graviter laborabat coelibemque se perpetuo fore Reginae misericordiae Virgini vovit, si evaderet. Sedatis ilico febribus, paulo post quasi ex morte surrexit, et albis se vestimentis induit, ut scilicet numquam oblivisci posset munditiem corporis, quam Creatoris obtulit Matri. Constantinopolim deinde petiit, non ut mercator, aut vagus quidam magnarum urbium visendarum cupiditate: summa enim in juvene viginti et septem annorum gravitas atque constantia illucebat; raro quis inane verbum ab ore ipsius excidisse audivit: a joco enim penitus erat alienus. Cur igitur ivit? A gratia Dei, ut ego arbitror, ad martyrium vocabatur, ut et ipse in coelis Christi cum aliis martyribus assisteret, et omnibus prodesset, qui Philosophi sive levitate, sive terrore fuerant conturbati. Statim cum in urbem applicuit, accusatus fuit, quod cum Christianis conversaretur, ecclesiasque viseret, quasi Christianus summa cum religione ac devotione homo, qui crucem Alexandriae negavit, conculcavit, sputis foedavit, et demum in stercora projecit. Haec mercatores Aegyptii, qui tunc in urbe aderant, ad judicem detulerunt, seque ipsos vidisse eum negantem, confitentemque quod Mahumeto adhaereret, audivisse attestabantur.

§ 4. Trahitur in judicium Andreas iniquum, accusationeque recitata, numquam se a Chio, ubi natus educatusque fuit, nisi tunc recessisse affirmabat, idque multis testibus approbabat, universamque Chii civitatem hoc ipsum scire ajebat. Judex iniquus hac in re non esse audiendos Christianos censebat. Tunc Christianorum multitudo, quae circumfusa stabat, Si, inquit, Christianorum testimonium in hujusmodi causa refutandum est, Mahumetistarum quoque similiter non recipiendum. Nam sicut nos Christianum falso accusatum juste defendimus, sic Mahumetistae accusationem suorum veram esse contendunt. Quare praetermissis testibus, res ipsa quaerenda est. Non aliter igitur, quam Judaei secundum Mosaicam legem circumcidi suos Propheta vester jussit: quare si genitalia hujus membra simili nota laesa sunt, morte jure plectetur: sin minime, cum ipsa re causa determinetur sua, et nil ambiguitatis hominum animis remanebit. Spoliatur interea miles Christi, nudusque a tanta multitudine aspicitur: nullum in eo indicium, nulla circumcisionis macula, nullum Mahumetistarum apparet vestigium. Exclamant ex laetitia Christiani, confunduntur adversarii, et victi penitus prosternuntur: nisi diabolico astu adjuti, exposuissent moris esse in Aegypto, minoris homines aetatis circumcidi, majoris, si ad Mahumetum Dei prophetam convertantur, circumcidi si volunt: si vero abhorrent circumcisionem, nullo cogi modo posse, quoniam melius sit

lucrari animam hominis, ex toto nobis corde adhaerentem in caeteris omnibus praeter circumcisionem, quam rejicere, quoniam circumcisionem reformidet. His rationibus, vel magis, quia sectae favebat suae, confusus Judex, nullam pronuntiare sententiam velle in re tanta dixit, nisi Regem consuluerit: ita enim moris est in causis ambiguis et arduis.

§ 5. Regem igitur, in carcerem conjecto milite Christi, consultum adiit: cui omnia cum retulisset, interrogatus de aetate ipsius, habituque omni corporis, « Juvenis, inquit ipse, animo invictus atque magna staturâ, grandibus ossibus atque nervis convallatus. » Rex tales homines habere in militia cupit: « Vade, inquit, et primum illi, si noster voluerit esse, offerimus centurionatum in militia nostra: deinde prout in virtute ipsum valere conspexerimus, ad majora provehemus. Quod si beneficiis non commovebitur, minis atque terrore ipsum concutias: et si neutra poteris praevalere viâ, capite plectas. » Altero igitur die, producto ipso, primum Regis pollicitationes proponuntur mirabili cum amplificatione, quod caput statim eris, Andrea, centum militum et a privatorum tractus conditione, cum Principibus connumeraberis: quod facile virtus et diligentia tua extollet te ad majora. Verum cum martyr Christi, nihil respondendo, contemnere oblata videretur, qui circumfusi erant veritatis hostes, alii argentum atque aurum, alii vestes, alii supellectilem variam pollicebantur: cumque in silentio acrius perseveraret, « Quid, inquiunt, ne verbis quidem tuis nos dignos putas? » — « Digni quidem, ait, vos estis multo majoribus, quam ego dicere aut excogitare queam: sed res, quas offertis, nulla responsione sunt dignae. Quid enim caducam hanc vitam atque mortalem putatis magni aliquid habere, quo coelesti sit praeponenda? » — « Erras, ipsi respondent: nam nos, et ad illam tibi viam aperire studemus, et hanc insuper tibi felicem reddere conamur. » — « Non cohaerent, inquit, caduca aeternis, non felicibus misera, non profana beatis. Sed quid opus est verbis? Ego felicitatem hujus seculi nihili facio: ego crucem, passionem, sepulturamque Christi mei nunquam, auxilio illius fretus, negabo. Statuite in me quicquid malueritis: unum rogo, ne me verbis amplius tentetis. »

§ 6. His dictis, conjectus ilico in carcerem, vinculis catenatus, pedibus atque manibus alligatus, ad meridiem sequentis diei, qui fuit xx Maji, jacuit. Post meridiem statim protrahitur, et in partem urbis quae Orientem spectat, prope mare, ducitur, ubi ad palum nudus alligatus, flagellis atque loris caeditur, acriusque quam dici possit: principio flagellorum et verberum contremuisse dicitur, et manibus ad pectus contractis, ac digitis in pugnum compressis, magna exclamasse voce: *Virgo Maria, adjuva me.* Inde pedibus altero ad alterum adductis, stetit rectus in eisdem vestigiis, mirabile dictu, usque ad Solis occasum. Interea dum

miles Christi his cruciatibus exercetur, Trapezuntius ille, de quo supra retuli, e fenestra turris, in qua fuerat inclusus, prominens clamabat: O felicem Christianum, o beatam, quae te genuit, insulam, o nobilissimum atque omni laude dignum genus; unde ortus es: utinam isthic essem tecum, ut eadem paterer pro Christo. Haec aliaque vociferabatur, martyrii coronam, ut arbitror, desiderans. Carnifices autem Andrea reducto, multis pretiosa membra flagellis, lorisque foede dilacerata, ungunt unguentis, cibum quoque atque potum ad fulciendam in corpore animam de Medicorum consilio, quorum multi ac peritissimi aderant, obtulerunt, ac aquam, in qua non parvum defaecati auri pondus bullierat, conducunt ad bibendum. Id faciebant, quo longior vita ejus aliquid ad negationem Crucis afferret, simul et ostenderent, quanti vitam facerent ejus: forte etiam, quoniam cum Christianis enutriti sunt, et nonnulli eorum Christiani fuerint. Nec ignorabant, quomodo martyres Christi olim in die cruciabantur, et in nocte convalescebant. Quare timentes, ne id divinitus eveniret, medicamentis suis occultare veritatem studebant.

§ 7. Vigesima prima ejusdem mensis die rursus producitur, denudatusque, ferreis unguibus tergora, quae pridie ejus diei fuerant flagellata, dilacerantur, nec quicquam aliud fecit, dixitque miles Christi, quamquam prius contremuit in principio, manusque ad se adduxit, digitos in pugnos contraxit, pedes in iisdem vestigiis tenuit, magnaque voce clamavit: Virgo Maria, juva me. Sic Trapezuntius etiam èadem, quae pridie vociferabatur, e turri iterum atque iterum repetebat. Adveniente nocte, unguentis illinitur, similiter et medicamentis atque aquis, in quibus magna virtus auri fuerat infusa, sustentatur, quasi charam Crucis hostes salutem ejus haberent, magnam iis rebus inesse virtutem praedicantes, Spiritus Sancti gratiam in Medicorum peritiam, cibique ac potus commoditatem derivantes. Illucescente namque die, sanus omnino martyr Christi apparuit, quae res medicamentis fieri non potest: quae cum naturaliter agerent, longiore indigent tempore, frequentationeque conveniente, ne digesta in dubium aliquid conferant: quod tamen minime facere possunt, si denuo corpus ac saepius exagitetur, sive etiam atrocius crucietur. Quae virtus opem afferre potest praeter divinam? Profecto nulla.

§ 8. Vigesima secunda ejusdem mensis die, producitur similiter post meridiem, ac manus et pedes sic torquentur, ut ne digitorum quidem articuli, nec cubitus, nec genua in locis suis remanerent, sed locis suis omnia salirent: qui dolor maximus omnium est. Caetera similiter gesta dictaque, non ab ipso solum, qui tamen nihil aliud, nisi: Virgo Maria, juva me, in principio dolorum, idque semel clamabat; verum etiam a Trapezuntio illo, qui martyrium sic expetebat, ut multis, etiam Mahumetistis,

audientibus saepius repeteret, quae dicta superius sunt. Medicorum quoque diligentia similiter, imo etiam major fuisse dicitur. Vigesima tertia die incolumis sanusque non Medicorum arte, sed illius primi martyris, et Domini omnium Jesu Christi productus Andreas, novo genere cruciatus vexatur: humeros carnibus per gladios denùdant: studentes semper, ne celerior mors ipsum invaderet. Sperabant enim, si non acerbitate ac magnitudine dolorum, attamen diuturnitate se victuros; sed derisi tandem jacuerunt. Declinato die reducitur, sicuti superioribus diebus, dictis factisque medicamentis quoque non aliter quam prius adhibitis. Die vigesima quarta ejusdem mensis, eodem modo fiunt omnia eodemque in loco, quo in die clunes carnibus novaculis spoliantur, non subito, sed cum mora; ut doloris acerbitas magis sentiretur. Caetera omnia similiter acta, ut in superioribus diebus, dictaque eodem modo etiam a Trapezuntio martyre animo atque voluntate, qui illis diebus, quibus Andreas patiebatur, similiter e turri clamitabat. Die vigesima quinta, partes pedum, quae inter genua clunesque sunt, carnibus similiter denudantur: caetera eodem modo dicta gestaque fuerunt. Vigesima sexta die, surae, id est, carnosae partes pedum, quae sunt intra genua et poplites, similiter carnibus denudantur. Caeteraque facta, dicta, procurata similiter fuerunt. Vigesima septima die, femur, quaeque circa ipsum sunt, corporis partes excoriantur. Vigesima octava die, totum corpus a capite ad pedes verberibus caeditur, ut doloribus renovatis, tandem moveretur. Maxilla quoque una uno ictu denudata carne fuit, quam Christiani rapientes servarunt, fuitque in monasterio beati Francisci inusitato fragrans odore atque mirabili.

§ **9**. Vigesima nona ejusdem mensis die, anno primo Pontificatus Papae Pauli secundi ultimo producitur Andreas de Chio, martyr Christi praecipuus in locum solitum, ad orientalem urbis partem, prope mare, sanus, vivax, vultu laeto, decora facie. Mahumetistae his rebus moti, medicamentorum virtute sic factum asserebant, et ingratitudinem illius accusantes: « Non vides, clamabant, Andrea? Tuae vitae cura nobis habita est; nostro studio, imo Regis ipsius, incolumis es, et virtute medicamentorum, et Mahumeti gratiâ, qui te vult deliramenta Christianorum de cruce ac passione Jesu despicere: quae beneficia quoniam ingratus non sentis, morte morièris. »—« Non est mors, sic mors, ait, sed vita. Quare nolite putare, me verbis vestris terreri posse: nec medicamenta profuerunt, quippe quae vel in minimis vulneribus vix post multos dies aliquid afferre possunt. Me autem Crux Domini nostri Jesu Christi, et Virgo Maria ad hunc diem conservavit atque reservavit. » His dictis securi caput supposuit, et ad coelestia regna evolavit.

§ **10**. Tunc mortis ejus ministri, ut Judex jusserat, caput et

truncum corpus trahere velociter ad mare conantur. Exclamant Christiani, qui lacrymis effusis circumstabant, quorum magna erat multitudo, sepeliendum esse mortuum, non in mare projiciendum. Illis resistentibus, Regiam ajunt majestatem esse consulendam, sepelirine velit ipsum jam mortuum, an in mari projici? Hoc audito, ipse Judex ad Regem procurrit (nec enim licet Judicibus, quando Regem consulendum esse audiunt, quicquam facere ulterius, nisi Regi prius referant). Sed Christianorum quoque Primates, quam velociter poterant Regem adeunt: qui cum percepisset, quibus cruciatibus, et quamdiu vexatus fuit Andreas, efferbuisse irâ dicitur, et verbis in Judicem sic atrocibus usus fuisse, ut exanimis ne mutiret quidem Judex iniquus. Sed ea ira, et illae ingentes minae, simul cum verbis evanuerunt. Christianis deinde jubet, ut Andream honorifice, sicuti decet virum fortem, sepeliant. Qui apposito capite corpori suo, ad Galatam deportarunt. Aderat autem universus utrarumque urbium, Galatae atque Constantinopolis, populus, viri simul ac mulieres, pueri atque puellae, liberi et servi, nec Christianorum solum, verum etiam Mahumetistarum multi admiratione commoti, non pauciores quam decies decem millia: qui omnes, alii lacrymantes, alii laudes ejus praedicantes, et alii constantiam ac robur animi, alii prudentiam atque gravitatem, alii contemptum humanarum rerum: multi fidem in Jesum Christum, in crucem et passionem ejus, et in immaculatam Virginem devotionem narrantes. Tandem in Galatae partem extremam versus Ortum mari contiguam devenerunt, ubi est ecclesia Virgini Mariae, si recte memini, dicata: ibi depositus jacet.

§ 11. His ita gestis, magna Rex exarsit cupiditate Trapezuntii viri illius, de quo supra diximus, liberandi: sed quia honeste id facere, nisi rogatus, posse non judicabat, per quasdam, ut dicebatur, mulieres effecit, ut uxor illius pro marito supplicaret suo. Sic mors Andreae atque martyrium illum quidem palam, sed multos quoque alios a periculo liberavit, multos in fide orthodoxa confirmavit, eos, qui ante martyrium suum quavis ratione Mahumeto adhaeserunt, pudore confudit, moestiâ affecit, ac inani denique poenitentiâ et vexavit et vexat. His omnibus ego vehementer commotus, ardebam desiderio videndi corpus ejus: sed nive, frigore glacieque detentus, hyemis marisque tempestate, illic fui vix mense Februario: eam mihi oranti gratiam Deus intercessione martyris concessit: vidique ipsum jacentem in sepulcro nimium profundo, situ horrido, eâ tamen integritate membrorum omnium, eo totius corporis colore, et dignitate formae, tali vultus splendore et habitu, ut non animum expirasse, sed dormire mihi leviter sub umbra videretur, ac qui jacebat loco ita humido, ut omnibus jam indumentis, quibus erat involutum corpus, putrefactis, nudum totum conspiceretur, praeterquam

quod genitales partes fragmento lini obtegebantur; exarsi cupiditate descendendi, tangendi, osculandi pedes, manus, faciem praecipui martyris, nec tantum loci humiditas, descendendique difficultas, quantum verba presbyteri custodis, et spes posse id alias commòdius facere, detinuerunt. Consilium deinde inivi cum presbytero. N. furto inde Romam reliquias illas deferre sanctas, resque jam ordinabatur: sed neşcio, quomodo ille deterritus, sententiam fidemque mutavit suam.

§ 12. Ego cum inde decimo octavo Martii die solvissem, statim primo die, imo in ipsa solvendi hora, non in parvum incidi periculum cum nimbis contra flantibus, inque saxa navem depellentibus. Imploravi subito martyris auxilium, promisique, si ad meos Romam incolumis devenirem, martyrium ejus summatim Latina linguâ me conscripturum. Evasi maris et latronum pericula, quodque miraculo est, senex aegrotusque hinc recessi, junior sanusque ac multo robustior remeavi, nec maris fluctuatio, nec terrarum itinera nimium aspera, quae a Brundusio Romam aestatis tempore perducunt, mihi obfuerunt. Huc vero delatus, martyris quidem numquam fui oblitus, sed nocte ac die cum ipso fui, ejus memoriâ fruebar, atque oculis aspicere putabam, non solum dormiens, verum etiam vigilans, jacentem ipsum in sepulcro. Promissionis autem meae numquam mihi venit in mentem, nisi post annos duos, dum Georgii martyris memoria celebratur. Nam cum ea die recolerem Georgii dolores, quos ille pro Christo Domino nostro subiit, ilico pupùgit animum promissionis memoria. Nec enim minora toleravit Andreas, ne dicam multo etiam majora, propter conditionem temporum, in quibus nullo juvantur exemplo, qui Christum amant: adeo in tenebris charitas intrusa marcescit. Itaque statim eo ipso die calamum accepi, et promissionis debitum jam solvi. Tu vero praecipue martyr Christi precor intercedas ad Dominum nostrum Jesum Christum pro Ecclesia universali, ac amplificatione ipsius, pro Summo Pontifice Paulo secundo, cujus tempora martyrio tuo decorasti, perpetuaque fecisti: et sicut in Graecia perfidiam dejecisti, sic insurgentes in Italia Platonicos intercessione rèprime tua.

S. SECUNDI AMERINI

VITA ET MARTYRIUM

AB ANT. M. GRATIANO AMERINO EPISC. DESCRIPTA *

Circa annum 303 — Italus.

§ 1. In illa Christianorum ac piorum hominum strage quam Diocletianus Impèrator, execrabili percitus errore, et crudeli atque impio animo edidit, inter multos qui ut tam atrocis temporis ac veluti pestiferi turbinis vim declinarent, secesserant e medio, ac se làtebris abdiderant, vir claritudine quidem stirpis longe nobilissimus (quippe genus ab Aureliano Principe ducere ferebatur), sed sanctitate et christianae religionis laude multo nobilior, cui nomen Secundo fuit, apud Spoletum in Eudoxiae piae matronae domo, praebitis ab illa clam vitae alimentis, occultabatur. Dionysius quidam ea tempestate pro consulari jure Spoletum administrabat, qui Diocletiani furori atque immanitati, pari et ipse saevitiâ, subserviens, in Christianos magna curâ conquisitos, et undique ex occultis locis protractos, suppliciis grassabatur. Ex quo tantus omnium animos incesserat terror, ut hiscere in ea urbe jam nemo, nemo palam ferre Christi nomen auderet, omnes mortis atque adeo acerbissimorum cruciatuum metu, quibus quicumque christianae pietatis argueretur, nulla veniae spe miserabiliter necabatur, mentis suae sensus dissimularent, et quidam etiam (quod unum deprehensis mortis effugium erat) deserta fide ad impium cultum deorum revolverentur; aut quos, ne tantum in se admitterent nefas, religio insidens animis prohiberet, hi in abditas solitudines ac in dèvios delapsi saltus, in speluncis ac in ferarum lustris delitescerent, ferarumque ritu vitam sustentarent.

§ 2. Haec cum Secundus ab Eudoxia cognovisset, ingenti dolore ac religione incensus, seipsum ac suam infirmitatem vehementer incusavit, qui vecordi metu muliebriter perterritus, Evangelii ipsius oblitus videretur, non qui corpus sed qui animam occidere possunt, hostes esse metuendos, monentis, et eos qui vere Christianos animos induissent his verbis alloquentis: *Qui me confessus fuerit còram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* x, 32). Igitur coelestis pietatis studio elatus, protinus e làtebra erumpit, etiam non tam mortem non timens, quam

* Antonius Maria Gratianus Episcopus Amerinus (de Ameria, infra) floruit saec. XVI: scripsit opus egregium de Septem Ecclesiae Sacramentis, de Sacrificio Missae, aliisque rebus Ecclesiasticis. Huic Operi adjunctae sunt *Vitae Sanctorum Amerinae Ecclesiae Patronorum*.

vitam pro gloria Christi profundere cupiens, primum quidem pecuniam, bona resque suas omnes, ne iis Tyrannus potiretur, egentibus largitur, deinde non occulte sed propalam Christianum se ferens, Christianae pietatis instituta, non commento hominum, sed divina voce sancita praedicabat, deorumque stultae antiquitatis mendacio confictorum cultum ut profanum atque impium damnabat atque execrabatur.

§ 3. Atque haec apud populum, concionis in modum circumfusum, edisserentem Dionysii satellites comprehendunt, protinusque ad eum adducunt, et compertum ab se in manifesto scelere, seditiosos scilicet coetus habentem, contumeliasque in Deos jacientem, et christianae disciplinae instituta tradentem ajunt. Dionysius speciem habitumque viri haudquadam contemnendi contemplatus, quaerit ab eo quis et unde sit. Cum utrumque accepisset, benigne monuit ne patriae generisque sui dignitatem servilibus atque abjectis Christianorum moribus dehonestaret; sed qui originem suam ad Caesarum sanguinem referret, Caesaris quoque gratiam inire studeret, et patrios deos venerari atque iis patrio ritu sacrificare in animum induceret. « At ego, respondit beatus Secundus, me ipsum jam animo ac destinatione sacrificavi. Nam quos deos esse dicis, quaeso te, quid divini habent? Quae vero tanta amentia mentes vestras occupavit, ut simulacris hominum manu fabricatis exculptisque divinitatem tribuatis, Deum coeli, ac mundi conditorem contemnatis? » — « Audebis ne, inquit Dionysius, Herculem, cui ab Caesaribus nostris praecipuus honor tribuitur, Deum esse negare, aut debitum illi cultum tribuere recusabis? » — « Atqui Hercules iste, inquit Secundus, non homo solum mortalis, sed etiam flagitiosus et facinorosus fuit, tantum abest ut haberi Deus possit, nisi forte a vobis, qui in summis ignorantiae tenebris versantes, aspicere hanc veritatis lucem, quam Jesus Christus attulit hominibus, nequitis. » Tum vero Dionysius tam licenter maledicentem diis suspendi protinus in equuleo jubet, eique aut per summos cruciatus moriendum, aut sacrificandum Herculi esse denuntiat. Sed cum lethum subire ac pati tormenta cerneret, abduci inde in Herculis fanum, et ad simulacrum dei venerandum adigi jubet. Cum autem in conspectu haberet templum, videntibus qui eum ducebant, beatus martyr sublatis in coelum oculis: « Christe, inquit, tibi justum a nobis cultum, tibi divinos honores, tibi aras deberi, tuum esse numen verendum, te precor, ut profani hujus templi ruinâ testatum facias. » Vixdum loqui desierat vir sanctus, repentino terraemotu quassatis convulsisque fundamentis moles illa templi, horribili fragòre ac strage, cum ipso Herculis signo corruit. Quo casu magna omnium mentes admiratio, magnus Dei quem colunt Christiani metus incessit.

§ 4. Dionysius ea re magnopere commotus, nec divina vi sed

magicarum artium cantionibus id patrasse Secundum existimans, morti eum damnavit; et quo terrorem supplicii ejus in plures diffunderet, circumduci illum revinctis post tergum manibus per vicina loca, ac postremo Ameriae (*a*) ostentatum in proximo Tiberis flumine obrui, saxo quem aegre multi simul homines movere possent, collo ejus alligato, ne emergere unquam posset, jussit. Cum demum ab impii judicii ministris in profluentis ripa statutus fuisset, S. Martyr, datis ad terram genibus, grates Deo egit, et implorata erratorum suorum veniâ, pia precatione animam suam divinae benignitati commendans, arcte constrictus ac molari lapidi revinctus, praeceps in fluvium est dejectus, Calendis Junii, qui dies adhuc festus Ameriae agitur. At facinus tam indignum, iniquae caedis ministris impune non fuit; nam Spoletum redeuntes, duobus ferocissimis ursis cum occurrissent, ab iis necati ac dilaniati omnes ferme sunt. Pauci qui fugâ evaserunt, partim cogitatione periculi cui objecti fuerant, partim miraculi religione commoti, cum ea fieri sine divina vi non posse intelligerent, sacerdotem haud longe ab eo loco latitantem adière, et ab eo in christiana fide institui, et sacra perfundi aquâ petierunt, vitamque inde in christiana religione sancte traduxerunt. Neque hi solum, sed alii praeterea multi, miraculorum et martyrii hujus famâ adducti, Jesu Christi doctrinam fidemque amplexi, baptismo regenerati sunt.

§ **5**. At Eudoxia apud quam Spoleti delituisse aliquando Secundum diximus, nece ejus accepta, pro sua religione et in sanctum virum pietate, profecta domo, ad locum unde projectum in flumen beatum Martyrem audierat, aliquot piis hominibus comitata venit, corpusque ejus jacens in ipso ripae margine, nullo suppliciorum vestigio, nulla limosi gurgitis, quo plures dies obrutus fuerat, illuvie deformatum reperit. Quod cum divinitus factum non dubitaret, laeta Jesu Christi tam manifesta in cultores suos benignitate, sublatum inde, in praedio quod Amerino in Agro habebat, quam officiosissime potuit, sepelivit. Quo ex loco translatum postea Ameriam creditur, ubi ad Romanam portam, paulum extra moenia, vetusta in aede quae S. Secundi nomine nuncupatur, repertus marmoreus lapis est ita inscriptus: — Hic jacet corpus S. Secundi Martyris. — Corporis tamen ipsius nullae reliquiae, nullum aliud vestigium extat. Et Amerinus populus martyrem ipsum inter Sanctos urbis Patronos adoptatum, religiose colit.

(*a*) *Ameria* (ital. *Amelia*) oppidulum episcopale in Umbria, a Tiberi flumine 5, ab urbe Spoleto 30 fere passuum millibus distans.

CERTAMEN SS. MARTYRUM

PAMPHILI, VALENTIS, PAULI, SELEUCI, PORPHYRII, THEODULI ET SOCC.

EX EUSEBII PAMPHILI ECCLESIASTICA HISTORIA *Lib. VIII, Cap. 21,* INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO,

Nat. Aegyptii, Palaestini, Cappàdoces
Anno 308.

§ **1**. Tempus jam eo me vocat, ut illustre quasi theatrum Martyrum, qui cum Pamphilo, cujus nomen mihi semper optatissimum fuit, mortem oppetiverunt, in hoc sermone ante oculos cujusque ad intuendum proponam. Duodecim quidem erant, et non modo quodam prophetico dono, aut potius Apostolico, sed Apostolorum etiam numero dignati: quorum coryphaeus, et princeps solus Pamphilus presbyterii dignitate Caesareae ornatus, extitit: vir toto vitae cursu omni virtutum genere eximius, abjectione et contemptu seculi insignis, facultatum in pauperes largitione magnificus, spei, quae in caducis mundi rebus defigi solet, despicientiâ mirus, ratione vivendi et consuetudine vero Philosopho digna singularis: quinetiam ardenti divini eloquii et sacrarum literarum studio praeter caeteros nostrae memoriae homines egregius, attentissima et prope inexhausta in eas res industriâ et assiduitate, quas apud animum proposuerat, praestabilis, et in cognatis omnibusque propinquis juvandis perliberalis. Caetera virtutis ejus officia et recte facta, quoniam longiore explicatione eguerunt, in separato et proprio volumine, de ejus vita perscripto, inque tres libros dispertito, jampridem pluribus verbis tradidimus. Eos ergo, qui acri illius vitae, et virtutum in ea elucentium, plenius cognoscendarum cupiditate inceduntur, eo amandamus: nos autem illis solum in praesentia insistemus, quae ad martyres cum eo ad supplicium adductos pertinent.

§ **2**. Secundus post Pamphilum in certamen descendit veneranda canitie honoratus Valens, Aeliae civitatis Diaconus, ipso aspectu senex gravissimus, divinarum scripturarum, si quisquam alius, inprimis peritus. Non tantam illarum memoriam in pectus ejus incluserat ut si quando aliquem locum citare vellet, perinde expedite illud poterat absque scripto efficere, atque ex scripto

legere. Tertius Paulus, pietate maxime inflammatus, et spiritu non minus fervidus, ex civitate Jamnitarum, in qua famâ percelebris fuit, et ante martyrium, cauteriorum exustiones perpessus, egregium certamen pro fidei confessione confecit. His in carcere toto biennii spatio commorantibus, fit martyrii dilatio. Interea fratrum Aegyptiorum, qui cum illis una martyrium subierunt, accessio facta est (*Vide in* MARTYROL. ILLUSTR. XVI *Febr.*, *p.* 148*).

§ 3. Postea demum Firmilianus, quamquam prope defatigatus erat, et frustra viros illos supplicio affici cernebat, sua tamen cupiditate eorum morte exaturata, ad Pamphilum et ejus socios se contulit: et cum satis expertus erat, quam inflexibilem in fide tenenda constantiam etiam jam antea in tormentis ostendissent, iterum interrogat: utrum deinceps modo illi morem gererent. Atque cum a singulis eorum definitum et postremum responsum de fidei confessione, quae est martyrii propria, excepisset, similem cum prioribus poenam et supplicium illis irrogat. Quibus ad exitum perductis, adolescentulus quidam ex famulis Pamphili, qui ita erat excultus instructusque, ut dignus ingenua talis et tanti viri educatione et disciplinâ merito videretur, simulatque judicis sententiam contra dominum suum pronuntiatam intellexit, e media hominum multitudine exclamat, et uti illius aliorumque sociorum corpora, cum e vita decederent, terrae mandarentur, postulat. Judex vero non hominis, sed belluae aut si quid sit belluâ immanius, naturam secutus, ne adolescentulo quidem aetatis causâ quicquam veniae tribuit: sed ut primum eum rogarat, essetne Christianus, ipseque se esse responderat, iracundiae aestu intumescens, quasi telo saucius, tortoribus in mandatis dedit, ut omnes suas vires et impetus contra eum exercerent. Postquam vero, cum immolare ei jussum esset, recusantem videbat, non ut hominem carne circumdatum, sed ut statuam ex lapidibus, aut ligno, aut alia re quapiam confectam ad ossa usque et intimos viscerum recessus, acriter et absque ulla remissione deradi dilacerarique praecepit. Quo supplicii genere diu sustentato, judex cum illum nec vocem emittere, nec sensum doloris ullum prae se ferre vidit, idque cum parum abesset, quin illius corpus esset omnino inanimatum, et tormentis pene contritum exhaustumque, se frustra illum torquere perspexit, tamen animo duro, ferreo et omnis humanitatis experte praestans, confestim igni pedetentim exardescente et remisso comburi decernit.

§ 4. Hic igitur adolescentulus postremus, ante Pamphili mortem, qui erat dominus ejus secundum carnem, in certamen ingressus, ante illum e corporis vinculis solutum fuit, propterea quod qui erant in aliis trucidandis occupati, tardare videbantur. Licuerat ergo Porphyrium videre (hoc namque adolescentulo nomen erat) jam in omni genere certaminum exercitatum, incredibili studio et ardore, more hominis pro augusta et sacra victoria

decertantis, incessum, corpore pulvere quidem consperso sordidatum, sed decoro oris habitu eximium, erecta et generosa animi elatione post tantos cruciatus ad mortem gradientem, divino Spiritu revera completum, habitu philosophico, quo uti solebat, hoc est, indumento ad modum pallii humeros solum obtegentis vestitum, familiaribus suis, quid illos ejus causâ facere vellet, modesto et tranquillo animo praecipientem, nutuque significantem, et cum jam ad palum esset alligatus vultum splendidum et hilarem servantem: quinetiam cum rogus longo intervallo ab illo tamquam in ambitum orbemque exardesceret, hinc illincque flammam ore ad se arripientem, et post haec verba, quae jam flammarum incendio primum corpus attingente clara voce profundebat, nempe Jesum Filium Dei ejus adjutorem fore, constantissime cum silentio omnes cruciatus ad extremum usque spiritum tolerantem. Tale Porphyrii in martyrio certamen fuisse constat.

§ 5. Cujus vitae exitum Seleucus confessor quidam ex militum numero, Pamphilo nuntiavit: qui, ut par erat, ejusmodi nuntii ministro, quamprimum fuit eadem sorte cum illis martyribus dignatus. Nam mox ut mortem nuntiaverat Porphyrii, et unum ex martyribus osculo sancto salutaverat, eum milites quidam comprehendentes, ad praesidem deducunt. Iste tamquam ejus profectionem maturans, quo Porphyrio comes itineris ad coelum suscepti adjungeretur, extemplo capitis supplicio mulctari jubet. Hic in Cappadocia natus, prae delecto juvenum globo, qui in exercitu Romano militabant, praeque illis, qui erant apud Romanos in amplis dignitatum gradibus locati, non exiguum honorem adeptus est. Aetate enim florente, ròbore, proceritate, firmitateque corporis plurimum omnibus militibus antecelluit: adeo ut aspectus ejus celebris, et omnium sermone praedicatus existeret, tota corporis formâ ac specie tum ob magnitudinem, tum ob pulchritudinem et aptam membrorum compositionem admirabilis. Qui in ipso persecutionis initio, plagarum perpessione in certaminibus pro fidei confessione susceptis admodum enituit: et ubi militiae munere, quo fungebatur, spoliatus fuit, eorum qui ascètae, id est, pietatis cultores vel monachi, dicuntur, qui dies noctesque divinis meditationibus se exercent, aemulum se et imitatorem effecit: orphanis desertis, viduis omni ope destitutis, hominibus inopiâ et corporis infirmitate afflictatis, instar patris alicujus indulgentis et curatoris, benigne prospexit et opitulatus est. Unde merito quidem cum Deus ab ejusmodi pietatis officiis plus capiat oblectationis, quam a victimis fumo redundantibus, et sanguine aspersis, ad insigne et eximium martyrii decus per ejus gratiam accersitus fuit. Hic decimus athleta inter eos quos supra ostendimus, uno eodemque die mortem oppetiit; quo certe, ut apparet, maxima quasi coeli porta Pamphili martyrio decora illa quidem

et congruens patefacta, tum illi, tum aliis qui cum eo erant, in regnum coelorum aditum dedit perfacilem.

§ 6. Theodùlus item gravis quidem et religiosus senex, unus ex praefecti Firmiliani familia, et ab eo plus quam caeteri omnes domestici honoratus, partim provectae aetatis causâ (proavus enim erat, id est, tertiae progeniei pater) partim propter benevolentiam et fidelem animum, quem erga ipsum semper servaverat, iisdem vestigiis cum Seleuco insistens, et facinus illius facinori haudquaquam dissimile admittens, ad Firmilianum dominum suum deductus fuit: eique majorem bilem quam superiores commovens, tandem crucis afflictationi addictus, idemque martyrii genus, quod Servator olim, lubens perpessus est.

§ 7. Deinceps quoniam unus adhuc restabat, qui inter martyres commemoratos locum duodecimum expleret, idcirco Julianus, eum expleturus accessit. Qui pèregre jam eo adventans, et locum adhuc minime ingressus, simulac inter vias de eorum morte intellexerat, extemplo ad insigne martyrum spectaculum recta se contulit: atque ut humi posita sanctorum vidit corpora, solido expletus gaudio, sigillatim ea complexus salutavit. Quod dum faciebat, lictores et caedis ministri eum prehensum ad Firmilianum ducunt. Qui ea, quae sibi erant, suaeque crudeli naturae consentanea, executus, lento et remisso igni eum cremandum tradit. Julianus ergo prae laetitia exultare, valdeque gestire, atque clara voce gratias agens Domino, qui eum talibus praemiis, tamque insigni splendore afficere dignatus fuerat, praeclara martyrum coronâ donatur. Erat hic quidem Cappàdocum genere secundum carnem oriundus, moribus et vitâ sanctissimus, fidelissimus et maxime ingenuus: et cum in aliis rebus spectatus, tum divino ipsius sancti Spiritus afflatu imbutus.

§ 8. Talis erat caterva eorum, qui per Dei gratiam in martyrii societatem cum beato Pamphilo adsciti fuerunt. Sacra autem sancta revera illorum corpora ex impii praesidis mandato quatuor diebus, totidemque noctibus, ut a bestiis avibusque carnivoris devorarentur, sub dio servabantur. Verum ubi tamquam miraculo quodam nulla neque bestia, neque vòlucris, neque canis ad ea accedebat, rursus per divinae providentiae dispensationem integra illaesaque inde ablata fuerunt: et exequiarum justis potita, sepulturae, ut moris est, honorifice commendantur.

§ 9. Porro dum saevitia, adversum istos usurpata, in omnium ore et sermone versabatur, Adrianus et Eubùlus ex regione quae Manganaea dicitur, ad reliquos confessores Caesaream versus accedentes, ad portas urbis causam sui itineris eo suscepti rogantur. Deinde rei veritatem ingenue confessi, deducuntur ad Firmilianum. Iste nulla dilatione aut morâ interposita, post multa tormenta, quae in eorum latera impegerat, bestiis dilaniandos condemnat. Biduo autem interjecto, Adrianus quinto die mensis

Dystri, hoc est ad tertium Nonas Martii, die festo quo natalitia Fortunae Caesareensium (sic enim putabatur) celebrari solent, leoni primum ad discerpendum projectus fuit: deinde gladio jugulatus, obiit mortem. Eubûlus autem perendino die ad meridiem ipsis Nonis Martii, qui est septimus dies Dystri, cum judex illum admodum rogaret, ut hostias immolaret idolis, quo libertate eorum legibus decreta potiretur, gloriosam mortem pro pietate susceptam huic vitae brevi et caducae praeposuit: et post bestiarum laniatus, gladio, ut socius ante illum, trucidatus fuit: omniaque martyrum certamina Caesareae confecta suo sanguine postremus obsignavit.

§ 10. Caeterum operae pretium est hoc loco commemorare, quo pacto tandem, non idque longo tempore post, coelestis et divina providentia eos impios magistratus cum ipsis tyrannis ulta sit. Nam Firmilianus, qui tam petulanter et contumeliose in Christi martyres debacchatus fuisset, cum aliis ejusdem sceleris participibus extrema supplicia subiens gladio finem vivendi fecit.

ITEM EX EJUSDEM LIBRI VIII, CAP. 8.

Inter quos (*martyres*) erat Pamphilus, omnium necessariorum meorum mihi maxime desideratus, vir ex omnibus martyribus nostri temporis, propter cujusque generis virtutem facile praestantissimus. Hujus in dicendi facultate et Philosophorum disciplinis Urbanus I periculum fecit; deinde impulit ad sacrificandum. Quem ut penitus renuentem, et minas pro nihilo putantem vidit, ad extremum bile et furore commotus, asperioribus tormentis illum cruciari mandat. Quare immanissimus ille et maxime crudelis Praeses, continua acutarum novacularum incisione, martyris latera acerbe pungente, jam fere satiatus, et tandem pudore suffusus, in carcerem, ubi reliqui confessores erant, concludi jussit. Verum qualem mercedem Urbanus ob tantam saevitiam et crudelitatem, qua tantopere in sanctos Dei et Christi martyres insultavit, ex justa Dei ultione et vindicta post mortem habiturus esset ex suppliciis illi in hac vita inflictis, quae erant tamquam futurorum prooemia, facile licebât animadvertere. Nam non longo tempore post facinora quae in Pamphilum nefarie consciverat, divina ultio, dum adhuc praefecturam gerebat, eum ex inopinato adorta est ad hunc modum. Qui jamdùdum in sublimi et excelso sedens solio judicia dabat, qui satellitio militari stipatus, qui universae Palaestinorum gentis Praefectus, qui convictor tyranni, tamquam ei intimus, qui ejusdem mensae cum illo particeps erat, vindictâ Dei una nocte non solum fuit tantis dignitatis ornamentis orbatus, ignominiae et dedècori coram illorum oculis, qui eum ut principem admirati fuissent, expositus. timidus et ignavus factus, adeo ut voces muliebres turpiter funderet, et

abjecto animo universae genti, cui praefuerat, supplicaret: verum etiam Maximino, de cujus gratia antea insolens et superbus arroganter se extulerat (quippe eum egregie praeter caeteros ob facinora in nos crudeliter edita amplexabatur), duro et crudeli judice usus est, adeo ut post turpem ignominiam, quam pro sceleribus, quorum erat convictus, subibat, sententiâ ab eo pronunciata, morti addiceretur *.

VITA S. CAPRASII ABB. LIRINENSIS

EXCERPTA EX ANNOSO CODICE EJUSDEM MONASTERII

Obiit anno 430.

§ 1. Videmus quamplurimos homines gentilium libros studiose perlegere, fabulas poëtarum commoediasque et carmina perscrutari: alios cernimus Ethnicorum gesta, quibus juxta hujus mundi stultitiam aliquid strenue gessisse cernuntur, curiose perquirere, tenacique memoriâ retinere: quosdam etiam perpendimus talium perditorum hominum libentius historias allegare, quam sanctorum doctrinas, virtutes et exempla referre: cum tamen sanctorum vitam et merita recitando, quammaxima cunctis immineat utilitas. Nam in hoc (ut Propheta admonet) Dominum laudamus in sanctis ejus, qui in illis semper mirabilis apparet. Insuper ejus propitiationis gratiam, Sanctorum interventione promeremur, et eorum consideratione virtutum nobis incitamenta praeparamus. Omissis igitur stultorum hominum studiis, gloriosi Patris nostri Caprasii, cujus hodie festum colimus, virtutes ac merita ad memoriam revocemus.

§ 2. Fuit itaque beatus Caprasius ingenuus ac spectabilis genere, sed, quod laudabilius est, virtute mentis excelsus: a primaevo juventutis flore Philosophiae artibus imbutus, miroque claruit ingenio. Sed tandem divina praeventus gratiâ, prudenter attendens quia juxta Apostoli dictum: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (1. *Cor*. III), et quia *scientia inflat, charitas autem aedificat* (*ibid*. VIII): elegit potius stultus ab hominibus reputari, ut apud Deum sapiens mereretur haberi, illa secreta sapientiae divinae adipisci cupiens, quae Pater coelestis abscondit a sapientibus et prudentibus, sed mira dignatione parvulis, id est humilibus et simplicibus, revelavit: nec suo est desiderio fraudatus, nam pius et misericors Deus, qui tam salubre

* Hinc apocrypham expunximus de S. Proculo Bononiensi Milite Martyre Caroli Sigonii Legendam; eam rejecit et Mosander III Surianae Editionis curator. Vide nostrum MARTYROL. ILLUSTR. die I jun.

propositum cordi ejus inspiraverat, gerendi gratiam et perficiendi virtutem ministravit.

§ 3. Beatus igitur Caprasius verus Christi discipulus, mundanam illam relinquens Philosophiam, Evangelicam aggressus est disciplinam. Inprimis possessiones, et quaecumque in hoc seculo habere poterat, amore Christi contemnere, pauperibusque distribuere disposuit. Evangelicam ergo illis expeditus aggreditur paupertatem, onusque mundanae solicitudinis deponit, et juxta Apostoli doctrinam, quae retro sunt obliviscens, ad ea quae anteriora sunt, se extendit. Omnia hujus seculi concupiscibilia arbitratus est ut stercora, ut Christum lucrifaceret: et ut soli Deo liberius vacaret, non solum corde, sed etiam corpore ab hominum aspectibus et seculi conversatione recessit, et in quadam arcta aridaque solitudine monasticam vitam ducere, solitariamque institutionem aggredi deliberavit. In qua nimirum eremi solitudine ad tantum virtutum apicem provectus est, ut non solum sibiipsi proficeret, sed etiam quamplurimorum Deo militantium monachorum Pater et dux efficeretur, qui ejus exempla sectantes pariter et doctrinam, latam viam et spatiosam, quae ducit ad mortem, deserentes, arctam quae ducit ad vitam aeternam, Christo auctore, ingredi contendebant.

§ 4. Interea ejus magisterio se subdidit ille Christi Praesul, virtute, sacerdotio et nomine Honoratus, Lirinensis monasterii Pater, qui postmodum Arelatensi Ecclesiae praefuit Episcopus (*vide Sur. Vol. I, p.* 338): cui etiam adhaesit pretiosissima illa gemma interno splendore perspicua, beatus videlicet Venantius, ejusdem S. Honorati frater, qui ambo praefatum sanctum senem Caprasium pro suo vitae merito et eximiae sanctitatis praerogativa (Domino sic ordinante) tamquam Patrem et Ordinatorem in Domino, atque custodem suae adhuc tenerae aetatis elegerunt. Qui videns praedictos egregiosque duos juvenes Christum sitientes, Honoratum videlicet atque Venantium, patriam ac parentes pro Christo velle relinquere, eorum approbans propositum, per terras mariaque eos assidue comitatus est, licet jam esset aetatis gravitate confectus. Transcursis igitur, e Nicomedia (*a*) immensis terrae marisque spatiis, vir Domini Caprasius cum duobus regalibus geminis, Honorato scilicet et Venantio, Cisalpinam ingressus provinciam, talibus lampadibus, fidei igne fulgentibus, sanctam insulam Lirinensem illustravit. In quorum adventu illa sacra Lirinensis insula divino mox est cultui mancipata, summae religionis privilegio decorata.

§ 5. O felix virtutum magister, qui tantos ac tales meruit habere discipulos! O laudabilis pastor animarum, qui talium

(*a*) Hinc opinatus Suassajus est Nicomediensem fuisse Caprasium; at Venantio patriam statuerat Graeciam, ejusque fratrem Honoratum dixerat Arelatensem; in Gallia probabiliter hi tres prognati fuere, deinde Nicomediam peregre profecti, inde navi in Syriam et Aegyptum; quare infra dicuntur *Aegyptios Patres nostris Gallijs* intulisse, idest Aegyptiorum PP. sanctitatem.

gloriatur in Christo spiritualium propagine filiorum! Quanti putamus fuisse meriti, quantae virtutis virum hunc, qui ut ita dicam, Magistrorum valuit esse Magister? Quam felix et beata habitatio illius sanctae Lirinensis insulae, quae tam praeclaris est munita patronis, per Dei providentiam ad multorum utilitatem de tam longinquis ignotisque regionibus adductis.

§ 6. Vir ergo Domini Caprasius fervidus erat charitate, humilitate dejectus, mitissimus pietate, in spe firmissimus, modestus in incessu, obedientiâ promptus, abstinentiâ singularis, aspectu serenus, contemplatione sublimis, longanimitate fortis, orationis instantiâ continuus, nihil in hoc seculo consolationis quaerens, nihil desiderans nisi Christum, quem solum desiderando assequebatur, beatam quaerendo vitam, beatam agebat. Optabat a peccatoribus segregari: et jam non solum a peccatoribus, sed etiam a peccatis segregatus erat. Omne in Dei laudibus tempus habere volebat: et toto tempore Deo vacabat. Appetebat sanctorum congaudere coetibus: atque etiam in praesenti adhuc vita positus similiter gaudebat. Christo frui cupiebat; mente et spiritu fruebatur. Vir iste beatus pro virtutum magnitudine tantae fuit opinionis et famae, ut multi sanctorum Doctorum suae tempestatis, ejus dignae conversationi testimonium perhiberent, ac de ipso in suis tractatibus memoriam facerent.

§ 7. Unde praecipuus ille Lugdunensis Ecclesiae antistes, Eucherius, in fine libri, quem de Erèmi laude conscripsit, cum de sanctis Lirinensis insulae incolis loqueretur, hunc virum Dei inter reliquos praecipue nominavit, ita dicèns: « Haec videlicet Lirinensis sancta insula, nunc possidet venerabilem gravitate Caprasium, veteribus sanctis parem. Haec nunc habet sanctos senes illos, qui diversis cellulis Aegyptiòs patres nostris Galliis intulerunt. » Et beatus Hilarius, in sermone quem funebrem in sancti Honorati laudem habuit, beatum Caprasium perfectae consummataeque gravitatis fuisse, angelica in insulis conversatione degisse, et inter Christi amicos connumeratum describit.

§ 8. Cum ergo beatus Caprasius annosus plurimum grandaevusque esset atque decrepitus, et tempus suae resolutionis instaret (ut legitur) apparuit ei sanctus Michaël Archangelus, atque suum felicem exitum post biduum imminere, divino nutu revelavit. Nec incongrue quidem, ut angelico viro migraturo ex hac vita, angelica legatio occurreret, quae sanctam illam animam et ab hostili improbitate defenderet, et coelestium civium gloriâ sublimaret. In ejus igitur extremis convenerunt gloriosae et inclytae memoriae Sacerdotes, Faustus scilicet, Theodorus, Maximus et Hilarius, cujus mentionem jamdudum fecimus. Qui beati viri Caprasii conscius meritorum, suae pontificalis dignitatis oblitus, ad ejus pedes residens, ipsius se orationibus commendabat,

atque ut sui memor esset, grandi cum humilitate efflagitabat, non indignum reputans tanto èremi incolae obsequium impendere, ipsiusque eximiae sanctitati dignitatem sacerdotii substernere.

§ 9. Quid igitur officii nos peccatores et indigni huic beato viro jam cum Christo regnanti poterimus exhibere, cum audimus tantum Pontificem ejus adhuc in terris positi suffragia tanta cum humilitate deposcere? Ejus ergo intercessionis opem ardenter imploremus, auxilii ejus beneficia poscamus, illius vitam atque mores pro nostrae modulo virtutis imitemur, regnante Domino nostro Jesu Christo in secula seculorum, Amen.

VITA S. SIMEONIS

MONACHI TREVIRENSIS

AB EVERWINO ABB. MONAST. DOLEJENSIS CONSCRIPTA.
STYLUM HINCINDE MODICE ELIMAVIT LAURENTIUS SURIUS,
NIHIL MUTATA SENTENTIA.

Obiit anno 1035* — Patriâ Siculus.

§ 1. Vir Dei Simeon patre Graeco Antonio, matre Calabricâ in Sicilia civitate Syracusana progenitus, et nobilissimis et Christianis parentibus, christiane est educatus. Cum vero bonae indolis puer septem annorum esset, a patre, qui militaturus erat, Constantinopolim deducitur, ibique eruditissimis viris sacris literis imbuendus traditur, et in timore Domini diligenter enutritur. Adultus itaque, incrementis virtutum indies coepit augmentari, vidensque quosdam ex nostris partibus desiderio infatigabili currere ad sepulcrum Domini, desiderabat et ipse pro nomine Christi peregrinus fieri. Despectis ergo cunctis mundi vanitatibus, abjectis desideriis carnalibus, domum, patriam, parentesque relinquens, et pauper pauperem Christum sequi cupiens, sanctorum gratiâ visitandorum locorum Jerosolymam venit: ubi desiderio quo venerat, loca passionis, resurrectionis atque ascensionis saepius frequentando, aliquandiu mansit. Post haec cum quodam Hilario sanctissimo viro, qui hac de causa in Lycaonio habitabat, per septem annos ductor peregrinorum fuit. Jam vero in amore Christi totus fundatus, perquisivit si illis in locis aliquis inveniretur, qui pro nomine Christi solitarius degeret, cujus instrui moribus, cujus subdi institutionibus posset. Audivit autem quemdam ad ripam fluminis Jordanis in quadam turri inclusum commorari, virtutibus praeclarum, sanctitate conspicuum. Illum ergo tota mentis intentione sitiens, illius alloquio atque consortio

frui concupiscens, requisitum reperit, inventum dilexit, eique tota voluntate inhaesit, et in quantum potuit, devotissime ministravit.

§ 2. De illo Christi servo vir Dei Simeon multa solitus erat narrare, et quod prophetiae spiritum habuisset, plenius his verbis edicere. Cum quodam die in inferioribus ejusdem turris partibus habitarem, et mulierculas, quae camelos et caetera animalia in flumine adaquatum venerant, inaniter et lascive per fenestram aspicerem, per spiritum, quicquid vanitatis in corde retinerem, vir Dei in superioribus manens, et me omnino videre non valens, cognovit, factoque signo in locum, ubi verba loquentis audire possem, evocavit, mihique stupenti, quae cogitaveram vel egeram, increpando retulit, atque tali sermone dulciter corripuit: « Quid tibi prodest, fili, patriam et facultates reliquisse, si mundi desideria et carnis illecebras in corde vis retinere? Si ergo cupis discipulus Domini fieri, non debes deinceps mundi vanitatibus implicari. Decet enim servum Dei spirituali virtute esse circumspectum, ne callidus tentator decipiendi inveniat aditum.» Cumque inter hos et id genus alios sermones verecundo me videret perfusum rubòre: « Noli, ait, noli timere: bonam spem per Dei gratiam concepi de te. Tuum est contra hostem pugnare, Dei est auxilium praebere, ut possis vincere. Credo in Deo meo, quia majora tibi parantur certamina: sed confide, quia praesens divina aderit clementia. Inter caetera Deus retribuat tibi, charissime, pro servitio, quod mihi per hos annos officiose impendisti: ego vero frequentiam populi amplius ferre non possum. Concedendum est mihi alio, ubi secretius possim vivere. Inter turbas enim huc adventantium meum non possum implere propositum.» Cumque multis lacrymis eum rogarem, ut quocumque iret, sequi possem, non assensit: sed me ad alia occupato, aufugit, meque ignorantem, quo abiret, occulte reliquit.

§ 3. Igitur Simeon tanto patre orbatus, cogitare coepit quid ageret, anxius quo se verteret, nec erat, qui nutantem animum consolaretur: unde magis magisque turbabatur. Jam tunc eremiticam et solitariam vitam concupiscebat, sed quomodo inciperet, necdum perspectum habebat. Igitur vitas Patrum frequenter legens, intellexit nullum in erèmo sibi pràeesse posse, nisi prius in monasterio didicerit subesse: nec perfectum aliquem fore in contemplativa, qui exercitatus non fuerit in activa vita. Consolatione ergo accepta, Bethlehem, nativitate Christi praeclaram civitatem, adiit, seque in monasterium Sanctae Mariae admitti expetiit: quod et obtinuit. In omni vero monasterii districtione probatus, atque diaconi officio functus, post duos annos ad aliud monasterium, quod est situm ad radices montis Sinai, in eo scilicet loco; ubi sanctus Moyses ardentem vidit non ardere rubum, secessit: ubi ab Abbate receptus, per aliquot annos in

servitio fratrum permansit. Crescente autem perfectioris vitae desiderio, Abbatem humiliter rogavit, ut liceret ei in aliquo secretiori loco commanere, et impetravit. Ad oram igitur rubri maris parvulam sibi speluncam in quadam rupe invenit, ubi per duos ferme habitavit annos solus. De monasterio vero pro numero dierum Dominicis diebus numerus ei mittebatur panum. Aqua stillans de rupe, sitienti haustum praebebat. Hoc pastus edulio, in eodem aliquandiu mansit loco.

§ 4. Cum vero a navigantibus, vel etiam ab his qui propter varios usus sanitatum oleum colligebant, quod de firma petra prope speluncam illius fluebat, visitari coepisset, fratrem quoque qui panem adferebat, frequentatione et longioris itineris fatigatione, tristem vidisset, sciensque se homines latère non posse amplius, ad monasterium rediit, et juxta cujusdam viri sancti habitationem cellulam sibi acquisivit. Cujus fidei se totum commendans, et magistrum eum post tantos labores adoptans, illius vivebat imperio: quippe qui eum aliquando ob oratione, lectione vel opere vacantem paterne reprehenderet, et quasi recens conversum instanter argueret. In vertice autem montis Sinai, eo videlicet loco, in quo Moyses gloriam Dei vidit, et Legem in tabulis lapideis scripsit, aliud monasterium erat, quod propter incursantes Arabes, qui per illam erèmum semper vagantur, omni habitatore desertum remanserat. Eo post haec exercitia vir Dei Simeon mittitur, et ut ibi moraretur, praecipitur. Implet quod jubetur, et nova machinamenta antiqui hostis perpetitur. Nocturnis horis ut Missam celebret, daemon hortatur. Ipse nec plane dormiens, nec perfecte vigilans contradicit, non debere sine presbyterii Ordine aliquem hoc ministerium implere. Contra inimicus instat, se Dei legatum esse, Christum hoc velle, nec decere sanctum locum ministerio tali diutius privari. Renitentem ergo et contradicentem, adjuncto sibi consortio alterius daemonis, de lectulo educunt, ante altare jam vigilantem statuunt, albâ induunt, de stola utrimque altercantur, hostis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat sibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad se reversus, virtute orationis et signo Crucis inimicum repellit, seque delusum ingemiscit. Post haec ad monasterium regreditur, suo magistro iterum subditur: cui confitens perpessas insidias diaboli, districtiori se continentiâ constrinxit, per aliquot hebdomadas die tantum Dominica cibum sumens. Regula autem monasterii talis erat, ut non prohiberetur, quicumque jejunare vellet.

§ 5. Dignum ergo duxi huic operi adjungere, quod suis temporibus in eodem monasterio mihi retulit contigisse. Per totam Aegyptum orta est fames valida, ita ut in sola civitate Babylonia mortuorum corpora numerarentur usque ad centum millia, civibus refertis auro, gemmis, caeterisque ornamentis, morientibus

prae inopia panis. Fratres igitur monasterii hac calamitate constricti, ex toto corde Deum invocant, ut qui filios Israël in eodem deserto pàverat pane coelesti, servorum suorum dignaretur misereri. Sicque habito consilio, cum hymnis et orationibus ad tumulum quod superfuerat frumenti accedunt, et quia ab Abbate in mandatis acceperant, ut unusquisque, quo vellet, abeundi copiam haberet, unanimiter se consolantur, ut quamdiu granum unum ibi reperiri posset, nullus recederet. Mira res. Ab illa die usque ad novas fruges non defecit illud frumentum, cum quotidie inde sumeretur, et non solum victui fratrum pararetur, verum etiam Arabibus, qui cum mulieribus et parvulis septa monasterii obsidebant, abundantissime distribueretur. Sed ad propositum redeamus.

§ 6. Vir itaque Dei Simeon omnes suos labores, quasi pro nihilo ducens, et amore solitudinis interius ardens, de monasterio caute exiens, erèmum pervagatur, et ubi sine humano auxilio solus vivere possit, diligenter inquirit et speculatur. Igitur itineris sui vestigia molli fabulo impresso, arte, qua poterat destruebat, ne aliquis eum insequi posset vel invenire. Panem quem portabat, lassus frequenter rejiciebat: sed recogitans se diu non posse vivere sine cibi sustentatione, gaudens resumebat. Tandem de altissimis rupibus deorsum prospectans, parvissimam planitiem contra morem erèmi raro germine virentem respicit, seque illuc nón sine magno periculo deponit. Parvum fontem invenit, Deo gratias reddit, ibique manere disponit. Deliciae, quas secum detulerat, erant Psalterium, sanctum Evangelium, vas ad potandum, panis, semina caulium. Praeter pauca vestimenta, nil aliud possidebat. Sata semina post triginta dies jucundum sine igne praebuerunt victum. Cum capreolis et aliis eremi bestiolis, ne sibi caules auferrent, cum pabulatum venirent, frequens habebatur praelium.

§ 7. Post multos ergo dies ab Abbate requiritur, ubi frater Simeon habeatur? Responsum est a quodam fratre, in eremo illum esse se scire, sed ubi locorum, nescire. Ad requirendum ergo fratres circumquaque mittuntur, et ut ad monasterium revertatur, per obedientiam mandatur. Diu requisitus, vix post aliquot dies invenitur, et secundum Abbatis praeceptum, ad monasterium regreditur. Interea fratres aliquot, pro necessitatibus loci in occidentales partes directi, moriuntur. Pecunia, cujus causâ fratres abierant, quae de terra Richardi Comitis Nortmannici monasterio debebatur, ab ipso diligenter conservatur, utque aliquis fidelis mittatur frater, qui eam ad monasterium perferat, per legatos mandatur. Communi consilio id negotii famulo Dei Simeoni committitur. Ille prius renuere, dicere aliud sibi in animo esse, multum obesse sibi vanitatibus hujus seculi denuo immisceri, propositum quod retineret animo, ut id liceret re ipsa

implere: quibus poterat verbis, humiliter precari coepit. Cum vero praedicaretur illi, non suam voluntatem, sed praepositorum sequi ipsum debere, assensum praebuit, dicens, se doctum per visionem, illud iter inutile fore, multaque adversa in via se perpessurum: quod et contigit. Nam cum paraturus quae ad navigandum necessaria essent, Babyloniam venisset, ab janitoribus tenetur, et tamquam ignotus et patriae delator cum sua supellectili ad palatium trahitur et per calumniam defertur. Expurgatus deinde ab iis quae falso ei objecta erant, libere abire jubetur: janitor, quod virum innocentem ad sedem regiam detulisset, tunditur, colaphizatur, propellitur. Famulus ergo Dei Simeon libertate donatus, per aliquot dies in civitate moratur.

§ 8. Intera navis Venetiis cum mercibus advenit: hanc compositis rebus, cum quodam fratre monacho intrat. Cum itaque prosperis ventis per Nilum navigatur, forte aliae naves obviant, et illis in locis piratas ad praedam congregatos nunciant, illorum gladios non posse evadere, nisi per aliquod tempus dum segregentur, libeat eis navigationem suspendere. Cumque aliae atque aliae naves eadem referrent, et nauclerus, in sua confisus virtute et armis, non attenderet, famulus Dei Simeon proprio eum vocans nomine, dixit: « Frater, si Dominus Christus de coelo angelum misisset, tu territus, aspectum illius ferre non posses: nunc vero, quia hodie, heri, et nudiustertius non unum, sed plures legatos misit tui similes, legationem Dei non negligenter suscipere deberes. Crede consiliis meis, et vel per tres dies istos expecta: fortassis ab isto periculo liberabit nos miseratio divina. Quod si non feceris, et te et nos perdis.» Ille vero modis omnibus non acquiescens, sequenti die in latrones incidit, ab hora diei tertia usque ad nonam fere, utrinque acriter certatur. Sed cum latrones viderent se pugnâ nihil proficere, ad dolos convertuntur, ut in navim recipiantur, pugnaturi adversus alios latrones, humiliter exposcunt. Contradicente Simeone famulo Dei, in navim recipiuntur. Depositis itaque armis, et omnibus quasi post laborem quiescentibus (praedones autem novem erant) unanimiter insurgunt, gladios impie stringunt: fit pugna atrox, inimica caedes exercetur. Ipsi nauclero primum caput amputant, caeteros duriter mactant, omnes pariter occidunt et jugulant. Solus Christi famulus in puppe stat, illum, qui non deserit sperantes in se, toto corde exorat; ab omnibus acclamatur, ut inimicus consultor perimatur: ut caput amputetur, ferus hostis adest. Ille rejecta veste, projicit se in flumen. Multa post illum jacula mittuntur: sed non potest perire, quem Christus vult salvare. Per profundum graditur, psalmus in corde ruminatur: *In mari via tua* (Deus) *et semitae tuae in aquis multis* (*Ps.* 76). Ergo per vices natando, per vices in fundo gradiendo, in littore tandem valde lassus, nudus exponitur.

§ 9. Post haec ad vicum, qui proximus erat, tendit: homines illi Christiani ne, an Pagani essent, scire non potuit. Instructus Aegyptia, Syra, Arabica, Graeca et Romana eloquentiâ, linguam gentis illius intelligere non poterat. Biduo ita nudus mansit. Tertia die quidam ex illis hominibus miseratus, vilissimum illi vestimentum projicit. Quo indutus, per multas tribulationes et angustias Antiochiam venit: ubi a fidelibus viris amanter susceptus, induitur, amplexatur et honorifice sustentatur. In brevi Patriarchae et ipsis principibus habetur notissimus. Omnes enim qui eum noverant, quasi dulcissimum patrem venerabantur et diligebant. Ea tempestate contigit, Richardum Abbatem virum perfectis viris imitabilem, piae devotionis gratiâ Jerosolymae velle videre loca. Dum ergo iter per Antiochiam haberemus, ibique necessitate itineris cogente, aliquandiu moraremur, famulus Dei Simeon junctus est nobis amicitiâ, praedictum Richardum Abbatem adoptans sibi in patrem. Cui cum exposuisset per ordinem, quae sibi injuncta essent, vel quae contigissent, addidit, nullis periculis vel angustiis se retineri posse, quo minus Abbatis sui mandata exequatur pro viribus. Imus ergo et redimus, eumque nobiscum paratum invenimus. Cumque in comitatu esset nostro, frequenter injuriis atque flagellis affectus, ceu ovis mansuetissima, patienter tulit.

§ 10. Pervenientibus autem nobis usque ad civitatem Bellegradum, quae est in confinio Bulgarorum atque Hungarorum, a civitatis infelicissimo principe prohibitus est nobiscum transire. Igitur flens et Deo gratias reddens, reliquit nos tristes atque flentes. Per multas denique angustias et latronum insidias revertitur usque ad mare. Quo transito prospere, iter faciens, per Romam, venit in Franciam. A quodam igitur sibi noto comite benigne suscipitur, et apud eum aliquandiu moratur. In illis ergo partibus monachus, vir sanctissimus, comes ejus, quem secum de Antiochia adduxerat, moritur: unde multum contristatur. Cum recogitasset autem, quia nihil fit sine dispositione Dei, post multas lacrymas sese consolatur. Destitutus vero omni humano auxilio, totam spem suam ponens in Domino, solus venit Rothòmagum (*Rouen*), quae est civitas Nortmannorum nobilissima, sancti Audoëni episcopi et confessoris corpore et meritis valde praeclara. Ubi cum Richardum Comitem jam mortuum comperisset, de pecunia et censu, qui de terra illius pro eleemosyna suo monasterio debebatur, nullus ei responsa redderet, moestus aliquantulum, non pro suo labore, sed quod locus Sinai frustratus esset tanta utilitate, toto corde conversus ad Dominum, quid ageret, quaerit consilium. Occurrit autem animo, ut suum patrem charissimum, Richardum scilicet Abbatem, nosque suos comites inviseret: quod et fecit. Per longum autem tempus

moratus est nobiscum: et ut breviter concludam, quandiu apud nos mansit, irreprehensibiliter vixit.

§ 11. Interea dominus Archiepiscopus Poppo, sanctae Trevirensis civitatis strenuus provisor, audiens Prophetam dicentem: *Et erit sepulcrum ejus gloriosum:* gratiâ orationis Jerosolymam venit, huncque famulum Dei eundo et redeundo secum conviatorem habuit: cui post reditum in suo episcopatu, si vellet, manendi facultatem praebuit, et libentissime concessit. Ex revelatione igitur Dei prospectans sibi locum idem famulus Christi, ubi solus posset vacare orationi, in turri, quae antea nigra porta vocabatur, parvulum tugurium expetiit, ubi dominus praesul, praesente clero et populo, in festivitate sancti Andreae illum inclusit, et quasi mortuum ut vere erat seculo, devotissime sepelivit. Reclusus igitur, ut vere credimus, vir Dei silentio et jejuniis attenuavit corpus suum: inprimis aliquando solo pane, aliquando autem reficiebatur aquâ, infuso legumine. In nostra quidem terra, propter infirmitatem stomachi, usus est semper modica potione vini. Illo etiam tempore non defuerunt graves tentatoris insidiae, sed eum, eumque saevientem multis modis, oratione et signo crucis repellebat. Sed cum inimicus nullatenus per se nocere illi posset, insidias adversus Dei famulum per sua membra ei tetendit. Ea tempestate, exigentibus peccatis nostris, nimia aquarum abundantia excrevit. Ejus mali causa Simeoni imputabatur ab omnibus, dicentibus, eum maleficum esse: pro ejus sceleribus hanc mundo cladem imminere, ut deponatur a pontifice, populus acclamabat quotidie. Ex urbe tandem concursus agitur, tugurii fenestras obruunt, Simeonem lapidare contendunt. Vidimus, fateor, fenestram fractam, sed athleta Christi Simeon fundatus supra firmam petram, immobilis persistebat, atque Deo gratias reddens. pro persecutoribus cum gaudio orabat. Quantas postea cruces, quantas ibi pertulerit molestias, quis digne explicet? Solus haec novit scrutator cordium, qui illi fuit vivere, sicut mori lucrum.

§ 12. Interea volvuntur anni, et vir Dei resolutionem praevidet corporis. Denique dominum Episcopum rogat, ut expensas et operarios qui sibi lectum componant, mittat: ipse in parte sui diversorii locum sepulturae parat: haec, inquiens, requies mea in seculum seculi: hic expectabo diem Domini. Paucis postmodum transactis diebus, ipsum ego humilis adii vocatus. et qui pedum illius osculo eram indignus, in cellam ab eo sum intromissus. Post orationem, amplexus, oscula et fletus, consedimus. Referuntur inprimis multa de thesauris sacrae scripturae, de orthodoxa fide, de salute animae. Post haec: Revelante Deo, inquit, dissolutionem corporis mei adesse cognovi: peto humiliter, ut hoc corpusculum meum his vestibus exuas, istas, quas mihi ad hoc paravi, ordinatim induas, et in locello componas. Cui cum obstupefactus responderem: Quid si dominus Praesul

ad domum sancti Petri, vel ad aliud monasterium te velit sepeliri? respondit: Indica illi ex nostra parte, ut pro Christi nomine haec peregrina membra consentiat hic putrescere, et me permittat hic diem Domini expectare. Cum autem porro interrogarem: Quid si praesens non fuero? Eris, inquit, eris, et sic ut disposui, de me ordinabis. Cumque valde tremens, attentius vultum intenderem, sensi, fateor, odorem de corpore ejus fragrantem, omnibus aromatibus suaviorem. Miratus multum, alia secreta ex illius ore audivi, quae hic scribere nolui. Interpositis ergo centum et quinque diebus, in octavis Pentecostes aegrotavit.

§ **13**. Stephano autem, qui ei ministrabat, injunxit, ut per aliquot dies requiem ipsi daret, quo plus solito contemplationi vacare posset. Ille unum diem expectat, et tertiâ feria ad vesperam signo facto, corbem cum pane ad fenestram suspendit: mane autem, sicut miserat, intactum reperit: multum anxius ad eum ascendit. Interrogatus, hoc solum respondit: Quid vis? vade in pace. Ille timens, Gothelino clerico, qui viro Dei satis familiaris erat, per ordinem pandit, dominum Simeonem valde laborare, nec sibi ut solitus erat, loqui. Clericus feriâ quinta illum visitat: famulus Dei nullum responsum dat. Sed tandem de manu ejus potum suscipit, seque in lectum suum recolligit. In die octavo dum revisit illum diluculo, in extremis reperit, mihique notum facit. Concitus cucurri infirmus toto corpore, et maxime debilis pedum invaletudine, quasi sanus ascendi sine dolore. Inveni adhuc viventem, et jam ultimum spiritum trahentem. Exequias, quae pro absolutione animae celebrantur, cum solis duobus fratribus qui mecum advenerant, prout potuimus, peregimus. Sicque animam sanctam horâ tertia, Calendis Junii, benignissimo cui semper servierat, reddidit Creatori. Subito fit concursus omnium: monachi, clerici, Deo sacratae, vulgus promiscui sexus, quicumque audire poterat, ad tanti viri funus properabant.

§ **14**. Igitur, sicut ipse disposuerat, immo praedixerat, corpusculum more suae patriae componimus, et cum psalmis et laudibus Dei in sepulcro collocamus. Quod apertum dimittentes, qui in vigiliis et obsequiis deservirent, deputamus. In crastino tota civitas quasi vir unus congregatur, interior domus ornamentis ecclesiasticis decoratur. Dum ergo exequiae communiter celebrantur, sancti viri corpus, sicut solent homines in calidis balneis, sudare coepit. Miramur omnes. Aliqui sudorem extergebant, vivere eum credentes. Sed cum multis modis probatum esset, quia non e vivo corpore ille sudor procederet, nec sine providentia Dei isthuc fieret, visum est omnibus ut illud tanti viri corpus non negligeretur, sed a Clericis per proximos triginta dies vicissim custodiretur. Deputatis igitur illis, post horam nonam sepulcrum diligenter clauditur. Cum autem Clerici per vices in cellula, ibi humatum erat corpus viri Dei, psalmos

canerent unus negligentior dormitare coepit. Qui gravi depressus somno, audivit quasi coelitus ingentem sonitum eo loco existere. Quo territus, aliis excitantibus est expergefactus. Oculis vero apertis, vix sensum recepit: sed per aliquot horas linguae officium perdidit. Admonitus ergo ab aliis, ut quam non posset sermone, confessionem corde faceret, ante sepulcrum viri Dei veniam postulat, pectus tundit, atque ejus meritis absolutionem linguae obtinuit, et quae ipsi contigerant, narravit. Cumque eadem accidissent iterum dormienti, omnibus nimio perterritis terrore, extra cellam ad pedes viri Dei psallere placuit. Credimus siquidem angelicam visitationem illuc advenisse, quam mortalia corpora ferre non possent.

§ **15**. Trigesimo deinde viri Dei Simeonis die, multus populus cum cereis atque aliis donis ad sepulcrum coepit confluere. Quaedam anus de civitate, multis annis curva, ut se penitus erigere non posset, cum reliqua multitudine advenit, et caeteris ascendentibus ad sepulcrum viri Dei, et ipsa, si ascendere posset, tentavit. Erecta igitur toto corpore ascendit, viro Dei Simeoni gratias reddidit, sicque mirantibus, qui eam noverant, civibus, sana et incolumis domum remeavit. Multi etiam alii variis doloribus et morbis affecti, eo ipso die sunt liberati. Ex eo tempore sepulcrum viri Dei populus veneratur et invisit. Cum autem commodus ascensus in aedificio turris pararetur, quoddam lignum a multis trahebatur: et cum in altum jam esset sublatum rupto fune, multitudini, quae convenerat et subtus stabat, mortem coepit minari. Exterritis omnibus, atque: vir Dei Simeon, adjuva nos: inclamantibus. mirabile dictu, quasi manibus sustentaretur, fluctuando paullatim deponitur, atque multitudine perterrita utrinque locum dante, ad terram sine periculo submittitur. Qui periculum evaserunt, Christo laudes referunt, et Simeoni tanti miraculi ministro gratias reddunt.

§ **16**. Hic duo miracula placuit inserere, quae iidem ipsi, qui sanati sunt, testificantur in ejus vita esse patrata. Cum per longum tempus quaedam foemina acri corporis aegritudine vexaretur, et prae nimia valetudine oculorum visu omnino privaretur, quadam nocte in somnis admonetur, si de manu viri Dei Simeonis cibum sumeret ab illo morbo liberam ipsam fore. Mane virum interrogat, quis Simeon ille sit? Saluti uxoris congaudens maritus, coepit diligenter inquirere de viro Dei Simeone. Dictum est autem ei a quodam Gothelone clerico, quia is esset, qui cum domino Episcopo de Jerosolymis venisset. Deo gratias ille refert, visionem suae uxoris refert, et ut de manu ejus cibum capere ei liceat, humiliter precatur. Clericus per ordinem viro Dei nunciat, et quod petebatur, ut impleat, multum rogat, sed vix impetrat. Cum ergo panem et piscem, a viro Dei cum benedictione transmissum, jam desperata et pene mortua mulier suscepisset,

panem comèdit, de pisce oculos inunxit, atque ita obdormivit. In galli cantu expergefacta, et cum lumine oculorum plena corporis sanitate recepta, ad opus resedit, et mirantibus amicis, Jesu Christo gratias egit, qui per merita sui famuli Simeonis perféctam sanitatem ipsi concessisset. Quidam puerulus hydròpis morbo miserabiliter distentus cum etiam a medicis desperaretur (venter enim, virilia et quaeque interiora ita intumuerant, ut vix incedere, vix stare vel sedere valeret): petiit se ad virum Dei Simeonem deduci, dicens, quod medici non possent, illum posse. Adductus igitur, per tres dies de potu illius bibens, quarta demum die coepit melius habere: sicque oratione viri Dei restitutus est pristinae sanitati. Quaedam mulier, quae manum dexteram, digitis palmae adhaerentibus, aperire numquam poterat, ad sepulcrum viri Dei venit, manum cum fide superposuit, moxque digitis extentis, meritis viri Dei sanam retraxit.

§ **17**. In festivitate sancti Petri ad vincula, alia mulier, quae sinistrum brachium cum manu contractum habebat, ad sepulcrum beati Simeonis venit: quae extensis venis et rupta cute, sub omni celeritate medelam promeruit. Eodem tempore puer quidam mutus ad sepulcrum viri Dei adductus, officio linguae est restitutus. Alius similiter mutus puerulus ad viri sancti sepulcrum mittitur, in via loquitur: domum reversus, mutus, sicut antea, efficitur. Iterum cum votis ad sepulcrum reversus, perfecte sanatur. Quadam die Dominica dum quaedam puella, cujus brachium ventri inhaerebat, ad sepulcrum famuli Dei Simeonis venisset, brachium, quod, excrescente carne vix videri poterat, praesente populo exilivit, et perfectam sanitatem, quam petebat, promeruit. Alia Dominicâ, mulier cum parvula filia quae caeca a nativitate fuerat, venit ad beati viri sepulcrum. Dum ergo Missa celebratur, puella illuminatur. Matrem respicit, sed non cognoscit. Illa interrogans, quid sibi esset? cognoscit quod filia sua videret. Gavisa, factam in se misericordiam populo nunciat. Populus vero virtutem Christi in meritis sancti Simeonis laudat. Sed cum Clerus magnitudinem tanti miràculi non crederet, subito parentes illius mulieris et ministri de villa adveniunt, qui illam a nativitate caecam fuisse testabantur. Mox tota ecclesia Christum laudat, qui famulum suum Simeonem tot miraculis illustret.

§ **18**. Quidam Adalmannus civis Trevirensis, iter faciens, hospitatus est in domo cujusdam, qui filium habebat caecum. Suasit ergo illi, ut filium ad sepulcrum hominis Dei duceret, misericordiam inventurus. Ille votum faciens, censum aliquot annorum viro Dei promittit reddendum, moxque in domo ejus puer lumen recipit. Videntem itaque ad sepulcrum adducit, et gratias sancto viro Simeoni reddit. Quaedam mulier permultos annos visu oculorum privata, dum sepulcrum beati confessoris per aliquot dies

frequentaret, meritis illius illuminata est. Ad idem sepulcrum quaedam daemoniaca perducta, quae quos poterat, dentibus mordebat et manibus laniabat, per noctem ligata mansit. Mane facto, daemone liberata, incolumis remeavit ad propria. Quidam servus Palatini comitis habuit ancillam, cujus manus una arida, imbecillis et tam exilis erat, ut ad nullum opus valeret. Tradidit ergo eam ad sepulcrum viri Dei Simeonis. Eadem nocte miro modo ipsa manus intantum crevit, ut alteri non dissimilis esset. Quidam miles quandam habuit famulam, adeo paralysi corpore dissolutam, ut nec de lecto surgere, nec in latus alterum se convertere posset. In cophino igitur ad viri Dei sepulcrum deportata, per aliquot hebdomadas ibi hospitata est. Cum ergo in festo quodam populum videret ad Missas concurrere, et ipsa subito de lecto exiliens, cum eis coepit ambulare. Ad sepulcrum igitur viri Dei veniens, et sua vota coram populo nuncupans, quae apportata fuerat aliorum manibus, sana et incolumis propriis repedavit pedibus.

§ **19**. In Calendis Novembris cum placuisset domino Archiepiscopo in aedificio turris, ubi corpus viri Dei sepultum erat, altare in honorem omnium sanctorum construere, multus undique populus confluxit. Dum ergo apparatus fit, et dominus episcopus expectatur, quidam puerulus contractus ante sepulcrum viri Dei sanus erigitur. Eodem die quidam juvenis, cum ad tantam diei laetitiam ascendere vellet cum reliqua multitudine, nullo modo valet. Impingitur itaque a populo, trahitur et portatur: sed vires portantium deficiunt, et ipse toto corpore sanus, magis magisque fit ponderosus. Consulentibus quibusdam peccatorum suorum confessionem facit, et tandem ad vesperam levis factus, ascendit, emendationem vitae sancto Simeoni promittit, sicque laetus domum redit. Alio tempore quaedam meretrix cum ascendere ad sepulcrum viri Dei vellet, quasi a quodam repellente rejecta, de gradu cecidit, et facta exanimis, cum putaretur a populo statim moritura, foras trahitur. Sed cum ex illo aedificio exportata esset, quasi nil mali passa, in pedes constitit, et de illa civitate ocyus aufugit.

§ **20**. Quidam rusticus cum debile corpus ac pene dissolutum, manibus atque genibus rependo, miserabiliter traheret, et per quinque menses viri Dei sepulcrum indesinenter frequentaret, quadam die profusis lacrymis eum his vocibus interpellare coepit: Eja, serve Dei Simeon, quam durum et immisericordem te mihi praebes: quotidie te requiro, quotidie te invoco, et tamen ad misericordiam non flècteris, mihique soli negas beneficium quod aliis impendis. Certe deinceps ad te venire recuso: jamjam despèrans, domum repeto. Sed quid dicam amicis, propinquis et vicinis meis? Noli noli sancte Dei tam immisericorditer me solum dimittere, saltem aliquid mihi largire. Toto ergo animo

turbatus, ad hospitium se retrahit, deliberat ut in crastinum ad patriam reportari possit. Interim prae nimio dolore gravi somno oppressus, post gallicinium quasi in ecstasi factus, vidit quemdam venusto vultu cum magno lumine assistere, hisque verbis ipsum blanditer affari: Quid jaces, homo? Surge velociter, et ad viri Dei Simeonis sepulcrum cito accede. Cumque responderet, non posse se ire, se jam ante illuc venisse, et nihil profecisse: ille ait: Ego te adjuvo, ego sustento: noli tardare: praesto sum ut auxilium tibi feram. Excitatus ergo, sensit membrorum virtutem rediisse: sicque, qui solebat curvus atque prostratus infirmis rèpere manibus, ad sepulcrum viri Dei, mirante populo, toto corpore erectus, solidatis ascendit pedibus.

§ **21**. Ea tempestate, cum Trevirorum civitas, tantis pollèret miraculis, ad domini Simeonis sepulcrum apportatus fuit puer octo annorum, cui morbus ambulandi eripuerat officium, pro quo jam triduo Simeonem interpellarat, devotio parentum. Forte erat apud nos de Alemannia monachus non mediocriter liberalibus institutus disciplinis, verum tantis non bene credens miraculis: qui etiam tunc praesens aderat, cum ibidem Dei effulgent miracula, et exorabile beati Simeonis meritum votis aspirat astantium. Puer utrisque manibus altari adhaerebat, donec membrorum resoluta compàge, sano astitit erectus in corpore. Itaque ingreditur pedibus, sed tremuli titubant incessus, quos nondum naturae docuerat usus. Tandem sanus rediit: isque de quo diximus, visis credidit, Deum laudavit, haecque commemorans, laetus abscessit.

Eodem anno (nempe MXXXV) quo S. Simeon monachus et inclusus Treviris mortuus est, tantis coruscavit miraculis, ut a Benedicto Papa IX, Poppone Archiepiscopo petente, mox sit canonizatus (*Ex Chron. Hirsaugiens. Monast.*).

ILLUSTRE CERTAMEN
CLARISS. MARTYRUM APUD LUGDUNUM GALLIAE
PHOTINI VEL POTHINI EJUS URBIS EPISC., SANCTI DIAC., EPAGATHI, MATURI, ATTALI, BLANDINAE ETC.

QUEMADMODUM ILLUD LUCULENTER DESCRIPSERE CHRISTIANI VIENNENSES ET LUGDUNENSES: QUORUM VERBA HIC SUBJICIMUS EX EUSEBII CAESAREENS. HISTORIAE ECCLESIASTICAE *Lib. IV, cap. 1 et 2*, INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO, ANGLIAE DOCTISS. EPISC.

Anno 177.

§ 1. Servi Jesu Christi, qui Viennam et Lugdunum Galliae incolunt, fratribus in Asia et Phrygia, qui eamdem nobiscum redemptionis fidem et spem habent: Pax, gratia, et gloria a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro sit vobis. Deinde cum in Epistolae exordio alia istis deinceps adjecerint, his verbis initium narrandi faciunt. Magnitudinem afflictationis, quae hoc loco ingravescit, ingens gentilium odium contra sanctos incitatum, supplicia, quae beati martyres placide sustinuerunt, neque nos dicendo accurate exprimere, neque scribendo facile a quoquam comprehendi possunt. Nam adversarius noster adventum suum (in quo audacter ac libere Ecclesiam Christi oppugnaturus sit) jam quasi prolusione quadam ac prooemio brevi futurum praenuncians, omnibus viribus, ut dicitur, Christianos adortus est: atque adeo ubique grassatus, suos consuefecit, et ad bellum contra servos Dei gerendum usu et exercitatione mire instruxit. Quapropter non solum aedificiis publicis, balneis et foro nobis interdictum est: sed etiam, ne quisquam nostrum usquam locorum in conspectum prodeat, ab illis vètitum. At gratia Dei pro nobis cum diabolo decertavit, et hos, qui sunt paulo remissiore animo, eripuit e periculo: illos autem, qui patientiâ armati, tamquam firmae fidei columnae, non modo impetum hostis nostri diaboli, facile laturi videbantur, verum etiam in sua ipsorum capita eumdem quodammodo provocaturi, ex adverso opposuit: qui tum in acie fortiter cum adversario conflixerunt, omne opprobrii et supplicii genus toleranter sustinendo: tum celeri gradu maturarunt ad Christum, ea mala, quae erant ingentia et gravia, exigua et pene nulla existimando: perspicueque revera ostenderunt: *quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18).

§ 2. Ac primum cruciamenta quae confertim erant, et tamquam cumulo a multitudine in illos coacervata, viriliter et magno animo subierunt vociferationes, plagas, violentos tractus, dilacerationes, lapidum projectiones, carceres, et quicquid denique ab agresti et furiosa multitudine contra nos, velut, contra hostes et inimicos, fieri solet. Quotquot igitur erant a Tribuno plebis aliisque magistratibus, qui civitati praeerant, in forum deducti, cum coram universa multitudine esset ab illis de fide quaesitum, et eam libere ipsi confessi fuissent, usque ad Praesidis adventum in carcerem conjecti, conclusique erant. Deinde cum ducerentur ad Praesidem, et ille in judicando omni crudelitatis genere contra nos nostrosque uteretur, Vetius Epàgathus, unus ex fratribus, immenso charitatis erga Deum et proximum ardore inflammatus (qui quidem cum non modo ad omne officium erga proximum sedulo exequendum impiger et propensus esset, verum etiam flagranti Dei amore et sacrosancto Spiritus instinctu exardescens, in omnibus Domini praeceptis et justitiae aequitatisque institutis integre incederet, adeo sane accurate vitam instituisset, ut quamvis esset adolescens, eodem tamen testimonio, quod Scriptura seni Zachariae sacerdoti (*a*) tribuit, dignus videretur) hic Vetius, inquam, judicium tam temere et injuriose contra nos pronunciatum, non poterat omnino aequo animo ferre : sed supra modum succensebat, postulabatque ut potestas ei daretur, libere in illo consessu pro fratribus respondendi, seque perspicue probaturum dicebat, nihil sceleris, nihilve impietatis in nobis omnino posse reperiri. Contra quem cum multitudinis frequentia, quae tribunal circumsistebat, admodum vociferata fuisset (erat enim inter illos illustris atque eximius) cumque Praeses etiam justam ab eo propositam postulationem minime posset tolerare, sed solum istud ab eo quaereret, utrum esset Christianus : ille tum simulatque erat clarissima voce hoc ipsum confessus, in sortem et numerum martyrum relatus est, ac deinceps advocatus Christianorum appellatus: nec plane immerito. Habuit enim advocatum Jesum in animo commorantem, et Spiritum Sanctum multo, quam Zacharias, ferventiorem: quem per ingentem charitatis quasi cumulum, quo adductus, adeo alacri et ardenti studio pro fratrum propugnatione suam ipsius vitam profùdit satis perspicue ostendebat. Christi igitur et est et fuit verus et germanus discipulus, qui agnum, quocumque eat, sequitur. Inde igitur inter reliquos Christianos facile internoscebatur : nam martyres, qui videbantur caeteris facile praestare, in publicum prodibant, se paratos ad omnia tormenta ostendebant : omni denique animi alacritate confessionem illam, quae est martyrii propria, cumulate pleneque explebant.

(*a*) Ado, Usuardus et Notkerus arguendi quod ex Rufini versione hunc *Zachariam*, quo nomine manifeste Joannis Bapt. pater designatur, incaute, quasi unum e Lugdunensibus Martyribus, suis Martyrologiis inseruerunt. In idem mendum incidit S. Gregorius Turon. (*Ex Ruinart.*).

§ 3. Sed extabant alii imparati, inexercitati, et animo fracto, qui acrem certaminis impetum ferre non poterant : ex quibus circiter decem numero, animis ignave et muliebriter conciderunt. Qui profecto non modo magnum dolorem mentibus nostris et immensam acerbitatem inurebant: verum etiam aliorum, qui hactenus non comprehendebantur, quique martyribus etiam in acerbissimo cujusque generis cruciatu jacentibus praesto semper aderant, et eos non aliquando desertos esse passi fuerant, alacritatem penitus retuderunt. Omnes igitur id temporis propter incertum confessionis eventum, eramus gravi metu perculsi, non plagas quidem et supplicia, quae illis post infligerentur, veriti, sed ancipiti confessionis exitu mente praeviso, magnopere extimescentes, ne quis prae languida animi infractione prorsus succumberet. Quotidie tamen, qui digni coronâ martyrii habebantur, ad illorum numerum supplendum, prehensi erant, usqueadeo, ut ex duabus hisce Ecclesiis omnes pii et studiosi viri (quorum virtute et doctrinâ imprimis status illarum rite administrari solet) eximerentur.

§ 4. Quidam etiam Ethnici, nostrorum servi, una capiebantur (siquidem Praeses omnes nos passim perquiri praeceperat) qui tormenta, quae sanctos tolerare cernebant, reformidantes, contra nos, militibus satanae impulsu illos ad hoc idem incitantibus, Thyestaeas coenas, et incestus Oedìpodis, falso commenti sunt (*a*), et alia, quae nobis nec eloqui, nec cogitare quidem fas esse judicatur : quin tale facinus aliquando inter homines admissum fuisse, ne credi quidem propèmodum debet. Quae sane cum essent famâ et sermone hominum passim dissipata, omnes, velut immanes belluae, contra nos furere coeperunt : ita si qui antea propter necessitudinem moderate se erga nos gessissent, tunc veluti rabie quadam incitati, dentibus frendere, insanireque prope viderentur: atque id adeo, quod a Domino nostro praedicebatur, in eo esset impletum, tempus venturum, in quo omnis, qui vos occiderit, videbitur obsequium praestare Deo. Unde de caetero sancti martyres majora quaedam cruciamenta, quam quae possunt oratione explicari (idque, satana in illud pro viribus incumbente, ut aliquid blasphemiae contra Christum ex eorum ore educeret) sufferre cogebantur.

§ 5. Supra modum igitur lethale multitudinis universae, Praesidis et satellitum odium in diaconum, nomine Sanctum, Viennae prognatum, et in Màturum etiam, recens quidem baptizatum, sed generosum tamen Christi athletam, efferbuit : in Attalum porro genere Pergamenum, columnam et stabilimentum continuum

(*a*) Accusabantur Christiani a Gentilibus, quasi carne humana vescerentur; quae *Thyesteae* coenae vocantur a convivio Thyesti a fratre Atrèo praeparato, in quo ipsius Thyestis filii in cibum appositi sunt. — *Oedipus* matrem suam uxorem duxisse dicitur. Suspicabantur autem gentiles ejusmodi spurcitiis Christianos deditos esse, ob quorumdam haereticorum impudicitias, qui Christianorum tamen nomen sibi arrogabant (*Ex Ruinartio*).

Ecclesiarum, quae hic sunt: in Blandinam denique, per quam Christus evidenter ostendebat, eos qui apud homines, viles, despecti et contempti videantur, apud Deum propter charitatem erga illum, non specie jactatam et simulatione, sed vi et virtute declaratam, magno splendore et gloriâ donari. Nam cum non nos solum pertimesceremus, sed etiam hera illius secundum carnem (quae etiam ipsa una in martyrum pugna dimicaverat) ne cum in certamen descenderet, prae corporis imbecillitate non libere et ingenue fidei suae confessionem pròloqui pergeret; Blandina tanto animi ròbore et virtute imbuebatur, ut tortores, qui illam vicissim omni suppliciorum genere a primo mane ad vesperam usque afflixissent, prope labore defessi languescerent, seque tum ab illa victos, tum nihil amplius habere cruciamenti reliquum quod ei irrogarent, faterentur: atque adeo magnopere mirarentur, quo pacto, cum totum ejus corpus ita dilaceratum esset, persevèrans spiritum duceret: palamque testarentur, unum tormenti genus satis habuisse virium ad vitam ei eripiendam, nedum tam multis et variis opus fuisse. Verum beata martyr, sicut generosum athletam decet, in ipsa fidei confessione vires colligebat, atque prolato istorum verborum: *Christiana sum*, et: *Nihil apud nos admittitur sceleris:* erat dolorum, qui eam urgebant, summa levatio, fomentum cruciatus, et cujusque molestiae depulsio.

§ 6. Diaconus ille, Sanctus nomine, supra quam credibile est, et supra omnem humanum captum, verbera a carnificibus impacta toleranter sustinens, cum scelerati illi carnifices propter assiduitatem et magnitudinem tormentorum quae ei infligebant, sperarent se aliquid, quod indecorum et ejus professioni parum consentaneum videretur, ab eo audituros, ipse tanta animi celsitate et constantiâ illis ex adverso restitit, ut ne nomen quidem vel suum, vel gentis, vel civitatis, unde fuit: neque utrum servus an liber, illis vellet dicere: sed ad omnia rogata, ita Latino sermone responderet, Christianus sum: istudque pro nomine, pro civitate, pro genere, et denique pro re quaque iterum ac saepius eloqueretur: aliam autem vocem gentiles ab eo elicere audireque non poterant. Unde tam gravi et acerba bile animus cum Praefecti, tum tortorum contra illum inflammabatur, ut cum nihil haberent supplicii quod ei deinceps imponerent, ad extremum laminas aeneas ferventes et ignitas tenerrimis corporis membris affigerent. At ille, quamquam corporis membra exurebantur, firmus tamen, constans et immutabilis in fidei confessione perstitit: quippe qui divino et coelesti fonte aquae vitalis quae ex Christi ventre profluit, tamquam rore cum aspersus tum roboratus erat. Corpus autem testimonio fuit eorum, quae ipsi acciderant: utpote vulneribus et vibicibus totum cruentatum, quod quidem sic in rugas erat contractum, ut exteriorem hominis formam prorsus abjecisset: in quo Christus, afflictationis particeps, res

praeclaras ad suam ipsius gloriam gessit, cum adversarium profligando, tum caeteris praeclarum exemplum ostendendo, nullum esse metum, ubi Dei Patris charitas, nec ullam molestiam, ubi fides Christi viget. Nam quamquam impii carnifices paucis diebus post, cum martyrem denuo torquerent, putabant, si corporis membris superiore jam cruciatu tumidis, et inflammatione quadam effervescentibus, eadem supplicia accumularent, vel se illum facile evicturos, praesertim cum nec manuum prope tractationem perferre jam posset: vel illum tormentis tandem extinctum, gravem reliquis horrorem incussurum: tamen tantum abfuit, ut in illo aliquid ejusmodi contingeret, ut etiam praeter omnium hominum opinionem, corpus in illis posterioribus tormentis recreatum, et integrum restitutum, formam priorem atque usum membrorum recuperaret: adeo ut secunda illa carnificina, non inflicta poena, sed medicina per Christi gratiam adhibita videretur.

§ 7. Porro Biblidem, unam ex eorum numero, qui fidei confessionem pernegassent, cum jam diabolus a se prorsus absorptam putaret, cupiens etiam per blasphemiam in Deum, condemnationem ejus augere, ad supplicium deducendam curavit, eamque velut fractam et ignavam, impia in nos et flagitiosa probra loqui impulit. Illa tamen in tormento rediit ad se, atque (ut ita dicam) ex profundo somno excitata est, praesenti supplicio quodammodo submonita, ut de aeterna gehennae poena serio cogitaret. At contra, quam diabolus expectabat, malevolis Christianorum obtrectatoribus ex adverso sic respondet: Quomodo ejusmodi viri liberos suos devorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere? Et ab eo tempore se Christianam ingenue confessa est, et sorti numeroque martyrum adjuncta. At cum tyrannica crudeliaque illa suppliciorum genera per beatorum patientiam, Christi virtute firmatam, frustra imposita irrogàtaque viderentur, diabolus alias quasdam machinas de integro contra illos excogitavit, nempe ut in carcerem conjecti, interdum in locis horrida caligine obsitis, et plenis molestiarum, misere jacèrent: nonnumquam illorum pedes in crassas compedes impositi, distenderentur: aliquando vexarentur aliis plagarum modis, quos rabidi diaboli ministri, illiusque malevolentiâ suffusi, hominibus in carcerem conclusis incutere solent, usqueadeo, ut complures, quos Dominus eo pacto e vita exire volebat, ibi ob foetidum odorem et loci angustiam penitus suffocarentur. Quinetiam non pauci (in quibus illic Dei gloria perspicue ostentata erat) quamvis ita acerbe excruciati fuissent, ut nulla curatione adhibita, viderentur amplius posse vitam protrahere, in carcere tamen superstites manebant, omni humana quidem curâ et subsidio orbati ac destituti, a Domino

tamen tum corporis tum animae viribus ita roborati confirmatique erant, ut caeteros et ad fidem constanter tenendam tuendamque incitarent, et grato admodum sublevarent solatio. Alii autem modo capti, et recentes in carcerem contrusi (quorum corpora antehac tormentis subeundis callum haud contraxerant) pondus carceris et gravitatem minime poterant ferre, sed intus brevi mortem oppetebant.

§ 8. Beatus item Pothinus, cui Lugdunensis episcopatus ministerium erat concreditum, cum nonagesimum suae aetatis annum praeteriisset, et corporis imbecillitate ita languesceret, ut vix posset, propter virium infirmitatem qua distinebatur, libere spirare, spiritus tamen alacritate propter ardentem qua flagrabat martyrii cupiditatem, plurimum recreatus, ad tribunal gestabatur: et tametsi corpus ejus jam prae decrepita aetate et cruciatu morbi pene exhaustum esset, anima tamen in ipso servabatur integra, ut per eam Christus gloriose triumpharet. Qui quidem ad tribunal, magistratibus civitatis eum comitantibus, et universa multitudine varias cujusquèmodi vociferationes contra illum, utpote Christianum, edente, a militibus deductus, praeclarum fidei testimonium perhibuit. Cum enim a Praeside rogaretur, quis esset Christianorum Deus, respondit: « Si tu ea re dignus sis, cognosces. » Inde igitur aspere et immisericorditer raptatus, varias plagas excepit, cum ab his qui stabant in proximo, qui, nihil ejus aetatem reverentes, manibus pedibusque in illum contumeliose insultabant: tum ab illis qui longius erant remoti: qui, quod singuli habebant in manibus, illud in illum conjecerunt: idque propterea, quod omnes permagnae culpae et impietatis loco ducebant, si quisquam petulanter illum insectari ulla ex parte omitteret, nam deorum suorum causam ita se vindicaturos arbitrabantur. Ille vix jam spiritum ducens, in carcerem conjectus fuit, ac biduo post efflavit animam.

§ 9. Ibi vero singularis Dei providentia apparuit, et infinita Jesu Servatoris misericordia patefacta est; quae sane talis fuit, qualis quidem raro inter fratres Christianos contigisset, a divina tamen Christi virtute ac potentia non omnino aliena. Nam qui, ut primum erant comprehensi, fidem inficiati fuissent, non modo in carcerem cum caeteris condebantur (nihil enim illis, ut tempus ferebat, negatio attulit adjumenti): verum etiam suppliciorum eorumdem erant facti participes; atque sicut illi, qui ingenue fatebantur se esse, quod erant, nullo alio crimine objecto, nisi quod Christiani essent, tradebantur in custodiam: sic isti, qui fidem pernegarant, de reliquo in carcere tamquam homicidae et scelerati detinebantur, duplo graviore cruciatu et angore, quam caeteri, afflictati. Illos enim sublevabat laetitia ex martyrio percepta, spes promissorum, charitas in Christum, sacer Patris spiritus: hos magnum et grave conscientiae pondus admodum

vexabat, usqueadeo, ut dum per hominum frequentiam palam gradiebantur, ipso vultu ab omnibus aliis facile internoscerentur. Illi enim hilares in publicum progressi sunt, in quorum vultu decor quidam, gratiâ et venustate multa aspersus, enituit, sic ut vincula etiam, quibus velut sponsa, aurearum fimbriarum varietate decorata, mire erant illustrati, egregium quemdam ornatum illis adjecisse viderentur; tam suavem item et fragrantem, ex ipso Christo egredientem, efflarunt odorem, ut nonnullis artificioso quodam unguento et manu composito delibuti putarentur. Hi autem demissi, abjecti, aspectu horridi, turpi ignominiae labe deformati, a gentilibus porro, veluti ignavi effaeminatique, probris contumeliose affecti, ac denique cum honoratum, gloriosum et salutare nomen Christi amisissent, perinde ac si homicidii rei fuissent, homicidae jam appellati. Ista ubi caeteri coram aspexissent, magnopere roborati erant et animo constabiliti. Qui enim prehendebantur, omni memoriâ diabolicae cogitationis ex animo deposita, absque haesitatione fidem suam profitentur. Isti porro, paucis verbis obiter interjectis, rursus, quae sequuntur adjungunt.

§ **10**. His igitur rebus confectis, de reliquo martyria, quae in ipsorum vitae exitu sufferebant, in quaeque suppliciorum genera dispertiebantur. Siquidem unam coronam beati martyres ex universis et variis cujusque generis flosculis contextam complicatamque Deo Patri obtulerunt. Quo circa par erat, generosos et insignes Dei athletas, ubi multiplex et varium martyrii certamen subierant, illustremque ab hostibus reportarant victoriam, praeclara immortalitatis coronâ decorari. Màturus ergo, Sanctus, Blandina et Attalus, die cum bestiis dimicandi in nostrorum hominum cruciatum de industria praestituta, ad bestias ducebantur, quo publicum et commune gentilibus spectaculum, plenum inhumanitatis et saevitiae, exhiberent. Atque Maturus et Sanctus in amphitheatro omne genus tormentorum denuo subeunt, perinde acsi nihil cruciatus antea fuissent omnino perpessi, immo vero ut athletae, qui modo adversarium per varias certaminum vices strenue profligassent, et pro corona vitae ipsis proposita postremum jam certamen haberent in manibus ad conficiendum, deintegro tum verberum trajectiones, quibus homines illic plecti solent, sustinent: tum crudeles ferarum tractus, tum alia omnia cruciamentorum genera, quae insana et furiosa plebs alii aliunde cum vociferatione illis infligi postulabant, tum ferreas denique cathedras et ignitas illorum membris suppositas, quibus corpora misere frixa et exusta erant: et quamquam gentiles pestifero illorum nidore non absque molestia saturabantur, tamen ne ea quidem re deterriti, ab insania sua desistunt; sed pergunt adhuc magis magisque furere, quandoquidem illis in optatis erat, eorum patientiam prorsus evincere. Caeterum ab ipso Sancto

nihil aliud elicere poterant, praeter illam vocem, quam ab initio de fidei suae confessione proferre consuevisset. Isti autem martyres, quoniam in hoc ingenti certamine vita adhuc in ipsis residebat, singularium certaminum loco, quae magna cum varietate ibi fieri solebant, illo die spectaculum universo populo praebentes, ad extremum securi percutiuntur.

§ **11**. At Blandina trabi ligneae sublimis affixa, praeda bestiis incursantibus objicitur: quae quoniam et in crucis specie suspensa cernebatur, et ardenter preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem injecit; quippe in ipso certamine, ex sorore cruci suffixa, ipsum Christum, qui pro nobis crucifixus est, oculis corporeis quodammodo videbant, uti credentibus in illum pro certo persuaderetur, quod qui pro ejus gloria quicquam perpetiatur, haereditatis sit cum Deo vivente consors et particeps futurus. At cum nulla bestia ejus carnem tangere vellet, a trabe mox abrepta, in carcerem iterum truditur, et ad aliud reservatur certamen: ut per varia concertationum genera victrix facta tum tortuosum serpentem condemnationi, quam ab se avertere non posset, jure addiceret, tum fratres pariter ad constantiam incitaret; quae licet humilis, imbecillis et prope abjecta virgo esset, armaturâ tamen Christi fortis athletae induta, non solum per multas cruciamentorum vices adversarium superavit, verum etiam per illustre illud certamen, coronam immortalitatis tandem assecuta est.

§ **12**. Attalus item, clarus et magni nominis vir, importuno multitudinis rogatu ad supplicium evocatus, ob recte factorum conscientiam (siquidem ingenue in Christiana institutione et disciplina exercitatus, fidelis semper apud nos et constans veritatis testis extitisset) alacri animo certamen ingreditur. Ac cum undique per amphitheatrum circumduceretur, tabulâ, in qua Latinis literis haec inerat inscriptio, Hic est Attalus Christianus, illum praecedente: cumque in eum admodum petulanter populus insultaret, Praeses, ubi Romanum esse didicisset, mandavit ut in carcerem denuo cum reliquis, qui in eodem erant, concluderetur: de quibus literas ad Caesarem scripsit, ejusque expectavit de illis sententiam. Tempus vero, quod interea intercedebat, illis quidem neque otiosum, neque infrugiferum fuit: sed per mortem eorum dilatam, immensa Christi clementiâ, quasi lumen suum propalam profudit. Nam intermortua Ecclesiae membra, vivorum subsidiis fuerunt ad vitam revocata, et qui fidem confessi fuissent, iis, qui eamdem pernegassent, magna beneficia detulerunt: atque ideo permagna laetitia matri et virgini Ecclesiae exorta est, cum eos quos ab ortu tanquam mortuos ejecisset, vivos et incolumes recuperasset. Illorum enim hortatu et exemplo complures, qui fidem negassent, erant tanquam in utero matris Ecclesiae iterum concepti, iterum in membra formati, iterum ad

vitam reducti, iterum denique ad fidem suam confitendam perdocti. Atque cum ad vitam essent restituti, et viribus confirmati, suavitatem Dei (qui non vult mortem peccatoris, sed pro sua benignitate eum ad poenitentiam invitat) animis haurientes, ad tribunal sponte accedunt, ut iterum a Praeside de fide denuo rogarentur.

§ **13**. Nam cum Caesar responsum per literas misisset, illos, qui fidem Christi confiterentur, tympanis esse torquendos: hos autem, qui eamdem inficiarentur, in principio mercatus (qui hic celebrari solet, quique est, propter frequentiam hominum, ex omnibus eo gentibus commeantium, multorum sermone nobilitatus) liberos dimittendos, Praeses beatos martyres, tanquam spectaculum et gloriosam pompam de illis multitudini praestaturus, ad tribunal deduci jubet, iterum in quaestionem vocat, datque sententiam, ut qui municipes Romani essent, securi percuterentur; reliqui autem amandarentur ad bestias. Christi vero gloria in his, qui antea fidem abnuerant, tunc tamen praeter Gentilium opinionem, eamdem ingenue confitebantur, magnopere illustrata fuit. Etenim illi cum privatim in quaestionem dati essent, quasi pro certo absolvendi, tamen se Christianos vere confitentes, martyrum choro adjiciebantur. Alii autem falsi Christiani, a fide penitus lapsi, qui neque vestigium aliquando fidei, neque sensum et significationem vestis sponsalis, neque cogitationem timoris Dei in animis insidentem habebant, sed per nequam eorum conversationem, viam veritatis contumeliis affecerant, hoc est, filii perditionis, foris extra Ecclesiam permanserunt: caeteri universi fuere in Ecclesiam denuo ascripti.

§ **14**. De quibus cum haberetur quaestio, Alexander quidam genere Phryx, arte et scientiâ Medicus, multis annis in Gallia commoratus, omnibus fere propter charitatem erga Deum, et liberam in verbo praedicando alacritatem cognitus (non enim doni et muneris Apostolici expers erat) cum astaret tribunali, et illos fratres nutu ad fidei confessionem hortaretur (iis, qui undique tribunal circumsistebant, videbatur tamquam parturiens) populi multitudo confessionem eorum, qui antea inficias ivissent, aegre ferens, contra Alexandrum, tamquam ejus rei caput et auctorem, vociferari coepit. Ubi vero Praeses instabat, sciscitabaturque quisnam esset; respondet se Christianum esse. Unde Praeses ad iracundiam provocatus, illum condemnat ad bestias. Postero autem die eamdem cum Attalo dimicationem (Praeses enim, quo populo gratificaretur, Attalum denuo bestiis objecit) Alexander ingreditur. Hi duo in amphitheatro omnes machinas ad eorum cruciatum excogitatas, tamquam praetervecti, maximumque certamen perpessi, ad extremum gladio feriuntur. Alexander autem neque ingemuit, immo nec vocem ullam protulit; sed interiore mente et cogitatione quasi cum Deo sermones contulit. Attalus,

ubi in ferrea cathedra jam candenti esset impositus, et ejus incendio ambustus, quando nidor et fumus e corpore in sublimi ferebatur, Latino sermone multitudinem sic affatus est : « Ecce ecce, hoc quod vos praestatis, est homines vorare. Nos quidem neque voramus homines, neque aliud quicquam sceleris patramus. » Rogatus tamen, quod nomen Deus haberet, respondet, Deum nomen non habere more hominum.

§ **15**. Quibus omnibus confectis, postremo die singularium certaminum adventante, Blandina et adolescens Ponticus, circiter quindecim annos natus (hi autem quotidie introducebantur ad reliquorum supplicia contemplanda) in amphitheatrum inferebantur, urgebanturque per gentilium idòla jurare. Ac quoniam illi perstabant constantes, et ea despicatui ducebant, vesana multitudo contra illos aspere et ferociter saeviebat: adeo, ut neque adolescentuli commiserarentur aetatem, neque mulierem omnino revererentur. Omnibus igitur tormentis eos objectare, et per quodvis supplicii genus undique agitare coeperunt, et sine intermissione, nunc hanc, nunc illum per ipsorum deos jurare impellebant. Caeterum hoc nullo modo poterant efficere. Nam Ponticus, qui ita a sorore erat exsuscitatus *, ut gentes eam esse animadverterent quae illum cohortata fuisset, confirmassetque, post omnia cruciamentorum genera viriliter et magno animo tolerata, extremum spiritum edidit. Beata Blandina omnium postrema, tanquam nobilis et generosa mater, ubi liberos animaverat ad poenam, et victores ad Christum Regem praemiserat, ipsa eosdem cum liberis certaminum cursus remensa, ad eosdem laetitiâ gestiens, ac de ipso vitae suae exitu permagno gaudio exultans, properabat, non quasi ad bestias crudeliter projecta, sed ad coenam Sponsi amice invitata. Atque post verbera, post bestiarum laniatus, post sartaginis exustionem, ad extremum in rete involuta, tauri rictibus objectatur. Quae cum ab animali illo diu multumque icta exagitataque fuisset, ac nullum sensum cruciamentorum, quae hactenus ei obtigissent, partim propter spem qua Dei promissis firme adhaerescebat, partim propter colloquia quae intra se cum Christo conferebat, omnino haberet, tandem ense jugulata fuit. Unde gentes ipsae palam testabantur, mulierem apud se numquam tot tamque acerba tormenta tam constanter pertulisse **.

§ **16**. Verum eorum rabies et crudelitas in sanctos, non ita exaturata fuit. Nam ab immani et furiosa bellua, diabolo, immanes illae et barbarae gentes exagitatae, vix aut ne vix quidem a furore suo aliquando acquieverunt, immo vero in corporibus

* Hinc intelligis, male a quibusdam Blandinam Pontici matrem dictam.

** Iterata, èaque atrociora certamina S. Virg. Blandinam, sociorum ad pugnam hortatricem Martyrumque Matris titulo honestatam, celebriorem ceteris et peculiari veneratione cultam reddidere, eique nominatim templa sunt in omnium sociorum MM. Lugdunens. nuncupata. De S. Blandinae ecclesia et Coenobio Viennensi (Allobr.) vide in Surio pp. 518 et seq., Vol. II.

martyrum suam deintegro contumeliam coeperunt et malevolentiam exercere. Nam quamvis martyrum constantiâ penitus essent superatae, tamen quia omnem humanam rationem omnino exuissent, illorum amentia minime fuit retardata repressaque: sed acerba bilis cum Praesidis, tum populi (qui quidem in nos lethale odii sui virus evomebant) tamquam immanis belluae magis magisque incensa, sic ut Scriptura vere impleretur. Impius adhuc impie agat, et justus justificetur adhuc. Etenim corpora eorum, quos carceris pestifer odor et cruciatus suffocaverat, canibus laceranda objiciunt, studioseque nocte dieque observant; ne quisquam e nostris illa tumulis mandet. Tandem vero martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quae nec bestiae adhuc vorarant, nec ignis absumpserat, partim minutatim dilaniata, partim instar carbonum ambusta, quinetiam securi percussorum capita una cum corporum truncis collecta, dies complures similiter militum excubiis insepulta custodiunt. Porro alii fremere, et dentibus contra eos frendere coeperunt, toto animo connitentes aliquam graviorem in ea exercere contumeliam. Nonnulli irrisione ludere, et falsos cachinnos tollere, summaque commendatione et praeconio idola sua efferre, quibus quidem, tamquam auctoribus, poenam et ultionem Christianorum acceptam retulerunt. Non pauci, quamquam factis aliquanto modestiores erant, et de illorum afflictatione aliquantum condolescere videbantur, verbis tamen acerbe eos vexare ad hunc modum: Ubi jam illorum Deus? Quid illis haec profuit religio, quam suae ipsorum vitae praeposuerunt?

§ **17**. Quae ad gentilium crudelitatem pertinebant, talem habebant varietatem. Quae autem ad nos, videbantur sane magnum moerorem propterea in se complecti, quod martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre praesidii, neque magna pecuniae vis eorum animos flectere, neque preces ulla ex parte placare poterant: sed nulla non ratione et viâ corpora illa erant assidue ab illis observata, et id quasi in magno lucro deputatum, si penitus inhumata jacèrent. Paulo post etiam ista addunt. Martyrum corpora, sex dies continuos sub dio jacentia, et maxima ignominiâ affecta, post autem ab impiis illis et facinorosis carnificibus exusta, inque cineres redacta, in Rhodanum fluvium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quo nullae quidem illorum reliquiae amplius super terram restarent. Ista eo consilio patrabant, quod Deum se posse vincere, et illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt: quo ne ulla quidem (sic enim dicebant) spes resurrectionis reliqua fieret illis: qua freti (inquiunt) non solum peregrinam quamdam et novam nobis induxerunt religionem, verum etiam neglexerunt penitus tormenta, et prompto atque àlacri animo ad mortem properarunt. Jam videamus,

utrum sint resurrecturi, et utrum illorum Deus ipsos juvare, et e manibus nostris eripere possit. Ejusmodi persecutionis tempestas, regnante Imperatore * de quo docuimus, istis Christi Ecclesiis obtigit. Unde certe, quaenam fuerint in reliquis provinciis eodem tempore factitata, conjecturâ assequi poterimus **.

§ **18**. Illas item voces, ex eadem epistola depromptas, in hunc sermonem includere operae pretium arbitramus, quibus modestia et singularis martyrum, quos diximus, benignitas hoc fere modo descripta sit. Isti vero ipsius Christi (qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo, sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens) tam vere aemuli et imitatores erant, ut quamvis in tali gloria et splendore locarentur, et non semel et iterum, sed saepius, ut martyres decet, pro fidei confessione acerba tormenta perpessi, bestiis objecti, ab eisdem denuo ablati, ignito ferro exusti, vibicibus lividi, vulneribus undique inflictis excruciati: non tamen se ipsi martyres esse praedicarent, neque cuiquam nostrum copiam facerent illos eo nomine appellandi: sed si quisquam nostrum eos vel per literas, vel per sermonem ut martyres forte salutavisset, graviter eum reprehenderunt. Libenter enim martyris appellationem Christo fideli et vero martyri, primogenito mortuorum, duci et auctori vitae quae est ex Deo, concesserant: martyrum etiam, qui jam ad Christum ex hac corporis custodia migravissent, nos non gravate in memoriam redegerunt, dixeruntque: « Illi jam vere sunt martyres, quos Christus propter fidei confessionem ad se recipere dignatus est, et quorum martyrium ipso praeclaro vitae exitu, tamquam sigillo certissimo obsignavit: nos autem tenues solum et abjecti Christi nominis confessores: » atque fratres obsecrabant cum lacrymis, ut preces pro illis ardenter et obnixe Deo funderent, quo, ipso discessu e vita, opus, quod Deus tam benigne in illis incepisset, cumulate expleretur.

§ **19**. Et quamvis non modo libera responsa gentilibus dando sed etiam patientiâ, magnanimitate, fidenti animi ròbore contra omnes cruciatus se generosos ac strenuos palam ostendendo, vim et virtutem martyrii perspicue declarassent, tamen timore Dei referti, martyrum appellationem, qua fratres illos donare voluissent, ab se repellere studebant. Et iterum, paucis verbis interjectis, sequuntur ista: Humiliaverunt se sub manu potenti, qua jam satis exaltati sunt. Dum in vita manebant, defendere omnes, neminem accusare, omnes e vinculis eripere, colligare neminem conabantur. Pro illis, qui supplicia eorum corporibus inflixerant, exemplum Stephani perfecti martyris imitati, benigne orare,

* MARCO AURELIO (vide Vol. I, p. 4); hunc intellige cum passos legis sub *Antonino Vero*; nam et his nominibus appellitatus est.

** In Libro S. Greg. Turon. *De Gloria Martyrum*, legimus, SS. hos Martyres noctu fidelibus apparuisse in loco apud Lugdunum Athanaco dictum, ubi cremati fuerant, monentes ut sacros cineres nequaquam dispersos in flumine colligerent. Quibus Christiani laetanter potiti, aedificata basilicâ, sub ejus altari ea reposuerunt.

dicentes: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quod pro eis, qui ipsos tam contumeliose torsissent, precabantur: quanto magis pro fratribus idem ipsum praestiterunt? Haec item, paulo longius sermonem producentes, adnectunt: Gravissimum autem bellum ab illis, propter ingenuam erga fratres charitatem, cum ipso diabolo ideo susceptum erat, quod tantopere nitebantur, ut voracem illius, tamquam malae bestiae, gulam stringendo, eos vivos denuo evomere cogerent, quos prius tamquam mortuos, se penitus devorasse putaverat. Non enim illi fratrum imbecillorum lapsu gloriabantur, sed quae dona ipsis per Dei gratiam affatim suppetebant, aliis, qui majoris opis indigèrent, benigne largiebantur: atque adeo velut matris indúlgentis misericordiâ commoti, multas lacrymas pro eorum salute in conspectu Dei Patris profundebant, vitam illis flagitabant: vitam concessit Deus, vitam etiam cum proximis communicarunt, victores in omnibus, ad Deum profecti sunt, pacem amplexati, pacem nobis commendarunt, cum pace denique ad Deum decesserunt, non matri Ecclesiae molestiam et angorem, non fratribus bellum et seditionem, sed gaudium, pacem, concordiam et charitatem reliquerunt.

MARTYRIUM

SS. MARCELLINI ET PETRI

GRAVITER CONSCRIPTUM. ADSTIPULANTUR EI ANTIQUA MARTYROLOGIA, ET HABETUR IN VETUSTIS MSS. CODICIBUS. STYLUM ALIQUOT LOCIS NONNIHIL CORREXIT LAUR. SURIUS.

Anno 303 — Romani.

§ 1. Benignitas Salvatoris nostri, martyrum perseverantiâ comprobata, eousque processit, ut et fidei amicos coronaret, et inimicos eorum ex ipsis inferorum claustris erueret. Denique cum Romae a paganis teneretur Petrus, Exorcistae officium gerens, et multis vicibus caesus, missus in obscurissimam habitationem, maneret in vinculis ferreis immotus, custosque carceris Arthemius Paulinam unicam filiam suam virginem, quam impensius amabat, a daemonio vexari quotidie plangeret, dixit ad eum vir Dei Petrus Exorcista: « Audi consilium meum, Arthèmi, et crede in unigenitum Filium Dei vivi Jesum Christum, qui est liberator omnium in ipsum credentium. Si enim vere credideris, mox erit salva filia tua. » Respondit Arthemius: « Miror valde imprùdens consilium tuum, quod cum te iste Deus tuus liberare non possit, in ipsum licet

credas, et quotidie pro nomine ejus plagas et vincula perferas, mihi persuadere vis liberaturum illum filiam meam, si ego in eum credidero.» Dixit ei Petrus: « Potest me liberare Dominus meus et de his vinculis, et de poenis omnibus: sed non vult impedire coronam meam. Vult autem, ut perficiam cursum meum perferendo hos cruciatus temporarios, ut possim adipisci gloriam sempiternam. » Arthemius ait: « Si vis me tuo credere Deo, da operam ut fiat quod dicturus sum. Ecce ego hodie duplicabo super te catenas, et claustra carceris omnia communiam, teque in ima hac et obscura custodia solum inclùdam: et si ex his omnibus te eripùerit Deus tuus, credam equidem in illum, sed tunc demum, cum videro incolumem filiam meam. »

§ 2. Tum beatus Petrus subridens, ait: «Infirmitas fidei tuae poterit curari, si hoc, quod dicis, feceris?» Arthemius dixit: « Credam plane in illum, si et te his vinculis absolverit, et meam filiam curaverit.» Petrus ait: « Vade in domum tuam, et praepara mihi mansionem, et te, neque absolvente me his vinculis, neque ostium aperiente, neque per iter deducente, ad te perveniam in nomine Domini mei Jesu Christi. Cumque eo venero, palpabunt me manus tuae, conspicient me oculi tui, atque hos eosdem sermones tecum conferam. Et si vel sic credideris, habebis sanam filiam tuam. Hoc vero fiet non pro libidine tentationis tuae, sed ad declarandam divinitatem Domini mei Jesu Christi. » Haec ut ille dixit, Arthemius caput agitans: Hic homo, inquit, nimiis confectus afflictionibus, delìrat et aliena loquitur: sicque discessit. Veniens autem domum, narravit ea Candidae uxori suae quae dixit ei: « Miror te illum hominem existimare insanum, qui et tibi sanitatem promittit, et nostrae filiae sospitatem. An vero longum ille tempus tibi praefixit?— Hodie dicit se venturum.— Id si factum fuerit, quis dubitet Christum verum esse Deum, in quem ille credit? » Arthemius dixit: « Horrori est mihi fatuitas tua. Ipsi dii si de coelo descendant, non eum absolvent a vinculis: immo si vel Jupiter ipse ad eum veniat, aperire illi carcerem non poterit.» Candida respondit: « Nimirum idcirco magnus habebitur Deus ejus, et credendum illi erit, si hoc fecerit, quod nec ipse, ut ais, Jupiter facere possit. »

§ 3. Haec et pleraque alia cum inter se loquerentur, et occumbente diei lumine, nox initium suum stellarum ortu indicaret, adest homo Dei Petrus, Arthemio, et Candidae se offerens, candidis indutus vestibus, trophaeum Crucis tenens in manu sua. Mox igitur ad ejus vestigia corruunt Arthemius et Candida, exclamantque, dicentes: Vere unus est Deus omnipotens Jesu Christus. Statimque filia eorum Paulina virgo ab immundo vexata spiritu, Deum confitens, et ad pedes ejus pròcidens, purgata est, ita ut daemon clamaret in àere: Virtus Christi, quae in te est, Petre, me ligavit et expulit a virgine. Cumque haec fierent, omnes

qui in domo Arthemii erant, crediderunt. Pervenit autem fama ad eos qui in vicinia morabantur, et convenere viri amplius trecenti, plures vero foeminae: qui omnes una voce clamabant: Praeter Christum, non est alius Deus omnipotens. In conspectu enim illorum, et a daemonibus obsessi liberabantur, et infirmi omnes sanabantur. Cumque omnes qui ad aedes Arthemii confluxerant, cuperent fieri Christiani, abiit vir Dei Petrus, et adduxit sanctum Marcellinum presbyterum, a quo omnes in domo Arthemii baptizati sunt. Porro Arthemius ingressus ad eos qui erant in vinculis, dixit eis: « Si quis vult credere in Christum, exeat liber, veniatque ad domum meam, et fiat Christianus. » At illi omnes promittentes se in Christum credituros, egressi sunt: venientesque ad aedes Arthemii, a sancto Marcellino presbytero baptizati sunt, et sancta consecratione illuminati. Interea dum haec agerentur, pestilentissimus Judex Serenus in morbum incidit, et toto spatio aegritudinis ejus datum est tempus baptizatis omnibus, ut sermone quotidiano Marcellini et Petri in fide Domini confirmarentur, per quadraginta et eo amplius dies.

§ 4. Post haec Commentariensis misit ad Arthemium custodem carceris, indicavitque sessurum esse vicarium, eumque jussisse, ut nocte proxima praesto sit ipse cum illis, qui erant in carcere. At ille baptizatorum omnium osculabatur manus, dicebatque eis, si quis vellet venire ad martyrium, faceret id intrepidus: si quis vero mallet recedere, abiret illaesus. Cum ergo ad primum pullorum cantum sederet Serenus vicarius, juberetque personas audiendas intromitti, ingressus Arthemius, coram omnibus dixit: Petrus Exorcista Christianorum, quem caesum et tortum ac semivivum in carcere servari jussisti, in nomine Dei sui omnium vincula solvit, ostia omnia patefecit, cunctosque efficiens Christianos, quo vellent, eis fecit abeundi potestatem. Ille vero cum Marcellino presbytero nusquam abscedere voluit; sed quoties ego eum custodire volui, non comparuit. Tunc Serenus immani furore incensus, jussit Arthemium plumbatis caedi, et trudi in custodiam: sanctos autem Dei martyres Marcellinum et Petrum, intromitti sub voce quaestoria, iisque intromissis, ait: «Mitius vobiscum agerent carnifices, si sacrilegos religionis vestrae ritus abjiceretis, neque homines noxios et criminum reos e carcere egredi jussissetis.» Marcellinus presbyter dixit: «Tamdiu criminum reus manet in suis criminibus, quamdiu in Christum non credit: porro simulatque crediderit, mox omni culpâ ablutus et absolutus, summi Dei filius appellatur. » Cum haec et his similia diceret Marcellinus presbyter, jussit eum Serenus pugnis caedi in arteriis. At ubi caedentes defecerunt, praecepit separari Marcellinum a Petro, et mitti nudum in carcerem, illicque vitrum contritum spargi, sicque vinctum inclusum relinqui, lumenque et aquam ei negari.

§ 5. Ad Petrum inde conversus, ait: « Nolo te existimes eculeo

et lampadibus iterum esse torquendum: sed ad palum cras ligaberis, ferarumque morsibus laceratus, vitam amittes, si hodie diis sacrificare contempseris.» Respondit Petrus: «Cum sis Serenus nomine, totum te tenebrosum et tetrum atque nubilum factis ostendis; et cum homo sis mortalis, poenas atroces intentas, minis et terroribus te perturbaturum sperans immortalem fidem quae regnat in mentibus Christianorum. Tum etiam summi Dei sacerdotem Marcellinum, quem te rogare, oportebat, ut tui misereretur, et oraret pro te, ut incredulitatis tuae criminibus posses absolvi, pugnis caedi voluisti, et diro carceri mancipasti: quo quidem nomine ille gloriatur et gaudet, te autem luctus excipiet sempiternus. » His dictis etiam Petrum jussit Serenus in vincula conjici, et pedes ejus in cippo arctissime constringi. Cum sic autem abinvicem separati essent, et Marcellinus quidem nudus in vitreis fragmentis jacèret, Petrus vero in cippo teneretur: angelus Domini apparuit Marcellino oranti, induitque eum vestimentis ipsius, et dixit ei: Sequere me. Sequens ergo angelum, ingreditur cum eo, ubi Petrus in cippo et ferro vinctus asservabatur: et cum illum quoque absolvisset angelus, jussit ambos se sequi: atque ita pariter venerunt in domum illam, in qua baptizati omnes unanimiter in preces incumbebant. Dixitque angelus ad eos, ut diebus septem confirmarent populum, qui per ipsos crediderant: ac deinde ostenderent se Sereno Vicario.

§ **6**. Postero die mittuntur quidam ad carcerem, et neque Marcellinum neque Petrum inveniunt, idque Judici renunciant. Tunc Judex acciri jubet Arthemium et uxorem ejus Candidam cum filia Paulina virgine: cumque venissent, urgere eos coepit, ut diis sacrificarent. At illi dixerunt: « Nos Dominum Jesum Christum confitemur, Filium Dei vivi: et ideo nulla ratione possumus sacrificiorum vestrorum ritu nos polluere. » Eos igitur omnes Serenus jubet viâ Aurelia immensa ruderum mole obrui.

§ **7**. Ea autem horâ, qua ad passionem ibant, in eodem loco Christiani omnes occurrerunt sanctis Marcellino et Petro. Videntes autem officiales et carnifices tam multum populum, fugerunt: currebant vero post eos quidam juniores e populo Dei, tenueruntque eos, et blandis sermonibus invitabant ad fidem. Sed cum nollent credere, tamdiu a populo retenti sunt, donec Missas faceret S. Marcellinus presbyter in crypta, in qua puniendi erant sancti. Cumque completa essent quae Dei sunt, jussu presbyteri omnis populus abscessit: factoque silentio, sancti Marcellinus et Petrus dixerunt ad eos qui credere nolebant: « Ecce in potestate nostra fuit, ut laederemus vos, neque tamen id fecimus: in potestate nostra fuit, ut tolleremus e manibus vestris Arthemium et Candidam, filiamque virginem, nec fecimus. Est etiam in potestate nostra, ut si velimus, hinc abire possimus, Dei gratiâ id agente; sed neque hoc facimus. Quid vos igitur ad

haec? » Tum illi frementes in homines Dei, Arthemium gladio percusserunt: porro Candidam et Paulinam per praeceps in cryptam impellentes, lapidibus oppresserunt. Marcellinum autem presbyterum et Petrum Exorcistam manibus retro ad arborem alligaverunt, donec referrent de iis ad vicarium. Qui, ut res gestas cognovit, jussit eos duci in sylvam nigram (*a*), quae hodie in honorem illorum sylva Candida appellatur, atque illic ambo pariter decollari. Ubi ad mediam sylvam ventum est, ipsis suis manibus mundaverunt locum a spinis: ac deinde orantes, et pacis osculo invicem se salutantes, flexis genibus capite plexi sunt. Qui autem eos decollavit, testatus est, se vidisse animas eorum exeuntes e corporibus, tanquam virgines auro et gemmis ornatas, vestibus indutas splendidissimis, angelicisque manibus in coelum sublatas, per auras ivisse gaudentes.

§ 8. Per id tempus Lucilla et Firmina, Christianissimae feminae, propinquae S. Tiburtii martyris, cujus nobilitas inter Senatores insignis fuit in terris, et inter martyres illustrior est in coelis, amore beati martyris a sepulcro ejus non recedebant, sed constructo illic cubiculo, die noctuque ibi permanebant. Iis ergo in visu apparuit S. Tiburtius cum his duobus martyribus, edocuitque eas, quemadmodum corpora eorum e nigra sylva absportata, juxta ipsum in parte inferiori in crypta sepelire deberent. Fuerunt autem eis adjutorio Acolythi duo Ecclesiae Romanae. Haec omnia Damasus, cum lector esset, puerulus didicit ab eo qui eos decollaverat: et postea factus Episcopus (*Summus Pont.*) in eorum sepulcro his versiculis limina decoravit:

Marcelline tuos, pariter Petre, nosce triumphos.
Percussor retulit Damaso mihi, cum puer essem,
Haec sibi carnificem rabidum mandata dedisse,
Sentibus in mediis vestra ut tunc colla secaret,
Ne tumulum vestrum quisquam cognoscere posset.
Vos alacres vestris manibus fodisse sepulcra.
Candidulo occulte postquam jacuistis in antro,
Postea commonitam vestra pietate Lucillam,
Hic placuisse magis sanctissima condere membra.

§ 9. Is vero, qui eos decollavit, nomine Dorótheus, postea sub sancto Julio Pontifice publicam egit poenitentiam, et omni populo indicans quae vidisset, baptizatus est in senectute sua, et per bonam confessionem pervenit ad misericordiam Salvatoris, qui vivit et regnat in saeculula saeculorum.

(*a*) Ibidem anno CCLX, pro Christo capite plexae fuerant SS. Rufina et Secunda, milliario ab urbe 8, x jul. ubi hodieque superest vicus dictus *Casale S. Rufina*, urbs olim Episcop.

DE TRANSLAT. EORUMDEM SS. MM.

MARCELLINI ET PETRI

LIBRI IIII. AUCTORE EINHARDO SEU EGINHARDO, QUI FUIT CANCELLARIUS CAROLI MAGNI IMPERATORIS, ET POSTEA MONACHUS BENEDICTINUS, ET PRIMUS ABBAS SELGENSTADIENSIS IN MONASTERIO HORUM MARTYRUM, QUOD IMPERATORIS LUDOVICI PII, ET IPSIUS IMPENSIS CONDITUM EST CIRCA ANNUM DOMINI 821. *

Prologus. Veri Dei cultoribus, et Jesu Christi Domini nostri, Sanctorumque ejus non fictis cultoribus, Einhardus peccator. Qui vitas et facta justorum ac secundum divina mandata conversantium hominum literis ac memoriae mandaverunt, non aliud mihi efficere voluisse videntur, nisi ut ad emendandos pravos mores, et collaudandam Dei omnipotentiam, per ejusmodi exempla, quorumcumque animos incitarent. Feceruntque hoc, non solum, quia livore carebant, sed quia charitate, quae omnibus cupit esse consultum, granditer abundabant. Quorum laudabile propositum quia tam in propatulo est, ut praeter ea, quae dixi, nihil aliud eos moliri voluisse lucidissime clareat, cur a multis imitari non debeat, omnino non video. Ac proinde quia mihi conscius sum, quod libri, quos de translatione corporum beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, signisque ac virtutibus quae per eos Dominus ad salutem credentium fieri voluit, qua potui facultate conscripsi, eàdem sunt voluntate atque intentione compositi, eosdem edere, ac Dei amatoribus ad legendum offerre decrevi. Arbitror enim, quod hoc opus non solum inane ac supervacuum cuilibet fidelium videri non debeat, sed etiam fructuose atque utiliter me laborasse praesumo, si efficere potuero, ut in laudem sui conditoris anima illa legentis assurgat.

Liber I. § 1. Cum adhuc in palatio positus, ac negotiis secularibus occupatus, otium, quo aliquando perfrui cupiebam, multimoda cogitatione meditarer, quemdam locum secretum atque a populari frequentia valde remotum nactus, atque illius, cui tunc militaveram, Principis Ludovici liberalitate consecutus sum. Is locus est in saltu Germaniae, qui inter Neccarum et Moenum fluvios medius intèrjacet, ac moderno tempore ab incolis et circummanentibus Odonowald appellatur. In quo cum pro modo facultatum ac sumptuum non solum domos et habitacula ad manendum,

* *Egregium* hanc historiam vocat *Monumentum* Baronius ad an. 826. Inter eximios, qui imperantibus Carolo Magno et Ludovico Pio floruerunt scriptores, Eginhardus hic vel Einhardus est merito recensendus. Vitam Caroli Magni eleganti calamo conscripsit, et, teste Andrea Du-Chesne, sui aevi Francorum Regum Annales.

verum etiam basilicam, divinis officiis congruentem, non indecòri operis aedificassem, dubitare coepi, in cujus potissimum sancti vel martyris nomine atque honore dedicari deberet. Cumque in hac animi fluctuatione plurimum temporis esset evolùtum, contigit ut quidam Diaconus Romanae Ecclesiae, nomine Deusdona, pro suis necessitatibus Regis opem imploraturus, ad palatium veniret: ibique aliquandiu moratus, cum peracto, propter quod venerat negotio, Romam redire pararet, quadam die humanitatis causâ velut peregrinus ad prandium nostrae parvitatis a nobis est invitatus: ibique inter prandendum plura locuti, eousque sermocinando pervenimus, ut de translatione corporis beati Sebastiani ac neglectis martyrum sepulcris, quorum Romae ingens copia est, mentio fieret. Inde ad dedicationem novae basilicae nostrae sermone converso, percontari coepi, quonam modo ad id pervenire possem, ut aliquid de veris Sanctorum reliquiis, qui Romae requiescunt, mihi adipisci contingeret. Hic ille primo quidem haesitavit, et qualiter id fieri posset, se nescire respondit. Deinde cum me de hac re solicitum simul et curiosum esse animadverteret, altera die se percontationi meae responsurum esse promisit.

§ 2. Post haec cum iterum a me fuisset invitatus, protinus e sinu libellum mihi porrexit, rogans ut eum solus perlegerem, sibique de his, quae in eo scripta erant, quid mihi placeret, indicare non dedignarer. Accepi libellum, et ut ille petiit, solus secrete perlegi. Continebatur in eo esse sibi domi plurimas Sanctorum reliquias, easque se mihi dare velle, si meo fultus adjutorio Romam reverti potuisset: compertum sibi fore, quod duos mulos haberem, quorum si alterum sibi darem, ac secum hominem meum fidelem mitterem, qui illas reliquias ab illo reciperet, mihique deferret, statim eas mihi esse missurum. Complacuit mihi suadentis consilium, statuique fidem sponsionis incertae celeriter experiri: ac proinde dato quod petebat jumento, addita propter viaticum pecuniâ, notarium meum nomine Ratleicum, quia et ipse orandi causâ Romam eundi votum habebat, cum eo pergere jussi.

§ 3. Igitur de Aquisgrani palatio profecti (nam ibi eo tempore Imperator cum suo comitatu erat) Augustam Suessorum venerunt: ibique cum Hildoino Abbate in monasterio S. Medardi locuti sunt, quia memoratus diaconus ei pollicitus est, se efficere posse, ut corpus beati Tiburtii martyris in ejus veniret potestatem. Quibus ille promissionibus illectus, misit cum eis quemdam presbyterum, hominem callidum, nomine Hunum, jubens ut acceptum ab eo memorati martyris corpus deferret; inde iter ingressi, Romam, quanta potuerunt celeritate, perrexerunt. Contigit autem, postquam Italiam intraverunt, ut puer notarii mei, nomine Reginbaldus, tertiana febre correptus, non modicum profectioni eorum suis laboribus faceret impedimentum: quoniam

his horis, quibus ille febrium aestibus tenebatur, iter agere non potuerunt. Erant enim pauci, ac per hoc ab invicem separari nolebant. Cumque hoc incommodo iter illorum non mediocriter fuisset retardatum, illi tamen prout poterant illud accelerare contenderent, tribus diebus priusquam ad Urbem venirent, apparuit in visu illi febricitanti quidam homo in habitu Diaconi, perquirens ab eo, quam ob rem dominus suus Romam ire festinaret? Cui cum ille et promissa Diaconi de reliquiis Sanctorum mihi mittendis, et de his quae Hildoino Abbati pollicitus est, prout illi comperta erant, exponeret: Non ita, erit, inquit, sed longe aliter, ac vos existimatis, causarum propter quas venistis exitus adimplebitur. Nam Diaconus iste, qui vos Romam venire rogavit, aut parum aut nihil de his, quae vobis promisit, facturus est: ac proinde volo sequaris me, atque ea quae tibi ostensurus atque dicturus sum, mente solicita cures advertere.

§ 4. Tunc manu comprehensum, ut sibi videbatur, montis praecelsi cacumen secum conseendere fecit: in quo cum simul positi consisterent: Convertere, inquit, ad Orientem, et subjectos oculis tuis campos intuère. Quod cum fecisset, et campos, de quibus sibi dixerat, fuisset intùitus, videt in eis molis immensae fabricas, in modum magnae cujusdam civitatis extructas: et interrogatus ab eo, si sciret quid hoc esset? se nescire respondit. Tum ille: Roma est, inquit, quod vides, statimque addidit, Dirige oculos in ulteriora civitatis, et contemplare si aliqua tibi in his locis appareat ecclesia. Cumque sibi quamdam ecclesiam apparère dixisset: Vade, ait, et Ratleico nuntia, quoniam in ecclesia, quam modo vidisti, illa res est recondita, quam ille domino suo debet adferre: et ideo det operam, ut eam quanto celerius fieri potest, accipiat, et ad dominum suum revertatur. Cumque ille diceret, quod nemo de his, qui secum venerant, in hujusmodi re fidem dictis suis esset habiturus, respondit et dixit: Tu nosti, quod omnes qui tecum hoc iter agunt, tibi conscii sunt, quia complures dies in febre tertiana laborasti, et nondum te ab illis ullam habuisse remissionem. Et ille, Ita est, inquit, ut dicis. Quapropter, ait, volo ut pro signo tibi sit, atque his quibus verba quae dixi relaturus es quoniam ex hac hora, febre, qua usque modo detinebaris, sic per Dei misericordiam cariturus es, ut te ulterius in hoc itinere non contingat. His dictis, expergefactus, omnia, quae sibi vidisse vel audisse videbatur, Ratleico referre curavit. Quae cum Ratleicus presbytero secum pergenti exposuisset, visum est ambobus, ut experimentum somni ex veritate promissae sanitatis approbarent. Nam eadem die juxta qualitatem febrium, quibus laborare consueverat, febricitare debebat is qui somnium viderat. Et ut non vana illusio, sed potius vera revelatio fuisse ostenderetur, neque illa die, neque caeteris, quae illam secutae sunt, ullum in corpore suo consuetarum febrium

sensit indicium. Sic factum est, ut et visioni crederent, et fidem Diaconi promissis non haberent.

§ 5. Igitur Romam venientes, juxta basilicam beati Petri Apostoli, quae dicitur Ad Vincula, in domo ipsius, cum quo venerunt Diaconi hospitium acceperunt, manseruntque cum eo per aliquot dies, opperientes promissorum ejus adimpletionem. Sed ille, qui suas pollicitationes perficere non valebat, ipsum quod non poterat, quibusdam procrastinationibus palliabat. Tandem locuti cum illo, cur eis illo modo vellet illudere, percontati sunt: rogantes simul, ne se diutius fallendo detineret, et reversionem suam vanis spebus impediret. His ille auditis, cum cerneret se hujusmodi calliditate eis jam amplius non posse imponere, primo notarium meum certum fecit de Reliquiis mihi promissis, quod eas habere non posset, eo quod frater suus, cui et domum et cuncta quae habebat inde abiens commendaverat, negotiandi gratiâ Beneventum esset profectus, ac se penitus ignorare quando esset reversurus. Et quia ei Reliquias illas, sicut et caeteram supellectilem ad servandum commiserat, nec omnino se scire posse quid de his fecisset, quoniam eas in eadem domo nusquam invenisset: proinde videret quid faceret, quia de parte sua nihil restaret quod sperare posset. Postquam haec notario meo dixit, et ille se ab eo illusum ac male sibi impositum quereretur, nescio quibus vanis ac frivolis etiam et presbyterum Hildoini allocutus, spe simili animatum a se fecit abscedere.

§ 6. Postridie vero cum valde tristes videret, hortatus est ut simul cum illo ad coemeteria sanctorum pergerent, videri sibi quod in eis aliquid tale inveniri posset, quo eorum desideriis satisfieret: nec fore ullam necessitatem, ut in patriam vacui reverterentur. Cumque eis hoc consilium placuisset, vellentque ut quantocyus id, ad quod faciendum eos hortabatur, inchoarent, more solito negotium dissimulavit, et eos, quorum animi tunc paululum erant erecti, in tantam desperationem hac dilatione dejecit, ut, omisso illo, statuerent in patriam quamvis infecto negotio reverti. Sed notarius meus recolens somnium, quod puer suus viderat, coepit comitem suum hortari, ut sine hospite suo irent ad coemeteria, ad quae visenda ille eos se ducere velle promisit. Itaque invento atque conducto duce, locorumque monstratore, primo ad basilicam beati Tiburtii martyris, in via Lavicana, tribus ab Urbe passuum millibus distante, veniunt, martyrisque tumbam quanta possunt diligentiâ contemplantur, et utrum sic, ut alii non sentirent, aperiri posset, cauta circumspectione considerant. Deinde in cryptam eidem basilicae contiguam, in qua beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri corpora erant tumulata, descendunt, atque explorata etiam illius monumenti qualitate discedunt, aestimantes hoc factum hospitem suum posse latère. Sed aliter evenit atque arbitrati sunt. Nam

licet ipsi nescirent quibus indiciis, cito tamen ad illum hujus facti notitia pervenit: veritusque ne sine illo voluntati suae satisfacere debuissent, statuit consilium eorum festinando praevenire. Et quia ille eorumdem locorum plenariam atque omnimodam notitiam habebat, blande illos alloquitur, hortaturque ut illuc simul veniant, et si Deus votis eorum favere dignaretur, communi consilio facerent, quicquid eis videretur faciendum.

§ 7. Assensi sunt ejus voluntati, tempusque id aggrediendi pari consensu constituunt. Tunc peracto jejunio triduano, noctu ad locum nullo Romanorum civium sentiente perveniunt: ingressique basilicam S. Tiburtii, primo altare illud, sub quo sacrum ejus corpus situm credebatur, aperire tentaverunt. Sed parum successit eorum voluntati molitio operis inchoati. Nam monumentum durissimo marmore extructum, inermes id aperire conantium manus facile repellebat. Igitur, omisso illius martyris sepulcro, ad tumbam beatorum Marcellini et Petri descendunt, atque ibi invocato Domino nostro Jesu Christo, et adoratis sanctis martyribus, lapidem, quo summitas sepulcri tegebatur, de loco suo levare moliuntur. Quo sublato, vident sacratissimum sancti Marcellini corpus in superioribus ejusdem sepulcri partibus positum, tabulamque marmoream ad caput positam, quae titulo, quem continebat, evidens indicium dabat cujus in eo loco martyris membra jacuissent. Quod, ut par erat, cum summa veneratione suscipientes levant, et munda sindone involutum Diacono ferendum atque servandum tradunt. Ac ne ulla sublati corporis indicia remanerent, lapidem loco suo reponentes, in urbem ad hospitia sua revertuntur. Diaconus autem corpus beatissimi martyris quod acceperat, juxta basilicam B. Petri Apostoli, quae vocatur Ad Vincula, ubi et ipse domum habebat, se servare velle ac posse affirmans, fratri suo nomine Lunisoni ad custodiendum commisit. Arbitratusque notario meo hoc satisfactum esse, coepit illum hortari, ut accepto corpore beati Marcellini, rediret in patriam.

§ 8. Sed ille longe aliud meditabatur ac mente volvebat. Nam, ut mihi postea retulit, videbatur illi nequaquam sibi licere cum solo beati Marcellini corpore in patriam regredi, quasi nefas esset, ut corpus beati Petri martyris, qui ei socius in passione fuerat, et per quingentos et eo amplius annos in eodem sepulcro una cum illo requieverat, illo inde transeunte ibi remaneret. Atque hac cogitatione mente concepta, tanta animi sui parturitione simul ac perturbatione laborabat, ut nec cibum capere, nec somno acquiescere dulce sibi videretur atque jucundum, nisi martyrum corpora, sicut in passione ac monumento conjuncta fuerant, sic etiam peregre profectura jungerentur. Sed de hoc qualiter fieri posset, vehementer ambigebat. Noverat enim neminem a se Romanum inveniri posse, qui sibi ad hoc ullum ferret auxilium:

sed ne talem quidem, cui haec animi sui secreta auderet ostendere. In hac cordis anxietate constitutus, reperit quemdam monachum peregrinum, nomine Basilium, qui ante biennium de Constantinopoli Romam venerat, atque ibi in monte Palatino apud alios Graecos, qui ejusdem professionis erant, cum quatuor discipulis suis hospitium habebat. Hunc adiit, atque ei quam patiebatur solicitudinem aperuit. Tum consiliis ejus animatus, et orationibus fretus, tantam accepit in corde suo constantiam, ut statueret rem quamvis cum periculo capitis sui celerrime experiri. Vocatoque ad se comite suo Hildoini presbytero, coepit cum eo tractare, ut iterum ad basilicam beati Tiburtii, sicut prius fecerant, clanculo pergerent, ac tumbam, qua martyris corpus reconditum credebatur, aperire denuo molirentur.

§ 9. Placuit consilium, assumptisque, quos secum adduxerat, pueris, hospite eorum penitus ignorante quo irent, clam noctu profecti sunt. Cumque ad locum ventum esset, votis pro re prosperanda ante aedis januam factis ingrediuntur: divisisque sociis inter se, presbyter ad corpus beati Tiburtii quaerendum in ipsius basilica cum aliquibus remansit, Ratleicus cum reliquis in adhaerentem eidem ecclesiae cryptam ad beati Petri corpus accessit: apertoque sine ulla difficultate sepulcro, sacra sancti martyris membra nullo prohibente sustulit, et serico pulvino, quem ad hoc paraverat, recepta diligenter inclusit. Interea presbyter, qui corpus beati Tiburtii quaerebat, magno labore frustra consumpto, postquam se vidit nihil posse proficere, relicto opere, in cryptam ad Ratleicum descendit, et quid sibi faciendum esset, àb eo quaerere coepit. Cui cum ille arbitrari se diceret, quod S. Tiburtii reliquiae essent inventae, eique id de quo dicebat ostenderet: nam paulo ante, quam idem presbyter ad eum in cryptam venisset, reperit in eodem sepulcro, in quo sanctorum Marcellini et Petri sacra corpora jacuerunt, foramen quoddam rotundi schematis trium ferme pedum longitudine introrsus excavatum, pedali amplitudine patens, et in eo minuti pulveris non modicam portionem repositam. Visum est ambobus, quod hic pulvis de corpore beati Tiburtii ossibus inde sublatis remanere potuisset: et ob hoc, ut difficilius inveniretur, medio loco inter beatum Marcellinum et Petrum in eadem tumba fuisset repositus: convenitque inter eos, ut eum presbyter sumeret, et pro reliquiis beati Tiburtii secum deferret.

§ 10. His ita transactis atque dispositis, cum rebus, quas repererunt, ad hospitia sua reversi sunt. Post haec Ratleicus cum hospite suo locutus, rogat ut sibi sacros beati Marcellini cineres, quos ei ad servandum commendaverat, reddat, seque in patriam redire volentem nulla non necessaria dilatione detineat. Cui ille non solum quod repetebat sine mora restituit, verum etiam de sanctorum reliquiis in una ligatura collectis, haud parvam

portionem mihi deferendam obtulit: et requisitus de nominibus eorum, mihi se illa dicturum, quando ad me venisset, respondit. Monuit tamen, ut eadem veneratione, qua caeterae sanctorum martyrum reliquiae colerentur, eo quod non minoris apud Deum essent meriti, quam BB. Marcellinus et Petrus: et hoc me esse crediturum, cum primum ad me nominum illorum notitia pervenisset. Suscepit ille munus oblatum, atque id, ut sibi persuasum erat, sanctorum martyrum corporibus sociavit. Initoque consilio cum hospite suo, sacrum illum ac desiderabilem thesaurum in scriniis reconditum atque signatum, per Lunisonem fratrem ejus, cujus superius fecimus mentionem, necnon et presbyterum Hildoini, qui secum venerat, Papiam usque deportari fecit: ipse cum eodem hospite suo Romae substitit, opperiens atque auscultans per continuos septem dies, si de sublatis sanctorum corporibus aliquid ad notitiam civium pervenisset. Cumque vidisset nullam a quolibet extraneo de hoc facto fieri mentionem, latère illud existimans, post eos quos praemiserat, sumpto secum hospite suo, profectus est. Quos cum Ticini apud basilicam beati Joannis Baptistae, quae vulgo Domnanae vocatur, ac tunc ex beneficio Regum ad meam pertinuit potestatem, adventum eorum praestolantes invenissent, statuerunt etiam, ut et ipsi aliquot diebus ibi morarentur, et propter jumentorum, in quibus venerant, refectionem, et propter se ipsos ad longiorem viam praeparandos.

§ **11**. In hoc morarum suarum articulo fama exiit, legatos sanctae Romanae Ecclesiae a Pontifice ad Imperatorem directos, illo brevi esse venturos. Itaque veriti de adventu illorum aliquid sibi incommodi, vel etiam impedimenti accidere posse, si se ibi deprehenderent, decreverunt ut quidam ex eis, abeundo, adventum eorum festinando praeverterent, alii in loco remanerent, et re, de qua soliciti erant, diligenter investigata, post eorumdem legatorum abscessum socios suos, quos praemiserant, sequi properarent. Cum ita inter eos de hac re constitisset, Deusdona cum presbytero Hildoini legatos Româ venientes praecessit, et Augustam Suessorum, ubi Hildoinum esse rebatur, quanta potuit festinatione contendit. Ratleicus vero cum thesauro, quem secum habebat, Papiae remansit, expectans donec legati Sedis Apostolicae praeterirent: ut illis Alpes transgressis, viam suam securius carpere potuisset. Veritus itaque ne presbyter Hildoini, qui cum Deusdona praecesserat, quique omnium, quae apud eos gesta vel tractata fuerant, plenariam atque integram notitiam habebat, quia vafer ac lubricae fidei videbatur, aliquid impedimenti sibi in via, qua ire dispositum habebat, machinari debuisset, alterâ sibi eundum judicavit: missoque ad me procuratoris nostri Ascolfi puero cum literis, quibus me et de reversione sua, et de allatione thesauri, quem divinitus adjutus invenerat, certum efficeret: ipse postquam Romanos ex conjectura mansionum quae

eis parabantur, Alpes superasse putavit, Papiâ relicta, sexta die ad S. Mauritium venit: Ibique comparatis quae ad hoc necessaria videbantur, sacra illa corpora loculo inclusa, feretro imposuit, atque inde promovens, palam et aperte cum adjutorio populi occurrentis portare coepit.

§ 12. Ubi autem locum, qui Caput laci vocatur, praetergressus, bivium, quo itinera in Franciam ducentia dirimuntur, attigit, dexteriorem viam ingressus, per Alamannorum fines usque ad Solodurum Burgundionum oppidum venit. Ibi obvios habuit, quos ego post indicium adventus illius mihi factum, de Trajecto ei occurrere jussi. Nam ego tunc temporis juxta Scaldim fluvium in monasterio S. Bavonis eram, quando literae notarii mei per puerum procuratoris nostri, cujus superius mentionem fecimus, mihi redditae sunt: ex quarum lectione de adventu Sanctorum certior factus, ilico unum ex familiaribus nostris Trajectum ire, ibique presbyteros atque alios clericos, necnon et laicos secum sumere, ac Sanctis venientibus ubicumque primum potuisset, obviam festinare praecepi. Et is nihil moratus, cum his quos secum duxerat in loco memorato, post paucos dies his qui Sanctos adferebant obviavit: junctique simul, comitantibus jam atque hinc inde concurrentibus hymnidicis populorum turmis, cum ingenti omnium laetitia Argentoratum urbem, quae nunc Stratburgus appellatur, celeriter veniunt. Inde per Rhenum secunda aquâ navigantes, cum ad locum, qui Portus vocatur, venissent, orientalem fluminis ripam egressi, quinta mansione ad locum Michilunstat nuncupatum cum immodica hominum in Dei laudibus exultantium multitudine perveniunt. Is locus est in eo saltu Germaniae, qui tempore moderno Odonowald appellatur, et distat a Moeno flumine circiter leucas sex. In quo cum basilicam noviter a me constructam, sed nondum dedicatam invenissent, in hanc illos sacros cineres intulerunt, et velut ibi perpetuo permansuros deposuerunt.

§ 13. Cumque id mihi fuisset allatum, confestim illuc quanta potui celeritate venire festinavi: ubi cum triduo post adventum nostrum exacto, quidam puer Ratleici jubente eo, officio vespertino completo, caeteris exeuntibus solus in ecclesia remansisset, et clausis januis, juxta illa sacra corpora in parva sellula quasi vigilaturus consedisset, subitaneo somno depressus, vidit quasi duas columbas per dexteriorem absidae fenestram volando intrare, et in culmine lecti super ipsa Sanctorum corpora considere. Quarum altera tota alba, altera cani et albi coloris mixturâ varia videbatur. Cumque in eodem culmine diutius deambularent, et consuetum columbis gemitum vicissim velut colloquentes ederent, rursus per eamdem fenestram egressae, non comparuerunt; secutaque vox supra caput pueri sonuit: Vade, inquit, et dic Ratleico, ut indicet domino suo, quia isti sancti martyres

nolunt, ut eorum corpora in hoc loco requiescant. Alium enim elegerunt, ad quem celeriter migrare dispositum habent. Hujus vocis auctor ab eo videri non potuit: qua tamen finitâ, evigilavit, somnoque excitus reverso ad Basilicam Ratleico quid vidisset indicavit. At ille in crastinum ubi me primum convenire potuit, quid sibi puer suus retulisset, mihi nunciare curavit. Ego autem, licet hujusce visionis arcanum spernere non auderem, statui tamen opperiendum alicujus signi certioris indicium : atque interim illos sacros cineres de linteis, in quibus ligat ivenerant, sublatos, sericis ac novis pulvinis insuere feci. Cumque in eorum inspectione reliquias B. Marcellini minoris quantitatis, quam sancti Petri esse cernerem, arbitratus sum eum in statura corporis sui minoris fuisse mensurae, quam S. Petrum. Sed hoc aliter se habere, furtum postea patefactum approbavit: quod ubi, vel quando, vel a quo, vel qualiter admissum ac proditum sit, suo loco dicturus sum, nunc ordo narrationis inchoatae texendus atque tenendus est.

§ **14**. Igitur postquam illum magnum atque mirabilem, omnique auro pretiosiorem inspexi thesaurum, loculus in quo idem continebatur, propter vilitatem materiae, de qua compactus erat, coepit mihi oppido displicere. Quem emendare cupiens, quadam die post completum vespertinum officium praecepi uni ex aedituis, ut mensuram loculi virgâ collectam mihi afferret. Cum ille hoc facturus cereum accenderet, et circumpendentia pallia, quibus idem loculus tegebatur, sublevaret, animadvertit loculum mirum in modum humore sanguineo undique distillantem: et rei novitate perterritus, hoc quod viderat pròpere mihi nuntiare curavit. Tum ego cum eis qui aderant sacerdotibus accessi, et illud stupendum atque omni admiratione dignum miraculum aspexi. Nam ut columnae atque àbaci vel signa marmorea pluviâ instante sudare ac circumfluere solent: sic loculus ille, qui sacratissima corpora continebat, vero cruore madens, et ex omni parte perfusus inventus est. Terruit nos insolita et numquam prius audita miraculi species. Quapropter inito consilio, triduanum jejunium cum supplicationibus facere decrevimus, ut ex revelatione divina scire mereremur, quid sibi vellet, quidve faciendum moneret magnum illud et ineffabile prodigium. Itaque peracto illo triduano jejunio, cum jam advesperasceret, humor ille cruoris horrendi subito coepit arescere, ac mirum in modum, qui per continuos septem dies more perennis aquae sine intermissione distillabat, sic intra paucissimas horas exiccatus est, ut eo noctis tempore (nam Dominica erat) quo signo dato, ad antelucanum officium celebrandum ecclesiam intravimus, nullum jam in loculo vestigium illius posset inveniri. Lintea vero, quae circa loculum pendebant, ut eodem fuerunt humore respersa, ita ut erant sanguineis maculis infecta servare jussi: in quibus

adhuc magnum illius inauditi portenti paret indicium. Constat enim humorem illum saporis fuisse subsalsi, ad lacrymarum videlicet qualitatem: et tenuitatem quidem aquae, colorem autem veri sanguinis habuisse. Eadem nocte cuidam ex pueris nostris, nomine Ruodlando per quietem duo juvenes visi sunt astitisse, qui ei, ut ipse testatus est, de transferendis Sanctorum corporibus multa mihi dicenda mandaverunt, et ad quem locum, vel qualiter id fieri deberet, ostenderunt: et ut hoc mihi sine mora fuisset nuntiatum, terribiliter comminando praeceperunt. Qui mox ut me adire potuit, omnia quae jussus fuerat, mihi intimare curavit. Quibus auditis, curis ingentibus aestuare, et quid mihi esset agendum, animo tractare coepi: utrum iterum jejunia et supplicationes celebrandae, ac Deus rursus pro nostra curiositate solicitandus: an aliquis Deo devote ac perfecte serviens esset quaerendus, cui anxietatem cordis nostri et curarum nostrarum querimonias indicare, quemque rogare potuissemus, ut orationibus suis a Deo nobis hujus rei manifestationem impetraret. Sed ubi vel quando ille talis Christi famulus a nobis posset inveniri, praesertim in illa regione, in qua tametsi quaedam coenobia ab eo loco, in quo eramus, haud longe posita esse constabat, tamen propter rudem in his locis ejus conversationis institutionem, aut rarus aut nullus erat, de cujus sanctitate tale aliquid vel tenuis fama loqueretur.

§ **15**. Interea dum his anxius curis sanctorum martyrum suffragium implorassem, atque omnes qui una nobiscum erant, ut idem facerent, sedulo commonuissem, factum est ut per continuos dies nulla nox praeteriret, in qua vel uni vel duobus, vel etiam tribus sociorum nostrorum in somnis revelatum non fuisset, quod illa Sanctorum corpora de eo loco in alium essent transferenda. Ad extremum autem cuidam presbytero de his, qui ibi nobiscum erant, nomine Hildfrido, apparuit in visione, ut ipse fatebatur, vir quidam habitu sacerdotali, canitie veneranda conspicuus, candida veste indutus, qui eum talibus verbis compellavit: « Cur, inquit, Einhardus tam duri cordis, tantaeque obstinationis est, ut tot revelationibus non credat, ac tot monita ad se divinitus missa arbitretur esse contemnenda? Vade et dic ei, quia hoc quod beati martyres de suis corporibus fieri desiderant, infectum remanere non poterit, quamvis ille hactenus voluntatem eorum in hac re facere distulisset. Et jam nunc, si non velit ut hujus facti meritum ad alium transeat, festinet eorum adimplere jussionem, et ad locum quem ipsi elegerunt, corpora illorum deportare non negligat. »

§ **16**. Post has aliasque multimodas ad me perlatas admonitiones, visum est mihi illam sacrorum cinerum translationem non esse diutius differendam: ac proinde inito consilio, decrevimus ut id quanto celerius fieri potuisset, perficere certaremus. Igitur omnibus

quae ad hanc devectionem necessaria videbantur, raptim et cum summo studio praeparatis, prima luce post completum matutinum officium, sacrum illum et inaestimabilem thesaurum, cum ingenti luctu ac moerore illorum qui in loco erant remansuri, sustulimus, atque iter ingressi portare coepimus, comitante nos pauperum turbâ, quae illo per eos dies ob eleemosynam accipiendam undecumque confluxerat. Nam circa manentes populi quid apud nos ageretur, penitus ignorabant. Erat coelum grave sordidis nubibus, et quae in ingentem pluviam cito resolvi possent, nisi id divina virtus fieri prohiberet. Nam tota nocte illa intantum sine intermissione pluebat, ut nobis iter illud ea die inchoari posse minime videretur. Sed illam nostram dubitationem, ex infirmitate fidei venientem, superna gratia per suorum merita Sanctorum, longe aliter atque existimavimus, habere se fecit, quando viam per quam incessimus, in aliam quam sperabatur qualitatem vidimus fuisse commutatam. Nam et luti parum invenimus, et rivos, qui in tam grandi ac jugi pluvia, ut ea nocte erat, crescere solebant, pene nihil crevisse reperimus. Ubi vero de saltu egressi, proximas villas accessimus, frequentibus obviorum ac Deo laudes dicentium turbis excipimur: qui nos per octo fere leucarum spatium comitati, nobis ac nostris et in sacro onere ferendo devoti adjutores, et in divinis laudibus dicendis impigri fuere concentores. At ubi vidimus, quod ea die ad locum destinatum pervenire non poteramus, divertimus ad villam Ostheim appellatam, quae viae nostrae contigua cernebatur: et inclinante jam vesperâ, in basilicam B. Martini, quae in eadem villa est, sancta illa corpora intulimus: et sociis nostris ad excubias ducendas ibi dimissis, ego cum paucis ad locum quo tendebamus, festinando praecessi, et ea, quae ad receptionem sanctorum corporum usus postulabat, per noctem praeparavi.

§ **17**. Ad basilicam vero, in qua illorum sacrosanctum thesaurum dimisimus, sanctimonialis quaedam paralytica, nomine Ruodlang, de monasterio Machesbach, quod ab eadem ecclesia unius leucae spatio disparatum erat, ab amicis suis ac propinquis in carro adducta, cum juxta feretrum Sanctorum inter caeteros vigilans atque orans pernoctaret, recepta omnium membrorum sanitate, propriis pedibus nullo sustentante, vel quolibet modo adminiculante, ad locum unde venerat, in crastinum regressa est. At nos albescente coelo surgentes, sociis nostris venientibus obviam ire perreximus, habentes nobiscum immodicam vicinorum nostrorum multitudinem, qui famâ adventus Sanctorum exciti, ad hoc primo diluculo pro foribus nostris constiterunt, ut una nobiscum Sanctis obviam procederent. Et occurrimus eis in eo loco, ubi Gaspentia fluviolus Moeno miscetur.

§ **18**. Inde pariter incedentes, ac Domini nostri Jesu Christi

misericordiam collaudantes, sacras illas beatissimorum martyrum exuvias ad Mulhein superiorem (sic enim moderno tempore locus ille vocatur) cum magna omnium qui ibi adesse potuerunt, laetitia et exultatione detulimus: sed prae nimia populi multitudine, quae praecedens cuncta compleverat, neque ecclesiam adire, neque feretrum in eam inferre valuimus. Idcirco in campo adjacente, atque in loco editiore altare sub dio ereximus, ac, feretro pone altare deposito, Missarum solemnia celebravimus. Quibus expletis, ac multitudine ad sua recedente, in ecclesiam a beatis martyribus jussam, eorum sacratissima corpora intulimus: ac, feretro propter altare locato, iterum Missam celebrare curavimus: ibique inter celebrandum puer quidam annorum circiter quindecim, nomine Daniel de pago Portiano, qui illuc inter alios pauperes mendicando venerat, atque ita curvus erat, ut nisi supinus atque jacens coelum aspicere nequivisset, ad feretrum accessit, ac subito velut ab aliquo impulsus corruit: cumque diu velut dormienti similis jacuisset, correctis omnibus membris, et recepta firmitate nervorum, coram oculis nostris surrexit incolumis. Facta sunt haec decimosexto Calendas Februarias, et erat ejus diei tanta et tam clara serenitas, ut aestivi splendorem solis adaequaret: atque ipsius aëris tam mitis atque jucunda tranquillitas, ut veris temperiem apricitate blanda praecederet.

§ **19**. Postridie vero sacra beatorum martyrum corpora, novo loculo recondita, in absida basilicae locavimus, et sicut in Francia mos est, superposito ligneo culmine, linteis ac sericis palliis ornandi gratiâ conteximus, apponentes altare, ac duo vexilla Dominicae Passionis, quae in via feretrum praecedere solebant, hine atque inde erigentes, locum illum divinis officiis celebrandis pro modulo paupertatis nostrae idoneum atque aptum facere curavimus. Ordinatisque clericis, qui inibi assidue et excubias ducerent, ac divinis laudibus dicendis curam solerter impenderent, ipsi non solum nostra sponte, sed etiam regali diplomate quod nobis in via obviam venerat, evocati, Domino iter nostrum prosperante, ad palatium sumus cum magna exultatione regressi.

Liber II. § **1**. Transactis admodum paucis, postquam ad Comitatum * veneram, diebus, ego secundum consuetudinem aulicorum maturius surgens, primo mane palatium petii. Ibi cum ingressus, Hildoinum cujus libro superiore mentionem feci, ante fores regii cubiculi sedentem, atque egressum principis opperientem invenissem, ex more salutatum surgere, atque ad quamdam fenestram, de qua in inferiora Palatii prospectus erat, mecum accedere rogavi. Ad quam pariter stando incumbentes, de translatione sanctorum martyrum Marcellini et Petri, necnon et de miraculo, quod in fluxu cruoris, quo loculum eorum septem diebus sudasse commemoravi, ostensum est, mirando multa sumus locuti.

* Curiam Imperialem Aquisgranensem.

Cumque ad id loci sermocinando venissemus, ut etiam de vestimentis, quae cum corporibus eorum inventa sunt, mentio fieret, atque ego mirae subtilitatis vestem B. Marcellini fuisse dicerem, ille velut, qui rem aeque ut ego notam haberet, vera me de vestibus dixisse respondit. Hic ego stupefactus atque admirans, percontari coepi, unde illi haec vestimentorum, quae nunquam viderat, notitia contingere potuisset. At ille me intuitus, paululum siluit: ac deinde, Satius, inquit, esse arbitror, ut per me cognoscas, quod me tacente, tamen per alios celeriter es cogniturus: et ego illius rei sim proditor simplex, quam fortasse alter si prodiderit, non simpliciter enuntiabit. Neque enim potest: quia sic naturâ comparatum est, ut hoc quisquam veraciter dicere nequeat, cujus notitiam non per seipsum, sed aliorum relatione fuerit assecutus. Tuae tantum fidei committo, qualiter inde mecum acturus sis, postquam meo relatu omnem rei gestae veritatem agnoveris.

§ 2. Cui cum me non aliud acturum, quam quod inter nos conveniret, brevi sermone respondissem: Presbyter, inquit, ille, qui ad deferendas B. Tiburtii reliquias Romam meo jussu profectus est, cum id, propter quod illo venerat, ita ut volebat perficere nequivisset, jamque notarius tuus, acceptis de quibus loquimur, sanctorum martyrum Reliquiis, domum redire statuisset, iniit cum illo consilium, ut illo Romae paululum moras faciente, ipse cum Junisone fratre Deusdonae et cum hominibus ejus, qui illos sacros cineres ferre debebant, Papiam usque praecederet, ibique illius ac Deusdonae praestolaretur adventum. Placuit ambobus ista conventio, illisque Romae substantibus, presbyter cum Junisone ac pueris Reliquias ferentibus Papiam proficiscitur. Quo cum esset perventum, scrinia sacros cineres continentia in ecclesia tua pone altare sunt posita, atque ab excubantibus in eadem basilica clericis ac laicis diligenti solertiâ custodita. Quadam vero nocte, cum et ipse inter caeteros ad easdem excubians in ecclesia vigilaret, contigit, ut ipse asserit, circa mediam fere noctem, ut obripiente paulatim somno, universi qui intra eamdem basilicam vigilandi gratiâ convenerant, praeter se solum, obdormirent. Tum sibi in mentem venisse, visumque fuisse non sine magna quadam causa factum, ut tot hominibus tam subitaneus sopor obrepserit: ratusque sibi oblata occasione utendum, surrexit, atque, accenso lumine, ad scrinia silenter accessit. Tum filis sigillorum admota cerei flammâ crematis, scrinia sine clave celeriter aperuit, ac de utroque corpore portionem, quae ei videbatur, accipiens, sigilla ut erant integra filorum crematorum summitatibus annectit, nulloque id factum sentiente, in loco suo resedit. Post haec sublatas tali furto Sanctorum reliquias, cum ad me fuisset reversus detulit: primoque illas non S. Marcellini vel Petri, sed sancti Tiburtii esse asseveravit. Deinde cum nescio

quid vereretur, secrete mecum locutus, quorum Sanctorum essent reliquiae, quoque modo eas fuisset adeptus, patenter aperuit. Habemus illas apud S. Medardum in loco celebri honorifice collocatas, ubi ab omni populo cum magna veneratione coluntur: sed utrum eas nobis habere liceat, in tuo manet arbitrio.

§ 3. His auditis recordatus sum quid in itinere, quo proxime ad palatium proficiscebar, a quodam hospite meo audierim. Qui inter caetera quae mecum loquebatur, Nunquid nosti, ait, qualis de SS. martyribus Marcellino et Petro per hanc regionem fama dispersa sit? Cumque id me nescire responderem, tum ille, Dicunt, inquit, qui de S. Sebastiano veniunt, quod presbyter quidam Hildoini Abbatis, qui una cum notario tuo Romam profectus est, cum inde reverterentur, et in quodam loco communi diversorio uterentur, tuis omnibus ebrietate ac somno depressis, et id, quod agebatur penitus ignorantibus, scrinia, quibus Sanctorum corpora continebantur, aperuisset, eaque inde sustulisset, atque abiens Hildoino detulisset, et modo apud S. Medardum sint: in scriniis vero tuis parum quiddam sacri pulveris remansisse, quod ad te per notarium tuum perlatum sit. Horum reminiscens, eaque cum his quae ab Hildoino dicebantur conferens, non modica mentis perturbatione commotus sum: ob hoc praecipue, quia nondum inventum habebam consilium, quo illam execrabilem atque astutiâ diaboli ubique divulgatam famam extinguere, ac de cordibus deceptae multitudinis depellere potuissem. Illud tamen optimum judicavi, ut Hildoinum rogarem idipsum mihi reddere, quod de meis scriniis sublatum, et ad se delatum atque a se receptum post illam spontaneam confessionem negare non poterat. Quod etiam quanta potui instantiâ facere curavi: et licet ille paulo durior ac difficilior quam optaveram in assensione fuisset, victus tamen est sedulitate precum mearum, cessitque improbitati meae, qui se paulo ante nullius jussioni, in hac praesertim causa, cessurum pronuntiaverat.

§ 4. Interea missis ad Ratleicum et Junisonem literis (erant enim in eo loco, ubi martyrum corpora collocavi) qualis per totam pene Galliam de iisdem sanctis martyribus fama esset, eis indicare curavi: commonefaciens eos, ut cogitarent si aliquid tale vel simile his quae Hildoinus de facto presbyteri sui asserebat, in via eorum advertere vel reminisci potuissent. Qui statim ad me in palatium venientes, valde disparem his quae Hildoinus dicebat fabulam detulerunt. Nam in primis omnia, quae presbyter ille Hildoino retulerat, falsa esse testati sunt, neque ullam posteaquam Româ exierunt, vel illi presbytero vel cuilibet alteri datam fuisse occasionem, per quam ad ejusmodi facinus perpetrandum aditum habere potuisset. Sed hocipsum, quod de sacris martyrum cineribus aliter atque debuerat accidisse constabat, Romae in domo Deusdonae per avaritiam Junisonis et

vafritiam memorati presbyteri contigisse: eo videlicet tempore, quo corpus beati Marcellini de tumba sua sublatum, in domo Deusdonae servabatur: modumque facti talem fuisse dixerunt. Memoratus ille Hildoini presbyter spe, quam de S. Tiburtii corpore adipiscendo conceperat, frustratus, ne omninovacuus ad dominum suum reverteretur, quod fide non poterat, fraude assequi molitus est. Nam Junisonem aggressus, quia pauperem ac proinde cupidum esse cognoverat, oblatis ei quatuor aureis nummis, quinisque argenti solidis, ad proditionem faciendam illexit. Accipiens enim oblatam pecuniam, arcam in qua corpus beati Marcellini erat a Deusdona depositum atque inclusum aperuit, et illi nequissimo nebuloni auferendi ex ea quod vellet, qualem ipse optaverat, potestatem fecit. Nec ille in ea rapina parcus fuit: nam tantum de sacris beati martyris cineribus sustulit, quantum vas sextarii mensuram habens capere posse videbatur. Hoc eo modo factum esse, ipse qui id cum memorato presbytero machinatus est Luniso, pedibus meis provolutus flendo testatus est. Tum ego rei veritate comperta, Ratleicum ac Lunisonem eo unde venerant redire praecepi.

§ **5**. Ac deinde cum Hildoino locutus, conventione inter nos facta, quando sacrae mihi reliquiae redderentur, duos clericos de domo nostra, Hiltfridum videlicet ac Filimarum (alter presbyter, alter diaconus erat) ad recipiendas eas Augustam Suessorum pergere jussi: mittens per eosdem ad locum de quo eaedem reliquiae auferendae erant, benedictionis gratiâ, nummos aureos numero centum. Qui ubi ad monasterium S. Medardi in die Palmarum venissent, per triduum ibi morati sunt: et recepto illo, propter quem missi fuerant, incomparabili thesauro, comitantibus secum duobus ex eodem monasterio fratribus, quanta potuerunt celeritate ad palatium reversi sunt. Reliquias tamen non mihi, sed Hildoino detulerunt. Quas ille recipiens, in oratorio domus suae fecit custodiri, usque dum, transactis Paschalis festi occupationibus, vacuum tempus haberet, quo mihi quod reddendum erat, priusquam redderet, ostendere potuisset. Completisque post sanctum Pascha octo vel eo amplius diebus, cum rex venandi gratiâ de palatio fuisset egressus, Hildoinus secundum quod inter nos convenerat, memoratis Reliquiis de oratorio suo, ubi servabantur, sublatis, atque basilicae sanctae Dei Genitricis illatis, altarique superpositis, me ut eas susciperem fecit acciri. Tum capsam, in qua Reliquiae continebantur, aperiens, ostendit mihi ut viderem quid esset, quod et ille redderet et quod ego reciperem. Exin sublatam de altari eamdem capsam manibus meis imposuit, dataque oratione competenti, praecentoris etiam officio functus, antiphonam laudi martyrum convenientem clericis ad psallendum paratis imposuit, nosque cum illo inaestimabili thesauro recedentes, usque ad ostium basilicae concinendo

prosecutus est. Processimus inde paulatim cum crucibus et cereis, laudantes Domini misericordiam, usque ad oratorium, quod erat in domo nostra vili opere constructum, eique quia aliud ibi non habebatur, illas sacras reliquias intulimus.

§ 6. In illa vero processione nostra, quam de basilica usque ad oratorium nostrum nos fecisse dixi, quid miraculi acciderit, censeo non esse tacendum. Egredientibus enim nobis de ecclesia, laudemque Domino Deo nostro excelsa voce canentibus, tanta vis suavissimi odoris eam partem vici Aquensis, * quae ab ecclesia ad Occidentem respicit, totam implevit, ut illa fragrantiâ pene omnes ejusdem partis habitatores, itemque universi, qui pro quibuslibet causis atque negotiis eadem in parte fuerant constituti, ita divinitus commoverentur, ut omissis quae in manibus habebantur operibus, cuncti cursu rapidissimo primo ad ecclesiam, deinde quasi per vestigium ad oratorium nostrum, in quod illas Reliquias illatas esse audierant, summopere festinarent. Fit immodicus intra septa nostra exultantis simul atque admirantis populi concursus: et cum magna pars eorum, qui confluxerant, id quod agebatur quodque esset ignoraret, gaudio tamen et exultatione repleti, Dei omnipotentis misericordiam collaudabant. Postquam autem famâ crebrescente divulgatum est, reliquias S. Marcellini martyris in eum locum esse delatas, non solum de eodem vico Aquensi, et vicinis atque adjacentibus villis, verum etiam de longinquioribus locis ac pagis adeo frequens atque immanis multitudo congregata est, ut nobis ad officium in eodem oratorio celebrandum, propter vespertinas horas atque nocturnas, haud facilis patèret introitus. Adducebantur undique debiles, et variis affecti languoribus circa oratorii parietes a propinquis suis atque amicis collocantur. Videres ibi pene omnia infirmitatum genera per virtutem Christi Domini, et per meritum beatissimi martyris in omni sexu et aetate curari. Caecis visus, claudis incessus, surdis auditus, mutis sermo redditur: paralytici etiam et qui totius corporis viribus destituti, alienis manibus apportati sunt, sanitate recepta, propriis pedibus ad sua revertebantur.

§ 7. Haec ubi ad regias aures relatione Hildoini perlata sunt, statuit primo, ut ad palatium regressus, oratorium nostrum in quo haec fiebant, martyrem venerabundus accederet: sed ne id faceret, eodem Hildoino suggerente prohibitus, ad majorem basilicam reliquias deferri praecepit: ibique delatas, humili supplicatione veneratus est: celebratisque Missarum solemniis, obtulit beatis martyribus Marcellino et Petro quoddam praediolum, situm juxta fluvium Aram, vocabulo Ludolvestropf. Obtulit et regina cingulum suum, ex auro et gemmis factum, pensans libras tres. Quibus expletis, relatae sunt Reliquiae ad locum suum, in

* Aquisgranae.

oratorium videlicet nostrum, fueruntque ibi diebus quadraginta vel eo amplius, usque dum Imperator palatio egrediens, venandi gratiâ, solemni more sylvas peteret. Quo facto, et nos comparatis quae ad profectionem nostram necessaria videbantur; cum eisdem Reliquiis de vico Aquensi promovimus. In ipso autem nostrae egressionis articulo, cum Missarum solemnia celebrarentur, anus quaedam in palatio notissima, annorum circiter octoginta, nervorum contractione laborans, in conspectu nostro curata est. Quae, ut ipsa narrante didicimus, per quinquaginta annos hoc morbo detenta, more quadrupedum genibus manibusque nitendo officium ambulandi reptando impleverat.

§ 8. Inde iter ingressi, suffragantibus Sanctorum meritis sexto demum die Mulinheimum vicum, in quo sacros beatorum martyrum cineres ad comitatum profecturi dimisimus, Domino adjuvante pervenimus. In quo itinere quantum gaudii, quantumque laetitiae de illarum adventu reliquiarum populis in eadem via consistentibus accesserit, neque mihi silendum est, nec tamen ita ut fuit, plene dici atque enunciari potest. Dicendum tamen est, ne res ad Dei laudem maxime pertinens, quasi per desidiam silentio suppressa videatur. Ac primum quidem gestit animus id referre, quod palatio egressi, in multorum praesentia nos vidisse reminiscimur. Vurmius dicitur fluviolus, duobus fere passuum millibus ab Aquensi palatio distantem habens pontem. Ad quem venientes, propter multitudinem quae nos eousque de palatio prosequebatur, jamque redire volebat, ut orandi locum haberet, parumper constitimus. Ibi quidam de orantibus cum alio ad reliquias accedens, sociumque respiciens: Propter amorem, inquit, atque honorem hujus sancti aere alieno, propter quod te mihi obnoxium esse non ignoras, absolvo. Debebat enim ei, ut ipse fatebatur, dimidiam argenti libram. Itemque alter socium suum manu comprehensum ad Reliquias trahens, Patrem, ait, meum occidisti, ac proinde inimici eramus ad invicem. Nunc autem propter amorem atque honorem Dei et hujus sancti, deposita simultate, foedus tecum jungere atque inire volo, ut abhinc in futurum perpetua inter nos amicitia permaneat: sitque hic sanctus condictae in invicem charitatis testis, et ultor in eum qui hanc pacem prior irrumpere tentaverit. Hic illa turba, quae nobiscum de palatio fuerat egressa, adoratis atque osculatis sacris reliquiis, cum multis lacrymis quas prae nimio gaudio continere non poterat, domum revertitur: alia multitudine, quae ibi nobis obviavit, nos comitante, atque Kyrie eleison sine intermissione cantante, usque ad eum locum in quo simili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur. Quae tunc similiter, ut prior, supplicatione facta ad sua reversa est.

§ 9. Hoc modo per singulos dies a prima luce usque ad vesperam comitantibus, ac Domino Christo laudem dicentibus

populórum turbis, ab Aquensi palatio usque ad memoratum Mulinheim vicum, Domino iter nostrum properante, pervenimus. Atque ibi illas reliquias super altare, pone quod loculus sacros martyrum cineres continens positus erat, gemmata capsâ reconditas collocavimus: fueruntque ibi sic positae, usque dum nos mense Novembri ad palatium ire parantes, per revelationem admoniti sumus, ne prius de illo loco proficisceremur, quam eas corpori, de quo sumptae erant, conjungeremus. Qualiter autem revelatum fuerit, ut hoc fieri deberet, non est silentio transeundum: quia non solum somnio, ut fieri solet sed etiam signis quibusdam ac terroribus ad vigilantium curam pertinentibus, ostensum est beatos martyres omnimodis voluisse, ut in hac re jussio illorum fuisset adimpleta. Erat unus de clericis, qui ad excubias basilicae deputati fuerunt, nomine Landolphus, cui tunc signi tangendi cura commissa fuerat, habens stratum suum juxta australem basilicae januam. Qui cum secundum consuetudinem nocturni ac matutinalis officii solemni more surgeret, signumque moveret, completoque ante lucem eodem officio, rursum dormire vellet, clausis ecclesiae foribus, coram sanctis martyrum cineribus supplicandi gratiâ se prostravit. Ibi cum psalmum quinquagesimum, ut ipse asserit, dicere inciperet, audivit juxta se in pavimento velut sonitum pedum hominis, huc atque illuc ibidem deambulantis. Consternatusque pavore non minimo, erexit se paululum in genua, et in omnem partem circumspicere coepit, aestimans aliquem de pauperibus, clausis ecclesiae januis, in quolibet angulo delituisse. Cumque nullum alium, quam se solum intra parietes basilicae esse cerneret, iterum se ad orationem inclinavit, ac psalmum quem prius inchoaverat, repetivit: sed antequam unum ejus versum complere potuisset, capsa, quae altari imposita sacras beati Marcellini reliquias continebat, repentino crepitu tam vehementer insonuit, ut quasi malleo percussa dissiluisse putaretur. Duo quoque ostia basilicae, quae jam clausa erant, occidentale videlicet atque australe, velut aliquo pulsante, atque impellente, simili modo sonuerunt.

§ **10**. Quibus exterritus ac stupefactus, cum quid sibi agendum esset penitus ignoraret, surgit ab altari, et in lectum suum se pavitando projecit: subitoque sopore depressus, vidit sibi quemdam ignoti vultus virum assistere, qui se talibus verbis compellaret: Certumne est, ait, Einhardum sic ad palatium properare velle, ut reliquias sancti Marcellini, quas huc detulit, prius in locum de quo sublatae fuerant, non reponat? Cum ille se hujus rei ignarum esse respondisset: Surge, inquit, primo diluculo, eique ex auctoritate martyrum praecipe, ne hinc abire vel alicubi pergere praesumat, antequam reliquias illas loco suo restituat. Expergefactus surrexit, et ubi me primum convenire potuit, hoc quod sibi fuerat imperatum, mihi intimare curavit. Sed neque

ego segniter in hujuscemodi negotio aliquid agendum arbitratus, imo id quod jubebatur, sine ulla morarum interpositione adimplendum esse judicans, ipsa quidem die, ea quae ad hoc necessaria videbantur, praeparare jussi. Sequenti vero, sacras illas reliquias corpori, de quo sumptae fuerant, cum summa diligentia sociare curavi. Quod factum quam gratum beatissimis martyribus foret, attestatione miraculi subsequentis liquido comprobatur. Nam proxima nocte cum ad matutinum officium in basilica solemniter sederemus, senex quidam gressuum officio destitutus, genibusque ac manibus nitens, reptando ad orationem intravit. Is coram omnibus nobis, per virtutem Dei et merita beatissimorum martyrum, eàdem qua ingressus est horâ ita perfecte curatus est, ut ad incedendum ne baculi quidem sustentatione alterius indigeret. Qui etiam et surdum se per continuum quinquennium fuisse, simulque cum officio pedum auditum sibi redditum affirmabat. His ita peractis, ad comitatum, sicut superius me facere voluisse retuli, ibidem hyematurus multa mecum reputando profectus sum.

Liber III. § 1. Postquam sacra beatissimorum martyrum corpora, sicut jam in superioribus demonstratum est, ipsis jubentibus et nobis morem gerentibus, ad locum, in quo nunc requiescunt, cum ingenti fidelium populorum exultatione perlata, et celebratis in campo Missarum solemniis, manibus sacerdotum, quorum ibi tunc non parvus numerus erat congregatus, in basilicam deportata sunt, feretrumque quo vehebantur juxta altare positum est, et iterum aliud officium ibidem celebrari coeptum: subito quidam adolescens renum dissolutione affectus, atque ideo curvus ac baculis innitens, de media circumstantis populi multitudine prorupit, seque ad adorandum inclinare cupiens, in genua procubuit: sed mirum in modum velut aliquo se revellente, vel potius retrahente, supinus cecidit, similisque dormienti diutissime jacuit. Tum quasi evigilans, in sessum se erexit: ac deinde post paululum, nullo adminiculante surrexit, stansque in medio circumfusae multitudinis, una cum caeteris de recepta sanitate gratias agendo, Dei misericordiam collaudavit. Hic se de pago Portiano cum aliis pauperibus ac peregrinis illuc venisse, Danielemque vocari nobis percontantibus indicavit. Eadem fere horâ, eodemque, ut ita dicam, momento, quo is, de quo nunc diximus, intra ecclesiam et coram ipso altari, per virtutem Christi et intercessionem martyrum, sanitatem est consecutus, mulier quaedam paralytica, et pene omnium membrorum officio destituta, pro foribus ecclesiae jacens, in auxilium sui sanctos martyres invocavit, et mox cunctis cernentibus, qui circa steterant, coepit commotis visceribus velut nauseabunda concuti, ac deinde magnam vim phlegmatis ac bilis vomendo projicere. Quo facto, paululum aquae frigidae sumens, de loco in quo jacebat se levari rogavit, et baculo nitens

basilicam introivit, adoratisque martyribus ac recepto membrorum vigore, ad propria repedavit *.

§ 2. Reliquas virtutes atque miracula, quae per eos Dominus ad salutem hominum operatus est, quoniam quo ordine dicantur nihil referre video, ita ut memoriae occurrerint, censui describenda: quia in earum relatione magis quid et quare, quam quando aliquid gestum sit, considerandum est. Collocatis igitur in eadem basilica more solemni beatorum martyrum reliquiis, cum secundum ecclesiasticae institutionis consuetudinem sacra Missarum solemnia quotidie celebrarentur, contigit ut quadam die, cum divina res ageretur, et nos in superioribus ejusdem ecclesiae locis constituti, super subjectum atque in inferioribus constitutum populum intenderemus, clericus quidam seminudus qui inter caeteros ad idem officium venerat, atque in media multitudine consistebat, tam gravi ruinâ subito collapsus est, ut mortuo similis in pavimento diutissime jacuisset. Quem cum stertentem aliqui ex circumstantibus levare atque erigere conarentur, tanta vis sanguinis ex ore et naribus erùpit, ut tota anterior pars corporis, id est, pectus et venter, et usque ad vestem, qua inguina tegebantur, hac esset exuberatione perfusa. Qui cum allata aquâ fuisset refocillatus, resumptis viribus clare locutus est. Nam postmodum a nobis interrogatus, testatus est se ab infantia sua usque in praesens neque audire aliquid, nec loqui potuisse. Patriam sibi esse Britanniam, se natione Anglum, matrem suam visitandi gratiâ, quae Romae peregrinaretur, iter arripuisse, atque ita inter caeteros peregrinos, qui una Romam ire volebant, in illum locum pervenisse: sed sociis suis abeuntibus se substitisse, ipsumque diem, quo sanus factus est, septimum esse ex quo in locum illum venerat. Cumque ab eo nomen ejus quaereremus, respondit se nomen suum penitus ignorare, pro eo, quod ex eo tempore, quo obsurduit, numquam nomen suum audierit.

§ 3. Exin post aliquot dies, cum more solemni ad vespertinum officium in ecclesia fuissemus congregati, puella quaedam surda et muta, quam de pago Biturigum pater ejus ac frater salutem quaerendi gratiâ per multa Sanctorum loca trahentes, tandem illuc perductam inter caeteros in eadem ecclesia stare fecerunt, subito velut insaniâ quadam excitata, tabulas, quarum crepitu ad eleemosynam petendam utebatur, quanta potuit virtute concussit, atque in populum ante se constitutum, furibunda projecit. Tum ad sinistrum ecclesiae parietem accurrens, velut in eumdem ascensura, trium vel eo amplius pedum saltu in altum dato, supina corruit: et cum ibi paululum mortuo potius quam dormienti similior jacuisset, atque eruptione sanguinis, qui ex ore ac naribus nimius profluebat, esset pene tota respersa,

* Quaedam identidem narratis similia, brevitatis studio, miracula praetereunda censuimus.

a circumstantibus sublata, atque in medium basilicae deportata est. Cumque et ibi aliquandiu jacuisset, velut de gravi somno experrecta resedit: ac deinde manus his qui astiterant porrigens, ut in pedes erigeretur quibus poterat nutibus oravit. Erecta ad altare deducitur: ubi cum Ratleicum inter alios clericos, quae juxta altare constiterant, stantem ac se respicientem cerneret, protinus in haec verba prorupit: Tu es, inquit, Ratleicus: tu, ait, hoc nomine vocitaris: tu es servus horum sanctorum. Quam cum ille percontaretur unde hoc scisset, vel quis ei nomen suum indicasset: Sancti, inquit, isti, qui hic requiescunt, quando velut dormiens jacui, accesserunt ad me, et miserunt digitos suos in auriculas meas, dixeruntque mihi: Cum surrexeris, et ad altare accesseris, clericus ille juvenis, quem coram te assistere, ac te intendere videris, scito quod ille Ratleicus vocatur, et ille servus noster est: nam ipse est, qui ad hunc locum corpora nostra detulit. Et revera ita erat. Siquidem ipse erat, quem propter Sanctorum reliquias a quodam Diacono recipiendas, nobisque deferendas Romam nos misisse in primo libro memoravimus. Et haec quidem hoc modo coram nobis per virtutem beatissimorum martyrum depulso infirmitatis spiritu, integerrimam corporis sui sanitatem est consecuta: quam pater ac frater qui eam illo deduxerunt, a tempore nativitatis suae surdam et mutam semper fuisse testati sunt.

§ 4. Miraculum autem, quod nunc narraturus sum, ego ipse non vidi, sed verbis eorum, quorum hoc relatione mihi compertum est, non minus quam propriis oculis credere possum. Ideoque non ut auditum, sed potius ut a meipso visum, incunctanter, ac sine ulla dubitatione proferre decrevi. Mercatores quidam de civitate Moguntiaca, qui frumentum in superioribus Germaniae partibus emere, ac per fluvium Moenum ad urbem devehere solebant, caecum quemdam natione Aquitanum, nomine Albricum, mercedis a Deo promerendae gratiâ navi suae impositum, sicut ipse petiverat, ad basilicam beatorum martyrum deduxerunt. Qui cum ibi egressus, atque in domo custodis ecclesiae esset hospitio receptus, septem vel eo amplius dies ibidem moratus est. Habebat enim praeter caecitatem, horribilem ac foedam totius corporis infirmitatem. Erat enim omnium membrorum ingens tremor, quae eumdem tam gravi quatiebat incommodo, ut propriis manibus cibum ori suo porrigere penitus non valeret. Is cum die quadam horis antemeridianis in hospitio jacens obdormisset, vidit per soporem quemdam sibi assistentem, seque monentem ut cito surgeret, atque ad ecclesiam festinaret: tempus dicens advenisse, quo de illa miserabili passione per virtutem sanctorum liberari deberet. Expergefactus, atque ad ecclesiam ductus, pro foribus in quodam lapide consedit. Agebatur tunc in ecclesia more solemni divinum officium, et expletis orationibus

quae sacram Evangelii lectionem praecedere solent, ipsum legi coeptum est. Cujus cum vix duo versus fuissent legendo completi, ecce repente velut vim patiens, tremulosus ille vociferatus est, dicens: Adjuva me, sancte Marcelline. Quo clamore tametsi omnes qui in ecclesia erant, haud parva forent perturbatione commoti, majore tamen parte propter reverentiam evangelicae lectionis in loco remanente, plures ad videndum quaenam causa hujusce clamoris existeret accurrerunt: et ut postea testati sunt, invenerunt eumdem in eo, quo consederat loco, extento ac resupinato corpore jacentem, mentumque ac pectus cruore ex naribus profluente inundatum. Qui cum ab eis erectus, et paululum aquae frigidae sumens fuisset recreatus, retulit sibi visum fuisse tunc, cum illam vocem emiserat, quod aliquis eum pugno in cervicem percussisset, atque ideo beati martyris auxilium implorasset. Ceterum hunc ictum tam salutarem ei fuisse constat, ut ex illo temporis momento nullum illius foedae agitationis vestigium in ejus corpore ulterius appareret. Is postea per duos fere annos in eodem loco mansit, et ut ipse testatus est, nulla nox in hoc biennio fuit, in qua per somnium eosdem qui eum salvum fecerunt martyres non vidisset, multa quoque ab eis audisset, quae aliis dicere jubebatur: ex quibus pleraque nunc impleri cernimus, quae ille tunc futura esse praedixit.

§ **5**. Sub idem fere tempus, cum quadam nocte surgentes, ad ecclesiam iremus, invenimus pro foribus ecclesiae quemdam puerum in porticu jacentem, adeo miserabiliter contractum ut mento genua jungerentur. Qui unum ex his qui nos sequebantur rogavit ut se in ecclesiam deportaret, et ille misericordiâ motus sustulit eum, et in ecclesia juxta cancellos jacere fecit. Qui confestim irruente sopore, ubi jacuit obdormivit, nec prius evigilavit plene, quam de illa miserabili contractione per suffragia Sanctorum ita perfecte sanatus est, ut evigilans per se de loco, in quem alio portante delatus est, surgeret, atque ad altare Deo gratias acturus accederet. Is tamen ubi dies illuxit, et nos cum eo loqui potuimus, retulit se tribus vicibus, prius quam signum ecclesiae sonuisset, a quodam sibi ignoto clerico excitatum, atque admonitum, ut nequaquam praetermitteret, quin tempore matutini officii in ecclesiam veniret. Se quoque ita fecisse, ac postea, sicut nos vidimus, in ecclesia dormientem integram sui corporis sanitatem recepisse. Et hic quidem annorum circiter quindecim esse videbatur.

§ **6**. Alium itidem vidimus, non puerum, ut hic erat, sed valde senem atque decrepitum, pari morbo, affectum, eodem in loco, simili modo simili in tempore curatum. Quem et ipsum nocte quadam, eum propter matutinum officium celebrandum ad ostium ecclesiae venissemus, in ipso limine reperimus. Qui genibus nitens, duobus se baculis sustentabat, ac sic illo tardissimo motu

ad ingrediendum nos morabatur. Cumque post tergum ejus constituti, illam pigram promotionem praestolaremur, tanta suavissimi odoris fragrantia de basilica procedens nares nostras implevit, ut omnium aromatum ac thymiàmatum artificiosam compositionem suam praestantiâ superaret. Intravit tandem, et coram nobis juxta cancellos quasi ad dormiendum procubuit: nos quoque basilicam ingressi, nostris locis constitimus, ac simul cum aliis psalmos, qui dicebantur, solemni more cantavimus. At ubi prima lectio recitari coepta est, audivimus eumdem senem gemere, et quasi qui vim pateretur, auxilium implorare, ac deinde interjecto parvi temporis spatio, vidimus in sessum se erigere, ac protinus baculis quibus incessum regere solebat assumptis, etiam in pedes constitisse. Et nos quidem haec vidimus: ipse autem fatebatur sibi visum fuisse, quod se jacentem quasi duo quidem apprehendissent, unus pro humeros et brachia, alter per crura et pedes, ac sic trahendo, nervos suos qui contracti erant extendissent. Et quia praeter hoc contractionis incommodum etiam surdum se fuisse asserebat, dixit sibi cum in sessum fuisset erectus, velut ictum pugni validissime ferientis in caput supervenisse, vocemque simul ut in futurum audiret imperantis audisse. Hic senex hoc modo sanatus, de pago Helvetiorum qui nunc Aragaovin vocatur, se venisse, et natione Alamannum esse testatus est.

§ 7. Nec multo post, cum ego mense Novembrio secundum consuetudinem in palatio hyematurus, ad comitatum ire disponerem, jamque iter ingressus, transmisso flumine Rheno, in villam regiam, cui Sinciacus vocabulum est, ad manendum venirem, et post coenam, quae aliquam noctis partem occupaverat, in cubiculi secretum, ubi quieturus eram, cum familiaribus meis me recepissem, minister qui potum nobis porrigere solebat, quasi novi aliquid nuntiaturus festinanter intravit. Quem ego intuitus: Quid tu, inquam, narrare vis? Nam ut video, habes nescio quid, quod ad nostram vis perferre notitiam. Tum ille, signa, inquit, duo coram nobis modo facta sunt, quae vobis indicare veni. Cumque eum quicquid vellet dicere jussissem: Modo, ait, cum de coena surgentes hoc cubiculum intrastis, ego cum sociis meis descendi in cellarium, quod huic coenaculo subjectum est. Ubi cum cervisiam ministris petentibus distribuere coepissemus, supervenit puer missus a quodam conservo nostro flasconem ferens, quem sibi impleri flagitabat. Qui cum esset impletus, petiit ut etiam sibi de eadem cervisia quantulumcumque daretur adhibendum. Datum est in vase, quod casu vacuum supra cupam, in qua cervisia erat, positum fuerat. Sed ubi hoc hausturus ori admovit, cum ingenti admiratione vinum hoc, non cervisiam, esse clamavit. Cumque eum is, qui et flasconem impleverat, et idipsum, quod illi datum fuit, de eodem foramine traxerat, mendacii

coepisset arguere: Sume, inquit, et gusta, et tunc me non falsum, sed potius verum dixisse probabis. Sumpsit ille atque gustavit, sibique similiter vinum hoc non cervisiam sapere testatus est. Tunc tertius et quartus caeterique qui aderant, singillatim gustando et mirando, totum quod in vase fuerat, ebiberunt. Quotquot autem inde gustaverunt, meri, non cervisiae id saporem habuisse testati sunt.

§ 8. Interea cum in hujus signi admiratione attoniti stuperent, contigit ut cereus, cujus lumine ibidem utebantur, et tunc propter cupam parieti affixus ardebat, nemine contingente in madens humore pavimentum caderet, atque ita esset extinctus, ut ne parvissima quidem in eo scintilla remaneret. Quem unus eorum arripiens, ad ostium cucurrit, sed horrore tenebrarum permotus, priusquam egrederetur, in ipso limine stans, Sancti, inquit, martyres Marcellinus et Petrus nos adjuvent. Ad quam invocationem cereus ille, quem manu tenebat, accensus est. Haec ubi audivi, confestim Deo omnipotenti, ut par erat, laudem dixi et gratias egi, qui sanctos suos semper et ubique glorificat, et nos famulos suos, qui sacras eorum reliquias tunc nobiscum habebamus, de tantis virtutibus laetificare dignatus est. Illum autem, qui haec mihi nuntiavit, expleta narratione ad mansionem suam secedere jussi. Caeterum cum me ad quiescendum in lectulo collocassem, coepi mecum multa volvendo tractare atque mirari, quidnam sibi vellet, quidve portendere posset illa cervisia in vinum, id est deterioris potionis in meliorem facta mutatio: aut cur in eo loco, id est in regia domo, ac non potius in eo, ubi beatorum martyrum, qui haec prodigia per virtutem Christi fecerunt, sacratissima corpora recondita sunt, hujuscemodi miraculum evenisset. Sed licet ad hujus quaestionis certam indaginem longa ac solicita cogitatione pervenire nequirem, certum tamen habui et certum semper habebo, illam divinam atque supernam virtutem, per quam haec atque alia hujusmodi miracula fieri creduntur, nihil unquam sine causa vel facere vel fieri sinere in creaturis, quas ad suam providentiam et gubernationem pertinere non dubito.

§ 9. Igitur inde digressus, sicut superius dixi, ad comitatum perrexi. Nam Imperator Ludovicus eo tempore Aquisgrani palatio consistens, conventum pròcerum ibi fieri media fere hyeme praeceperat: ubi et ego inter caeteros adesse jussus, quia de vicinia beatorum martyrum abesse cogebar, parum jucundas in palatio moras faciebam. Ideoque post unum, ex quo illo veneram, mensem exactum, misi quemdam ex nostris, nomine Ellenhardum, praecipiens ei, ut ad limina beatorum martyrum quanta posset celeritate festinaret, visitatisque fratribus nostris quos inde digrediens ad divinum servitium faciendum ibi dimiseram, atque omnibus, quae ibidem agerentur, diligenter exploratis, ad

nos cito recurreret. Qui cum illuc venisset, tribus ibi mansit diebus. Quarto vero cum jam ad nos reverti disponeret, caecus ille, nomine Albricus, cujus in superioribus fecimus mentionem, detinuit abire parantem, affirmans eum non prius iter suum ingressurum, quam tale signum fieri vidisset, cujus relatione me laetum atque oppido gaudentem efficeret. Addidit etiam, beatissimos martyres praeterita nocte sibi in somnis apparuisse, atque hoc in mandata dedisse, ut perquireret quemdam pauperem, nomine Gisalbertum, immani gibbo depressum ac proinde curvum et brevibus baculis innitentem, atque inventum in coenaculo quod supra porticum basilicae est, tempore matutini officii juxta reliquias quae ibi erant collocaret, eo quod ibi per merita et virtutem Sanctorum, quorum illae reliquiae essent, de illa gibbi deformitate atque curvitatis incommodo liberari deberet. Paruit ille suadenti, atque iter, quod aggredi paraverat, distulit in crastinum.

§ **10**. Caecus ille jussum pauperem perquirens invenit, et ut sibi praeceptum erat, in superioribus ecclesiae partibus juxta praedictas Reliquias officii matutini tempore collocavit. Erant autem illae reliquiae, quod nondum noveramus, beati Marii martyris, et uxoris ac filiorum ejus, Marthae videlicet, Audifacis et Habacuc. Quae utique simul cum sanctorum Marcellini et Petri corporibus, et in eodem loculo ad nos perlatae sunt: sed is qui eas detulit, cujus essent reliquiae nescivit. Nam ille, qui eos mihi miserat, promisit se ad me esse venturum, ac nomina Sanctorum, quorum hae reliquiae forent, per semetipsum mihi indicaturum, quod postea factum est. Pauper vero, qui juxta illas a memorato caeco fuerat collocatus, cum secunda lectio ad nocturnum officium ex more legeretur, edito ingenti clamore, non modicum pavorem audientibus incussit. Ad quem cum nonnulli clericorum una cum illo qui hoc ibi opperiri jussus fuerat accurrissent, invenerunt eum pronum atque extentum propter altare jacentem, pavimentumque quod ori ejus subjectum erat plurimo sanguine madens. Quem levantes, et allata aquâ refocillantes, sanum et rectum, neque ulla camelinae illius tortitudinis signa retinentem, in inferiores ecclesiae partes gratulabundi deduxerunt. Quo miraculo in hunc modum peracto, is quem illuc miseram, ad me cum summa festinatione regressus, cum ea quae viderat retulisset, magno nos gaudio atque exultatione replevit.

§ **11**. Sub idem fere tempus, cum Ratleicus a nobis ad basilicam martyrum regressus est, allatus est nobis inde libellus, continens verba et ratiocinationem cujusdam daemonis, qui se Wiggonem nominavit: quae facta est ab eo coram multis testibus ante altare, juxta quod sacri martyrum cineres repositi sunt, ad interrogationem presbyteri, qui exorcismum super energumenum legerat: quod hoc modo contigisse narratur. Praedium est in

pago Nithagonne, vocabulo Hecgstat, pertinens ad monasterium S. Nazarii: de quo puella quaedam annorum circiter sedecim, ab eodem erratico spiritu possessa, ad basilicam martyrum a parentibus suis adducta est. Quae cum ante tumbam sacra corpora continentem venisset, et presbyter super caput ejus exorcismum secundum consuetudinem perlegisset, ac deinde daemonem qualiter et quando in eam fuisset ingressus percontari coepisset: non barbara linguâ, quam solam puella noverat, sed Romana locutione presbytero respondit. Cumque presbyter miraretur atque interrogaret, unde illi Latinae linguae notitia, cum parentes ejus, qui ibi praesentes astabant, hujuscemodi sermonem penitus ignorarent. Parentes, inquit, meos numquam vidisti. Tum presbyter, Tu ergo, inquit, unde es, si isti non sunt parentes tui? Et daemon per puellam, Ego, ait, sum satelles atque discipulus satanae, et multo jam tempore apud inferos janitor fui: sed modo per annos aliquot cum sociis meis undecim regnum Francorum vastavi, frumentum et vinum, et omnes alias fruges, quae ad usum hominum de terra nascuntur, juxta quod jussi eramus, enecando delevimus, pecora morbis interfecimus, luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus: omnes quoque adversitates et cuncta mala, quae jamdiu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus atque ingerentibus, eis acciderunt.

§ 12. Hic cum presbyter ab eo quaereret, quanam de causa ei fuisset hujusmodi concessa potestas: Propter malitiam, inquit, populi hujus, et multimodas iniquitates eorum, qui super eum constituti sunt: qui munera et non justitiam diligunt, qui plus hominem quam Deum metuunt: qui pauperes opprimunt, viduas et pupillos ad se vociferantes exaudire nolunt, nulli justitiam nisi mercanti faciunt. Praeter haec sunt et alia multa ac pene innumerabilia, quae tam ab ipso populo, quam a rectoribus ejus quotidie committuntur: ut sunt perjuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinae: quae nemo fieri prohibet, et cum facta fuerint, non est qui vindicet. Potentiores quique turpibus lucris inserviunt, et loco superiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad superbiam et inanem gloriam abutuntur: odium et invidiam non tam inter extraneos, quam inter propinquos et affinitate conjunctos exercent: amicus amico non credit: frater fratrem odit: pater filium non diligit. Rari sunt, qui fideliter ac devote decimas dent: rariores, qui eleemosynas faciunt. Et hoc ideo, quia quicquid Deo vel pauperibus dare jubentur, id sibi perire arbitrantur. Iniquas mensuras et injusta pondera contra Dei praeceptum habere non verentur: fraude se alterutrum circumveniunt, falsa testimonia dicere non erubescunt. Dies Dominicos ac feriatos non custodiunt: sed in his, ac si in caeteris, prout voluntas eorum tulerit operantur. Propter haec et alia multa, quae Deus aut praecepit hominibus ut

facerent, aut prohibuit ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis ejus inobediens effectus est, permissi, immo jussi sumus ea facere in rebus humanis, quae superius enumeravi, ut perfidiae suae poenas luant. Sunt enim perfidi atque mendaces, cum hoc servare non curant quod in baptismo promiserunt. Haec omnia daemon per os barbarae puellae Latine locutus est. Et cum presbyter imperando urgere coepisset ut exiret. Exibo, inquit, non propter tuum imperium, sed propter Sanctorum potestatem, qui me in illa diutius manere non permittunt. His dictis, puellam in pavimentum projecit, atque ibi aliquantulum velut dormientem prono corpore jacère fecit. Post paululum vero illo recedente quasi de somno evigilans, per virtutem Christi et merita beatorum martyrum, puella, cunctis qui aderant cernentibus atque mirantibus, sana surrexit, nec post exactum a se daemonem Latine loqui potuit: ut palam posset intelligi, non illam per se, sed daemonem per os ejus fuisse locutum. Heu proh dolor ad quantas miserias tempora nostra sunt devoluta, in quibus non boni homines, sed mali daemones doctores sunt: et incentores vitiorum, ac persuasores criminum, de nostra nos correctione commonent!

§ **13**. Eodem fere tempore sanctimonialis quaedam, nomine Marethrudis, de pago Wetareiba, quae dira paralysis aegritudine per decem annos tam immaniter tenebatur, ut tanto temporis spatio pene nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur: etiam a parentibus suis erat desperata, quoniam ad omnia Sanctorum loca, ad quae ipsi poterant pervenire, eamdem deduxerant. Sed tandem ab eisdem tunc ad basilicam martyrum adducta, et tempore nocturnalis officii juxta cancellos posita, per merita et intercessionem eorundem Sanctorum diu desiderata sanitate sine mora donata est adeo integre atque perfecte, ut omnium membrorum firmitate recepta, quae illuc lecticâ venerat, pedibus ad propria remearet. Sed ubi domum redire coepit, in ipso itinere eàdem, qua liberatam se gaudebat, infirmitate corripitur. Itaque reversionis suae poenitentiam agens, iterum se ad martyrum limen reduci rogavit. Moxque ut reducta est, quam discedendo amiserat, sanitatem sine ulla dilatione recepit. Voto igitur facto, ut sua sponte de Sanctorum obsequio jam amplius discedere non deberet, parvam sibi cellulam haud procul ab ecclesia ad manendum construxit: ac deinceps religiose conversata, in obsequio beatorum martyrum cum magna devotione permansit.

§ **14**. Aliam quoque foeminam constat non multo post per eosdem beatissimos martyres magno incommodo liberatam: quae res hoc modo gesta esse cognoscitur. In pago Nithagonne fundus est, Ursella vocatus, qui a basilica martyrum sex fere leucarum intervallo dirimitur. In quo mulier quaedam cum mane

facto de somno evigilans in lecto suo resideret, et juxta consuetudinem expergiscentium protensione brachiorum et assidua oscitatione ad discutiendum marcorem se extenderet, os paulo diductius, quam debebat, aperuit, disjunctisque juxta aures maxillarum coagmentis, hians rictus constitit immobilis: nec jam os claudere valens, personae quam homini similior effecta, gravissimas incautae oscitationis poenas luebat. Hoc ubi mulierculis in eodem fundo habitantibus innotuit, accurrunt, herbisque et frivolis incantationibus male habenti succurrere moliuntur. Sed non habuit effectum vana ac superstitiosa praesumptio, vexabatque potius laborantem atque laedebat, quicquid imperitae manus velut studio medendi eidem adhibuerunt. Interea frater mariti ejusdem mulieris supervenit, salubrique consilio rogavit, ut ad basilicam martyrum sine mora duceretur, ibi affirmans esse sanandam, si unquam foret receptura sanitatem. Statimque jumento impositam ducere incipiunt: appropinquantes autem basilicae, de jumento depositam pedibus incedere faciunt. Cumque eo loci ventum esset, ut jam turricula, quae signa basilicae continebat, ab eis conspici potuisset, eique ut ad eam videndam oculos levaret hi qui eam ducebant imperarent, aspexit, vidit, ac sine ulla interposita mora sanitatem recepit. Ibi omnes pariter in terram corruunt, divinam misericordiam, quibus valent laudibus extollunt, surgentesque ad basilicam properanter pergunt: et adoratis sanctissimis martyribus, ac votis pro modo facultatum persolutis, ad propria cum multa exultatione revertuntur. Vidimus nos eamdem foeminam, et cum illa locuti sumus, et ea quae circa illam gesta fuerunt, ipsa narrante didicimus.

§ **15**. Nunc illud referre volo, quod ipse in die natalitio beatorum martyrum contigisse vidi. Puer quidam surdus et mutus, qui ante triennium illuc venerat, et in domo custodis ecclesiae ostiarius ab eo fuerat constitutus, festo die jam finito, et officio vespertino consummato, cum juxta ostium sederet, repente consurgens basilicam intravit, et a dextris altaris pronus corruit. Cumque eum aedituus, qui candelabrum cum cereo ante altare ponebat, ibi jacentem invenisset, continuo mihi hoc indicare curavit. Nos autem qui tunc una eramus ecclesiam celeriter ingressi, eumdem sicut ab aedituo repertus est, jacentem invenimus. Quem cum levare juberemus, velut gravissimo sopore depressus excitari non potuit. Tandem igitur quasi evigilans erexit se, cernensque nos circumstantes, surrexit, atque ad eos, qui prope sibi assistebant, Latine locutus est. Sunt quidam ex nostris, qui dicunt eumdem puerum fere ante sex menses, cum in cujusdam hominis nostri domo noctu dormisset, duo quaedam verba per soporem fuisse locutum, et auditum, quo eatenus itidem ut loquelâ carebat, in illa hora recipisse. Quod ita factum inde

conjiciebatur, quia postquam de illo somno experrectus est, cuncta quae ei a quolibet imperabantur, acsi intelligeret facere curavit. Sed hoc videtur in hac virtute praecipuum, quod idem non Latine sed barbarice sibi loquentem intelligebat: curatus autem, non barbaro, sed Latino sermone loquebatur. Qui etiam beatos martyres se vidisse, et multa quae aliis dicere deberet, ab illis se audisse narravit. Sed cum ea velut in crastinum dicturus, in praesenti referre distulisset, intantum illi per oblivionem deleta sunt, ut nihil de his omnino se audisse recoleret. Hunc ego, quia nomen suum ignorabat, propter prosperum virtutis effectum Prosperem vocari jussi. Qui adhuc superest, et apud custodem ecclesiae in eodem, quo prius fuerat, permanet officio.

§ **16**. Pridie vero quam hic Prosper loquelam recepisset, hoc est, in vigilia ejusdem festivitatis, venit quidam juvenis, similiter surdus et mutus in basilicam: et cum supplici gestu opem Sanctorum imploraret, adjuvante Domino, et ipse plenariam de utroque morbo meruit recipere sanitatem. Hunc itidem, ut priorem, quia nomen suum nunquam audierat, Godescalcum appellavi. Is tamen, non ut Prosper, sed ut sibi gentilitium erat, barbaro sermone loquebatur, postquam ei per merita Sanctorum copia fandi concessa est.

§ **17**. Quamquam omnia magna sint, et ad divinam debeant referri potentiam, quae propter mortalium salutem ex meritis beatorum martyrum gesta cognovimus: in eo tamen miraculo, quod nunc memoriae mandare decrevi, tam patenter Dei omnipotentis virtus clare cognoscitur, ut nulli dubium relinquatur, quin in omni creatura sua quicquid voluerit facilime possit efficere. Suntiligna dicitur villa in pago Nithagowe, in qua presbyter quidam, nomine Waltbertus, tenebat ecclesiam. Is mente captus magno suorum moerore, ad basilicam martyrum adductus est. Ex quibus tres erant fratres ejus, unus presbyter et duo laici: quartus erat monachus propinquus ipsius de monasterio Hornbach, in quo et ipse presbyter a parva aetate fuerat educatus. A quibus cum requirerem, si adhuc aliquid medelae a quolibet medico eidem fuisset impensum: Statim, inquiunt, cum eum hac passione comperimus fuisse correptum, ad monasterium in quo nutritus fuit, a nobis adductus est. Ubi cum ei medici secundum artis suae peritiam multa fecissent, nec morbum ab eo depellere potuissent, suaserunt nobis amici nostri; ut eum ad horum Sanctorum misericordiam duceremus. Confidimus enim, quod illum salvare possint, sicut alios multos accepimus hic fuisse salvatos.

§ **18**. Post haec hospitio recepti, quatuor diebus fuere nobiscum, ducentes eum quotidie ad ecclesiam, et coram sacris martyrum cineribus jacère facientes. Quinta vero die, frater ejus presbyter, et monachus qui cum eo venerat, petierunt ut eum

cum duobus fratribus suis laicis reciperem, donec ipsi reverterentur: nam post triduum se dicebant esse reversuros. Feci, ut voluerunt, eumque presbytero nostro Hilfrido commendavi. Is cum a presbytero receptus, et cellulam in qua ipse manebat, fuisset inductus, circa vesperam ejusdem diei commota vehementius, qua tenebatur, insaniâ, unum e fratribus suis qui eum custodiebant, arrepto cultro, quod furenti casus obtulerat, voluit occidere: sed ille necem fugiendo declinavit, et nostris hominibus, qui prope erant, de vesania illius indicavit. Tum presbyter, cui curam eum custodiendi a nobis erat injuncta, suggessit mihi simulque persuasit, ut eum vinciri permitterem. Vinctus igitur catenis ferreis, in lecto collocatur, obseratisque foribus, solus in cubiculo relinquitur. Excubant ante ostium fratres ejus, et velut erumpere valentem pervigili curâ custodiunt. Caeterum vincula quibus tenebatur astrictus, ejusmodi erant, ut dum in his esset, non in dextrum aut sinistrum latus se convertere, neque aliter nisi supino corpore jacère potuisset. Dormivit itaque, ut ipse testatur, neque ante mediam noctem evigilavit. At ubi galli cantare coeperunt expergefactus, vidit se non solum vinculorum nexibus solutum, verum etiam morbo insaniae, quo laboraverat, liberatum: statimque ad laudes Deo dicendas tota mente conversus, psalmis et hymnis, quos prae nimia gratulatione, tametsi solus erat, satis clare decantabat, omnes in vicinia ejusdem cubiculi dormientes excitavit. Tum surgens, ad ostium accessit, fratresque suos qui ibi excubabant, ut se ad requisita naturae foras exire permitterent, rogavit. Illi autem hunc insanientis dolum rati, nequaquam ei assentire ausi sunt: sed accersito hospite suo, qui eum ibidem incluserat, ut cum eo loquatur exorant. Qui postquam cum eo locutus est, atque ex ratione responsionum suarum sanae mentis esse intellexit, aperto ostio, quo volebat ire permisit. Reversumque recipiens, quid de vinculis, quibus eum oneratum incluserat, factum esset inquisivit. Et ille, Catena, inquit, qua me vinxisti, salva est: et si vis scire ubi sit, quaere eam et invenies. Accenso itaque lumine, invenerunt eam ante lectum, in quo ipsum quiescere fecerant, jacentem eo modo compositam, atque eisdem nodis astrictam, quibus tunc fuerat, quando eum cum ea in eodem lecto collocarunt, ac solum in eodem cubiculo dimiserunt.

§ **19**. Quis hoc fecisse credendus est, nisi ille qui de nihilo creavit omnia, et qui in rebus quas condidit, talia potest facere quae nec intellectu comprehendi, nec humanis possunt sermonibus explicari? Quis enim aut cogitatione conjicere, aut verbis valeat enarrare, qualiter ille presbyter his vinculis fuerit absolutus, cum nobis certissimum sit neminem esse qui se solus possit ejusmodi nexibus exuere, si eis fuerit simili modo constrictus, sicut idem presbyter fuit, quando solus in illo cubiculo inclusus

est? Hi vero qui eum ibidem dimiserunt, postquam reversi sanum et mentis ac memoriae suae compotem invenerunt, laeti et laudantes Deum simul cum eo ad propria regressi sunt. Hoc ita gestum, non quorumlibet testium relatione didicimus, sed ipsi per nos, quia ibidem tunc eramus, Deo volente cognovimus: atque ideo fiducialiter scribimus quod nos contigit oculata, ut dicunt, fide cognoscere. Verum quia cuncta quae de martyrum virtutibus scribenda suscepimus, nequaquam possunt praesenti sermone compleri, hic liber iste finem accipiat, ut ea quae restant, ab alio rursus exordio commodius inchoentur.

LIBER IV. § 1. In relatione signorum atque virtutum, quas me in hoc libro scribere velle proposui, illae in capite ponendae videntur quae in palatio factae, non solum ad plebis, verum etiam ad ipsius Principis ac procerum ejus, omniumque, ut ita dicam, aulicorum pervenere notitiam: et non tantum propter hoc, sed etiam propter illud quod in oratoriolo nostro ubi eadem miracula gesta sunt, non aliae tunc temporis, quam beatorum Marcellini et Petri reliquiae fuerunt: ut quicquid ibi sanitatum atque signorum factum esse cognoscitur, singulariter ac proprie ad illos pertinere ac referri debeat, quorum solas constat ibi fuisse Reliquias. Fecerunt iidem beatissimi martyres, sicut in sequentibus demonstrabimus, in aliorum Sanctorum locis multas virtutes atque miracula, quae quibusdam velut communia, illis cum his Sanctis in quorum basilicis facta sunt, non immerito videri possunt, ob hoc praecipue, quoniam qui apud Deum aequalis creduntur meriti, non absurde putantur in patrandis miraculis communiter operari. Sed hoc aliter esse ea ratione convincitur, qua liquido demonstratur nullas in his locis factas fuisse virtutes, antequam in illa memoratae beatorum martyrum essent delatae reliquiae. Sed jam nunc ut promisimus, ea quae in praedicto palatio sunt gesta miracula proferamus.

§ 2. Erat quidam juvenis inter cubicularios regis, natione Graecus, nomine Drogo: qui febre correptus, aut negligentiâ suorum, aut inscitiâ medicorum jam per aliquot menses longa atque adversa valetudine laborabat. Is posteaquam Hildoinus Abbas reliquias beati Marcellini, sicut in secundo libro demonstratum est, nobis reddidit, admonitus in somnis, ut ad oratorium nostrum veniret, ibique cereum quatuor denariis emptum accenderet, ac sanctum Marcellinum martyrem, cujus caput ibi esse asserebat, sibi in adjutorium invocaret: sciretque se si hoc faceret, ea qua jamdiu laboraverat infirmitate cito esse cariturum: credidit admonenti, et id, quod imperatum fuerat, quanta potuit celeritate complevit. Statimque sanus factus, et receptis membrorum viribus, propriis pedibus ad sua regressus est.

§ 3. Erat ibidem alter aeque juvenis, nomine Gerlacus, de urbe Rhemorum, inter eos qui propter aedificia palatii construenda

jussi de illa civitate venerunt. Is ante dimidium fere annum in eodem vico tam valida atque immani nervorum contractione correptus est, ut pedes natibus et genua mento cohaererent. Hunc socii atque propinqui in ulnis suis ferentes, ad memoratum oratorium detulerunt, et quia aliter non poterat, pronum jacere fecerunt, sanctumque martyrem, ut ei sanitas redderetur, cum magna devotione rogaverunt. Dies erat Dominica, atque hora diei tertia, quando illuc allatus est: jacuitque ibi usque ad horam nonam. Cumque officium ejusdem horae a clericis esset solemniter impletum, ecce de capsa quae sacras beati martyris Reliquias continebat, tanta suavissimi atque insueti odoris fragrantia egrediens sic totam oratorii cellulam implevit, ut in admirationem ejus, omnes qui aderant, incunctanter assurgerent, ac se mutuo an idem omnes aequaliter sentirent, curiosa interrogatione perquirerent. Cum subito vident, eum qui juxta jacebat, velut a quibusdam tenentibus trahi, et membra quae morbo erant contracta extendi: intelligentesque divinam adesse virtutem, tulerunt hominem et coram altari collocaverunt. Qui cum ibi positus cum multis lacrymis divinum imploraret auxilium, cunctis cernentibus ita correctus est, ut qui manibus alienis subvectus in oratorium venerat, propriis pedibus de oratorio procederet. Testimonium tamen quam perpessus est passionis, adhuc in suo corpore circumferre cognoscitur. Nam crure ac pede sinistro sic postea claudicavit, ut ad regendum incessum baculo semper indiguerit. Hoc cur non sit percuratum, dicant qui velint. Ego enim id me video non aliter posse conjicere, nisi ut existimem interiori ejus saluti competere, ut aliqua in eo exterioris debilitatis vestigia remanerent.

§ 4. Juliacus vocatur antiquum municipium, a vico Aquensi octo leucarum spatio disparatum. De cujus territorio puella quaedam simili morbo, similique modo affecta, a matre atque aliis propinquis suis ad memoratum oratorium adducta, cum prae multitudine hominum qui tum forte propter Missarum audienda solemnia illuc convenerant, introferri non posset, extrinsecus eam ad orientalem oratorii fenestram collocarunt, expectantes opportunitatem, ut recedente populi frequentiâ, facilius oratorio inferri potuisset. Sed ubi ad medium fere officium ventum est, et expleto Evangelio, hostiae salutaris oblatio peracta est, cernunt eam angustiis affici, et erumpente per totum corpus sudore velut in somnum labi. Quibus signis divinam adesse virtutem haud inaniter conjicientes, de illo loco levatam quadro lapidi, qui propter jacebat, soporatae similem superponunt. Ibi coram omnibus qui hujus miraculi conspiciendi gratiâ concurrerunt, integerrimam omnium membrorum sanitatem in unius horae momento Domino opitulante recepit. Erant ibi inter caeteros spectatores et Judaei, quorum unus David nomine post huic signi expletionem,

ad fenestram cubiculi, in quo ego tunc eram, celeriter accurrens, meque compellans, miraculum quod viderat indicavit, gratias agens Deo qui per martyres suos tanta miracula ad salutem mortalium operari dignatus est.

§ 5. Cum ex his aliisque compluribus virtutum operationibus per circumpositos vicos et pagos salutaris fama crebresceret, mulier quaedam de pago Ribuarensi multo jam tempore caeca, visum recipiendi et desiderium simul et fiduciam habens, ad memoratum oratorium se rogavit adduci. Cumque illo venisset, tres totos dies, totidemque noctes ibidem orando et jejunando continuavit. Sed cum ad praesens nullum in se exoptatae sanitatis sensisset indicium, domum reducta est. Paucisque interpositis diebus, spe recipiendi luminis haud vane concepta, iterum se ad sacras reliquias deduci rogavit. Quo cum ab uno puero duceretur (nam qui prius eam illo deduxerunt, spem ejus velut inanem ac supervacuam judicantes, ulterius cum illa ire noluerunt) et ubi ad coemeterium Aquensis palatii, quod in monte qui eidem vico ab orientali parte imminet, situm est, eodem comitante atque ducente pervenit, ibi, quasi obviante sibi divina gratiâ, diu desideratum lumen recepit. Tum mirans atque attonita constitit, pueroque ducenti ut sequeretur imperavit: Hactenus, inquiens, quo tu praecedens ducebas secuta sum: modo autem tuo ductu non egeo: quia viam qua ire debemus video, et hunc vicum in quo sacrae reliquiae sunt, ad quas venire disposui, Domino adjuvante conspicio. Tu tantum vide et cura, ut me recta viâ ad oratorium martyrum in ipso vico adducas. His dictis ad oratorium perrexit, gratias egit, factique in se miraculi nobis indicium fecit, vidensque et gaudens ad propria remeavit.

§ 6. Ascuilarem vocant fundum regium ab Aquensi palatio quatuor leucarum spatio distantem. In quo quidem homo erat diutina praecordiorum infirmitate detentus atque laborans: jamque a suis eo modo desperatus, ut non aliter nisi cauterio curari posse videretur. Quaeritur ad hoc medicus, et ustioni non profuturae dies constituitur. Interea cuidam foeminae in eodem fundo habitanti in somnio revelatum est, non debere illum ad suam curationem ejusmodi medelam admittere quae et pro sui molestia vix tolerari posset, et quia supervacua esset, salutem patienti non afferret. Caeterum si sanus fieri vellet, ad Aquense palatium iret, oratorium nostrum inquireret, inque eo se collocari faceret, et ante triduum completum inde non recederet: hoc modo plenariam eum consecuturum sanitatem. Quod ubi ei annuntiatum est, convocatis amicis ac proximis, petiit ut erga se illius revelationis jussa complerent. Qui mox jumento impositum, ad oratorium adducunt, atque in eo ut jussum fuerat, collocantes, abeunt post triduum reversuri. Ille autem ibidem dimissus per tres dies et noctes Domino pro salutis suae recuperatione haud

inaniter supplicans, ita perfecte sanatus est, ut nullum in suis visceribus morbi, quo multo tempore tenebatur, assereret remansisse vestigium. Suis igitur sicut promiserant ad se reversis, ac sanum sicut optaverant invenientibus, non dorso jumenti ut venerat, sed pedum suorum officio ad propria cum ingenti et sua et illorum gratulatione atque laetitia regressus est.

§ 7. Est item fundus regius in pago Mosano, octo circiter leucis ab Aquensi vico disparatus: Gangludens habitatores appellant. In quo mulier quaedam quae octo fere annorum filiam dira paralysis aegritudine adeo confectam habebat, ut jam ex longo tempore nullum pene membrum ad officium suum movere potuisset: audita virtutum famâ, spem de recuperanda filiae salute pio corde concepit. Protinusque sublatam ulnis propriis, ad memoratum oratorium deportare curavit. Quae cum illo antemeridiano tempore, horâ videlicet prandii pervenisset, et clericorum neminem ibidem invenisset (nam reficiendi causâ paulo ante discesserant) tamen introgressa, filiam juxta se in pavimento collocavit. Ipsa autem praeparvum cereum, quem pro munere detulerat, accendens, ante illam in eodem pavimento posuit, seque ad orandum coram sacris cineribus cum summa devotione prostravit. Quo facto, sine ulla interposita mora, puella per supernam gratiam omnium membrorum sanitate ac firmitate recepta, matre non sentiente surrexit, cereumque qui coram se jacebat sustulit, ac post tergum jacentis constitit. Quae cum oratione completa caput de pavimento levasset, et neo cereum nec filiam in eo quo posuerat loco esse vidisset, surrexit, conversaque filiam pone se cum cereo stantem Deum laudans ac laetabunda conspexit. Igitur cum nullum ibi cui de virtute quae gesta fuerat referre posset, adesse videret, nam praeter pauperes qui ibidem mendicandi gratiâ excubabant, nemo intra oratorii parietes, excepta se ac filiâ sua, tunc erat quando illud miraculum factum est: votis cum gratiarum actione solutis, domum cum filia sana atque incolumi repedavit.

§ 8. Haec de miraculis beatorum martyrum quae in palatio gesta sunt, in praesenti opere commemorasse sufficiat. Nunc ad eas virtutes veniendum est quae in his locis factae sunt ad quae religiosis viris petentibus, ac me largiente, venerandae eorumdem martyrum reliquiae venerunt, et in quibus hactenus cum magna reverentia coluntur. Quas primus omnium Georgius presbyter et rector monasterii S. Salvii martyris, quod in pago Sanomartensi, in vico Valentianas appellato, in ripa Scaldis fluvii situm est, me dante suscepit, et per quemdam Diaconum ad memoratum monasterium de Aquensi palatio destinavit. Is unum tantum comitem secum habens, cum in pago Hasbanio ad vicum regium, quem Wasidium vocant, venisset, atque in prato quod vico proximum erat, reficiendorum jumentorum gratiâ descendisset, ecce

unus de habitatoribus loci gibbo depressus, maxillis etiam ex nimio dentium dolore, quem ut ipse dicebat diutinum patiebatur, nimio tumore distentis, furcam ferratam in collo ferens, idem pratum furibundus intravit, et cur pratum suum depascerentur, stomachando percontatur. Cui Diaconus qui reliquias martyrum ferebat, et eas tunc in summitate virgae, quam ob hoc in eodem loco fixerat, suspendere parabat, Melius, inquit, tibi est, ut coram his Sanctorum reliquiis, quas hic in manibus habeo, prosternaris, Deumque roges, ut te per merita eorumdem Sanctorum de dolore, quem pàteris, liberare dignetur. Nam tumor qui in facie tua videtur, testatur aliquem magnum in ore tuo esse dolorem. Ad haec homo projecta furcâ quam manu ferebat, ante Reliquias pronus corruit, et, ut Diaconus ei suasit, pro salute sua Domino supplicavit. Nec longa interposita morâ ita sanus ab oratione surrexit, ut nec tumor in facie, nec dolor in dentibus, nec gibbus, quo premebatur, remaneret in dorso. Ac proinde concito gradu vicum ingressus, omnes propinquos ac vicinos suos in eodem loco constitutos ad laudem Deo dicendam, et gratias Christo Domino referendas invitavit.

§ **9**. Confluxit in pratum ingens populi multitudo, et pro eo qui sanatus fuerat, gratias actura circumjacentis regionis turba congregata est. Rogant omnes Diaconum, ut illam noctem ibi moraretur: nec ille eis hoc negare poterat, quia parati erant, nisi assentiret, etiam invitum detinere. Ducunt deinde pervigilem noctem, et in Dei laudibus tota regio resonabat. In crastinum autem cum Diaconus iter suum capere coepisset, omnis illa congregati populi frequentia abeuntem cum ingenti devotione comitata est, nec ante vel subsistere vel discedere voluit, quam ab aliis, quos miraculi hujus fama còmmoverat, obviam sibi venientibus fuisset exceptus. Hoc modo sacrae martyrum reliquiae ex hujus occasione miraculi a populis illarum regionum exceptae, et ad basilicam S. Salvii, quo eas memoratus Georgius miserat, Domino ducente perlatae sunt. Hoc signum ipsius Georgii relatione constat mihi esse compertum. De caeteris autem quae nunc dicenda sunt, ab eo libellum accepi, cujus ordo vel series hunc modum habere cognoscitur.

§ **10**. Anno quartodecimo (827), Christo propitio, imperii Ludovici Augusti, cum ad corroborandam Christiani populi fidem, sicut in initio nascentis Ecclesiae signa et prodigia in ipso regis palatio per merita Sanctorum suorum Dominus dignaretur ostendere: petiit et obtinuit Georgius presbyter Aquisgrani palatio ab Einhardo Abbate reliquias beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, quorum corpora ipse de Roma per homines suos allata nuper acceperat: easque in capsa, quam auro et gemmis decenter ornaverat, reconditas per Diaconum suum nomine Theothardum, ad basilicam S. Salvii martyris, quam ipse tunc temporis

per beneficium Regis tenebat, dirigere curavit. Qui Diaconus cum ad villam regiam quae Wasidium vocatur, venisset, occurrit ei homo gibberosus, et ex dentium dolore ita vexatus atque confectus, ut jam per dies quindecim nullum alium victum quam solam aquam posset assumere. Qui cum hortante Diacono coram Reliquiis quas ille ferebat, se ad orandum prostrasset, et Dominum Christum ut sui misereretur, devote ac suppliciter invocasset, per intercessionem sanctorum Marcellini et Petri cuncta corporis incommoditate depulsa, sanus ab oratione surrexit. Factum est hoc miraculum tertiodecimo Calendas Julii quod a me superius plenius est enarratum: quia ego illud juxta relationem memorati Georgii conscribere curavi.

§ **11**. Diaconus autem cum Reliquiis tertia die Valentianas veniens, cum eas in basilicam S. Salvii, sicut ei fuerat imperatum, reverenter et honorifice inferret, quidam juvenis de villa regis quae Listina vocatur, Dominicus nomine qui eo morbo, quem Graeci spasmum appellant, jam per annum íntegrum sic vexabatur, ut manus ejus dextera penitus contineri non posset, sed agitatione continua, quasi qui molam verteret, moveretur in gyrum: statim in ipso introitu per merita beatorum martyrum coram omni populo ita curatus est, ut post haec nullum illius horrendae agitationis pateretur incommodum.

§ **12**. Exinde die quarta, in festivitate videlicet B. Joannis Baptistae, anus quaedam nomine Gerrada quae se annum unum caeca fuisse testata est, dum Missarum solemnia celebrarentur, invocatis beatis martyribus lumen quod ex fide petierat, cunctis qui aderant videntibus, per illorum merita recepit. Similiter in festivitate sancti Salvii quae evenit sexto Calendas Julii, quidam homo surdus et mutus inter solemnia Missarum per suffragia Martyrum et auditum et loquelam recipere meruit. Eadem die anus quaedam de pago Laudunensi Rodeltrudis nomine quae per tres annos lumen coeli non vidit, in eadem celebratione Missarum visum recepit. Quinto Calendas Julii puer quidam annorum circiter septem, Donitianus nomine qui fuit caecus a nativitate, dum divinum celebratur officium, per merita beatorum martyrum illuminatus est.

§ **13**. In vigilia vero beatorum Apostolorum Petri et Pauli, id est quarto Calendas Julii, puella quaedam parva, nomine Theotbalda, habens aetatis annos, ut putabatur, novem, qui tribus annis nihil viderat, tempore salutaris officii in media populi multitudine constituta, martyrum suffragântibus meritis, lumen amissum ex divina miseratione recepit. Eadem die quidam homo, nomine Dado, de villa Ponticuli vocata, qui annos sex curvus erat, et ad coelum se erigere non poterat, ideoque brevibus anticulis sustentandi se gratiâ sub axillis positis cernuus incedebat: is

eadem horâ, eodemque in loco per misericordiam Dei et per merita beatorum martyrum erectus ac sanus effectus est.

§ **14**. Die quarto Nonarum Juliarum quaedam vidua, nomine Adalrada quae annis quatuor oculorum lumine privata nihil videbat, audita virtutum famâ, spem visus recipiendi non vana fide concepit, arreptoque baculo, sola sine ductore, ad Valentianas ire contendit. Cumque vico appropinquare coepisset, visum est ei, quod velut unum solis radium oculo dextro conspiceret: ac proinde divinam clementiam puro corde deprecata est, ut per intercessionem Sanctorum suorum ecclesiam beati Salvii se videre permitteret. Statimque exaudita est, et quod optaverat, Domino miserante, sine mora est consecuta. Ipsa quoque die altera quaedam foemina de pago Noviomensi, quinquennio caeca, inter Missarum solemnia lumen quod amiserat, Christo Domino per merita Sanctorum suorum donante, recepit.

§ **15**. Haec (*et alia plurima*) sunt miracula atque virtutes, quas Dominus noster Jesus Christus per merita sanctorum martyrum suorum Marcellini et Petri in vico Valentianas ad salutem humani generis operari dignatus est. Quae memoratus Georgius presbyter brevi libello collecta nobis mittere curavit, et nos huic operi nostro censuimus inserenda. Hic est Georgius Veneticus qui de patria sua ad Imperatorem venit, et in Aquensi (*Aquisgrani*) palatio organum quod Graece hydraulica vocatur, mirifica arte composuit.

§ **16**. Alter libellus mihi oblatus est de monasterio S. Bavonis quod situm est juxta Scaldim in loco Ganda vocato, ubi idem amnis Legiae flumini conjungitur, a fratribus ibidem Deo servientibus. Quorum rogatu reliquias memoratorum Christi martyrum ad idem monasterium misi, in quo haec per ordinem gesta reperta sunt. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo vicesimooctavo venerunt reliquiae sanctorum Christi martyrum Marcellini et Petri ad monasterium S. Bavonis die quinto Nonar. Jul. feriâ sexta, Indictione VI. Tertia vero die, id est, Dominicâ proxima quem fuit tertio Nonas Julias, quaedam puella caeca, nomine Hartlinda, de villa quae Furserium appellatur, quam pater et mater testati sunt octo annis oculorum officio caruisse: cum ante altare super quod sacrae martyrum reliquiae erant positae, fuisset adducta, coram omnibus qui aderant visum Domino miserante recepit. Inde post dies octo, id est, quarto Idus Julii adducta est altera puella similiter caeca, nomine Helmrada, de villa Magle nuncupata: cujus parentes de ea retulerunt quod octava die postquam baptizata fuit, subita caecitate percussa sit. Quae et ipsa statim coram sacris martyrum cineribus lumen quod jamdudum perdidit, Domino sibi reddente, recepit. Exin die tertia quod fuit pridie Idus Julii, venit illuc puella quaedam curva, nomine Blidrada, de villa Boderetio quae pertinet ad monasterium sancti

Vedasti. Quae cum ante memoratas Sanctorum reliquias pro restitutione salutis suae Dominum Christum suppliciter invocasset, coram omnibus qui aderant erecta est, et integrum corporis sui statum in momento temporis recipere meruit *.

§ 17. Tertium quoque libellum detulerunt mihi fratres de monasterio S. Servatii confessoris, quod situm est in ripa Mosae fluminis, in vico qui hodieque Trajectus vocatur, et distat ab Aquensi palatio octo circiter leucas, estque habitantium et praecipue negotiatorum multitudine frequentissimus. Cujus textus si bene recolo, in hunc modum videtur esse compositus. Adventus Sanctorum Christi martyrum Marcellini et Petri ad vicum Trajectum contigit pridie Nonas Junii. Nam ipso die venit eis obviam de eodem vico immanis multitudo populi ad susceptionem illorum congregata, laudans et benedicens Deum super immensa atque inenarrabili misericordia sua, qua per tantos patronos populum in se credentem et confidentem visitare dignatus est. Cumque his laudibus, et laetitiâ spiritali usque ad basilicam beati Servatii perventum est, celebratisque cum magna omnium gratulatione Missarum solemnis, et universis ad sua reversis, feretrum, quo sacri cineres advecti sunt, a dextris altaris juxta cancellas collocatum est: totusque ille dies cum ingenti eodem in vico consistentis populi exultatione atque jucunditate consummatus est. Cumque ad vespertinum officium juxta consuetudinem celebrandum, eamdem basilicam fuissemus ingressi, àderat inter caeteros puer quidam, nomine Berngisus, quem propinqui sui de pago Cundensio ante paucos dies illuc venientes, adduxerunt caecum a nativitate. Qui subito coram omnibus in pavimentum cecidit, ibique aliquandiu velut sopore depressus jacuit: moxque apertis oculis, lucem quam nunquam ante vidit, Christo Domino per merita Sanctorum suorum donante, conspexit. Exin quinta die, id est, sexto Idus Junii homo quidam cognomento Hildimarus, qui surdus erat et mutus, coram eisdem sacris Sanctorum reliquiis, et auditum pariter et loquelam per virtutem Christi recepit.

§ 18. Eodem quoque die puella quaedam, de familia S. Lamberti, nomine Adallinda, quae non solum surda et muta, sed etiam caeca, totoque corpore tam miserabili modo ex nervorum contractione erat complicata, ut genua pectori jungerentur: juxta sacras martyrum reliquias a suis posita, et visum et auditum, loquelam etiam omniumque membrorum rectitudinem ac salutem coram omnibus qui aderant, mirabili celeritate, divino munere consecuta est. Postridie vero id est quinto Idus Junii quidam servus regius, nomine Berohadus de villa Cresciaco, in dextera sui corporis parte per totum ex nervorum contractione debilitatus et inutilis factus, cum ante memoratas Sanctorum reliquias venisset,

* Plurimorum hic ejusdem generis ab Einhardo prodigiorum series texitur; prolixitatis vitandae gratiâ praetermittimus. Quod et paullo infra expedire visum est.

statim erectus, et sanitati quam desiderabat, sine mora est redditus. Similiter et puella quaedam de ipso vico Trajecto, vocabulo Theothildis, cujus dextera manus erat simili contractione intantum complicata atque distorta, ut ad omnem usum esset inutilis: haec eàdem die ante easdem Sanctorum reliquias pari modo curata est. Quibus visis, populus in basilica congregatus coepit prae nimia exultatione atque laetitia in hymnis et litaniis, sublatis in altum vocibus, laudes Domino decantare. Cum subito intravit puer quidam surdus, atque in media plebis multitudine stupefactus et attonito similis constitit. Ac deinde cum ante altare sancti Salvatoris, quod in media ecclesia positum est, pervenisset, erumpente protinus de naribus ejus sanguine, quo diu privatus fuerat auditus officio donatus est.

§ **19**. In crastinum autem, id est, quarto Idus Junii visum est nobis, ut feretrum quod sacros martyrum cineres continebat, altius elevari deberet, ad hoc videlicet, ut aliquanto eminentius esset, quam altare cui appositum erat, et facilius ab accedentibus cerni potuisset. Idque nobis facientibus, et inter faciendum litanias cum Dei laude canentibus, puella quaedam de familia S. Servatii a nativitate sua pedibus ex contractione distortis, manibus etiam ex nervorum distensione dissolutis, insuper et muta, quam paulo ante in basilicam sui detulerunt, et coram feretro posuerunt, subito sanitati est reddita, ita ut eadem horâ et loqui, et incedere, et manibus ad omnia necessaria perfecte uti potuerit.

§ **20**. Monasterium sanctimonialium, Eike vocabulo, situm super Mosam fluvium est. In quo quaedam Deo sacrata, nomine Saliga, toto corpore, excepto dextro brachio, diro paralysis morbo dissoluta jacebat. Huic per quietem quidam ex vicinis suis astitisse, ac tali sermone eam oompellasse visus est, ut diceret, Quid agis? Cui cum illa non aliud, quam se in lecto suo quiescere respondisset, Audistine, inquit, aliquid de Sanctis, qui in Trajecto ad S. Servatium venerunt? Cui cum nihil de his se audisse respondisset, Surge, ait, velociter, atque illuc properanter venire contende. Nam ibi es omnium membrorum tuorum receptura sanitatem. Sed cum expergefacta nihil de his facere curasset, iterum sequenti nocte ab eodem simili modo est admonita, ut Trajectum pergeret. Illa tamen, ut prius, spreta monentis voce, quo jubebatur distulit proficisci. Tertia vero nocte vidit eumdem sibi astare, et cum quadam severitate cur monita sua contempsisset interrogare, baculoque, quem tunc manu tenere videbatur, latus ejus percutere, atque ut Trajectum velociter pergeret, imperare. Nec illa jam ausa trinae visionis auctoritati resistere, accitis ad se propinquis et amicis, Trajectum ut sibi jussum erat deducitur, et in basilica beati Servatii juxta sacros martyrum cineres collocatur. Cumque ibi promissae sanitatis praestolaretur eventum, quinto demum die postquam illuc venerat, cum magna

omnium admiratione perfectam totius corporis sui meruit recipere sanitatem.

§ 21. Restant adhuc duo valde praeclara miracula, quae non solum tegenda silentio non censeo, quin potius illorum conscriptione convenientissimum quarto volumini, quod in manibus habetur, finem me facturum esse confido. Et licet eadem signa beatis martyribus Marcellino et Petro cum aliis Sanctis possint videri communia, ex eo quod unum ex his in adventu reliquiarum sanctorum Prothi et Hyacinthi, et juxta ipsas Reliquias gestum est, alterumque in die natalitio S. Hermètis sub ipsius reliquiis contigisse certum est: ideo tamen ipsis praecipue adscribenda videntur, quoniam in ea basilica facta sunt, in qua eorum sacratissima corpora requiescunt. Gestorum autem fides ad nos pertinet, qui praesentes fuimus, et quibus ea divina pietas videre concessit. Ac proinde omissa praefatione, ad ipsa quae dicenda sunt miracula veniamus.

§ 22. Gregorius Romanae urbis Episcopus, qui Eugenio simulque Valentino in Pontificatus honore successit, cum titulum S. Marci Evangelistae, in quo presbyter fuerat, ampliare, et in eo monasterium vellet extruere, quaesivit per coemetria et ecclesias longius ab Urbe constitutas, sicubi Sanctorum martyrum corpora posset invenire: Inventaque titulo quem opere magnifico extruxerat curavit inferre. Casu igitur factum est, ut eo tempore, quo sepulcrum beatissimi Hermètis erat aperturus, et sacrum illius corpus inde fuerat sublaturus, unus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratiâ, ut moris est poenitentibus, Romam venerat, congregatae ad basilicam martyris multitudini cum caeteris peregrinis interesset. Is negotio quod agebatur diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati martyris reliquiarum, licet corde simplici, non tamen sine causa concepit: et Deùsdonam Diaconum, cujus in primo libro crebram fecimus mentionem, adiens obnixe rogavit, ut ex his quantulumcumque a custodibus loci acciperet, mihique deferendum sibi praestaret. Qui confestim precibus ejus annuens, id se sine mora facturum pollicetur. Datoque custodibus pretio, non solum S. Hermetis, sed etiam sanctorum Proti atque Hyacinthi *, quorum in eadem basilica corpora erant posita, reliquias accepit. Et illas quidem per quemdam familiarem suum, cui Sabbatino cognomen erat, simulque et nostrum, qui ei ut hoc faceret persuasit, mittere curavit. Quod autem de corpore beati Hermetis potuit adipisci, ipse ad nos veniens, pro ingenti munere detulit.

§ 23. Cum autem de adventu reliquiarum sanctorum Proti et Hyacinthi nobis esset indicatum, obviam illis processimus, easque, ut par erat, honorifice suscipientes. atque basilicae cum hymnis

* Sancti Martyres de quorum exuviarum adeptione et signis hic agitur, coluntur: Protus et Hyacinthus XI sept. Hermes XXVIII aug.

et orationibus inferentes, propter corpora beatorum Marcellini et Petri, cum feretro quo venerant, collocavimus. Ubi cum in crastinum mulier quaedam de proximo praediolo, quod Baldradestat nuncupatur, daemone possessa, cum caetero populo fuisset ingressa, coepit nequam spiritus fremere, ac prostratam in pavimento collidere, suamque malitiam coram omnibus confitendo publicare. Cumque a presbytero se exorcizante fuisset interrogatus, quis esset, unde venisset, quando et cur in eam intrasset: ad singula respondit, seque non solum daemonem, sed etiam omnium viventium pessimum esse testatus est. Et cum presbyter ab eo causam tantae nequitiae requisisset, malam voluntatem hanc sibi tribuisse fatebatur. Rursus cum ab eo quaereret, si unquam in coelo fuisset: in coelo se fuisse, et inde propter superbiam dejectum esse confessus est. Ubi vero ad id ventum est, ut eum interrogaret, si nomina martyrum nosset, quorum reliquiae pridie eidem ecclesiae illatae sunt, Notissima, inquit, mihi sunt eorum nomina: quia quando passi sunt, praesens astabam, ac de eorum sempiterna gloria ingenti torquebar invidiâ. Quos etiam hic modo patior infestissimos, cruciant enim me tormento incredibili, atque invitum de hoc vase, in quo diu latitabam, exire compellunt. Cui presbyter, Cum exieris, inquit, quo perrecturus es? Ego, ait, in viam pessimam perrecturus, et longinquas desertasque regiones petiturus sum. Post haec cum et occasionem et modum ingressionis suae jubente presbytero exposuisset, conversus ad foeminam, Ego, inquit, infelix mulier, antequam exeam, ossa tua collidam atque confringam, teque debilem ac nostrae societatis memorem relinquam. Et cum illa velut infirmitatis suae conscia, coepisset voce supplici atque submissa Sanctorum auxilium implorare, ille statim per os ipsius cum ingenti austeritate fremens et increpitans, loqui volenti silentium imperavit.

§ **24**. Erat enim nobis, qui praesentes eramus, ad videndum valde mirabile, quod ille spiritus immundus per os ejusdem mulierculae tam diverso modo loquebatur, et nunc masculinae, nunc foemininae vocis qualitatem sic ad purum exprimebat, ut non una sed duae in ea acriter altercantes, seque adinvicem conviciis lacessentes personae esse viderentur. Et revera, duae erant, diversa inter se voluntate diffidentes: daemonis una, possessum a se corpus collidere cupientis: mulieris altera, hoste quo tenebatur, liberari desiderantis. Quae diversitas voluntatum ex disparitate vocum ac dissimilitudine verborum, quae inter se jactabant, satis clare atque aperte poterat intelligi. Completo igitur juxta consuetudinem mysterii coelestis officio, nobisque ad curanda corpora de basilica egredientibus, jussimus foeminam cum custodibus ibidem, donec reverteremur, opperiri, fiduciam habentes, quod per virtutem Christi et merita martyrum suorum perfidus possessor ejus cito foret exiturus, neque nos spes nostra fefellit. Nam

post refectionem ad ecclesiam regressi, exacto daemonio, sanam illam et incolumen, ac per omnia mentis suae compotem, atque in Dei laudibus exultantem invenimus. Et hoc quidem signum in adventu reliquiarum beatorum Christi martyrum Proti et Hyacinthi juxta modum a nobis comprehensum constat esse completum: illud autem, quod S. Hermeti adscribitur, quo sit ordine gestum, praesenti narratione clarebit.

§ **25**. Colonia metropolis est in finibus Ribuariorum, super Rhenum posita. Ex qua, foemina quaedam erat a renibus deorsum diutina nervorum distensione in tantum debilitata, ut negato sibi crurum ac pedum officio, non aliter quam sedens, porrectis in anteriora pedibus ac manibus in terram positis innitens, seque hoc modo pròmovens, vicem ambulandi explere potuisset. Haec auditis miraculis atque virtutibus quas Dominus per sanctos martyres suos Marcellinum et Petrum in curatione infirmorum atque debilium operatus est, ad basilicam eorum venire gestivit. Et quoniam aliter commode nequiverat, in nave mercatorum, qui illo ad festivitatem eorundem Sanctorum ibant, advecta est. Venitque illuc ad diem natalitium, atque ibi spe recuperandae salutis aliquandiu morata est. Sed ubi vidit curationem suam esse dilatam (et revera dilata erat, non negata: quia non alibi, sed ibi: neque tunc, sed alio tempore fieri debuit) statuit Moguntiacum proficisci. Erat enim in proximo festivitas S. Albani martyris, cujus apud eamdem urbem et basilica et percelebre monasterium est. Quo cum venisset, et apud memoriam martyris pro restitutione salutis suae Domino supplicasset, vidit per soporem quemdam juvenem clericum sibi assistentem, ac novos calceos manu ferentem, atque ut eos acciperet pedibusque indueret imperantem: se quoque ita fecisse. Illum deinde praecepisse, ut his calceata, ad locum unde illo venerat, reverteretur, ibique adventum medici praestolaretur, qui eam esset proculdubio sanaturus. Quae ubi evigilavit, visioni fidem accommodans, quanta potuit celeritate ad Sanctorum martyrum salutifera limina reversa est: ac per duos menses in eodem loco inter alios pauperes conversata, pollicitationem visionis opperiebatur.

§ **26**. Cum interim circa medium fere mensem Augustum Deusdona Diaconus, cujus in primo operis hujus libro crebram fecimus mentionem, Româ veniens, unum articulum digiti beati Hermetis martyris pro magno nobis munere detulit. Quem accipientes, capsulâ reconditum in superiori parte basilicae supra ipsum occidentalem ecclesiae introitum collocavimus. At foemina, quae ut dixi, visione divinitus admonita illuc venerat, et duobus jam exactis mensibus, nihil promissae opis sibi advenisse cernebat, delusam se vano somnio existimans, reditum in patriam meditari coepit. Statuitque cum negotiatoribus, qui se reducerent, ut proxima Dominicâ, quae quinto Calendarum Septembrium die simul

unus de habitatoribus loci gibbo depressus, maxillis etiam ex nimio dentium dolore, quem ut ipse dicebat diutinum patiebatur, nimio tumore distentis, furcâm ferratam in collo ferens, idem pratum furibundus intravit, et cur pratum suum depascerentur, stomachando percontatur. Cui Diaconus qui reliquias martyrum ferebat, et eas tunc in summitate virgae, quam ob hoc in eodem loco fixerat, suspendere parabat, Melius, inquit, tibi est, ut coram his Sanctorum reliquiis, quas hic in manibus habeo, prosternaris, Deumque roges, ut te per merita eorumdem Sanctorum de dolore, quem pàteris, liberare dignetur. Nam tumor qui in facie tua videtur, testatur aliquem magnum in ore tuo esse dolorem. Ad haec homo projecta furcâ quam manu fèrebat, ante Reliquias pronus corruit; et, ut Diaconus ei suasit, pro salute sua Domino supplicavit. Nec longa interposita morâ ita sanus ab oratione surrexit, ut nec tumor in facie, nec dolor in dentibus, nec gibbus, quo premebatur, remaneret in dorso. Ac proinde concito gradu vicum ingressus, omnes propinquos ac vicinos suos in eodem loco constitutos ad laudem Deo dicendam, et gratias Christo Domino referendas invitavit.

§ **9**. Confluxit in pratum ingens populi multitudo, et pro eo qui sanatus fuerat, gratias actura circumjacentis regionis turba congregata est. Rogant omnes Diaconum, ut illam noctem ibi moraretur: nec ille eis hoc negare poterat, quia parati erant, nisi assentiret, etiam invitum detinère. Ducunt deinde pervigilem noctem, et in Dei laudibus tota regio resonabat. In crastinum autem cum Diaconus iter suum capere coepisset, omnis illa congregati populi frequentia abeuntem cum ingenti devotione comitata est, nec ante vel subsistere vel discedere voluit, quam ab aliis, quos miraculi hujus fama còmmoverat, obviam sibi venientibus fuisset exceptus. Hoc modo sacrae martyrum reliquiae ex hujus occasione miraculi a populis illarum regionum exceptae, et ad basilicam S. Salvii, quo eas memoratus Georgius miserat, Domino ducente perlatae sunt. Hoc signum ipsius Georgii relatione constat mihi esse compertum. De caeteris autem quae nunc dicenda sunt, ab eo libellum accepi, cujus ordo vel series hunc modum habere cognoscitur.

§ **10**. Anno quartodecimo (827), Christo propitio, imperii Ludovici Augusti, cum ad corroborandam Christiani populi fidem, sicut in initio nascentis Ecclesiae signa et prodigia in ipso regis palatio per merita Sanctorum suorum Dominus dignaretur ostendere: petiit et obtinuit Georgius presbyter Aquisgrani palatio ab Einhardo Abbate reliquias beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, quorum corpora ipse de Roma per homines suos allata nuper acceperat: easque in capsa, quam auro et gemmis decenter ornaverat, reconditas per Diaconum suum nomine Theothardum, ad basilicam S. Salvii martyris, quam ipse tunc temporis

per beneficium Regis tenebat, dirigere curavit. Qui Diaconus cum ad villam regiam quae Wasidium vocatur, venisset, occurrit ei homo gibberosus, et ex dentium dolore ita vexatus atque confectus, ut jam per dies quindecim nullum alium victum quam solam aquam posset assumere. Qui cum hortante Diacono coram Reliquiis quas ille ferebat, se ad orandum prostrasset, et Dominum Christum ut sui misereretur, devote ac suppliciter invocasset, per intercessionem sanctorum Marcellini et Petri cuncta corporis incommoditate depulsa, sanus ab oratione surrexit. Factum est hoc miraculum tertiodecimo Calendas Julii quod a me superius plenius est enarratum: quia ego illud juxta relationem memorati Georgii conscribere curavi.

§ **11**. Diaconus autem cum Reliquiis tertia die Valentianas veniens, cum eas in basilicam S. Salvii, sicut ei fuerat imperatum, reverenter et honorifice inferret, quidam juvenis de villa regis quae Listina vocatur, Dominicus nomine qui eo morbo, quem Graeci spasmum appellant, jam per annum íntegrum sic vexabatur, ut manus ejus dextera penitus contineri non posset, sed agitatione continua, quasi qui molam verteret, moveretur in gyrum: statim in ipso introitu per merita beatorum martyrum coram omni populo ita curatus est, ut post haec nullum illius horrendae agitationis pateretur incommodum.

§ **12**. Exinde die quarta, in festivitate videlicet B. Joannis Baptistae, anus quaedam nomine Gerrada quae se annum unum caeca fuisse testata est, dum Missarum solemnia celebrarentur, invocatis beatis martyribus lumen quod ex fide petierat, cunctis qui aderant videntibus, per illorum merita recepit. Similiter in festivitate sancti Salvii quae evenit sexto Calendas Julii, quidam homo surdus et mutus inter solemnia Missarum per suffragia Martyrum et auditum et loquelam recipere meruit. Eadem die anus quaedam de pago Laudunensi Rodeltrudis nomine quae per tres annos lumen coeli non vidit, in eadem celebratione Missarum visum recepit. Quinto Calendas Julii puer quidam annorum circiter septem, Donitianus nomine qui fuit caecus a nativitate, dum divinum celebratur officium, per merita beatorum martyrum illuminatus est.

§ **13**. In vigilia vero beatorum Apostolorum Petri et Pauli, id est quarto Calendas Julii, puella quaedam parva, nomine Theotbalda, habens aetatis annos, ut putabatur, novem, qui tribus annis nihil viderat, tempore salutaris officii in media populi multitudine constituta, martyrum suffragàntibus meritis, lumen amissum ex divina miseratione recepit. Eadem die quidam homo, nomine Dado, de villa Ponticuli vocata, qui annos sex curvus erat, et ad coelum se erigere non poterat, ideoque brevibus anticulis sustentandi se gratiâ sub axillis positis cernuus incedebat: is

eadem horâ, eodemque in loco per misericordiam Dei et per merita beatorum martyrum erectus ac sanus effectus est.

§ **14**. Die quarto Nonarum Juliarum quaedam vidua, nomine Adalrada quae annis quatuor oculorum lumine privata nihil videbat, audita virtutum famâ, spem visus recipiendi non vana fide concepit, arreptoque baculo, sola sine ductore, ad Valentianas ire contendit. Cumque vico appropinquare coepisset, visum est ei, quod velut unum solis radium oculo dextro conspiceret: ac proinde divinam clementiam puro corde deprecata est, ut per intercessionem Sanctorum suorum ecclesiam beati Salvii se videre permitteret. Statimque exaudita est, et quod optaverat, Domino miserante, sine mora est consecuta. Ipsa quoque die altera quaedam foemina de pago Noviomensi, quinquennio caeca, inter Missarum solemnia lumen quod amiserat, Christo Domino per merita Sanctorum suorum donante, recepit.

§ **15**. Haec (*et alia plurima*) sunt miracula atque virtutes, quas Dominus noster Jesus Christus per merita sanctorum martyrum suorum Marcellini et Petri in vico Valentianas ad salutem humani generis operari dignatus est. Quae memoratus Georgius presbyter brevi libello collecta nobis mittere curavit, et nos huic operi nostro censuimus inserenda. Hic est Georgius Veneticus qui de patria sua ad Imperatorem venit, et in Aquensi (*Aquisgrani*) palatio organum quod Graece hydraulica vocatur, mirifica arte composuit.

§ **16**. Alter libellus mihi oblatus est de monasterio S. Bavonis quod situm est juxta Scaldim in loco Ganda vocato, ubi idem amnis Legiae flumini conjungitur, a fratribus ibidem Deo servientibus. Quorum rogatu reliquias memoratorum Christi martyrum ad idem monasterium misi, in quo haec per ordinem gesta reperta sunt. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo vicesimooctavo venerunt reliquiae sanctorum Christi martyrum Marcellini et Petri ad monasterium S. Bavonis die quinto Nonar. Jul. feriâ sexta, Indictione VI. Tertia vero die, id est, Dominicâ proxima quem fuit tertio Nonas Julias, quaedam puella caeca, nomine Hartlinda, de villa quae Furserium appellatur, quam pater et mater testati sunt octo annis oculorum officio caruisse: cum ante altare super quod sacrae martyrum reliquiae erant positae, fuisset adducta, coram omnibus qui aderant visum Domino miserante recepit. Inde post dies octo, id est, quarto Idus Julii adducta est altera puella similiter caeca, nomine Helmrada, de villa Magle nuncupata: cujus parentes de ea retulerunt quod octava die postquam baptizata fuit, subita caecitate percussa sit. Quae et ipsa statim coram sacris martyrum cineribus lumen quod jamdudum perdidit, Domino sibi reddente, recepit. Exin die tertia quod fuit pridie Idus Julii, venit illuc puella quaedam curva, nomine Blidrada, de villa Boderetio quae pertinet ad monasterium sancti

Vedasti. Quae cum ante memoratas Sanctorum reliquias pro restitutione salutis suae Dominum Christum suppliciter invocasset, coram omnibus qui aderant erecta est, et integrum corporis sui statum in momento temporis recipere meruit *.

§ 17. Tertium quoque libellum detulerunt mihi fratres de monasterio S. Servatii confessoris, quod situm est in ripa Mosae fluminis, in vico qui hodieque Trajectus vocatur, et distat ab Aquensi palatio octo circiter leucas, estque habitantium et praecipue negotiatorum multitudine frequentissimus. Cujus textus si bene recolo, in hunc modum videtur esse compositus. Adventus Sanctorum Christi martyrum Marcellini et Petri ad vicum Trajectum contigit pridie Nonas Junii. Nam ipso die venit eis obviam de eodem vico immanis multitudo populi ad susceptionem illorum congregata, laudans et benedicens Deum super immensa atque inenarrabili misericordia sua, qua per tantos patronos populum in se credentem et confidentem visitare dignatus est. Cumque his laudibus, et laetitiâ spiritali usque ad basilicam beati Servatii perventum est, celebratisque cum magna omnium gratulatione Missarum solemnis, et universis ad sua reversis, feretrum, quo sacri cineres advecti sunt, a dextris altaris juxta cancellas collocatum est: totusque ille dies cum ingenti eodem in vico consistentis populi exultatione atque jucunditate consummatus est. Cumque ad vespertinum officium juxta consuetudinem celebrandum, eamdem basilicam fuissemus ingressi, àderat inter caeteros puer quidam, nomine Berngisus, quem propinqui sui de pago Cundensio ante paucos dies illuc venientes, adduxerunt caecum a nativitate. Qui subito coram omnibus in pavimentum cecidit, ibique aliquandiu velut sopore depressus jacuit: moxque apertis oculis, lucem quam nunquam ante vidit, Christo Domino per merita Sanctorum suorum donante, conspexit. Exin quinta die, id est, sexto Idus Junii homo quidam cognomento Hildimarus, qui surdus erat et mutus, coram eisdem sacris Sanctorum reliquiis, et auditum pariter et loquelam per virtutem Christi recepit.

§ 18. Eodem quoque die puella quaedam, de familia S. Lamberti, nomine Adallinda, quae non solum surda et muta, sed etiam caeca, totoque corpore tam miserabili modo ex nervorum contractione erat complicata, ut genua pectori jungerentur: juxta sacras martyrum reliquias a suis posita, et visum et auditum, loquelam etiam omniumque membrorum rectitudinem ac salutem coram omnibus qui aderant, mirabili celeritate, divino munere consecuta est. Postridie vero id est quinto Idus Junii quidam servus regius, nomine Berohadus de villa Cresciaco, in dextera sui corporis parte per totum ex nervorum contractione debilitatus et inutilis factus, cum ante memoratas Sanctorum reliquias venisset,

* Plurimorum hic ejusdem generis ab Einhardo prodigiorum series texitur; prolixitatis vitandae gratiâ praetermittimus. Quod et paullo infra expedire visum est.

statim erectus, et sanitati quam desiderabat, sine mora est redditus. Similiter et puella quaedam de ipso vico Trajecto, vocabulo Theothildis, cujus dextera manus erat simili contractione intantum complicata atque distorta, ut ad omnem usum esset inutilis: haec eàdem die ante easdem Sanctorum reliquias pari modo curata est. Quibus visis, populus in basilica congregatus coepit prae nimia exultatione atque laetitia in hymnis et litaniis, sublatis in altum vocibus, laudes Domino decantare. Cum subito intravit puer quidam surdus, atque in media plebis multitudine stupefactus et attonito similis constitit. Ac deinde cum ante altare sancti Salvatoris, quod in media ecclesia positum est, pervenisset, erumpente protinus de naribus ejus sanguine, quo diu privatus fuerat auditus officio donatus est.

§ **19**. In crastinum autem, id est, quarto Idus Junii visum est nobis, ut feretrum quod sacros martyrum cineres continebat, altius elevari deberet, ad hoc videlicet, ut aliquanto eminentius esset, quam altare cui appositum erat, et facilius ab accedentibus cerni potuisset. Idque nobis facientibus, et inter faciendum litanias cum Dei laude canentibus, puella quaedam de familia S. Servatii a nativitate sua pedibus ex contractione distortis, manibus etiam ex nervorum distensione dissolutis, insuper et muta, quam paulo ante in basilicam sui detulerunt, et coram feretro posuerunt, subito sanitati est reddita, ita ut eadem horâ et loqui, et incedere, et manibus ad omnia necessaria perfecte uti potuerit.

§ **20**. Monasterium sanctimonialium, Eike vocabulo, situm super Mosam fluvium est. In quo quaedam Deo sacrata, nomine Saliga, toto corpore, excepto dextro brachio, diro paralysis morbo dissoluta jacebat. Huic per quietem quidam ex vicinis suis astitisse, ac tali sermone eam compellasse visus est, ut diceret, Quid agis? Cui cum illa non aliud, quam se in lecto suo quiescere respondisset, Audistine, inquit, aliquid de Sanctis, qui in Trajecto ad S. Servatium venerunt? Cui cum nihil de his se audisse respondisset, Surge, ait, velociter, atque illuc properanter venire contende. Nam ibi es omnium membrorum tuorum receptura sanitatem. Sed cum expergefacta nihil de his facere curasset, iterum sequenti nocte ab eodem simili modo est admonita, ut Trajectum pergeret. Illa tamen, ut prius, spreta monentis voce, quo jubebatur distulit proficisci. Tertia vero nocte vidit eumdem sibi astare, et cum quadam severitate cur monita sua contempsisset interrogare, baculoque, quem tunc manu tenere videbatur, latus ejus percutere, atque ut Trajectum velociter pergeret, imperare. Nec illa jam ausa trinae visionis auctoritati resistere, accitis ad se propinquis et amicis, Trajectum ut sibi jussum erat deducitur, et in basilica beati Servatii juxta sacros martyrum cineres collocatur. Cumque ibi promissae sanitatis praestolaretur eventum, quinto demum die postquam illuc venerat, cum magna

omnium admiratione perfectam totius corporis sui meruit recipere sanitatem.

§ **21**. Restant adhuc duo valde praeclara miracula, quae non solum tegenda silentio non censeo, quin potius illorum conscriptione convenientissimum quarto volumini, quod in manibus habetur, finem me facturum esse confido. Et licet eadem signa beatis martyribus Marcellino et Petro cum aliis Sanctis possint videri communia, ex eo quod unum ex his in adventu reliquiarum sanctorum Prothi et Hyacinthi, et juxta ipsas Reliquias gestum est, alterumque in die natalitio S. Hermètis sub ipsius reliquiis contigisse certum est: ideo tamen ipsis praecipue adscribenda videntur, quoniam in ea basilica facta sunt, in qua eorum sacratissima corpora requiescunt. Gestorum autem fides ad nos pertinet, qui praesentes fuimus, et quibus ea divina pietas videre concessit. Ac proinde omissa praefatione, ad ipsa quae dicenda sunt miracula veniamus.

§ **22**. Gregorius Romanae urbis Episcopus, qui Eugenio simulque Valentino in Pontificatus honore successit, cum titulum S. Marci Evangelistae, in quo presbyter fuerat, ampliare, et in eo monasterium vellet extruere, quaesivit per coemetria et ecclesias longius ab Urbe constitutas, sicubi Sanctorum martyrum corpora posset invenire: Inventaque titulo quem opere magnifico extruxerat curavit inferre. Casu igitur factum est, ut eo tempore, quo sepulcrum beatissimi Hermètis erat aperturus, et sacrum illius corpus inde fuerat sublaturus, unus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratiâ, ut moris est poenitentibus, Romam venerat, congregatae ad basilicam martyris multitudini cum caeteris peregrinis interesset. Is negotio quod agebatur diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati martyris reliquiarum, licet corde simplici, non tamen sine causa concepit: et Deùsdonam Diaconum, cujus in primo libro crebram fecimus mentionem, adiens obnixe rogavit, ut ex his quantulumcumque a custodibus loci acciperet, mihique deferendum sibi praestaret. Qui confestim precibus ejus annuens, id se sine mora facturum pollicetur. Datoque custodibus pretio, non solum S. Hermetis, sed etiam sanctorum Proti atque Hyacinthi *, quorum in eadem basilica corpora erant posita, reliquias accepit. Et illas quidem per quemdam familiarem suum, cui Sabbatino cognomen erat, simulque et nostrum, qui ei ut hoc faceret persuasit, mittere curavit. Quod autem de corpore beati Hermetis potuit adipisci, ipse ad nos veniens, pro ingenti munere detulit.

§ **23**. Cum autem de adventu reliquiarum sanctorum Proti et Hyacinthi nobis esset indicatum, obviam illis processimus, easque, ut par erat, honorifice suscipientes. atque basilicae cum hymnis

* Sancti Martyres de quorum exuviarum adeptione et signis hic agitur, coluntur: PROTUS et HYACINTHUS XI sept. HERMES XXVIII aug.

et orationibus inferentes, propter corpora beatorum Marcellini et Petri, cum feretro quo venerant, collocavimus. Ubi cum in crastinum mulier quaedam de proximo praediolo, quod Baldradestat nuncupatur, daemone possessa, cum caetero populo fuisset ingressa, coepit nequam spiritus fremere, ac prostratam in pavimento collidere, suamque malitiam coram omnibus confitendo publicare. Cumque a presbytero se exorcizante fuisset interrogatus, quis esset, unde venisset, quando et cur in eam intrasset: ad singula respondit, seque non solum daemonem, sed etiam omnium viventium pessimum esse testatus est. Et cum presbyter ab eo causam tantae nequitiae requisisset, malam voluntatem hanc sibi tribuisse fatebatur. Rursus cum ab eo quaereret, si unquam in coelo fuisset: in coelo se fuisse, et inde propter superbiam dejectum esse confessus est. Ubi vero ad id ventum est, ut eum interrogaret, si nomina martyrum nosset, quorum reliquiae pridie eidem ecclesiae illatae sunt, Notissima, inquit, mihi sunt eorum nomina: quia quando passi sunt, praesens astabam, ac de eorum sempiterna gloria ingenti torquebar invidiâ. Quos etiam hic modo patior infestissimos, cruciant enim me tormento incredibili, atque invitum de hoc vase, in quo diu latitabam, exire compellunt. Cui presbyter, Cum exieris, inquit, quo perrecturus es? Ego, ait, in viam pessimam perrecturus, et longinquas desertasque regiones petiturus sum. Post haec cum et occasionem et modum ingressionis suae jubente presbytero exposuisset, conversus ad foeminam, Ego, inquit, infelix mulier, antequam exeam, ossa tua collidam atque confringam, teque debilem ac nostrae societatis memorem relinquam. Et cum illa velut infirmitatis suae conscia, coepisset voce supplici atque submissa Sanctorum auxilium implorare, ille statim per os ipsius cum ingenti austeritate fremens et increpitans, loqui volenti silentium imperavit.

§ **24**. Erat enim nobis, qui praesentes eramus, ad videndum valde mirabile, quod ille spiritus immundus per os ejusdem mulierculae tam diverso modo loquebatur, et nunc masculinae, nunc foemininae vocis qualitatem sic ad purum exprimebat, ut non una sed duae in ea acriter altercantes, seque adinvicem conviciis lacessentes personae esse viderentur. Et revera, duae erant, diversa inter se voluntate diffidentes: daemonis una, possessum a se corpus collidere cupientis: mulieris altera, hoste quo tenebatur, liberari desiderantis. Quae diversitas voluntatum ex disparitate vocum ac dissimilitudine verborum, quae inter se jactabant, satis clare atque aperte poterat intelligi. Completo igitur juxta consuetudinem mysterii coelestis officio, nobisque ad curanda corpora de basilica egredientibus, jussimus foeminam cum custodibus ibidem, donec reverteremur, opperiri, fiduciam habentes, quod per virtutem Christi et merita martyrum suorum perfidus possessor ejus cito foret exiturus, neque nos spes nostra fefellit. Nam

post refectionem ad ecclesiam regressi, exacto daemonio, sanam illam et incolumen, ac per omnia mentis suae compotem, atque in Dei laudibus exultantem invenimus. Et hoc quidem signum in adventu reliquiarum beatorum Christi martyrum Proti et Hyacinthi juxta modum a nobis comprehensum constat esse completum: illud autem, quod S. Hermeti adscribitur, quo sit ordine gestum, praesenti narratione clarebit.

§ **25**. Colonia metropolis est in finibus Ribuariorum, super Rhenum posita. Ex qua, foemina quaedam erat a renibus deorsum diutina nervorum distensione in tantum debilitata, ut negato sibi crurum ac pedum officio, non aliter quam sedens, porrectis in anteriora pedibus ac manibus in terram positis, innitens, seque hoc modo pròmovens, vicem ambulandi explere potuisset. Haec auditis miraculis atque virtutibus quas Dominus per sanctos martyres suos Marcellinum et Petrum in curatione infirmorum atque debilium operatus est, ad basilicam eorum venire gestivit. Et quoniam aliter commode nequiverat, in nave mercatorum, qui illo ad festivitatem eorundem Sanctorum ibant, advecta est. Venitque illuc ad diem natalitium, atque ibi spe recuperandae salutis aliquandiu morata est. Sed ubi vidit curationem suam esse dilatam (et revera dilata erat, non negata: quia non alibi, sed ibi: neque tunc, sed alio tempore fieri debuit) statuit Moguntiacum proficisci. Erat enim in proximo festivitas S. Albani martyris, cujus apud eamdem urbem et basilica et percelebre monasterium est. Quo cum venisset, et apud memoriam martyris pro restitutione salutis suae Domino supplicasset, vidit per soporem quemdam juvenem clericum sibi assistentem, ac novos calceos manu ferentem, atque ut eos acciperet pedibusque indueret imperantem: se quoque ita fecisse. Illum deinde praecepisse, ut his calceata, ad locum unde illo venerat, reverteretur, ibique adventum medici praestolaretur, qui eam esset proculdubio sanaturus. Quae ubi evigilavit, visioni fidem accommodans, quanta potuit celeritate ad Sanctorum martyrum salutifera limina reversa est: ac per duos menses in eodem loco inter alios pauperes conversata, pollicitationem visionis opperiebatur.

§ **26**. Cum interim circa medium fere mensem Augustum Deusdona Diaconus, cujus in primo operis hujus libro crebram fecimus mentionem, Româ veniens, unum articulum digiti beati Hermetis martyris pro magno nobis munere detulit. Quem accipientes, capsulâ reconditum in superiori parte basilicae supra ipsum occidentalem ecclesiae introitum collocavimus. At foemina, quae ut dixi, visione divinitus admonita illuc venerat, et duobus jam exactis mensibus, nihil promissae opis sibi advenisse cernebat, delusam se vano somnio existimans, reditum in patriam meditari coepit. Statuitque cum negotiatoribus, qui se reducerent, ut proxima Dominicâ, quae quinto Calendarum Septembrium die simul

cum anniversaria S. Hermetis solemnitate erat futura, navem eorum in regionem suam reversura conscenderet. Jamque instante nocte, quae diem profectioni condictum erat sine dubio praecessura, cum nos secundum consuetudinem completo nocturnali officio, ad quiescendum fuissemus egressi, caeteris exeuntibus, foemina illa introire volens, in ipso limine consedit: ibique coram omnibus stupore quodam oppressa, parumper obticuit. Ac deinde erumpente ex omnibus pedum unguibus aliquanto sanguine, ad se reversa, manum circumstantibus porrexit, erectaque in pedes ad sepulcrum martyrum ambulare coepit. Quo cum pervenisset, ad orationem coram altari prosternitur, ibique tandiu jacuit, quoadusque hymnus, quem exultantium simul atque mirantium multitudo Deum laudans devotissime cantabat, compleretur. Quo finito, sana surrexit, sed in patriam ulterius redire noluit. Merito igitur miraculum istud beato Hermèti adscribitur, cujus die natalitio, et sub cujus reliquiis gestum esse constat. Sed nequaquam sanctissimi martyres Marcellinus et Petrus ejusdem operis exortes esse possunt, in quorum basilica patratum est, et quos ipsa quae curata est foemina, toto peregrinationis suae tempore, ut se adjuvarent, semper invocavit.

§ **27**. Haec sunt, quae de innumeris Sanctorum virtutibus aut a nobis visa, aut fidelium veraci relatione comperta, literis ac memoriae mandare decrevimus, quae Christi amatoribus, ac martyrum ejus veneratoribus ad legendum grata fore non ambigo: quoniam nihil eis videtur impossibile, quod ut fiat, Deo omnipotenti placuerit, Incredulis autem ac Sanctorum gloriae derogantibus, quia fastidiosa esse non dubito, ne omnino legere velint, suadendum censeo: ne forte vilitate nostri sermonis offensi, blasphemiam et invidentiam devitare non valeant, ac sic Deum et proximum, quos amare jubentur, se odisse declarent.

PASSIO

SS. PERGENTINI ET LAURENTINI

FRATRUM MARTYRUM

HABETUR IN ANTIQUIS MSS. CODICIBUS, SED PER LAUR. SURIUM STYLUS MUTATUS EST ET PLERAQUE REDDITA COMPREHENSIUS.

Circa med. III saec. — Itali.

§ **1**. Imperante Decio Caesare, gravis fuit persecutio Christianorum. Multa tum proponebantur edicta, ut qui Christum colerent, nec sacrificare diis vellent, variis poenis interficerentur. Cum autem regiones peragraret Decius cum ministris suis, et

Aretium (*a*) venisset, habebat apud se unum ex consiliariis suis, Tiburtium nomine, crudelissimum Christianorum persecutorem. Ibi tum ethnicus quidam ita ait: « Sunt hic duo germani fratres Pergentinus et Laurentinus, nobiles genere, qui se Christianos profitentur, et quotidie scholas adeuntes, literis instituuntur, ut possint Christi doctrinam plene cognitam habere. Quos si vos ita pergere sinetis, cedet id in exitium urbis hujus, et populum omnem ad Christi religionem traducent.» His auditis, Tiburtius furore percitus, jussit eos coram se adduci. Cum autem a militibus ducerentur, dixit Pergentinus ad Laurentinum: «Jam nostrum propinquat certamen.» Respondit Laurentinus: « Frater mi, non formidemus haec tormenta: illa vero potius aeterna timeamus supplicia et nostrum Redemptorem qui nos jussit non timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. » Pergentinus dixit: « Eamus animo virili, et perstemus in fide, nihil tyranni jussa formidantes. Sed tu judici responsa reddes qui me ad dicendum et respondendum instructior es. »

§ 2. Ubi ad Tiburtii conspectum venere, ait illis: «Cur vos relinquitis deos, quos colunt piissimi Imperatores, et adhaeretis Christo, quem Judaei occiderunt?» Respondit beatus Laurentinus: « Nos praeter Christum viventis Dei Filium, alium Deum prorsus ignoramus. Ille enim fecit coelum et terram, mare, et omnia quae in eis sunt. Quos vero tu deos dicis, eos nos scimus omni turpitudine inquinatos, tum etiam surdos et mutos, nulla vel videndi vel audiendi facultate praeditos: quos nisi perdere velitis, servare vos oporteat, et ne forte cadant, ferro et plumbo confirmari necesse sit: denique qui nec sibi nec aliis ullam possint ferre opem.» Tiburtius ait: «Propter generis vestri nobilitatem in praesens parco vobis. Abite igitur, et ab hac vana religione vos revocate. Nam si denuo ad me delati eritis, multivariis vos suppliciis excruciatos interficiam.»

§ 3. Abierunt igitur ex ejus conspectu, magis etiam in fide Christi inflammati, quotidieque rogabant Dominum, die noctuque in genua incumbentes: crescebatque in dies fides illorum in operibus multis, et exhortationibus suis non paucos ad Christum adducebant. Quod ut sensere infideles, permoti rebus mirabilibus quas per illos efficiebat Christus, multorumque ad fidem conversionem moleste ferentes, illos comprehensos ad Tiburtium adduxerunt, ita dicentes: «Nihil apud hos valuit jussio tua. Nam non solum te non audiunt, sed etiam magicis artibus totum everterunt populum.» Tum ait ad illos Tiburtius: «Quid ita vos comparatis, ut nec piissimum Caesarem, nec me propitium habere velitis? » S. Pergentinus respondit: « Nos propitium habemus

(*a*) *Aretium* et *Arretium* (ital. *Arezzo*) antiqnissima Hetruscorum urbs, inter nobilissimas a Livio numeratur; nec minus illustris extitit in Ecclesiae fastis, cum a suscepta, vivente Apostolorum Principe, Christiana fide, multos ad coelestem gloriam transmiserit martyrio coronatos.

Christum. Vos autem propitios illi optent qui Christum propitium habere non merentur: et terrores vestros illi formident qui regem aeternum non metuunt.» Tum vero Tiburtius e sede exiliens, scidit vestimenta sua, et ait: «Ego vobis inducias dedi, ut resipisceretis quandoque; et ecce etiam me praesente Christum vestrum praedicatis.» Jussit porro levari eos, et fustibus diutissime caedi. Inter verbera autem psallebant Sancti: Domine Deus in adjutorium nostrum intende: Domine ad adjuvandum nos festina. Subito ergo brachia caedentium arefacta sunt, stupenteque Tiburtio, clamabant ministri prae dolore: «Rogamus vos servi Dei, ut oretis Deum vestrum pro nobis: et, si nos sanaverit, credemus in eum.» Sanctis orantibus, brachia eorum restituta sunt, multique id videntes, ad Dominum conversi sunt una cum ministris illis, simulque omnes dixere: « Non est alius Deus praeter illum quem praedicant Laurentinus et Pergentinus servi ejus.» Dixit vero Pergentinus ad eos: « Audite nos fratres, et baptizemini, sicque eritis liberi ab omni nexu peccati. »

§ 4. Haec cernens Tiburtius, pertimuit, jussitque Pergentinum et Laurentinum in carcerem trudi, et neque panem, neque aquam illis porrigi. Illi vero Dominum invocabant in carcere, et cum triduo jejuni permansissent, angelus Domini sub noctis medium attulit eis panem coelestem, dicens: Surgite, et comedite panem vobis a Christo transmissum. Splendore autem angelico totus illustratus est carcer, et custodes carceris prae terrore pene exanimati sunt. Interim sancti pane illo refecti, psallebant: Misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Deinde illi qui crediderant, una cum Pergentina sorore eorum, munera attulere ad custodes carceris, rogaturi ut ipsis copiam facerent ad Sanctos ingrediendi: et ecce carcerem apertum conspiciunt, et custodes velut mortuos. Ingressi igitur ad Sanctos, ad eorum pedes se abjiciunt, rogantque cum lacrymis, quandoquidem patèret carcer, ut inde exirent. «Vita enim vestra, ajebant, nobis adhuc necessaria est, et debemus de Christi nomine diligentius edoceri.» At illi responderunt: « Absit a nobis, fratres, ut hanc rem faciamus, et coronam, quam fide nostra promeruimus, perdamus. Vos autem facite quod dicturi sumus: Est hic Cornelius presbyter qui Tiburtii timore làtitat: sed vos eum inquirite et si eum inveneritis, nunciate ei omnia, et quae in nobis Christus operatus est. Ille enim et nos et parentes nostros et sororem nostram docuit de Christi nomine, nosque baptizavit. Ille et vos baptizabit: vos autem undis salutaribus expiati, in fide permaneatis. »

§ 5. His dictis, iterum se ad pedes eorum abjecerunt, et cum diutissime lacrymati essent, rogaverunt ut pro ipsis Christum deprecarentur, ut possent salvi fieri. Itaque Sancti illis praedicabant, hasque ad Deum fudère preces: Domine Deus rex immortalis, qui

nobis id contulisti, ut crederemus in te: praesta, ut etiam isti pertingant ad misericordiam tuam. Et cum eos consignassent, a se dimiserunt. Illi vero quaerebant sanctum Cornelium presbyterum, et cum invenissent, quae Pergentino et Laurentino contigissent, ei indicarunt. At ille magno perfusus gaudio, in fide prius instituens eos, baptizavit circiter sexaginta viros. Ubi haec ad Tiburtii notitiam perlata sunt, jussit repente ad suum conspectum sisti Pergentinum et Laurentinum, iisque dixit: «Maleficiis vestris totam hanc urbem evertistis.» S. Laurentinus illi respondit: « Non sunt haec maleficia, sed beneficia Dei: neque nos malefici sumus, sed servi Domini nostri Jesu Christi. » Tiburtius ait: «Quid multis apud me verbis utimini? Aut sacrificabitis Deo Jovi, aut variis vos poenis affectos tollam e medio.» S. Laurentinus respondit: «Tu cum tuis adora Jovem: nos Christum adoramus. » Tiburtius irâ incensus, jussit adferri prunas, et Sanctos nudis pedibus illis insistere. Fecerunt hoc Sancti, et mox prunae extinctae sunt: quae res populum magis accendebat ad credendum in Christum.

§ 6. Tum vero gentiles dixere ad Tiburtium: « Cernis te nihil proficere. Si ergo eos diutius superesse passus eris, et urbem hanc et omnem ejus populum perdes.» Jussit ergo Tiburtius Jovis statuam coram se adduci, dixitque ad Sanctos: «Sacrificate deo Jovi.» Respondit ei sanctus Pergentinus: «Jam nos videbis sacrificantes.» Accesseruntque ad idòlum. Populus vero murmure excitato, putabat eos Jovi sacrificium facere. At illi flexis genibus diutissime adorarunt Dominum: et cum sustulissent capita, mox idòlum instar cerae liquefactum est. Rursus autem illi in terram se prosternentes, gratias egerunt Christo. Extitit vero magnus clamor in populo, credideruntque in Christum viri amplius ducenti. Gentiles itaque in Sanctos facto impetu, eos atrociter mactatos ac caesos diutissime, semivivos reliquerunt. Porro Tiburtius statim in eos mortis tulit sententiam: cumque extra civitatem essent educti, rogarunt milites ut parumper sinerentur orare. Sub ipsis autem precibus in terram prostratis, miles quidam caput amputavit, reversique milites ad dominum suum Tiburtium, rem, ut erat gesta, illi exposuerunt. Christiani autem cum Pergentina sorore eorum noctu corpora martyrum ad mille fere passus extra Aretium condiderunt. Passi sunt beatissimi martyres Aretii 3 Nonas Junii sub Decio Imperatore, regnante Domino nostro Jesu Christo.

VITA S. LIPHARDI ABBATIS

AB INCERTO QUIDEM AUCTORE, SED, UT APPARET, NON DUBIA FIDE EDITA: PORRO PER LAUR. SURIUM REDACTA IN COMPENDIUM, SED SINE HISTORIAE DETRIMENTO.

Floruit saeculo VI — Nat. Gallus.

§ 1. Beatus Liphardus apud Aurelianos inclyta ortus prosapiâ, in ipsa juventute ad judicis est dignitatem evectus pro sua prudentia et legum cognitione. In quo sane munere administrando ita est rationem et aequitatem semper secutus, ut a justitiae rectitudine non deflexerit. Multa eum omnes veneratione prosequebantur quod dignus Deo sine querela inter homines versaretur: moribus integer, sermone suavis, vultu insignis, ab omni fellis acerbitate alienus, denique inter homines cum degeret, perfectorum Clericorum vitam in se exprimens. Anno autem aetatis suae quadragesimo, divino permotus instinctu, loci ejus Episcopum adiit, et ut in Clerum admitteretur, oravit. Cernens antistes magnum ejus erga religionis cultum fervorem, primo eum ascripsit in Cleri album, ac deinde honorem cumulans, Levitae ei ministerium mandavit. Quo honore auctus vir Deo plenus, terrenarum rerum abjecta sarcinâ, verum monachum profiteri coepit.

§ 2. Est mons apud Aurelianos (*Orléans*), quem incolae regionis illius Magdunum (*Mehun*) vocant, in quo antiquitus erat extructum castrum quod Wandalica barbaries ad solum usque diruit. Ita nullo illic manente habitatore, nemoribus excrescentibus, locus ille quondam celebris, in solitudinem versus est. In ejus vero abstrusos recessus Liphardus penetrans, uno solo contentus comite, eoque suo discipulo, apud fluvium Malvam cellulam sibi ex virgis construxit, coepitque illic habitare solitarius, ut ab hominum turbis et mundi honoribus separatus, liberius ad divinae sese legis praescriptum accommodare posset. Quanta vero illic conversationis ejus sanctitas extiterit, nemo verbis assequi potest. Corpore degebat in terra, animo inter supernos coeli cives versari videbatur. Operibus Deo dignis vacans, stabat succinctus et paratus ad confligendum adversus aëreas potestates. Tanta vero ejus erat abstinentia, ut panis hordeacei, quem suis ipse manibus conficiebat, non nisi unciam unam in cibum sumere diceretur: et cum praeter aquam, nullum omnino alium potum admitteret, eaipsa tertio dumtaxat die parcissime utebatur. Vestes ejus, saccus et cilicium: nam elegantiam et mollitiem omnem in vestitu plane aspernabatur: asperitatem contra et

vilitatem amplectebatur. Sicut autem antea hominum secularium, inter quos vixerat, mores et vitam sanctis studiis longe superarat: ita jam monasticen complexus, in sanctissimorum monachorum vestigiis, vitae perfectione consectanda, constantissime insistebat.

§ 3. Nec defuerunt ei miracula quae sanctitatis ejus non dubia essent documenta. In erèmo illa ubi morabatur, immanis erat serpens: nec longe fons aberat, gratissimas fundens aquas, sed ad quas hauriendas prae hujus bestiae metu nemo ausus esset accedere, praeter Christi athletam Liphardum et ejus discipulum Urbicium. Is serpens, malo eum perurgente daemòne, summa feritate ad viri Dei habitaculum properabat, eum plane perditurus. Non latebat id hominem Dei. Accìtum ergo Urbicium mittit ad eum locum, ubi jam noverat esse serpentem, nec tamen indicat, cur ipsum eo mittat, ut ejus fidem probaret. Urbicius cito eo abiens, horridissimum serpentem sibi cernit venire obviam, nimioque terrore correptus, in pedes se conjicit, refertque ad virum Dei quid in via viderit. Tum Liphardus placide subrìdens: Cur timuisti, inquit, modicae fidei? deditque illi virgam, jubens ut ìmperterritus illam sub serpentis aspectu humi defigeret. Abiit ille, Crucisque signo munitus, fecit quod jussus erat. Porro Liphardus ad preces se conferens, rogabat Dominum, ut teterrimum draconem perìmeret. Exaudivit orantem Dominus. Simul enim ut aspexit draco virgam, furibundus accurrit, osque suum ad caput virgae attollens, eamque mordens, connitebatur confractam in solum dejicere. Sed precibus viri Dei id effectum est, ut nullo pacto incurvare eam posset: cumque immanis bellua ita penderet propter vasti corporis grave pondus, ilico crepuit. Id ubi cognovit vir Dei, cum discipulo suo abiit visum belluam, et pro tanto miraculo gratias Christo egit. Habitaverant autem in illo serpente multi daemones qui illo extincto, terribiles dabant per aëra clamores, ita ut vicini ruris habitatores exterriti, inter se perquirerent, quidnam hoc esset. Timebant autem draconem e suo antro progressum, omnia vastatum venire. Cum autem arrigerent aures nosse cupientes quae voces ederentur, audiunt Liphardi nomen appellari: moxque ad solitudinem advolant, taciti Liphardum requirunt. Verebantur enim, ne a dracone, si is superesset, ferirentur. Ut autem invenerunt sanctum virum solitis precibus intentum, et draconem extinctum, omnes flevere prae gaudio, et in Dei laudes prorumpentes, dicebant coelitus sibi impensam salutem excidio draconis, diemque illum duxere celeberrimum.

§ 4. Interea Marcus Aurelianensis antistes, in vico Clariaco, qui ab Magdunensi oppido tribus distat milliaribus, ob certas causas tum residens, cum viri Dei virtutes didicisset: Non potuit, inquit, Levita Dei, sanctis pollens operibus, diutius occultari;

declarant ejus res gestae, quanti sit meriti apud Deum; moxque exurgens, ad domicilium viri Dei propere accessit: et post salutaria colloquia, eodem die sacerdotio eum initiavit, atque templum exiguum illic extruxit, quod hodieque extat. Crevit hinc fama sancti viri, et in regionem illam omnem propagata est, ita ut mire eum venerarentur, ejus meritis a dracone se dicerent liberatos, ejus precibus se apud Dominum muniri confiderent. Permulti quoque mundo valefacientes, ei adhaesere, ut ejus disciplinis instituerentur. Accidit autem, ut hyeme quadam, saeviente frigore, quidam in supra dicti montis làtere sua abscondens indumenta, a viro Dei nudus vestem peteret. Sed jam divinitus revelata erat illi hominis nequitia. Misit itaque unum e suis, qui vestimenta illius adferret: locum ei indicans, ubi esset abscondita. Eâ allata, dedit ei qui vestem sibi dari petebat, ita dicens: Cur voluisti miser per mendacium tentare Christi servum? An non praesens aderam, quando hoc facinus designasti? Ille vero se deprehensum sentiens, pudefactus abscessit: et qui viro Dei illudere voluit, se sensit illusum.

§ 5. Quaedam puella nobilis, manus aridas et debilia habens genua, ad eum venit, cadensque ad pedes ejus, salutem sibi restitui petiit. Ille humi se prosternens, Dominum rogat: inde surgens, manus et genua puellae benedicto oleo perungit. Illa Christi benignitate mox revalescit. Nec mirum, potuisse hoc tam facile a Christo obtinere virum Dei cujus pectus, ceu gratissimum ejus templum, donis gratiae ejus exuberabat.

§ 6. Non est autem praetermittendum, quod cum Theodemirus Abbas Miciacensis (*Miscy*) monasterii e corpore esset abiturus, beatus Liphardus in somnis est admonitus, ut ad officia funeris illi patri praestanda properaret. Evigilans ergo, uno secum e suis assumpto, ad monasterium illud profectus est: cumque ad ejus fores pervenisset, videt caelestium agminum choros sanctae illi animae psallentes occurrere, eamque cum ineffabili gaudio ad coelum deducere. Cantabatur autem hic psalmi versus: *Beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis* (*Ps. 64*). Mox vir Dei in cellulam ingreditur, ubi corpus sancti Abbatis, exanime jacebat, fratribus debita officia decantantibus, ejusque funus curat.

§ 7. Peracto sepulturae ministerio, beatum Maximum (*Mesmin*) defuncti Abbatis nepotem, in ejus locum substituit, fusaque oratione ad Dominum, ad cellam suam reversus est: et cum tandem sui quoque obitus diem imminere cognovisset, convocatis discipulis eum ante praedixit: simulque eos optimis sermonibus confirmans hortabatur ut abstinerent a carnalibus desideriis et mundi oblectamentis ut servarent praecepta evangelica: contenderent intrare per angustam portam et arctam viam, quae ducit ad vitam: resisterent diabolo, et mille ejus nocendi artibus, haud secus

atque cruentis belluis: non deficerent in tentationibus, sed mèmores essent Scripturae, dicentis: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* His aliisque id genus sermonibus cum diu apud illos usus esset, Urbicium accersit, eumque coram omnibus sibi designat successorem. Nocte proxima inter preces et lacrymas sancta illa anima feliciter e rebus excessit humanis. Id vero postquam Episcopo innotuit, celerrime ad ejus funus accurrit. Jam in medio sacrum corpus positum discipuli tristes luctuosi officiis prosequebantur, illudque Episcopus una cum illis magno studio tradidit sepulturae (*a*). Deinde Urbicius, ab eodem antistite in sua functione confirmatus, post obitum sancti viri, ejus monasterii structuram fecit sublimiorem: ubi hactenus pro meritis beati Liphardi multa divinitus signa eduntur: praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum.

MARTYRIUM S. QUIRINI EPISC. SCISCIANI

EX QUODAM EGREGIO MS. CODICE DESCRIPTUM. AUCTORIS NOMEN NON EXTAT IBI, SED EST HISTORIA GRAVITER CONSCRIPTA, ATQUE ANTIQUA SANE, UT EQUIDEM SENTIO. SUNT QUI EUM LAUREACENSEM EPISCOPUM VOCENT.

Circa 309.

§ **1.** Cum mundi istius principes ad cruciandas animas diabolus commovisset, et ubique Domini Ecclesias diversis persecutionum tempestatibus ventilaret: suscitatis regum amicis, per quos amplius adversus Dei populum praelia commoverat, agebat quotidie suae incrementa saevitiae. Pari mente itaque Maximiani Imperatoris legibus Christianus infestabatur exercitus. Per Illyricum vero Diocletianus sacrilegis praeceptis in Christi populum saeviebat, addito tyrannidi suae Maximiano in regno participe, qui et suam rabiem et Diocletiani per omnem Illyricum ostenderet. Fere tamen ad omnes provinciarum judices nefandorum principum sacrilegi apices mittebantur, ut in templis daemonum immolare cogerent Christianos (Christi ecclesiae claudebantur): Christi sacerdotes et ministros ut parèrent legibus publicis, et confiterentur deos esse: quibus si thura nolint accendere, suppliciis diversis et mortibus subjacèrent.

§ **2.** Inter multos autem, qui in Christi exercitu triumphabant,

(*a*) Eadem in Erèmo, S. Urbicius discipulus et in coenobii regimine successor, beato comiti et duci Lifardo templum non ignobile extruendum curavit, quod oppidi *Me'un* eo in loco nati in Collegiatam ecclesiam nunc parochialem evasit; ibi S. Abbatis Reliquiae hactenus religiose asservantur.

beatus Quirinus Episcopus Sciscianus (*a*) a Maximo Praeside jussus est comprehendi. Quem cum studiose quaererent, et beatus id sensisset Episcopus, egressus est a civitate: et fugiens comprehensus est et deductus. Cumque a Maximo Praeside interrogaretur quo fugeret, Quirinus Episcopus respondit: « Non fugiebam, sed jussum Domini mei faciebam. Scriptum nobis est: *Si vos persequentur in una civitate, fugite in aliam.* » Maximus Praeses dixit: « Quis hoc praecepit? » Quirinus Episcopus respondit: « Christus, qui verus est Deus. » Maximus dixit: « Et nescis, quia ubique te Imperatorum praecepta poterant invenire, et hic quem dicis Deum verum, comprehenso tibi subvenire non poterat: sicut et modo fugiens comprehensus es et deductus? » Quirinus Episcopus respondit: « Semper nobiscum est, et ubicumque fuerimus, Dominus quem colimus subvenire potest. Et modo cum apprehensus essem, mecum erat: et hic mecum est, confortans me, et ipse de meo ore tibi respondet. » Maximus dixit: « Multa lòqueris, et loquendo magnorum regum instituta diffamas. Lege ergo divinos apices, et fac quod jussum est. » Quirinus Episcopus respondit: « Ego Imperatorum tuorum jussionem non audio: quia sacrilega est, et contra Dei praecepta jubet servos Christi immolare idòlis, quibus ego non servio quia nihil sunt. Deus autem meus, cui servio, ipse est in coelo et in terra et in mari. Ipse est in omni loco: omnibus autem superior, quia intra se continet omnia: quoniam per ipsum cuncta facta sunt, et in ipso constant universa. »

§ 3. Maximus dixit: « Per nimium tempus vivendo quasdam fabulas didicisti. Supponuntur tibi thura, et disce Deos esse quos nescis. Non parvum consecuturus es munus intelligentiae, si praeceptis obediens esse volueris. Quod si ipse tibi non suaseris, ut devotus appareas, cognosce te subjiciendum diversis injuriis, etiam morte terribili vitam tuam finiendam. » Quirinus Episcopus respondit: « Injurias quas mihi minaris, gloria est: et promissa mors, si merear, vitam dabit aeternam. Propterea Deo meo devotus esse cupio, non regibus tuis. Neque enim deos credo esse qui non sunt, et aris daemonum thura non pono, quia scio aram esse Dei mei, in qua apta ei sacrificia boni odoris incendi. » Maximus dixit: « Video, quia te insania cogit ad mortem; sacrifica diis. » Quirinus Episcopus respondit: « Non sacrifico daemoniis, quia scriptum est: Omnes dii gentium daemonia, et: Qui sacrificant diis, eradicabuntur. » Tunc Maximus Praeses jussit eum fustibus caedi, cui et dixit: « Respice et agnosce potentes esse deos, quibus Romanorum servit imperium. Propter quod consentiens, eris sacerdos magno deo Jovi. Alioquin ad Amantium Praesidem primae Pannoniae dirigeris, a quo dignam mortis

(*a*) *Scisciа* civitas fuit Episcopalis in Pannonia; hodierna nomenclaturâ *Seseg* in Hungaria.

sententiam excipias. Ergo ab stultitia tua reversus, acquiesce.» Quirinus Episcopus respondit: «Vere modo sacerdotio fungor: vere modo sacerdos effectus sum, si meipsum Deo vero sacrificium obtulero. Et hoc, quod corpus meum caesum est, delector, nullum sentiens dolorem. Ideoque offero me majoribus suppliciis, ut me quibus praepositus fui in hac vita, sequantur ad illam aeternam vitam: ad quam per hujusmodi iter facile pervenitur.»

§ 4. Maximus Praeses dixit: «Claudatur in carcere, et gravetur catenis, donec superatus efficiatur.» Quirinus Episcopus respondit: «Non expavésco carcerem, credens Deum meum mecum esse in carcere, qui semper est cum suis cultoribus.» Cumque ligatus fuisset, recluditur in carcerem Quirinus Episcopus, et mittens se in orationem, dixit: «Gratias tibi Domine, quia propter te hae mihi illatae sunt contumeliae: et rogo, ut qui in hoc carcere detinentur, sentiant me cultorem veri Dei esse, et credant, quia non est alius Deus, nisi tu.» Media autem nocte, apparuit splendor magnus in carcere: quem cum vidisset Marcellus custos personarum, aperuit carcerem, et prostravit se ad pedes beati Quirini Episcopi, dicens cum lacrymis: «Ora pro me Dominum, quia credo non esse alium Deum, nisi quem tu colis.» Multum autem hortatus est eum beatus Episcopus, et consignavit eum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Post triduum autem Maximus Quirinum Episcopum jussit ad Amantium Praesidem ad primam Pannoniam deduci, ut pro contumacia, quam in leges Imperatorum exhibuerat, ultimam sententiam sustineret.

§ 5. Cumque deductus fuisset beatus Quirinus ad primam Pannoniam, et per singulas civitates vinctus catenis ad Praesidis Amantii judicium traheretur (siquidem ad ripam Danubii ad singulas civitates ducebatur): Amantio eodem die revertente de civitate Scarabetensi, offertur ei beatus Quirinus Episcopus: quem Praeses ad urbem Sabariensem ad audiendum censuit repedari. Tunc ingredientes ad S. Quirinum Episcopum Christianae mulieres, cibum potumque obtulerunt ei. Quarum fidem intuens beatus Episcopus, dum ea quae offerunt benedicit, catenae quibus ligatae manus ejus et pedes fuerant, ceciderunt. Accepta igitur escâ, regressis mulieribus, hi qui eum custodiebant, Sabariam duxerunt. Quem Praeses Amantius per officium suum offerri sibi jussit in theatro. Qui cum oblatus fuisset, Amantius Praeses dixit: «Requiro te, si ea quae in tua superbia apud juredicum Maximum gesta monstrantur, vera sunt.» Quirinus Episcopus respondit: «Apud SciscIam verum Deum confessus sum. Ipsum semper colui, ipsum corde teneo: nec me ab eodem, qui unus Deus et verus est, homo poterit separare.» Amantius Praeses dixit: «Aetatem tuam dolemus maculare verberibus: tamen sensum tuum optamus emendare sermonibus, et praemio promissae vitae corrigere, ut reliquum senectutis tuae tempus juxta legum Imperialium sanctionem

diis serviens perfruaris. » Beatus Quirinus Episcopus dixit: « Quid de aetate dubitas, quam Christus inviolatam reddere potest, omnibus suppliciis fortiorem? Nec tormentis frangitur mea confessio, nec vitae praesentis delectatione corrigitur, nec timore mortis quamvis acerbae mentis meae soliditas perturbatur. »

§ 6. Amantius Praeses dicit: « Cur instans es ad mortem, ut diis Romani Imperii appareas indevotus, et contra humanum morem vitam tibi eligas denegandam, dum hi qui evadere mortem cupiunt, negando quae gesserunt, tormenta deludunt? Tu autem dicis vitae tuae dulcedinem otiosam, et festinus curris ad mortem, Imperatoribus contradicis. Propter quod adhuc te hortamur, ut vivas, et vitam tuam rèdimas, et cultorem te legibus Romanis exhibeas. » Quirinus Episcopus dixit: « Allocutio ista forte flectat animos seniles, qui longioris vitae spatia suspirant. Ego autem didici a Deo meo, ut debeam ad illam vitam pervenire quae post mortem, mortis jam intercisione non clauditur: et ideo ad temporalem hujus vitae terminum fidelis accedo. Non enim similis sum noxiorum, sicut potestas tua loquitur. Illi enim dum vivere cupiunt, negando Deum vere moriuntur. Ego autem ad aeternitatem vitae confitendo pervenio: nec vestris legibus acquiesco, quia Christi Dei mei legitima quae fidelibus praedicavi, custodio. » Amantius Praeses dixit: « Diu te ad obedientiam regalium praeceptorum inclinare voluimus, sed quia rigore mentis domari non potuisti, eris in exemplum omnium Christianorum, ut formam tuae mortis qui vivere cupiunt expavescant. » Tunc inter caeteras quas pertulit passiones, jussit sancto Dei sacerdoti vel famulo molam ad collum ligari, et undâ demergi. Cumque de ponte praecipitatus fuisset in fluvium, et diutissime supernataret, et cum spectantibus locutus est, ne suo terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur obtinuit. Cujus corpus, non longe ab eodem loco ubi demersum fuerat, inventum est: ubi etiam locus orationis habetur. Sed ipsum sanctum corpus in basilica ad Scarabentensem portam est depositum, ubi major est pro meritis ejus frequentia procedendi. Passus est beatus Quirinus Episcopus Sciscianus, martyr Christi, sub die pridie Nonarum Juniarum, et coronatus est a Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria et potestas in saecula saeculorum, Amen.

§ 7. Facta autem incursione Barbarorum in partes Pannoniae, populus Christianus de Scarabatensi urbe Romam fugiens, sanctum corpus Quirini Episcopi et martyris afferentes secum deduxerunt. Quem via Appiâ milliario tertio sepelierunt in basilica Apostolorum Petri et Pauli, ubi aliquando jacuerunt, et ubi S. Sebastianus martyr Christi requiescit, in loco qui dicitur ad Catacumbas: aedificantes nomini ejus dignam ecclesiam, ubi praestantur beneficia ejus, usque in hodiernum diem *.

* Ibique (*Ms. Vaticanum addit*) venerabile corpus ejus diu latuit; sed

Spiritu S. disponente, qui non pàtitur sanctorum suorum gloriam occultari, tempore Innocentii II Pp. (*ante med. saec XII*) Ecclesiae S. Mariae trans Tyberim fundentis oleum fundatoris quando eadem ecclesia fabricabatur..., consilio et mandato ejusdem Pontificis..... cum magna reverentia levaverunt corpus gloriosissimi Quirini Episc. et Martyris, quod detulerunt in praedictam ecclesiam, ac cum hymnis et orationibus in majori altari ejusd. ecclesiae condiderunt.

VITA S. FRANCISCI CARACCIOLO CONF.

CLERICOR. REGG. MINORUM FUNDATORIS
JUXTA CANONIZAT. BULLAM
A PIO PAPA VII INEUNTE XIX SAECULO EDITAM

Obiit anno 1608 — Italus.

§ 1. Cum multi omni aetate viri eximia vitae claruerint sanctimoniâ, quibus pretiosissima in coelis corona justitiae a Domino reddita est, honoresque venerationis in terris solemni ritu decreti sunt; peculiarem tamen sibi locum vindicant Regularium Ordinum institutores, qui voce Salvatoris Nostri Jesu Christi admoniti in evangelio dicentis, messem quidem esse multam, operarios autem paucos, et Apostolis discipulisque suis praecipientis, ut a Domino messis operarios mitti rogent, non solum ipsi pro virili parte in agro Dominico excolendo strenuam operam collocarunt, verum in futura etiam tempora prospicientes, igne divinae charitatis incensi, et gratiâ Paracliti Spiritus roborati sanctissimas illas societates instituerunt, in quas adsciti homines, et votorum religione adstricti, alii vitae contemplativae totos se devovèrent, alii vero hanc ita sequerentur, ut simul iis etiam ministeriis se manciparent, quae proximorum saluti procurandae utilia essent atque opportuna.

§ 2. Neque enim honorificum dumtaxat est Ecclesiae sponsae Christi, quae circumdata varietate in sacris literis describitur, praecipuos religiosarum familiarum fundatores ita perfectione vitae, et prodigiorum coelestium gratiâ excelluisse, ut in Sanctorum numerum referri meruerint, verum universo quoque fidelium coetui utilissimum est, iis, vitam laudabiliter actam, et virtutes eorum imitandas proponi, a quibus tot spiritualia dona in christianos populos derivarunt, et adhuc per eorum alumnos ex instituti sui legibus in vinea Domini Sabaoth assidue laborantes uberrime manare non cessant. Quid, quod regularium institutorum alumni validioribus stimulis ad currendam perfectionis viam sese excitari sentiunt, dum magistros, parentesque suos

sublimibus meritis praefulgentes, donisque coelestibus insignitos, ad supremos altarium honores evectos intuentur? Gaudeat igitur, et exultet sponsa Christi Ecclesia, quae tam multa atque illustria sanctitatis germina Christo parit, et dum tantis undique premitur tribulationibus, novis filiorum suorum triumphis mirifice decoratur.

§ 3. Eminet inter hos servus Dei fidelis beatus Franciscus Caracciolo, quem tamquam amicum carissimum, ut ascendat superius, Dominus invitat, novumque nobis protectorem ad mortalis hujus vitae difficultates superandas in coelis constituit. Pretiosissima quidem coronâ gloriae illustria ejus praeclaraque merita donata sunt, qui, calcatis mundi deliciis, aeternae saluti unice intentus, totum se cultui divino addicens, cum aliis ejusdem propositi sodalibus Ordinem Clericorum Regularium Minorum instituit, qui praeter juge orationis, jejunii, et afflictationis corporis studium, spiritualibus proximorum commodis consulerent, et in apostolicis ministeriis obeundis sese assidue diligenterque exercerent. Hunc ille Ordinem amplificavit, prudentissime rexit, et, quod primum est, exemplis, sanctissimisque moribus instruxit, donec feliciter consummato cursu, ad aeternae beatitudinis praemium evolavit.

§ 4. Natus is est in Aprutii avito oppido cui Sanctae Mariae de Villa nomen, ex nobilibus piisque progenitoribus Ferdinando Caracciolo, et Isabella Baratucci anno reparatae salutis millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, die vero decima tertia octobris. Sortitus animam bonam, sancteque educatus, in pueritia a levitatibus, ejus aetatis propriis, alienus fuit; cum vero a pueris excessit, a vitiorum illecebris semper abhorruit. Vigesimum aetatis suae annum cum attigisset, gravissimo molestissimoque morbo, elephantiae simili, conflictatus, quo totum ejus corpus misere foedatum erat, cum spes salutis vix ulla relicta esset, superno lumine illustratus, humanarum rerum, mundique vanitatem agnoscens, statuit in corde suo, si convaluisset, divino prorsus servitio, ac proximorum utilitati sese mancipare. Convaluit, nihilque habuit antiquius, quam, ut id, quod proposuerat, alacriter exequeretur. Neapolim se contulit, sacrisque eruditus literis, et sacerdotio initiatus, sodalitio *de Bianchi* vulgo nuncupato adscribi voluit, cujus praecipua cura est iis qui extremo supplicio damnati sunt, verbis, aliisque pietatis operibus, auxilium opemque ferre; quo quidem eximiae charitatis officio, maximo cum fructu, et summo animi fervore toto reliquo vitae suae tempore functus est. Assidue autem Deum precabatur, ut viam sibi ostenderet, qua fideliter, quod proposuerat, impleret. Annuit votis Deus et mirabili ratione; nam cum Franciscus in praedicti sodalitii sacello oraret, Ascanii nomen in sacro baptismatis fonte illi impositum adhuc retinens, epistola ei tradita est, qua Augustinus

Adorni nobilis Januensis, et Fabricius Caracciolo alium Ascanium de familia Caracciolo in partem consiliorum suorum de regulari Clericorum minorum Ordine instituendo vocabant. Franciscus errorem minime suspicatus, occasionem divinitus oblatam ultro arripuit, et illico Augustino et Fabricio sese fidissimum adjutorem exhibuit, qui divinae providentiae consilia demirantes libentissime illum in tanti operis societatem receperunt.

§ 5. Tunc piissimi hi tres viri in Camaldulensium erèmum prope Neapoli profecti, orationi, jejuniis, aliisque vitae austeritatibus intenti, coelesti ope a Patre luminum implorata, novi Ordinis leges condiderunt. Beatus Franciscus cum Augustino Romam venit, et a fel. rec. Sixto V regulam approbari obtinuit, qua scilicet, praeter alia, alumni ejus Ordinis jubentur continuis orationibus, spiritualium operum exercitatione, et aspera carnis maceratione, ad suam aliorumque Christifidelium animarum salutem et profectum vacare, quibus etiam ecclesiasticas dignitates non ambiendi neque acceptandi, nisi Summo Pontifice jubente, solemne votum tunc additum fuit. Spirituali gestientes gaudio viri Dei Franciscus et Augustinus Neapolim redeunt, et solemni professione emissa, propagandi Ordinis desiderio inflammati, ambo simul Hispaniam petunt; sed cum nihil tunc proficerent, Neapolim revertuntur. Biennio vix elapso a solemnibus votis nuncupatis, Augustinus Adorni immatura morte decedens, magnum sui desiderium, et præclarum virtutum suarum odorem reliquit. Ex quo factum est, ut omnis propagandi augendique Ordinis sollicitudo in Franciscum incumberet; qui primum Neapoli, tum in Hispania, deinde Romae, sui Instituti domicilia fundavit. Verum in Hispania, quo semel et iterum pedes, mendìcans, et aspero cilicio praecinctus se contulit, multum ei elaborandum, multaque fuerunt perferenda, inimico homine zizania superseminante, et calumniis acerrime conatus ejus turbare tentante. At difficultates demum contrariaque omnia vicit Franciscus Dei omnipotentis primum ope, deinde virtutibus suis mirifice praefulgentibus, patrocinio tandem munificentiàque Philippi II et Philippi III regum catholicorum.

§ 6. Profecto virtutum splendor, quibus Dei famulus excellebat, omnium excitabat admirationem. Theologicam ejus fidem cum alia argumenta multa, tum ingens illud studium, quo alios in fidei mysteriis, catechesibus et concionibus erudiebat, mirifice demonstrabat. Spe vero in Deum summa fretus, terrena quaevis ad mortem usque constanti animo despexit, ad solum beatae vitae praemium anhelans, quod sibi a Deo, per Christi merita, magna cum fiducia expectabat. Immo ne in necessitatibus quidem temporalibus divinam opem sibi unquam defuturam persuasum habebat, nonnullis etiam prodigiis in hoc confirmatus, cibis ei atque eleemosynis, cum maxime opus esset, ex insperato exhibitis.

Sed prae caeteris virtutibus charitas Dei in Francisci corde diffusa eminebat. Nihil illi dulcius, quam de Deo loqui, nihil in sacris concionibus frequentius, quam de charitate disserere, unde divini amoris promotor et concionator tum in Hispania, tum in Italia passim appellabatur. Tantus vero erat divinae charitatis ignis quo intus aestuabat, ut in ejus quoque vultu sese proderet manifeste. Adorationem Eucharistici Sacramenti ad integras usque noctes protrahere consuevit, quo tempore cor ejus tamquam cera liquescebat, et oculi lacrymis profundebantur; exclamare etiam solitus: *Zelus domus tuae comedit me*. Quem cultum coelestis eucharistici Panis ut promovèret, constituit, ut sui Ordinis alumni quotidie per vices coram augustissimo Sacramento venerabundi persisterent; quod pium perenne exercitium, veluti praecipuam sui Ordinis tesseram esse voluit.

§ 7. Ex vehementi in Deum amore efficax proximorum dilectio in Francisco oriebatur, qui diu noctuque super egenum et pauperem intelligebat. Cum regularem vitam profiteri constituit, venditis prius bonis omnibus quae possidebat, pretium dispersit, deditque pauperibus. Solemni professione emissa, in publicis viis stipem emendicabat, ut pauperum inopiam sublevaret, egenisque matronis victum quotidie subministraret; quin etiam tres in hebdomada dies solo pane et aquâ transigebat, ut sua abstinentiâ inopes reficeret. Aliquando hyemis tempore pauperi ferme nudo, et frigore pene exanimi, exteriori tantum sibi veste relicta, caetera sua indumenta largitus est. Carceribus detentos amicissime solabatur, aegrotantibus primum fidei christianae rudimenta explicabat, tum consilia, et alia pietatis officia exhibebat: illis vero qui in extremo mortis agone versabantur, praesto erat, et flexis genibus, qua sacris precibus qua fervidis adhortationibus, spirituale praestabat auxilium, neque eos deserebat, donec inter hujusmodi charitatis officia expirassent.

§ 8. Ejus autem cor tunc maxime dilatatum fuit, cum a Paulo Pp. V impetravit, urbis paroeciam S. Laurentii in Lucina suo Ordini administrandam tradi, in qua praeclaram ille nactus fuit occasionem exercendae frequentissime charitatis. Nam cum aeternae proximorum salutis studium medullis propèmodum ejus ac visceribus inhaereret, sacramentalibus confessionibus excipiendis summa semper patientiâ, atque etiam hilaritate se dabat; ad perditorum hominum conversionem procurandam, non verba solum, sed orationem etiam, jejunia, suique corporis flagellationem adhibebat: ne puellarum periclitaretur pudicitia, corrogatis eleemosynis, aut piis matronis asceteriisve custodiendas tradebat, aut ut provide nuberent curabat. His aliisque charitatis in proximos officiis merito assecutus fuit, ut pater pauperum et charitatis vocaretur. Accedebat virtutum aliarum omnium chorus, quae regularis instituti propriae ac peculiares sunt. Paupertatis cultor

eximius saepe domus angulo pro cella utebatur; lacera, et attrita veste indui gaudebat; jejunium mensae cuivis lautae et jucundae praeferebat; ut brevissimum carperet somnum, lectulo decumbebat, qui tabulâ aut humo commodior non esset. Mentis, corporisque puritatem maxima curâ custodivit, servavitque illaesam. Carnem ita compescuit, et in servitutem redegit, ut homo aeneus appellaretur. Effrontis mulieris artes, quae ipsum impulerat ut caderet, divina protegente gratiâ, elusit; impudentiamque coarguit; quae facti poenitens, ad ejus pedes provoluta, veniam a Deo et a Dei servo lacrymans precata est.

§ 9. Jam obedientiae virtutem, quae omnium virtutum lydium lapidem esse dicebat, quantopere adamaret, vel tunc satis patuit, cum ante Deiparae imaginem vòce paullulum elata salutationem angelicam domi recitans, a superiore tacere jussus est. Conticuit ille statim, et submissis genibus immobilis mansit, dum idem superior, post aliquod temporis spatium, ut surgeret, imperavit. Neque minor in viro Dei elucebat animi demissio, qui caeteris omnibus eo se minorem et contemptibiliorem existimabat, quo coram Deo, atque hominum etiam opinione ac judicio major erat et dignior. Electus perpetuus Praepositus generalis Ordinis, aegre honorificum istud onus subiit, a quo sponte sese postmodum abdicavit. Dum tamen Praepositi generalis munere fungebatur, aegrotantibus suis alumnis fercula inferebat, lectulos sternebat, cubicula verrebat, vilia et abjecta quaevis munia praestabat, et per noctes etiam insomnis assidebat. Cum pro Ordinis sui confirmatione obtinenda Romam sine sacculo, sine pera venisset, ut honores effugeret, ad januam coenobii Fratrum capuccinorum sese inter mendicos abscondit, et ab eisdem hospitio receptus, cibum in eadem paropside cum leproso et ulceroso libentissime sumpsit. Nihil igitur mirum videri debet, si ecclesiasticas dignitates ab eodem Paulo V oblatas constantissime recusaverit, et in suo Ordine aliis semper subesse vehementissime optaverit.

§ 10. Supernis vero donis Deus servum suum ita demisse de se sentientem clarificavit, praecipue sanationum gratiâ, et prophetiae spiritu. Nam gravissimis oppressos morbis signo Crucis, quandoque sola manus impositione sanitati restituit. Effraenato juveni, salutaria ejus monita irridenti, intra unius horae spatium mortem denunciavit, quam ille, ut praedixerat servus Dei, repente oppetiit. Navim conscendens, horridam tempestatem, et omnes ex ea incolumes evasuros praevidit praedixitque. Cum autem voti solvendi causâ sacram Lauretanam aedem Beatissimae Mariae Virginis adivisset, et jamdiu corpore dissolvi, et cum Christo esse cuperet, brevi eum sui voti compotem fúturum, Deus in augusto templo illo ipsi patefecit. Sane inde rediens, cum ad Agnònem, citerioris Aprutii oppidum, Ordinis propagandi ergo accederet: Hic requies mea, dixit, in saeculum saeculi. Altero transacto die,

postquam ad dictum oppidum pervenerat, in domo Patrum Oratorii, a quibus hospitio receptus fuerat, in febrim levem incidit, quae deinde gravis, et pessimae indolis evasit. Extemplo per generalem exomologèsim conscientiae suae munditiem augere voluit; tum sacrosanctum Christi Corpus, etsi viribus omnino fere destitutus, e lectulo tamen prosiliens, et genuflexus, singulari pietate atque animi fervore accepit. Alumnis suis epistolam mittendam dictavit, qua eosdem ad regularis disciplinae, omniumque virtutum amorem adhortabatur. Ingravescente morbo, extremae unctionis sacramento munitus, insigne patientiae, fortitudinis, et firmissimae in Deum spei exemplum praebens, modo Jesu Christi, modo Beatissimae Virginis, quam summo semper veneratus fuerat obsequio, ac Sanctorum se commendans patrocinio, ad coelum se pergere affirmans, in pervigilio solemnitatis Corporis Christi, dilectam Deo et hominibus placidissime efflavit animam, die quarta junii, anno millesimo sexcentesimo octavo, aetatis vero suae quadragesimo quarto.

§ **11**. Divulgata Francisci morte, ob praeconceptam de ejus sanctitate opinionem magnus hominum concursus factus est, etiam ex finitimis oppidis, ut corpus illius inviserent, manus deoscularentur, et vestis frustula certatim sibi raperent. Ad haec corporis flexibilitas, odor suavissimus, vultus hilaris, prodigiosae sanationes ejus ope impetratae gloriam ejus in coelis demonstrabant. Fertur etiam, extractis ex dissecto corpore visceribus, in corde ejus apparuisse carneis literis descripta Davidica verba *Zelus domus tuae comedit me*, quae ille quidem, dum in vivis ageret, semper in corde, ac saepissime habebat in ore. Per tres dies cum pio confluentis populi desiderio satis fuisset factum, post inde ex illius oculis subtractum, et noctis tempore citissimo itinere Neapolim ad Ordinis domum S. Mariae Majoris delatum fuit, ibique honorifico funere sepultum, et divinis prodigiis illustratum. Viginti circiter post annos in corporis translatione ad decentiorem locum, singularis in illum populi pietas eos praetergressa est fines, quos sapientissima decreta piae recordationis Urbani VIII statuerant, de culto publico ante Ecclesiae judicium Dei servis non exhibendo; ac propterea causa ejus beatificationis et canonizationis non ante diem vigesimam octavam septembris anni millesimi septingentesimi primi, qui a felici ipsius obitu nonagesimus secundus numerabatur, in sacrorum Rituum Congregatione introducta fuit.

§ **12**. Tum processus apostolici, tam in genere, quam in specie, constructi fuerunt, quibus probationes de splendore virtutum servi Dei, deque gloria miraculorum ejus intercessione a Deo editorum continebantur. Cum caetera omnia rite ac feliciter processissent; et interea omnipotentis Dei dextra novis prodigiis suum famulum clarificaret..., Benedictus Pp. XIV die vigesima tertia

aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo declaravit, de virtutibus Francisci in gradu heroico constare; cum tamen virtutes ipsae ex testibus de auditu tantum, probatae essent, simul censuit ad ejus beatificationem non ante esse deveniendum, quam miracula omnino quatuor rite probarentur. Deinde cum octo miracula in tribus consuetis sacrorum Rituum congregationibus ad examen et approbationem proposita fuissent, idem Benedictus XIV ex unanimi praelaudatae Congregationis sententia, de duobus miraculis constare declaravit, nimirum de sanatione Januarii Cappelli, qui, invocato Dei servo, repente liberatus fuit ab ulcere cancrenoso, pro cujus tentanda sanatione chirurgus die sequenti ignem decreverat, itemque de altera sanatione Philippi Rubinacci ad extremum deducti ob lapsum ab eminenti loco secuta ossium luxatione et fracturâ, qui ad servi Dei invocationem illico sanitatem, liberumque et expeditum totius corporis motum obtinuit, nulla adhibita medici ope, aut chirurgi manu. Consecuta sunt alia duo miracula per Francisci intercessionem a Deo patrata, quae pari ratione examini subjecta, et a sacrorum Rituum Congregatione approbata piae memoriae Clemens XIII decreto suo confirmavit: quorum alterum erat repentina sanatio Caroli de Vivis a copioso et immodico sanguinis ex ore effluxu ac pravis symptomatibus, quae eum ad deploratum statum redegerant, cum instantanea et perfecta deperditarum virium reparatione: alterum repentina pariter sanatio Antoniae Niglio ab immanibus doloribus ischiadis, motum omnem inhibentis, et intestinorum, adjuncta gravi continuaque febri, aliisque gravibus symptomatibus, viribus illico restitutis.

§ **13**. Quatuor his miraculis ita probatis, fel. rec. Clemens XIV, attentis peculiaribus circumstantiis, concessit, ut ad beatificationem deveniri posset, literasque apostolicas in forma Brevis pro solemni servi Dei beatificatione celebranda expediri jussit. Post beatificationis solemnia eo ipso anno die festo sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis rite celebrata, statim de duobus aliis miraculis beati Francisci intercessione editis agi coeptum est, quae in sacra Rituum Congregatione ad trutinam legitime revocata, approbationem obtinuerunt; quorum primum fuit subita, et perfecta sanatio Agathae Montellae Romanae ab ulcere fistuloso in cavum pectoris penetrante, comite febri lenta, cum integra virium recuperatione: alterum similiter repentina integraque sanatio Angelae Nardi Romanae a teterrimo cancro in regione lienis. Sententiam sacrae Congregationis secutus fel. record. Pius Papa VI haec duo miracula approbavit, ac subinde pronunciavit, tuto ad solemnem beati Francisci canonizationem procedi posse. Quod cum idem Summus Pontifex ad exitum propter temporum difficultatem perducere non potuisset, Pius Pp. VII, accitis in urbem ex Italia pluribus archiepiscopis, et episcopis, ut

eorum quoque consilium ex laudabili apostolicae Sedis consuetudine exciperet, hi omnes plenam causae cognitionem hauserunt tum ex vitae servi Dei compendio, quod singulis traditum fuit, tum ex copiosa et gravi oratione, quam in concistorio publico Joseph Capece-Latro advocatus consistorialis aulae Pontificiae habuit de sanctitate vitae et miraculis beati Francisci, in honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et religionis christianae incrementum, praedictum Franciscum Caracciolo sacerdotem professum, et fundatorem Ordinis Clericorum regularium Minorum catalogo sanctorum confessorum adscripsit, eumque veneratione, quae sanctis cum Christo in coelis regnantibus debetur, prosequendum, et honorandum esse declaravit.

VITA S. BONIFACII EP. MOGUNT.

GERMANORUN APOSTOLI ET MARTYRIS

PER WILLIBALDUM PRIMO EISTETENSEM EPISC. COPIOSE SED OBSCURIORI STYLO CONSCRIPTA, DEIN BONA FIDE A MOGUNT. PRESBYT. OTHLONE, HORTANTIBUS FULDENSIBUS MONACHIS, DOCTE CASTIGATA. STYLUM TAMEN IN GRATIAM LECTORIS, NONNIHIL, UBI LICERET, CORREXIT LAUR. SURIUS.

Natus anno 680 — Coronatus 754 — Anglus.

Liber I. § 1. Cum gens Anglorum sub fidei jugum beatissimi Pontificis Gregorii studio missa fuisset, et ejus meritis suffragantibus, prae multis nationibus sanctorum virorum ferax et fertilis inprimis esse coepisset, quorum doctrinis tanquam luminibus quibusdam hominum pectora obcaecata illustrarentur, inter illos etiam sanctum Bonifacium, ceu Luciferum quemdam, caeteris sideribus illustriorem edidit. Is vero magna parentum curâ educatus, magnarum quoque virtutum pro aetatis incremento factus est studiosus. Et quidem cum adhuc puellus esset, si quem fortassis sive clericum, sive laicum audisset verbi divini notitiam adferentem, mox quantum ea permisit aetas, secum expendere solebat, quidnam inde ad suos usus et profectus accommodare posset. Cumque ejusmodi meditatione diuturna ad superna et coelestia appetenda se erigeret, patri aperuit mentem suam, orans uti ne deesset proposito suo. Ut vero audivit isthuc pater, primo quidem obstupuit: deinde eum objurgans, nunc minis, nunc blandimentis ad mundi hujus curas conatus est pertrahere; et ut animum tenerum facilius a sententia deduceret,

promisit se eum post obitum suum omnium facultatum et praediorum suorum haeredem scripturum. Addidit etiam, lubricae aetati et fragilitati humanae tolerabiliorem esse vitam eam quae in actione, quam quae in contemplatione ducatur: satiusque esse inter mediocres vel etiam infimos regni coelestis cives studiis facilioribus contubernium ambire, quam ad sublimia illa ac pene impossibilia perfectionis certamina primo quidem fidenter accedere, sed postea difficultate absterritum, a coepto deficere.

§ 2. At puer sanctus, jam virtute divina plenus, quanto eum pater enixius revocabat ad ea quae sunt mundi hujus, tanto proposito suo tenacius inhaesit, et ad sacrarum studia literarum ardentius aspiravit. Itaque miro divinae moderationis judicio factum est, ut pater, qui solus resistebat, repentino correptus morbo, a sua sententia discederet, puerumque per idoneos homines ad monasterium quod prisco vocabulo Adescancaster dicitur *, mitteret, commedans eum Wolphardo, venerabili ejusdem monasterii Abbati. A quo sane pro monasticae vitae instituto, benigne susceptus, fratribusque commendatus, universa religionis exercitia, quae illa aetas admitteret, et probe inchoavit, et in dies melius prosecutus est.

§ 3. Ubi autem e pueritia excessit, usqueadeo in venerabilium Patrum instituta et sacram lectionem incubit, ut momentis omnibus sua in illo virtutes capesserent incrementa, implereturque illud propheticum: Ibunt de virtute in virtutem. Denique cum incessabili sanctarum scripturarum meditationi deditus, omnem regularis vitae disciplinam, sub ejus, quem diximus, Abbatis gubernatione, annis non paucis sectatus esset, nec tamen illic propter doctorum virorum penuriam, inexhauste suo sacras scripturas cognoscendi desiderio posset satisfacere, permissu Abbatis et fratrum suorum, ad monasterium, quod hodieque Nutscelle dicitur **, se contulit, et beatae memoriae Winberti Abbatis, qui tunc illi praeerat, magisterio se subdidit. Ibi vero tum Grammaticae et Poësis, tum spiritalis intelligentiae optata eruditione potitus, adeo coepit haberi celebris, ut fama doctrinae ejus passim diffusa alios etiam alliceret, ut se in ejus traderent disciplinam. Interim ille tanta licet praeditus scientiâ, nihil efferebatur animo, neminem, qui tenuiori esset ingenio, spernebat, sed quanto majori tum eruditione, tum virtute prae caeteris divinitus afficiebatur, tanto humilior et devotior atque promptior ad totius commiserationis et subjectionis studium sentiebatur. Memor enim erat sententiae illius: Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

§ 4. Cum igitur sic ille alios humilitate ac subjectione anteverteret, et illum alii, partim sapientiae ejus opinione incitati, partim saluberrima ejus doctrinâ imbuti, honore ceu patrem

* Anglo-Saxonibus *Exanceaster*, vulgo *Excester*, Latinis *Exonia*, ad Iscam sive Escam fluvium.
** Alias *Nuiscelle* in *Southamtoniae* districtu.

afficerent, cunctique cum laude et praedicatione efferrent, et singulis Ecclesiastici Ordinis gradibus dignum affirmarent, tandem aetatis suae anno plus minus trigesimo, sacerdotio initiatus est. Eam vero adeptus dignitatem, qualem se exhibuerit utriusque hominis studendo contritioni, ut sacramenti coelestis participatione dignus foret, ex operum ejus testimoniis certius ac melius quam vilis verborum indiciis colligi potest. Per id tempus regnante in Occidentali Angliae regione Saxonum rege, novus extitit tumultus, cujus compescendi causâ jam dicti regis jussu et pròcerum ejus consilio Synodus servorum Dei indicta est: ad quam cunctis confluentibus, et controversiam nuper ortam dirimentibus, visum est sapientibus quibusdam, ut quae illic definita essent, ea omnia ad Berethwaldi vel Brichtwaldi Cantuariensis Archiepiscopi notitiam perferrentur. Placuit idem etiam Clero omni et laicis permultis: sciscitabatur autem rex, quisnam hujus rei cumprimis idoneus legatus videretur. Tum vero praecipuus inter eos Archimandrita Winbertus, cujus ante meminimus, et Wintra monasterii Tiesserburgensis praefectus, itemque Beorwardus, monasterii Glestingaburgensis moderator, tum praeterea alii plerique venerabiles viri, sanctum Bonifacium ad se evocatum ad regem adducunt, eumque ajunt tantae expediendae rei idoneum.

§ 5. Itaque S. Bonifacius, ejus legationis munere sibi demandato, cum sociis aliquot profectus est, et Archiepiscopo, ita ut edoctus erat, cuncta per ordinem sapienter exposuit; ac deinde post dies non multos reversus, ea legatione praeclare perfunctus, tum Regem ipsum, tum illos quos diximus servos Dei magno gaudio affecit. Ea autem re nomen ejus tam apud eos qui in Clero numerantur, quam homines laicos, adeo celebre evasit, ut deinceps saepissime rogatus sit, ut se in ipsorum synodis praesentem exhiberet. Sed quia animo erat Deo devotus et addictus, atque ab omnium hominum favore abhorrescens, coepit tractare serio, quemadmodum parentes et cognatos fugere, et ad loca remota Christi causâ emigrare posset. Qua in cogitatione et deliberatione cum diu et quidem accurate versaretur, eam tandem supradicto Abbati aperuit, et ut ipsi ea in re assentiretur, multa precum instantiâ ab eo impetrare contendit. Ille vero etsi talia eum moliri admiraretur, diuque poscenti assensum negaret, ad extremum tamen, divina agente providentiâ, preces ejus admisit, tantamque tum Abbatis tum fratrum erga se benevolentiam, studium et curam Bonifacius ad optatum suscipiendum iter expertus est, ut et necessarios sumptus ab eis acceperit, multasque pro eo preces cum lacrymis illi profuderint, Deum rogantes, ut Angelus Domini bonus ei comes ubique adesset, ejusque iter prosperum efficeret: tum etiam duos cum illo fratres, quorum et corporalibus et spiritalibus adminiculis fulciretur, unâ proficisci permiserint.

§ 6. Ita ergo utriusque hominis solatiis instructus, prospero cursu iter ingressus est, pervenitque ad locum qui antiquitus Anglosaxonum vocabulo dicitur Lundenuvic; nec multo post abiit in Dorstet: ubi aliquamdiu moratus, die ac nocte debitas Deo persolvit laudes. Ea tempestate inter Carolum Francorum principem et Ducem egregium, Frisonumque regem Ratbòdum hostilis orta dissensio, populos utrinque perturbabat, et maxima pars Ecclesiarum Christi quae in Frisia ditioni Francorum subditae fuerant, Ratbodo persequente et servos Christi profligante, vastata et destructa est, daemonumque cultus profanis extructis fanis, miserandum in modum instauratus. Cujus rei indignitate permotus vir Dei, ab illis locis recessit, perveniensque Trecht (sic enim auctor habet, puto autem Trajectum ea voce significari), cum aliquot dies ibi fecisset, eo venientem regem Ratbodum allocutus est, orans, ut vel tandem a tanta impietate desisteret.

§ 7. Deinde peragratis ejus terrae locis, solicite exploravit, num alicubi in ea provincia praedicandi verbi Dei se se opportunitas offerret. Ubi autem post multam inquisitionem cognovit se frustra illic sementem facturum, vacua spiritali fertilitate arva relinquens, ad natale solum se recipit. Interea monasterii sui pater migravit a vita: cujus obitu valde afflicti fratres, sancti viri spiritalibus colloquiis recreati sunt, hortantis eos ut in monasticae disciplinae observantia permanerent, et aliquem sibi spiritalem patrem eligerent. Illi vero diligenter ea in re ab ipso instructi, omnes eum unanimiter precabantur (per id autem tempus Winfridus dicebatur), ut pastoris erga ipsos vice fungi ne recusaret. At ille altiora animo vòlutans, non quidem illorum preces ullo superbiae fastu contempsit, sed animum suum illis expròmens, ait se patriae honoribus et facultatibus despectis, pro Christi amore et aliorum salute peregrinationes meditari. Quod ut illi audierunt, summa benevolentiâ ejus proposito assensere. Ut autem major accederet auctoritas, etiam loci ejus reverendum Episcopum Danielem adiit, petens ab illo, ut ejus benedictione et literis commendatitiis, Romam iturus, frui mereretur. Episcopus libens annuit, et providi pastoris officio fungens, Stephanum virum bonum orbatae congregationi praeficiendum curavit, et Bonifacium Dei servum, longum iter pèregre suscepturum, ad loca optata cum suis literis a se dimisit.

§ 8. Ea igitur benedictione fretus, mox valedicens fratribus, dat se itineri, terrarum et maris longa spatia et ignotas vias emensurus. Collecta sunt autem ad eum undique non pauci servi Dei, eodem spiritu ferventes: cunctique uno animo quotidie multa sanctorum templa invisentes, rogabant ut divinitus adjuti, tutius Alpium juga superare, et Longobardorum feros animos erga se lenes et humanos sentire mererentur. Cumque saevissimae

gentis regiones citra discrimen ullum pertransiissent, beatissimi Apostoli Petri limina adierunt, Christoque prout par erat gratias agentes, peccatorum suorum abolitionem et itineris prosperos successus petierunt, nec sunt votis frustrati suis. Nam simulatque vir sanctus venerabilem Apostolicae Sedis Praesulem Gregorium Secundum allocutus est, eique tum causam adventus sui, tum desiderium, quo diu flagrarat, exposuit, mox Pontifex hilari vultu eum intuens, percunctatus est, num quas Episcopi sui literas commendatitias apud se haberet. Ille vero statim chartam pro more involutam Pontifici obtulit. Qua perlectâ, sanctique viri comperto desiderio, sedulo cum illo deinceps sermones contulit, illicque commorantem reverenter tractans, quascumque petiit sanctorum reliquias, illi donavit: tum etiam per omnem Germaniam praedicandi ei munus demandans, suas ei literas tradidit, quarum hoc est exemplar:

§ 9. « Gregorius servus servorum Dei, Bonifacio religioso presbytero. Exigit manifestata nobis religiosi propositi tui, pie in Christo flagrantis, intentio et approbata sincerissimae fidei tuae perlata relatio, ut ad dispensationem verbi divini, cujus per gratiam Dei curam gerimus, te comministro utamur. Experientes proinde te ab infantia sacras literas didicisse, profectusque indolem ad augmentum crediti caelitus talenti prospectu divini timoris extendere: videlicet gratiam cognitionis coelestis oraculi, in laborem salutiferae praedicationis, ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei instanti conatu expendere, collaetamur fidei tuae, et adjutores effici cupimus gratiae praerogatae. Igitur quia praemissi conatus pium affectum usque ad Apostolicae sedis modesta provisione perduxisti consultum, ut membrum ex membro proprii corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens et ejus directioni, justo tramite pròperans, soliditati compaginis plenitudo existas. Ideo in nomine indivisibilis Trinitatis per inconcussam auctoritatem beati Petri Apostolorum principis, cujus doctrinae et magisterio fungimur, et locum sacrae sedis administramus, modestiam tuae religionis instituimus atque praecipimus, ut in verbo Dei (quo igne salutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitère vidèris) ad quascumque gentes, infidelitatis errore detentas, properare Deo annuente potueris, mysterium regni Dei per insinuationem nominis Christi Domini Dei nostri veritatis suasione designes, et per spiritum virtutis et dilectionis ac sobrietatis, praedicationem utriusque Testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam denique sacramenti, quam ad initiandos Deo praevio credituros tenere studeas, ex formula officiorum sanctae nostrae Apostolicae Sedis, institutionis tuae gratiâ praelibata, volumus ut intendas.

Quod vero actioni susceptae tibi deesse perspexeris, nobis ut valueris, intimare curabis. Bene vale. »

§ **10**. His igitur literis acceptis a venerabili Papa, profectus est inde ad Longobardorum regem Luitprandum. A quo honorifice susceptus, aliquandiu apud eum hospitio usus est. Porro ab illo discedens, ardua et praerupta Alpium juga transcendit, ignotosque Bajoariorum et Germaniae fines perlustrans, in Thuringiam pervenit, accurate explorans ubique instar apis prudentissimae, ubi postmodum nectarea sanctae fidei mella colligere et comportare posset. Cumque dies aliquot in Thuringia haerèret, omnes interim illius provinciae Principes verbis spiritalibus alloquens, ad sacram complectendam fidem et religionem invitavit: Sacerdotes quoque, quos variis deditos flagitiis comperit, sermonibus Evangelicis ad institutionis Canonicae normam correxit. Audita autem Ratbodi Frisonum regis morte, qui per id tempus magnam in Christianos persecutionem exercuerat, multo affectus gaudio, in Frisiam navigavit, ibique verbi Divini semina spargens, permultos ab errore idololatriae retraxit. Eodem tempore venerabilis Willibrordus *, Trajectensis Ecclesiae praesul, buccinam coelestis doctrinae in Frisia inflavit: cujus studiis sanctus Bonifacius mirifice gratulans et adhaerens, triennio apud illum fuit, suam illi navans operam, tam in idolorum fanis destruendis, quam extruendis ecclesiis, caeterisque rebus divinis exequendis.

§ **11**. Erat autem Willibrordus aetate decrepita: suggerentibusque discipulis, senectuti suae volens aliquod comparare levamentum et solatium, hunc Dei servum ad suscipiendum Episcopi munus, regendumque populum suae curae commissum, obnixe rogavit. At ille humiliter recusans, tanta functione se indignum ajebat, ne sibi necdum maturam adepto aetatem, tam grande onus imponeret, modis omnibus obsecrabat, simul allegans se necdum quinquagesimum implesse aetatis annum, quem canonicae institutionis decreta hujus gradus culmini praefixissent. Willibrordo autem blandis illum verbis increpanti, et ad eum gradum suscipiendum adhortanti, cum multos ultro citroque hac de re inter se sermones habuissent, vir sanctus in eas conjectus angustias, placido ore ita tandem se excusavit: « Onus regiminis, quod mihi indigno sancte Praesul imponere vis, in me recipere non audeo. Evangelizandi enim causâ missus sum a beato Gregorio II Papa in Germaniam, et ea legatione functurus, in has barbaras nationes veniens, sponte me tuae ditioni subjeci. Sed tanti Pontificis mandato posthabito, aliud quodvis negotium in me recipere non sum ausus. Itaque venerande Pater rogatum te velim, ut in illas regiones, ad quas Pontifex Apostolicus me misit, cum tua bona venia mihi liceat proficisci.» His auditis, S. Willibrordus illi bene precatus, abeundi a se fecit potestatem.

* Col. S. Willibrordus die VII nov.

§ **12**. At ille proficiscens, venit Amanaburgum *, Deum ubique habens itineris sui comitem: cujus virtute et praesidio fretus, quocumque pervenit, salutaris doctrinae semina jactavit: cumque ingentem populum in Frisia Christo lucrifaceret, multique ejus spiritali institutione imbuti, ad veritatis cognitionem venirent, adeo ut eo, quem diximus, loco, cui duo fratres gemini praeerant, Dietichus et Dierolphus, Domino auxiliante, obtento, non paucos fratres colligeret, et monasterium aedificaret: iis valefaciens, in Hassiam sive Catthorum regionem, qui Saxonibus conterminì sunt, profectus est praedicandi causâ. Cumque ex iis etiam plurimos convertisset, et multa hominum millia undis salutaribus tinxisset, quemdam e suis fidelem, Binnam nomine, Romam cum literis misit, indicans Apostolico Praesuli omnia quae per ipsum gessisset Deus, et quantam hominum multitudinem, coelesti gratiâ illustratam, sacro baptismo abluisset: tum praeterea de rebus variis, quae ad quotidianam Ecclesiasticae regulae necessitatem populique recens conversi curam pertinerent, prudenter eum consulens, perscripsit. Nuncius autem ab eo missus Romam, omnia ipsi mandata fideliter exequens, Praesuli Apostolico literas ejus obtulit, aliasque ab illo, ad quaestiones propositas responsa continentes, magistro suo referens, celeriter recessit.

§ **13**. Postquam autem vir sanctus, lectis Pontificis literis, se inter caetera Romam acciri didicit, mox ad summum obedientiae gradum contendens, fratrum agmine stipatus, Italiam petiit, conspectisque Romanae urbis moenibus, Deo gratias agens, beatorum Apostolorum patrocinio se commendavit. Ut autem ejus adventum didicit Romanus Pontifex, confestim illum ad se evocavit, salutatumque familiariter, honorifico xenodochìo commendavit. Deinde opportuno se offerente ad colloquendum die, ad beatissimi Petri Apostoli ecclesiam venire jussus est: cumque se invicem mutuis explessent sermonibus, Pontifex de symbolo et fidei Catholicae traditione ex eo sciscitatus est. Respondit autem vir sanctus: « Tantae quaestioni, Domine Apostolice, in sermone familiari non facile possim satisfacere. Oro itaque, ut fidei, quam a me exigis, conscribendae tempus mihi largiaris, sicque eam ex scriptis possis habere perspectam. » Annuit Pontifex, et intra breve tempus vir Domini, sanctae et Catholicae fidei sententiam, congruenter et erudite expressam, in scriptis Pontifici obtulit. Pontifex postquam ea scripta perlegit, sibi eum assidere jubet, ut eam fidem constanter retineat, et accurate doceat, hortatur. Multa deinde de spiritalis vitae religione cum illo conferens, ita ut nonnunquam pene integrum diem mutua inter ipsos colloquia absumerent, ad extremum quot populi idololatrae ejus operâ

* Non *Hamburgum* interpretari libet, sed *Amelburgum* ad *Omam* seu *Amânam* fluvium in Frisia.

crediderint, ex eo percontatur. Ubi ad ea respondit vir sanctus, Pontifex ei suam aperit voluntatem, quod eum decreverit Episcopum ordinare, ut eo majori constantiâ errantes corrigere et ad viam veritatis revocare possit, quo sit ampliori Apostolicae dignitatis auctoritate suffultus: tantoque apud omnes conciones ejus gratiosiores sint, quanto certius constet, a Praesule Apostolico ipsum, ut concionetur, esse destinatum.

§ **14**. Tum vir Dei omnia sagaciter perpendens, metuensque ne illud Propheticum in ipsum competeret, *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo (Psal.* 108): tantae benedictionis gratiam minime recusavit. Ut autem adfuit dies ordinationis ejus qui fuit pridie Calendas Decembris, Pontifex eum et consecravit Episcopum, et Bonifacium deinceps dici voluit, cum antea Winfridus diceretur: et ut ad obedientiam sibi suisque successoribus exhibendam, omnemque sacrae fidei traditionem observandam arctius eum astringeret, juramentum ab eo exegit et accepit: quod quidem in antiquis exemplaribus ita scriptum habetur: «In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi... Promitto ego Bonifacius, Dei gratiâ Episcopus, tibi beate Petre Apostolorum princeps, vicarioque tuo beato Gregorio Papae et successoribus ejus, per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem, et hoc sacratissimum Corpus tuum, me omnem fidem et puritatem sanctae fidei Catholicae exhibere, et in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in quo omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur: nullo modo me contra unitatem communis et universalis Ecclesiae suadente quopiam consentire, sed, ut dixi, fidem et puritatem meam atque concursum tibi et utilitatibus tuae Ecclesiae, cui a Domino Deo potestas ligandi solvendique data est, et praedicto Vicario tuo atque successoribus ejus per omnia exhibere. Sed et si cognovero antistites contra instituta antiqua sanctorum Patrum conversari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem: sed magis, si valuero prohibere, prohibeam: si minus, fideliter statim domino meo Apostolico renunciabo. Quod si, quod absit, contra hujus promissionis meae seriem aliquid facere quolibet modo seu ingenio vel occasione tentavero, reus inveniar in aeterno judicio, ultionem Ananiae et Saphirae incurram qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere praesumpserunt. Hunc autem indiculum sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratissimum corpus S. Petri, ita, ut praescriptum est, Deo teste et judice, feci sacramentum quod et conservare promitto. »

§ **15**. Postquam ejusmodi jusjurandum apud Gregorium Pontificem dedit, ille vicissim in omnibus eum juvare, provehere, et venerari studit. Nam libellum, in quo sacratissima Ecclesiasticae institutionis jura, Pontificalibus digesta conventibus, habebantur,

ei dono dedit, praecipiens, ut tam clerus quam populus ejus regimini subdendus, iis institutis imbueretur. Familiaritatem quoque Sedis Apostolicae tum ipsi, tum omnibus ejus subditis perpetuam, dato privilegio, confirmavit: literasque suas ei impertiens, non solum Carolo (*Martello*) illustri Duci qui id temporis Francorum regnum moderabatur, sed etiam cunctis viris ecclesiasticis et Principibus Germaniae eum tuendum commendavit.

§ **16**. Harum itaque literarum auctoritate fretus sanctus Praesul Bonifacius, proficiscitur in Germaniam, veniensque ad Carolum principem supra dictum, literas Romani Pontificis ei attulit, seque ejus ditioni et patrocinio committens, illo annuente, ad Catthorum, quos Hessos vocant, quibus jam ante praedicare coeperat, regionem abiit. Quo cum pervenisset, complures illic reperit, Christiana religione abjecta, in varios incidisse errores. Alii enim lignis et fontibus clam vel palam sacrificabant: alii haruspicia, divinationes, praestigias et incantationes sectabantur: plerique aliis nefandis sacrilegiis erant addicti: pauci vero in via veritatis, quam semel didicerant, persistebant: quorum quidem consilio arborem quandam mirae vastitatis, quam prisca voce Jovis arborem nuncupabant, in loco qui Geismere dicitur, servis Dei ipsi assistentibus, excidere tentavit. Accurrit autem magna ethnicorum multitudo, illum tamquam hostem deorum suorum necare volentium. Sed cum arbor paulum caederetur, mox quasi divinitus agitata, in quatuor partes dirupta est. Quod cernentes ethnici illi, Dominum laudantes, fidem complexi sunt. Sanctus autem Praesul communicato cum fratribus consilio, ex illa ingenti vastae arboris mole oratorium construxit, in beatissimi Petri Apostoli honorem illud dedicans.

§ **17**. His ita gestis, in Thuringiam profectus est, ejusque gentis Principes, magna ex parte a Christiana religione deficientes, corrigere studuit. Cum enim religiosi Principes apud illos imperare desiissent, simul etiam religio vacillare coepit, et quidam pseudochristiani, Dorthwinus, Bertherus, Eanberberthus et Humedus, apud eos hospitio recepti, haereseos illis auctores fuere. Cumque ipsi impuri scortatores et adulteri ingens viro Dei certamen excitassent, ab illo egregie confutati, dignam retulere suae vesaniae mercedem, excommunicati et expulsi ab Ecclesia. Manabat interim longe lateque fama praedicationis ejus, et credentium numero magnae fiebant accessiones, templa instaurabantur, monasteria construebantur: atque in iis etiam illud extructum est quod est in Ordorff, in honorem sancti Michaëlis Archangeli, congregata illic servorum Dei multitudine qui omnes Apostolico more viventes, laboribus suis, ea quae ad victum et vestitum necessaria sunt, sibi comparabant. Quod autem in honorem S. Michaëlis illud aedificatum fuit, ejus haec ratio est: Cum vir Dei in Thuringia versaretur, praedicans et baptizans, apud flumen

Oraham tentoriis fixis quadam nocte permansit. Tota autem nocte illa lux coelitus sparsa locum, in quo ille manebat, ambivit: atque in ipsa luce S. Michaël Archangelus ei apparuit, eumque in Domino confortavit. Mane vir Dei laudans et benedicens Dominum, Missarum solemnia illic celebrat, ac deinde eodem in loco prandium sibi parari jubet. Dicente autem ministro deesse cibum quo vesceretur, ille respondit: Itane qui tot hominum millia in deserto annis quadraginta pavit mannâ, mihi indigno servulo suo non potest unius diei alimoniam suppeditare? His dictis, jubet apponi mensam. Interea quaedam avis advolat, et piscem ore ferens qui illo die ad cibum sufficeret, ante mensam deponit. Tum vero sanctus Praesul gratias agit Deo, piscemque mandat ocyus praeparari. Cumque ex illo comedisset, reliquias in flumen projici jubet. Inde coeptum carpens iter, Thuringiamque pèragrans, accurate perquisivit, cujus esset ille locus, ubi ea visio ipsi fuit oblata. Cumque comperisset Hugonem seniorem ejus esse dominum, petiit illum sibi dono dari. Non recusavit Hugo, primusque apud Thuringos haereditatem suam tradidit venerando Praesuli. Post eum Alboltus, pluresque alii praedia loco illi vicina donarunt: quibus adeptis, sanctus Bonifacius frutices illic extirpari, terramque incoli mandavit, jactisque fundamentis, templum extruxit.

§ **18**. Interim vir beatus praedicans et baptizans apud Thuringos et Catthos sive Hessos, vidit multam quidem illic extare messem, sed operarios paucos, et qui tantae credentium multitudini instituendae non sufficerent. Misit igitur in patriam suam, accivitque non modo viros religiosos, et multivaria eruditione praestantes, sed etiam foeminas. In iis praecipui fuere Burchardus, Lullus (et Willeadus) Williboldus, Winnibaldus, ejus frater Witta et Gregorius: in foeminis autem religiosis, matertera S. Lulli Cunigildis, et filia ejus Bertgitis, item Cunitrudis, Tecla, Lioba, et Waltpurgis soror Williboldi et Winnibaldi, S. Cunihildis et filia Bertgitis, liberalibus scientiis eruditae, apud Thuringos magistrae sunt constitutae. Cunitrudis missa est in Bajoariam, ut verbi divini sementem illic faceret. Teclam apud Moganum fluvium Kissingae et Ochnofurti voluit manere. Liobam denique virginibus sacris apud Bischofeshemium praefecit *.

§ **19**. Cumque multa hominum millia, tam per se, quam suos conterraneos ad Christi religionem traducta, baptismatis undâ diluisset, defuncto beatae memoriae Gregorio II sedis Apostolicae Pontifice, Tertioque Gregorio eamdem sedem obtinente, Romam legatos misit qui cum novo Pontifice prioris amicitiae foedera renovarent, et pristinam humanitatem atque benevolentiam ejus

* Coluntur Sancti — WALTPURGA sive WALBURGA I maji. — WILLIBALDUS VII jul. — LIOBA XXVIII sept. — BURCHARDUS XIV oct. — THECLA XV oct. — LULLUS XVII oct. — WILLEHADUS VIII nov. — WINNIBOLDUS XVIII dec.

erga ipsum expeterent: ab ipso vero omnem obedientiam, Romanae sedi debitam, pollicerentur: denique plurimorum Hermanorum ad fidem Christi adductorum conversionem indicarent. Legati cum Romam venissent et Pontifici ea retulissent, ille primum Deo gratias egit: deinde non solum omnia amicitiae et benevolentiae officia a Bonifacio expetita pollicitus est, sed ea etiam quae non petiit, largitus est, nempe Archiepiscopi pallium, et literas, quibus ad ejus quaestiones multivarias respondit. Earum literarum hoc est exemplum:

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI BONIFACIO COEPISCOPO, AD ILLUMINATIONEM GENTIS GERMANIAE, VEL CIRCUMQUAQUE IN UMBRA MORTIS MORANTIBUS GENTIBUS, IN ERRORE CONSTITUTIS, AB HAC APOSTOLICA SEDE DIRECTO, GREGORIUS SERVUS SERVORUM DEI *.

Magna nos habuit gratulatio, lectis sanctissimae fraternitatis tuae literis, cum in eis relecta serie fuisset repertum, Domini nostri Jesu Christi gratiâ plurimos te a gentilitate et errore ad verae fidei agnitionem convertisse. Quod quia divina institutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuisse lucratum, in talis commercii lucro cum tota plaudimus Ecclesia. Hinc jure tibi sacri pallii direximus munus, quod beati Petri Apostoli auctoritate suscipiens induaris, atque inter Archiepiscopos unus, Deo auctore, praecipimus ut censearis. Qualiter autem eo utaris, ex mandato Apostolico informatus cognosce. Itaque dum Missarum solemnia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare; illo tantummodo tempore eo utaris. Quia vero turbas Domini gratiâ in eisdem partibus ad rectam fidem asseruisti conversas, ideoque nequire te occurrere omnibus, quae salutis sunt, impendere aut intimare, cum jam longe lateque, gratiâ Christi, ejus fides in illis propagetur: praecipimus, ut juxta sacrorum Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicae Sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopatus. Presbyterum namque quem praeterito asseruisti anno ad nos venisse, nostroque judicio fuisse a suis nefariis absolutum actionibus, credas, neque nobis confessionem aliquam fecit, nec a nobis, ut suos expleat libitus, absolutus est. Sed si eum errori deditum repèreris, hunc Apostolicae sedis vigore, ut juxta sanctorum Canonum censuram corrigas et emendes, praecipimus, vel si quos forsan tales inveneris. Ille enim veniens, Presbyter sum, ait, et commendatitias ad filium nostrum Carolum literas expetiit. Nullam illi aliam concessimus licentiam: quem vitari, si prave conversatur cum reliquis, volumus, eosdemque quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur. ut denuo baptizes in nomine sanctae Trinitatis, mandamus. Inter caetera agrestem caballum aliquantos comedere adjunxisti, plerosque et domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, sanctissime frater, sinas, sed quibus potueris, Christo juvante, modis per omnia compesce, et dignam eis impone poenitentiam. Immundum enim est atque execrabile. Pro obeuntibus quoque consuluisti, si liceat oblationes offerri. Sancta sic tenet Ecclesia, ut quisque pro suis mortuis vere christianis offerat oblationes, atque presbyter eorum faciat memoriam: et quamvis omnes peccatis

* Insigne est haec Epistola disciplinae ecclesiasticae documentum.

subjaceamus, congruit tamen, ut sacerdos non nisi pro mortuis catholicis memoriam faciat et intercedat. Non enim pro impiis, quamvis christiani fuerint, tale quid agere licebit.

Eos etiam, qui se dubitant fuisse baptizatos, vel qui a presbytero Jovi mactante, et immolatitias carnes vescente baptizati sunt, ut baptizentur praecipimus. Progeniem suam unumquemque usque ad septimam generationem observare decernimus: et si valueris, devitandum doce, ne cui uxor obierit, amplius quam duabus debeat copulari. De his vero, qui patrem vel matrem vel fratrem aut sororem occiderint, dicimus, ut toto vitae suae tempore corpus Dominicum non suscipiant, nisi in suo exitu pro viatico: abstineant etiam se a carnis comessatione et potu vini, donec advixerint: jejunent secunda, quarta et sexta feriâ, ut sic deflentes, possint diluere commissum scelus. Hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixisti. quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundent mancipia. Quod ut magnopere corrigere debeas, frater, commonemus, nec sinas fieri ultra. Scelus enim est et impietas. Eis ergo qui hoc perpetraverunt, similem homicidae indices poenitentiam. At quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi, ut Deo sit gratum, quod geritur: et eis convenientibus ipsisque praesentibus consecres. Haec te frater charissime diligenter observare volumus, et studio pietatis coeptum negotium salutis exequi, ut de lucro apportato valeas a Domino Deo nostro mercedem percipere in aeterna beatitudine. Privilegium vero juxta quod petisti, facientes, his junctum direximus, optantes te Domini Dei nostri praesidio de conversione errantium plenissimum apportare lucrum. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater.

§ **20**. Redeuntes igitur nuncii, et Praesulis Apostolici tum scripta, tum munera optata reportantes, ingenti sanctum Bonifacium gaudio afficiunt. Itaque sicut par erat, Deo laudes gratesque agens, mox duas ecclesias construxit, alteram quidem Frislariae, in honorem S. Petri Apostolorum principis: alteram vero Amanaburgi, in honorem S. Michaëlis Archangeli. Duo quoque monasteriola duabus adjunxit ecclesiis, non minima illic adunata Deo servientium congregatione: ubi etiam hactenus laudis et cultus divini officia peraguntur. His ita confectis, S. Bonifacius Bajoariorum regiones, quibus per id tempus dominabatur Hugbertus Dux, invisit, praedicationisque munus apud illos studiosissime exercens, Ermwolfum haereticum pestilentem, magno divinae aemulationis fervore incensus, ex Canonum praescripto damnavit et ab ecclesia ejecit, ac deinde ad suae dioecesis homines reversus, omnia circumibat, instaurans ea, quae ecclesiarum cura poscere videbatur. Eo etiam tempore Romam ire decrevit, tum ut Pontificis Apostolici, quem ex facie necdum noverat, conspectu frueretur et colloquio: tum ut Apostolorum et aliorum illic quiescentium sanctorum se se precibus commendaret. Itaque proficiscens multa stipatus turbâ Francorum, Bajoariorum et Britannorum, ubi Romam venit, a Pontifice comiter acceptus est: porro Romani omnes tanta eum veneratione prosecuti sunt, ut ad salutarem ejus hauriendam doctrinam non pauci confluerent,

illumque apud se diu retinerent. Cum autem discedere vellet, muneribus et reliquiis sanctorum, quascumque petiit, a Pontifice liberaliter et honorifice donatus est: quasdam etiam ab eodem epistolas ad Episcopos, Abbates et omnes Germaniae principes accepit.

§ **21.** Literis Pontificis instructus Bonifacius, Romà discessit, Ticinumque veniens, apud regem Longobardorum aliquandiu moratus est. Porro inde recèdens, ab Utilone Duce invitatus, Bajoariorum terras visitavit, mansitque apud illos diebus multis, verbum Dei praedicans, veraeque fidei sacramenta illic rènovans. Inter quae etiam quosdam ecclesiarum destructores et populi eversores profligavit, e quibus alii Episcopos se mentiebantur, alii presbyterii ministerium sibi usurpabant. atque alii alia innumera improbe fingentes, magna ex parte populum seduxerant. Sed cum tantam sacerdotum fallaciam atque malitiam aliter arceri non posse cerneret, Bajoariae provinciam, Utilone Duce consentiente, in quatuor paroecias distribuit, eisque tres eximia virtute viros praefecit, cum eos prius episcopos ordinasset. Ex his primus fuit Joannes, quem voluit Salisburgensis oppidi cathedram obtinere. Alter Erimbertus qui Frisingensi Ecclesiae praefectus est. Tertius Gowiboldus Ratisponae quae est Bajoariae (*Bavariae*) metropolis, antistes institutus est. Vivilus vero, a Praesule Apostolico jam ordinatus, Pataviensi (*Passau*) Ecclesiae episcopus datus est: sed ejus paroecia quae quarta erat, a S. Bonifacio instar aliarum divisa est. His ergo Episcopis ita institutis, correctisque iis quae in Bajoaria emendatione digna videbantur, ad suas Ecclesias se recepit: nec diu post quae in Bajoaria gessisset, Romano Pontifici per literas indicavit.

§ **22.** Ea tempestate cum Carolus Dux inclytus vitae suae cursum exegisset, et filii ejus Carolomannus et Pipinus ei ceu patri successissent in imperio, cum ad nutum Carolomanni qui erat major natu, omnia paterni regni jura disponerentur, S. Bonifacius eum accessit, et Apostolici Praesulis scripta offerens, modis omnibus petiit, ut Christianae religionis cultum, quem pater ejus animo promptissimo inchoasset et exercuisset, ipse quoque Dei amore, et regni sui stabilimento, atque pro omnium ipsi subjectorum salute, eadem benevolentià prosequeretur. Quibus ille verbis haud aliter atque divino oraculo permotus et compunctus, omnes suae ditionis homines, tum clericos, tum laicos qui a Christiana religione deflexissent, tam regia quam Canonica auctoritate ad viam justitiae revocare studuit: jussitque ut coacta Synodo, omnia ad Canonum praescriptum corrigerentur.

§ **23.** Haec religionis decreta sive statuta, a neophytis (sic enim auctor loquitur) Principibus tunc promulgata, si conferantur cum iis legibus, quas hodie condunt rectores quidam, a teneris annis usque in senectutem omni Christiana disciplinà imbuti et instructi,

facile licebit intelligi, quanto perfectiores neophyti isti fuerint hisce patribus doctissimis: qui non modo apud reges et principes locorum sanctorum utilitatem et commoda negligunt, sed ipsi etiam loca sancta ipsis commissa modis omnibus destruunt. O mores, omni lacrymarum fonte plangendos! O miserandam nimis ejusmodi morum mutationem, quando pueri senibus, caeci videntibus, imperiti peritis, laici clericis religiosiores comperiuntur! Olim multis in provinciis, ubi sanctae Ecclesiae vineis recens plantatis, necdum vel notitia spiritalium fructuum ad omnes perlata erat, permulti viri seculares dicere solebant: Quandoquidem ob nostram fragilitatem a mundi voluptatibus, quibus assuevimus, necdum ipsi penitus nos continere valemus, saltem alios congregemus qui Deo serviant, illosque nostris opibus sustentemus, ut illi suis precibus aliisque studiis spiritualibus non foveant, ne pereamus. At nunc, quando virtutum omnium cognitio, vel experientiâ vel lectione comperta, pene omnibus innotuit, nec quisquam e religione Christianus dicere potest, nemo nos conduxit: tum clerici, tum laici permulti dicere solent: Quorsum attinet tot extare monasteria, tot agmina monachorum? Praestaret ea praedia, ex quibus monachi nullo fructu saginantur, nostris servitiis assignari. Haec, inquam, non pauci verbis, plures re ipsa loquuntur: quasi illorum improbitas et nequitia minus sit datura poenas, si nullus supersit monachus *.

§ 24. At Carolomanno longe alia mens fuit: qui licet, antequam esset S. Bonifacii concionibus institutus, de Christiana religione parum sciverit: attamen illius adhortationibus in timore et amore Dei celeriter ita perfectus esse coepit, ut humana simul et divina sapienter disponeret, nihilque jura secularia absque cultus divini administratione, cui monastica vita addicta est, proficere non ignoraret. Ita et Carolus Magnus, filius fratris ejus Pipini qui ab urbe Romana usque in Phrisiam, ab Hungaria usque in Britanniam regna omnia sibi subegit, cum iis in suam ditionem redigendis esset occupatus, non aliter sibi victoriam est ausus polliceri, nisi interim monasteria omnia, in iis regnis extructa, aliquo beneficio augeret. Qua in re si quis parum mihi credit, legat imprimis gesta illius: deinde perlustret monasteria quae ejus tempore fundata habuit Italia, Gallia, Germania, comperietque ea aliqua Caroli liberalitate provecta: alia quidem privilegio quodam libertatis, alia praediis, nisi forte ea posteriores reges vel Episcopi illis abstulere. Et certe reges aliquot, Caroli successores, licet alioqui praeclaris moribus multisque laude dignis studiis floruerint, ea tamen in re non mediocriter peccarunt, quod nonnulla monasteria vel ipsi tum immensa quadam

* En de his jampridem conquestus est hujus Vitae scriptor, quae passim a saeculi asseclis effutiuntur, atque a Rerum vel inter Catholicos publicarum moderatoribus in regulares Ordines nuper sunt perpetrata.

officiorum exactione, tum praediorum ablatione destruxere: vel Episcopis, aut etiam laicis quibusdam, nihil minus, quam monasticam religionem curantibus, ea destruenda tradidere. At Carolus noster non solum nihil horum fecisse fertur, sed contra potius loca quaedam etiam ad Episcopi ditionem attinentia, praediis duplicibus redditis, communi consilio ab Episcopi ditione absolvisse, regiaque libertate extulisse: sicut, verbi gratia, S. Emmerammi monasterium: prophetico, uti reor, spiritu praevidens quod et nos cernimus, et majores nostri jam pridem completum viderunt, nempe loca sancta, rebus necessariis omnibus abunde instructa ab ipsis fundatoribus, postquam Episcopis tradita fuerint, ad summam inopiam et totius regularis disciplinae eversionem redactum iri. Neque tamen hoc ita accipi velim quod sentiam monasteria omnia quae Episcopis subjecta sint, destructa esse: sed sane partem maximam. Quod quidem eo magis dolendum et miserandum esse videtur, quod non ab illis haec fiant qui legis divinae praecepta ignorent, sed a viris doctissimis qui monasteria ipsis commissa destruentes, non solum ipsi peccant, sed etiam laicis auctores sunt ad similia perpetranda. Quis enim laicus sibi putet non licere quod clericos audere conspiciat?

§ 25. Cum ita, ut diximus, Carolomanno jubente, S. Bonifacio consulente, Synodus haberetur, multi illic non solum clerici quilibet, haeretica pravitate infecti, extra Ecclesiae communionem pellebantur: sed etiam Episcopi, capitalium criminum maculis infames, deponebantur. Totius autem erroris qui tum in Germania grassabatur, praecipui auctores duo fuere haeretici, Clemens et Aldebertus, de quibus postea cum Epistolas ad Zachariam Pontificem datas protulerimus, opportunius dicetur. In iis enim illorum haeresis exitialis commemoratur. Depositus tunc est etiam Gervilio, Moguntinae sedis antistes: cujus quidem depositionis causa fuit haec. Ea tempestate Saxonibus Thuringiam vastantibus, ejus provinciae homines Carolomanni opem implorabant. Ille mox exercitum mittit, et cum eo Geroldum Moguntinum episcopum, Gervilionis patrem. In ipso autem conflictu, Geroldus cum plerisque aliis caesus est, Gervilio vero filius ejus qui tum adhuc laicus in palatio versabatur, in clerum adsciscitur leniendi doloris causâ quem ex patris morte conceperat, eidemque in Moguntino pontificatu subrogatur. Non diu post Carolomannus rursus colligit militem, proficiscitur contra Saxones, Gervilionem secum ducit. Exercitu utroque ultra citraque ripam fluminis Visurgis (auctor vocat Wisaraham) considente. Gervilio jubet puerum suum ire ad hostium castra, diligenter illic inquirere nomen ejus qui patrem ipsius interfecerat. Abit puer, discit ex quodam non longe abesse eum quem quaereret: rogat, ut ad domini sui colloquium properare velit. Venit ille, et adventu ejus denunciato, paratis equis Episcopus Gervilio ei procedit obviam, et cum in medio flumine inter

se colloquerentur, Gervilio clam ferens gladium, hominem confodit, ita dicens: Accipe jam ferrum, quo patrem vindico charum. Ille mox ex equo corruens, in flumine exhalat spiritum. Repente autem ejus comperta caede, sublato clamore utrinque ad arma concurritur, fit pugna atrox, Saxonibus victis, Carolomannus ad sua se recipit, nemine tum id quod Gervilio fecerat, pro homicidio ei imputante. Itaque reversus domum, perrexit solito more Episcopi munia obire. At sanctus Praesul Bonifacius inter caetera hoc etiam in Synodo pronunciavit, neminem qui hominis caede pollutus sit, sacerdotio fungi posse. Tum etiam objecit ei, suis se conspexisse oculis illum cum avibus et canibus ludentem quod Episcopo fas non esset. Gervilio his auditis, sentiens se nullo pacto contra stimulum vel secularis potentiae, vel Canonicae auctoritatis quae per S. Bonifacium in praesentes omnes proferebatur, calcitrare posse, omnium de se calculis subscripsit, et exauctoratus est. Eo autem deposito, S. Bonifacius a Carolomanno et Pipino fratre ejus Moguntinae sedi praeficitur, et ut ejus dignitas esset eminentior, statuerunt iidem principes Ecclesiam Moguntinam quae tum alteri subjecta erat, in totius Germaniae ecclesiarum metropolim provehere: missàque mox legatione, a Romano Pontifice id impetrarunt.

§ **26**. Ea vero auctoritate fretus S. Bonifacius, coepit ubique ceu novus quidam archimandrita plantare divina, extirpare et profligare quae Satanae sunt, coenobia et ecclesias construere, iisdem Ecclesiis pastores solertissimos praeficere. Nam praeter multos jam ante ab ipso institutos Episcopos, in quibus fuere Villiboldus Eistetensis, et Burchardus Wirciburgicus sive Herbipolensis antistites, etiam Gregorium Trajectensi urbi ordinavit Episcopum, et Lullum sibi adhuc viventi in sede Moguntina substituit. Sunt vero et alia tum ab eo gesta in Germania quae non nisi in epistolis habentur scripta. Itaque libet ea causâ literas tum a Bonifacio ad Zachariam Romanum Pontificem, tum a Zacharia ad Bonifacium, vel pro illo ad Germaniae Principes datas, quas undecumque colligere potuimus, huc ascribere, omissis illis, quas ad Britannôs suos scripsit, ne lectori fastidium adferamus alienis annotandis, cum nobis nostra sufficiant. Nostra autem ea dico quae pro Germanorum, patrum nostrorum salute scripsit, vel ab aliis scripta accepit.

§ **27**. Ex quibus sane literis facile potest animadverti, quanta curâ, benevolentiâ, humanitate prosecutus fuerit omnes illos sanctae Ecclesiae filios, quos per Evangelium genuit, et ut omnibus omnia factus sit, ut omnes faceret salvos. Quo fit sane, ut fidenter ego dicere non verear, eos Germanos, nempe filios ejus qui tanti patris laboribus sive ex scriptis, sive ex fama cognitis, non eum summopere venerantur, eos negligere honorem illum, quem parentibus habere jubemur. Quod si negligentia peccatum est, peccatum

autem nullum manet impunitum, recte et negligentiae poenas dabit. Tum praeterea si juxta Apostolum, patres carnis nostrae habuimus eruditores, et reverebamur eos: nonne multo magis obtemperabimus patri spirituum? Pater autem spiritualis non solum Deus dicitur, sed etiam illi omnes, quorum doctrinâ et exemplis ad veritatis notitiam perducimur, ad religionis cultum stabilem incitamur. Sicut ergo Abraham, pro fidei et obedientiae merito omnibus imitando, dictus est pater omnium in Christum credentium: ita etiam sanctus Praesul Bonifacius, Germanorum omnium pater dici potest quod eos praedicationis verbo in Christo genuerit, exemplo confirmarit, denique animam suam pro illis posuerit, qua charitate nemo potest praestare aut exhibere majorem. Quae cum sit bonorum omnium origo et finis, nos eam prioris libelli hujus volumus esse clausulam, ut ad tempus remisso labore legendi, et lectores et auditores vires sibi colligant et instaurent.

Liber II. § 1. Libro superiori pro ingenioli mei viribus, et veterum scriptorum testimoniis, de conversatione, peregrinatione et praedicatione sancti patris nostri Bonifacii dixi: jam Deo nos bene juvante, libello sequenti explicare cupimus, quantum, post Moguntinae sedis Pontificatum ipsi attributum, pro sancta Ecclesia laboraverit, tum contra haereticos, tum pseudo christianos pugnando, et quali exitu cum martyrii palma ex hac vita migrarit. Illud unum de Epistolis dicendum videtur, satis in iis multa esse explanata, neque fas esse, ut omissis illis quae satis perspicue et erudite prolata sint, nos alio tanquam iis potiora componamus: cum id vitii nedum in sacris, sed etiam in profanis literis merito reprehendatur. His ita praemissis, nunc ad Epistolas, quas promisimus, describendas accedamus, primo loco illam collocantes, quam primam ipse scripsit Zachariae Romano Pontifici (*a*). Etsi autem ea missa fuit ante Synodum, quam supra retulimus, quando tamen ad sequentes epistolas partim pertinet, et unius Pontificis tempore omnes posteriores literae scriptae sunt, nos omnes in hunc librum pariter conferemus.

DOMINO CHARISSIMO, SUMMI PONTIFICATUS INFULA PRAEDITO, VIRO APOSTOLICO ZACHARIAE, BONIFACIUS SERVUS SERVORUM DEI.

Confitemur, Domine Pater, quia per nuncios referentes, quod venerandae memoriae Apostolatus vestri praecessor Gregorius ergastulo corporeo absolutus, ad Dominum migravit, quod expansis ad aethera palmis Deo gratias egimus, quod Paternitatem vestram altissimus Arbiter canonica jura regere, et Apostolicae Sedis gubernacula tenere concessit. Ergo non aliter, quam ut ante vestigia vestra geniculantes, intimis flagitamus precibus, ut sicut praecessorum vestrorum, pro auctoritate S. Petri, servi

(*a*) S. Gregorium II exceperat anno DCCXXXI S. Gregorius Pp. III: huic autem successit decimo illinc anno S. Zacharias.

subditi, et subditi discipuli fuimus, sic et vestrae pietatis servi obedientes, subditi sub jure canonico fieri mereamur, optantes Catholicam fidem et unitatem Romanae Ecclesiae servare... Necesse quoque habemus indicare Paternitati vestrae, quia per Dei gratiam Germaniae populis aliquantulum perculsis vel correctis, tres ordinavimus Episcopos, et provinciam in tres parochias discrevimus, et illa tria oppida sive urbes, in quibus et ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestrae confirmari et stabiliri precantes desideramus. Unam esse sedem Episcopatus decrevimus in castello quod dicitur Wirtzburg: et alteram in oppido quod nominatur Buriburg: tertiam in loco qui dicitur Erphesfurt, qui fuit olim urbs paganorum. Haec tria loca propria auctoritate Apostolatus vestri roborari et confirmari diligenter postulamus, ut si Dominus voluerit, per auctoritatem et praeceptum sancti Petri jussionibus Apostolicis fundatae et stabilitae sint tres in Germania episcopales Sedes..... Notum similiter sit P. V. quod Carolomannus Dux Francorum me accersitum ad se rogavit, ut in parte regni Francorum, quae in sua est potestate, faciam Synodum congregari, et promisit se de Ecclesiastica religione, quae jam longo tempore, id est, non minus quam per sexaginta vel septuaginta annos calcata et dissipata fuit, aliquid corrigere et emendare velle. Quapropter si hoc Deo inspirante, veraciter implere voluerit, consilium et praeceptum vestrae auctoritatis habere debeo. Franci enim, ut seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiae canonica jura alicubi dabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte civitates et Episcopales sedes traditae sunt laicis cupidis ad possidendum vel clericis scortatoribus et publicanis seculariter ad perfruendum. Nam si per verbum vestrum hoc negotium, Duce rogante supradicto, amovere et corrigere debeo, praeceptum et judicium Apostolicae Sedis cum canonicis ecclesiasticis praesto habere cupio. Si invenero inter illos Diacones quos nominant, qui a pueritia sua in omnibus semper spurcitiis vitam ducentes, sub tali testimonio venerunt ad Diaconatum, et modo in Diaconatu concubinas quatuor vel quinque vel plures habentes, Evangelium tamen legere et Diaconos se nominare nec erubescunt, nec metuunt: et sic in talibus incestis ad ordinem Presbyteratus venientes, in iisdem peccatis perdurant: et peccata peccatis adjicientes, dicunt se pro populo posse intercedere, et sacras oblationes offerre. Novissime, quod pejus est, sub talibus testimoniis per gradus singulos ascendentes, ordinantur et nominantur Episcopi: si, inquam, tales invenero inter illos, rogo ut habeam praeceptum conscriptum auctoritatis vestrae, qui de talibus definiatis, et per responsum apostolicum convincantur et arguantur peccatores. Inveniuntur etiam quidam inter eos Episcopi, qui licet se fornicarios et adulteros dicant non esse, sunt tamen ebriosi, vel venatores, et pugnant in exercitu armati, et effundunt propria manu sanguinem hominum, sive paganorum, sive Christianorum. Et quia servus et legatus Apostolicae Sedis esse dinoscor, unum sit verbum et meum hic, et vestrum ibi, si contingat, ut ad judicium auctoritatis vestrae pariter missos dirigamus.

Praeterea de una re necesse habeo et consilium quaerere, et licentiam petere, eo quod venerandae memoriae praecessor vester, sicut audistis, in praesentia vestra mihi praecepit, ut presbyterum ante obitum meum, Deo volente, in Ecclesiastico ministerio haeredem et successorem constituere deberem. Et hoc mihi, si Dei voluntas est, placet. Sed modo dubito, et nescio si fieri possit: quia postea frater illius avunculum Ducis Francorum

occidit, et adhuc ignoramus, qualiter ista discordia pacificari et finiri valeat. Sed obsecro, ut auctoritatis vestrae licentia sit, cum consilio servorum Dei de ista electione facere, quod nobis in commune pro Ecclesiae utilitate, vel fructu spirituali et defensione religionis optimum esse videatur: ut consensum vestrum habeam de hoc facere, quod optimum mihi inspirare dignetur Deus: quia hoc non videtur posse fieri, si contrarius Princeps fuerit.

Praeterea quaerere et interrogare Paternitatis vestrae consilium debeo de quadam confusione, quae nuper ad nos veniens mentem nostram conturbavit, et sacerdotibus ecclesiarum verecundiam incutiebat. Nam laicus quidam magnae personae ad nos veniens, dicebat sibi ab Apostolicae Sedis Pontifice sanctae memoriae Gregorio datam fuisse licentiam, ut in matrimonium acciperet viduam avunculi sui, quae et ipsa fuit uxor consobrini sui, et ipsa illo vivente discessit ab eo, et isti viro, qui nunc eam accipere desiderans, affirmat sibi licentiam datam, in tertia generatione propinqua esse dinoscitur. Haec etiam votum castitatis Deo vovens, velata fu t, et iterum, abjecto velamine, maritata. Tale enim matrimonium supradictus homo sibi ab Apostolica Sede affirmat esse concessum, quod non aestimamus verum: quia Synodus, et Ecclesia in qua natus et nutritus fui, id est, in transmarina Saxonia Lugdunensis Synodus, quae in primis a discipulis S. Gregorii id est, Augustino, Laurentio, Justo, Melito Archiep. constituta et ordinata fuit, talem copulam et matrimonium, maximum scelus et horribile flagitium ex auctoritate sanctae Scripturae judicabant. Quapropter Paternitas vestra hujus rei veritatem nobis indicare non dedignetur, ut Ecclesiae sacerdotibus vel populo Christiano inde scandala et schismata non oriantur: quia carnales homines et idiotae Alemanni, vel Bajoarii, vel Franci, si juxta Romanam urbem aliquid fieri viderint ex his peccatis, quae nos prohibemus, licitum esse putant, et nobis improperium deputant, sibi vero scandalum vitae accipiunt: sicut affirmant se vidisse annis praeteritis in Romana urbe, et juxta Ecclesiam S. Petri die vel nocte, quando Calendae Januarii intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas, et acclamationes et cantiones sacrilegas facere, et nullum de domo sua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo praestare velle.

Dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres, pagano ritu phylacteria et ligaturas in brachiis et cruribus ligatas habere, et publice ad vendendum venales aliis offerre. Quae omnia, eo quod ibi a carnalibus et insipientibus videntur, hic improperium et impedimentum praedicationis et doctrinae efficiunt. De talibus ait Apostolus: Dies observatis et tempora: timeo, ne sine causa laboraverim in vobis. Et S. Augustinus dixit: Qui divinationibus, et aruspiciis, et phylacteriis, vel quibuslibet auguriis crediderit, etsi jejunet et oret, etsi jugiter ad ecclesiam currat, etsi largas eleemosynas faciat, etsi corpusculum suum in omni afflictione cruciaverit, nihil ei proderit, quamdiu sacrilegia illa non reliquerit. Nam si istas paganias ibi Paternitas vestra in Romana urbe prohibuerit, et sibi mercedem, et nobis maximum profectum in doctrina Ecclesiastica acquiret.

Episcopi quoque et presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri vel fornicatores acerrimi, quos in gradu Episcopatus vel presbyterii fornicationum nati filii arguunt, redeuntes ab Apostolica Sede, dicunt sibi Romanum Pontificem licentiam dedisse, ministerium Episcopale in Ecclesia usurpare. Contra quos contendimus, quia Apostolicam Sedem contra

decreta Canonum nequaquam audivimus judicasse. Haec omnia Domine charissime propterea vobis nota fecimus, ut vestrae auctoritatis responsum talibus dare possimus, ut per cautelam vestrae doctrinae oves Ecclesiae non seducantur, sed lupi rapaces convicti et superati pereant. Interea munuscula parva vobis direximus, non quia digna sint Paternitate vestra, sed pro indicio charitatis, obedientiae, et devotionis, id est, villosam unam, et argenti et auri tantillum. Dexterâ Domini protegente, incolumem valere et in Christo proficere beatitudinem vestram in longitudine dierum optamus... etc.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI BONIFACIO EPISCOPO,

ZACHARIAS SERVUS SERVORUM DEI.

Susceptis sanctissimae fraternitatis tuae literis, quia te sospitem, ut semper cupimus, esse cognovimus, omnipotenti ac misericordissimo Deo nostro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis prosperari dignatur. Magnam enim cordibus nostris infundis laetitiam, quoties nobis sanctitatis tuae scripta mittuntur, quando reperimus, quae ad salutem respiciant animarum, cum quotidie in gremio sanctae matris Ecclesiae per tuam praedicationem novi populi adduntur, ubi et tres Episcopos per loca singula secundum seriem syllabarum tuarum te ordinasse cognovimus, qui eidem populo, quem sibi Dominus Deus noster per tuam sanctitatem aggregare dignatus est, praeesse debeant: et petisti, ut per auctoritatem nostrae Sedis Episcopales ibidem Sedes firmentur. Sed tua sancta fraternitas pertractet mature, et subtili consideratione discernat, si expedit, aut si loca aut populorum turbae talia esse probantur, ut Episcopos habere mereantur. Meminisse enim debes, charissime, quod sacris Canonibus praecipimur observare, ut minime in villulas, vel in modicas civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi. Sed nos tuis sincerissimis atque dilectis verbis provocati, quae poposcisti, absque mora concedimus, et statuimus per Apostolicam auctoritatem... *

De eo autem, quod nobis intimasti, quia te Carolomannus filius noster rogavit, ut in parte Francorum, in sua ditione constituta, Synodum celebrares, eo quod omnis Ecclesiastica regula seu disciplina, ab eadem provincia funditus abolita est, nimis moerendum est, quod per spatia tanta temporum ibidem Synodus sacerdotum minime celebraretur. Unde neque quid sit sacerdotium, ab eis qui se sacerdotes esse existimant, cognoscitur. Sed dum, juvante Deo, quae a praefato filio nostro promissa sunt, ad effectum perducta fuerint, tuaque fraternitas memorato Concilio consederit cum eodem excellentissimo viro, si quos repererit episcopos, presbyteros aut diaconos contra Canones vel statuta patrum excessisse, id est, in adulterio, vel si plures uxores habuerunt, aut si sanguinem Christianorum sive paganorum effuderunt, vel etiam aliis capitalibus vitiis, quibus Canones obviasse reperit tua sanctitas, nulla ratione Apostolica auctoritate permittat sacerdotio fungi: quia tales a suo tantum ore falso nominantur sacerdotes et deteriores secularibus esse noscuntur, qui se neque a fornicationibus, neque a nefariis matrimoniis abstinent, neque ab humani sanguinis effusione manus servant innoxias. Aut quid inde sentiunt,

* Nota in his Litteris quid S. Pontifex Zacharias B. Bonifacio respondeat — circa continentiam Clericorum — incestuosum et sacrilegum conjugium — vanas, e gentilitate acceptas observationes.

dicente Domino: Sacerdotes mei semel nubant? et Apostolus, unius uxoris virum, etc. Et hoc ante susceptum sacerdotium uti licitum est. Nam a die suscepti sacerdotii etiam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt. Quomodo se sacerdotio fungi considerant, qui talibus sceleribus involuti monstrantur, ut neque seculares fideles his facinoribus obvolutos optemus? Quomodo non pertimescunt divina mysteria contingere, aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere praesumunt, dum sacri Canones neque purum clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptiis permittunt? Isti verò e contrario non solum post susceptum sacerdotium se abstinere nolunt ab una uxore, immo luxuriae dediti, pejora secularibus scelera committunt, ut plures uxores habere praesumant, quibus neque unam concessum est post susceptum ministerium attrectare. Sed et ista parvipendentes, atque Dominum ad iracundiam provocantes, majora committunt facinora, dum propriis manibus Christianos atque paganos necant, et fit, ut qui in remissionem peccatorum debuerunt lavacrum regenerationis impendere, et Christi sacramenta donare aliis, ne in aeternum perirent, eorumdem sacrilegis manibus extinguantur. Quis enim sapiens eos aestimet sacerdotes, qui neque a fornicationibus abstinent, neque ab effusione humani sanguinis manus servant innoxias? Quisve eorum sacrificiis Dominum esse credit placatum, dicente Propheta: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus?* (*Ps.* 5). Istos ergo, ut praemisi, nec sacerdotio fungi patiaris, neque divina contingere mysteria. Quicquid verò aliud eos contra Ecclesiasticam regulam excessisse repèreris, Canones sive instituta patrum prae manibus habeto, et sicut in eis edoctus fueris, discerne.

Quod autem tibi successorem constituere petisti, ut te vivente in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem Ecclesiasticam regulam esse monstratur: sed volumus, ut tibi ministret, et sit in Evangelio Christi adjutor, dicente Apostolo: *Si quis bene ministraverit, gradum sibi bonum acquiret* (2. *Tim.* III). Nimis enim reprehensibile ac detestabile esse manifestum est, ut te vivente, tibi alium substituamus. Sed hoc admonemus, ut quamdiu te divina jusserit clementia superesse, sine intermissione orare studeas, ut tibi Deus illum successorem concedat, qui ei possit esse placabilis, et populum, quem ad suam gratiam per tuae sanctitatis industriam vocare voluit, irreprehensibiliter regere, atque ad viam vitae perducere valeat. Nam quomodo haec quae poposcisti, si etiam voluerimus, concedere possumus, dum nos fragiles homines, sub conditione mortis constituti, ignoremus quid superventura pariat dies, et quis e nobis prior de praesenti saeculo migret? Si autem eumdem divina voluerit clementia post tui transitus diem superesse, si eum aptum agnoveris, et in tua voluntate fuerit definitum, ea horà, qua te de praesenti saeculo migraturum cognoveris, praesentibus cunctis tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus: quod nulli alii concedi pàtimur.

De illo vero, qui viduam avunculi sui, quae et ipsa fuit uxor consobrini sui, et sacrum velamen habere monstrata est, et a beatae memoriae Praecessore nostro sibi licentiam esse concessam divulgavit, ut in perniciosum matrimonium assumere debuisset: absit hoc, ut decessor noster ista praeciperet. Nec enim ab hac Apostolica Sede illa permittuntur, quae contraria esse Patrum sive Canonum institutis probantur. Admonere et increpare eos, frater charissime, ne cesses, quatenus a tam scelesto recedant matrimonio, ne in aeternum pereant. Reminiscantur ergo se Christi

sanguine esse redemptos, et non sponte se contradant diabolicae potestati: sed magis omnipotenti Deo et Christo Filio ejus Spirituique Sancto, in cujus nomine ab illius antiqui hostis erepti sunt potestate. Labora igitur, sanctissime frater, in eis, qui scriptum cognoscis: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et suorum operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* v). Nos quoque ei pro hoc commonitoria scripta direximus.

De Calendis vero Januarii vel caeteris auguriis, phylacteriis et incantationibus, vel aliis diversis observationibus, quae gentili more observari dixisti apud B. Petrum Apostolum, vel in urbe Roma: haec et nobis et omnibus Christianis detestabilia et perniciosa esse judicamus, dicente Domino: Non augurabimini. Et iterum Scriptura dicit: *Non sint auguria in Israël, nec observatio in domo Jacob* (*Num.* XXIII). Igitur et a nobis cavendum esse censemus, ut nullis auguriis vel observationibus attendamus: quia omnia haec abscissa esse a Patribus edocti sumus. Sed quia per instigationem diaboli iterum pullulabant, a die, qua nos jussit divina clementia, quamquam immeriti existamus, Apostoli vicem gerere, illico omnia haec amputavimus. Pari etenim modo volumus tuam sanctitatem populis sibi subjectis praedicare. Nam et sanctae recordationis praedecessoris atque nutritoris nostri Domini Gregorii Papae constitutione, omnia haec pie atque fideliter amputata sunt, et alia quamplura, quae diabolo suggerente pullulabant in Christi ovili.

De sacerdotibus vero falsis, qui falsa opinantur, qui etiam adulteri et fornicatores esse probantur, et sibi ab Apostolica Sede indultum esse testantur, hoc nulla ratione credat sancta fraternitas tua: sed similiter in eis canonicam exercere vindictam, quemadmodum de his, quibus superius a nobis edoctus monstraris. Non enim aliud te agere volumus praeter quod sacri praecipiunt Canones, vel etiam ab hac Apostolica Sede instructus esse dinosceris. Tuae quoque sanctitatis petitionem implevimus, mittentes tribus Episcopis tuis singulas confirmationis epistolas, quas per sanctitatis tuae manus eis largiri volumus, et Carlomanno filio nostro, alia scripta direximus, ut adminicula, quibus indiges, adimplere festinet. Jam, frater charissime, de omnibus superius comprehensis capitulis, ut Dominus donavit, respondimus, ad amputanda omnia diabolicae fraudis scandala: tua vero sancta fraternitas, si quid de caetero evenerit, ut sacri docent Canones, studeat emendare in plebibus sibi a Deo commissis. Non enim aliud nobis convenit praedicare, praeter quod a sanctis Patribus sumus edocti. Si vero novi aliquid, inimici astutià agente, acciderit, quod tua sancta fraternitas minime per Canonum instituta discernere possit, hoc nobis non pigeat insinuare: quatenus, Deo juvante, quaeque ad emendationem novae plebis esse possunt, tibi absque tarditate respondere curemus. Cognoscat ergo tua sancta fraternitas ita dilectionem tuam haberi in nostris praecordiis, ut te praesentialiter quotidie videre desideremus, et ita te in nostro consortio habere, ut ministrum Dei, et dispensatorem Ecclesiarum Christi. Confortare itaque in Domino, frater charissime, et esto robustus, et labora in opere, ad quod te divina voluit clementia vocare. Magna etenim te spes remunerationis expectat, quam promisit Deus diligentibus se. Et nos, licet peccatores existamus, tamen Dei nostri immensam clementiam non cessamus exorare, ut qui coepit in vobis, perficiat opus bonum usque in finem, et B. Petrus Apostolorum princeps cooperetur tibi in omnibus bonis, qui ei parère desideras. Deus te incolumem custodiat, sanctissime frater, etc.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI BONIFACIO COEPISCOPO, ZACHARIAS SERVUS SERVORUM DEI.

Virgilius et Sidonius religiosi viri, apud Bajoariorum provinciam degentes, suis nos literis visitantes, intimarunt quod tua reverenda fraternitas eis injungeret Christianos denuo baptizare. Quod audientes, nimis conturbati sumus, et in admirationem magnam incidimus, si habetur, ut dictum est. Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nesciens Latini eloquii linguam, diceret: Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritus Sancta: ac per hoc tua reverenda fraternitas jusserit rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut haeresim, sed sola ignorantiâ Romanae locutionis infringendo linguam, ut praefati sumus, baptizans dixerat, non possumus consentire, ut ab eo baptizati, denuo baptizentur: quia, sicut tua bene novit sancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgandus est. Si ergo ita est, ut nobis relatum est, nolo amplius a te illis praedicetur hujusmodi doctrina: sed ut sancti Patres docent et praedicant, tua sanctitas studeat conservare. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater.

* EXCELLENTISSIMO PATRI ATQUE APOSTOLICO PONTIFICI ZACHARIAE PAPAE, BONIFACIUS EXIGUUS SERVUS SERVORUM DEI, OPTABILEM IN CHRISTO CHARITATIS SALUTEM.

Postquam me ante annos prope triginta sub familiaritate et servitio Apostolicae Sedis, annuente et jubente venerandae memoriae Antistite Apostolico Gregorio, anteriore voto constrinxi, quidquid mihi laetitiae vel tristitiae acciderat, Apostolico Pontifici solebam indicare, ut in laetis simul laudaremus Dominum, et in tristibus ejus consilio roborarer. Ita et nunc mihi liceat vobis indicare, precor, sicut scriptum est: Interroga patrem tuum, et annunciabit tibi: seniores tuos, et dicent tibi. Notum enim sit Paternitati vestrae, quia postquam indigno mihi mandastis in provincia Francorum, sicut et ipsi rogarunt, sacerdotali concilio et Synodali conventui praeesse, multas injurias et persecutiones passus sum a falsis sacerdotibus, et adulteris presbyteris, seu diaconibus et fornicariis clericis. Maximus tamen mihi labor est contra duos haereticos pessimos et blasphemos contra Deum et contra Catholicam fidem. Unus, qui dicitur Aldebertus, natione Gallus est: alter, qui dicitur Clemens, genere Scotus est: specie quidem erroris diversi, sed pondere peccatorum compares. Contra istos obsecro auctoritatem vestram, ut me defendere et adjuvare et populum Francorum et Gallorum per scripta vestra corrigere studeatis, ne haereticorum fabulas et vana prodigia ac signa praecursoris Antichristi sectentur: sed ad Canonica jura et ad viam verae doctrinae convertantur, et ut per verbum vestrum isti duo haeretici mittantur in carcerem, nullusque cum eis communionem habeat, ne forte fermento doctrinae illorum fermentatus aliquis pereat, sed segregati vivant, et juxta dictum Apostoli, traditi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit

* Quaedam sequebantur Romanae Synodus Acta, quae, utpote minus ad S. Bonifacii Vitam pertinentia, eliminanda censuimus, excepta egregia S. Episcopi epistola de duobus haereticis Aldeberto et Clemente, de quibus in praefata Synodo agendum fuit.

in die Domini. Et si Ecclesiam non audierint, sint nobis, juxta Evangelicum praeceptum, sicut ethnici et publicani. Propter istos enim persecutiones et inimicitias et maledictiones multorum patior, et Ecclesia Christi impedimentum fidei et doctrinae rectae sustinet.

Dicunt enim de Aldeberto, quod eis sanctissimum Apostolum abstulerim, patronum et oratorem, virtutumque factorem, et signorum ostensorem abstraxerim. Sed pietas vestra audiens vitam ejus, judicet ex fructu, utrum vestimentis ovium indutus, intus lupus rapax fuerit, an non. In primaeva igitur aetate hypocrita fuit, dicens quod sibi Angelus Domini in specie hominis de extremis finibus mundi mirae et tamen incertae sanctitatis reliquias attulerit, et exinde potuerit omnia, quaecumque poposcerit, a Deo impetrare. Hac ergo simulatione, sicut Apostolus Paulus praedixit, penetravit multorum domos, et captivas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, quae ducebantur variis desideriis, et multitudinem rusticornm, dicentium quod ipse esset vir Apostolicae sanctitatis. Praeterea conduxit Episcopos indoctos, qui se contra praecepta Canonum absolute ordinaverunt. Unde in tantam superbiam elatus est, ut se aequipararet Apostolis Christi, et dedignatus in alicujus Apostolorum vel martyrum honore ecclesiam consecrare, in proprio honore dedicaret oratoria, vel, ut verius dicam, sordidaret. Ad haec etiam improperans, cur voluissent homines visitare limina sanctorum Apostolorum, fecit eis cruciculas et oratoriola in campis, et ad fontes, vel ubicumque sibi videbatur, et jussit ibi publicas orationes celebrari, intantum ut multitudines populorum, spretis caeteris Episcopis, et dimissis antiquis ecclesiis, in talibus locis conventus agerent, dicentes: Merita sancti Aldeberti adjuvabunt nos. Ungulas quoque suas et capillos dedit ad honorificandum et portandum cum reliquiis sancti Petri Apostolorum principis. Tantis itaque flagitiis involutos, praesumpsit quoddam, quod maximum scelus et blasphemia contra Dominum esse videtur. Venienti enim populo et prostrato ante pedes ejus, et cupienti confiteri peccata sua, dixit: Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra: ideoque non est opus confiteri ea. Securi ergo et absoluti de peccatis vestris praeteritis, revertimini ad domos vestras cum pace. Haec igitur atque his similia, quae sanctum Evangelium hypocritas facturos esse testatur, idem Aldebertus suo habitu et incessu moribusque solet operari.

Alter autem haereticus, qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Ecclesiam, abnegans scilicet et refutans Canones sacros, tractatus et expositiones sanctorum Patrum, Hieronymi, Augustini et Gregorii. Synodalia etiam jura spernens, affirmat se post duos filios, sibi in adulterio natos, esse posse legis Christianae Episcopum. Praeterea Judaismum introducens, justum judicat esse Christiano, ut, si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Ipse etiam contra fidem sanctorum Patrum contendit dicens quod Christus filius Dei descendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos videlicet et incredulos, nec non cultores idolorum. Multa quoque alia horribilia et contraria fidei Catholicae, de praedestinatione Dei affirmat. Quapropter precor, ut literas vestras de hoc haeretico mandare curetis Duci Carlomanno, ut mittatur in custodiam, ne semina satanae latius seminans, una ovis morbida totum gregem polluat. Valere sanctitatem vestram et prosperis profectibus gaudere in longitudine dierum, optamus *.

* Lectis coram S. Zacharia Pp. et magno Episcoporum coetu his Bonifacii litteris, discussa

§ 2. Jam porro ante omnia commemoraturus sum, qua devotione erga Fuldense monasterium fuerit Carlomannus princeps, id enim rationi consentaneum videtur, eam hic devotionem commemorare, ut non modo tanti viri declarentur beneficia, sed etiam illorum profectui consulatur, quos optima exempla aedificant: tum quoque, ut pudefiant illi, qui licet optima quaeque norint, videant, audiant, at nihilominus in sua nequitia persevèrant, solum ore confitentes Deum, factis negantes: cordium aures libenter accommodantes iis quae mundi amorem resipiunt, porro ad Dei praecepta eas occludentes. Princeps ergo ille, quem diximus, quamvis adjacentium regionum bellis infestaretur, non tamen iis potuit a sacrorum locorum et servorum Dei procuratione retardari: nimirum persuasum habens, arma spiritalia, quae sunt virtutes animi, multo esse potiora validioraque armis manufactis: neque ullam habens fiduciam in multitudine exercitus, si virtutes spiritales abessent, convenienter illi propheticae sententiae: *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae* (*Ps. 32*). Itaque cum omnia Christianae religionis jura, ut ex superioribus potest animadverti, tum pseudo christianis, tum haereticis profligandis, ad S. Bonifacii consilium correxisset, illius etiam votis in Fuldensi construendo monasterio non defuit. Cum enim Abbas Sturmis locum illum, ubi nunc situm est idem monasterium, cum fratribus quibusdam incolere coepisset, situmque loci sancto Bonifacio commendasset, vir sanctus supplices Carlomanno preces obtulit, ita dicens: Pro perpetua remuneratione tua omnipotentem Deum exoro, si mihi cum bona venia tua liceat in orientali ditione tua monasterium construere, vitamque monasticam instituere. Invenimus enim locum in Buchoniae solitudine apud Fuldam fluvium, servire Deo volentibus bene opportunum, qui sit tuae ditionis, petimusque ut tua pietas eum nobis donare velit, ut in illo Christo serviamus.

§ 3. His auditis, Carlomannus laetatus est, cunctisque proceribus suis convocatis, preces sancti Episcopi eis exposuit, et coram illis locum illum tradidit Episcopo, dicens: Quidquid eo in loco, quem petis, meae est ditionis, ab hodierno die in jus Domini transfero, ita ut ab Occidente et Oriente, Septentrione et Meridie ad tria millia passuum illi assignentur. Hac facta traditione, misit nuncios, qui nobiles omnes Grapfeldensis regionis convocarent, eosque obnixe precarentur, ut quicumque intra eos, quos diximus, limites juris aliquid haberet, monasterio a sancto Bonifacio construendo in Dei cultum largiretur (*a*). Ubi innotuit

diligenter caussâ, unanimi vòto damnati sunt Aldebertus et Clemens, ac missae Litterae Apostolicae ad Germaniae et Francorum Praesules et universum Clerum, nec non ad Reges et Duces cunctos in S. Bonifacii commendationem.

(*a*) Quod sub titulo Ss. Salvatoris est consecratum, et severiori S. Benedicti Regulâ instructum. Fuldense Monasterium nulli fuit ex celeberrimis secundum, Cassinensi italico per omnia

nobilibus Principis petitio, mox cum omni devotione Deo et sancto Bonifacio, venerandoque Abbati Sturmi quicquid illic juris haberent, tradiderunt, Ut autem firma esset ad omnem posteritatem ea traditio, Carlomannus, qui hujus auctor erat, chartam suae donationis scribi jussit, eique suum sigillum impressit.

§ 4. Haec et id genus alia faciens Carlomannus, cum in Dei amore magis ac magis proficeret, nec tamen in habitu seculari eam posset, quam vellet, vitae servare integritatem, partem optimam elegit quae non posset ab illo auferri. Nam relictis omnibus mundi hujus opibus et honoribus, ad Cassinum montem, ubi tunc arctissima vitae monasticae disciplina vigebat, profectus est, ibique monachus factus est, Pipino fratri regni munia committens. Qui paterna fraternaque potitus dignitate, cum esset Major domus, ut tunc dicebantur, eandem curam, solicitudinem et devotionem, quam ejus frater; tam erga divina quam secularia negotia prae se tulit, per omnia se accommodans ad sancti Bonifacii consilia. Unde factum est, cum se Deo qui deponit potentes de sede, et exaltat humiles, submittere jugiter studeret, ut ad regiam dignitatem evectus sit. Nec tunc minus, quam antea, S. Bonifacium et diligere et venerari perrexit. Itaque fratris donationem suis literis confirmavit.

§ 5. Per idem tempus clericus quidam bonae conversationis, Adalgerus nomine, S. Bonifacio adhaesit, eique fideliter ministravit. Non diu post morbo gravi correptus, cum se in extremis positum sentiret, ex consilio viri Dei praedia omnia, quae ex paterna haereditate ad ipsum devoluta erant, S. Martino tradidit. Eo vero defuncto, fratres ejus Aspertus et Trutmundus omnia, quae tradiderat ex Adamanaburgo, Breittenbrunnon et Seleheim, sibi vendicarunt. Ea causâ a defensoribus Episcopi compellati, responderunt se cum juramento asseveraturos, fratris praedia jure se sibi vendicasse. Ei autem juramento Episcopus se promisit adfuturum. Adveniente igitur statuto die, cum multos e sua familia et cognatione adduxissent, ut juramentum praestarent, adfuit etiam vir Dei. Cum autem ejus jurisjurandi socios secum ad altare traherent, dixit eis Episcopus: Vos soli jurate, si vultis, nolo ut hi vobiscum pariter pereant. At illi incunctanter jurarunt. Deinde ait ad illos Episcopus: Jurastis? Illis se jurasse affirmantibus, dixit Episcopus ad Aspertum: Major ursus te occidet. Deinde ad Trutmundum, Nunquam, inquit, ex te proles nascetur. Utrumque hoc ita evenit. Nam paulo post Asperto ad mensam sedenti dictum est, ingentem ursum per agrum discurrere. Tum ille ascenso equo, non expectatis sociis, cum venabulo coepit ursum persequi. Sed ex equo delapsus, membris omnibus

comparandum. Ex eo duxit originem Fuldae urbs ejusque Sedes Episcopalis Moguntinae metropolit. subjecta. S. Sturmius, primus a B. Bonifacio praepositus illi Monasterio Abbas, Martyrologio Rom. inscriptus legitur XVII dec.

confractis, periit, ita ut servi ad illum properantes, jam extinctum invenirent. Id ubi Trutmundus audivit, cernens viri Dei propheticam praedicationem in fratre completam, valde pertimuit, moxque per nefas ablata praedia, ad altare S. Martini restituit.

§ 6. Sentiens autem vir sanctus verbi divini semina quae intra Germaniae et Galliae fines jactasset, in cordibus credentium jam germinare et crescere, nec ignorans corporis sui dissolutionem non longe abesse, cum ardenti desiderio cuperet apparere ante faciem Dei, constituit redire ad Frisones: quos olim quidem ad Christi religionem traduxerat, sed fallente diabolo quosdam ad ethnicismi errores relapsos didicerat, quos cum Deo in gratiam restituere cupiebat, ei ita in tam praeclaro opere illic vitam finire: aut certe, si sic Deo potius visum esset, pro ejus nomine adversa et cruciatus omnes ibi fortiter tolerare. Sed antequam tam periculoso se daret itineri, sciens absurdum id esse, si quis propriis posthabitis ovibus, alienas curandas suscipiat: sanctum Lullum qui praedicationum et laborum ejus fidissimus comes extiterat, cujusque virtutes omni honore dignas noverat, consentiente tum Pipino rege, tum Episcopis, Abbatibus, Canonicis, et proceribus ad ipsius dioecesim pertinentibus, pro se Episcopum ordinavit: id quod jam ante a Romano Pontifice impetrarat. Deinde manu sua apprehensum, commendavit illum cunctis principibus illic congregatis, ut ei tamquam patri obedirent, et in omni necessitate adjutores illi se praeberent.

§ 7. Postea ad Thuringos et Rheni accolas profectus, similiter fecit. Postremo ipsum S. Lullum adhortans, ait: « Quandoquidem resolutionis meae tempus appropinquat, decrevi proficisci, quocumque divinae gratiae visum est me mittere. Tu ergo, fili charissime, animarum tibi creditarum curam age: tu populum ab errore rèvoca: tu inchoatam monasterii mei basilicam apud Fuldam absolve, et illic corpus meum, ubicumque tandem decessero, trade sepulturae. Tum praeterea da operam, ut habeamus itineri nostro res necessarias, et linteum, quo hoc decrepitum corpus post obitum obvolvatur, in librorum meorum theca repone.» Haec cum vir sanctus dixisset, tametsi Lullus ab imo pectore multa traheret suspiria, et prae dolore nimio lacrymas cohibere non posset, non tamen ausus est quicquam illi se opponere. Paucis post diebus navim cum delectis ad illud iter sociis vir beatus ingressus per Rheni alveum ad Frisonum regionem incolumis perlatus est. Ibi tum circumquaque progrediens, verbum Domini cum multa fiducia praedicavit, et ecclesias ingenti studio extruxit. Tantam autem gratiam contulit ei Deus, ut intra breve tempus multa virorum ac mulierum millia cum suo socio Eobano baptizarit. Eum autem Eobanum ut suae senectuti aliquod pararet levamentum, Episcopum Trajecti instituit. Aderant vero etiam ei presbyteri tres et totidem diaconi, puta,

Wintrugius, Walterus et Adalherus, Stircbaldus, Hamuntus et Boso. Porro Waccarus, Gunderharus, Williherus et Adolphus professione erant monachi, eumque sequebantur. Atque hi omnes unanimiter cum illo laborantes in praedicatione Evangelii, meruerunt etiam palmae martyrii esse consortes.

§ 8. Cum enim per latas Frisonum terras discurrissent, et ad Bortnam flumen pervenissent quod est in confinio eorum, quos vulgari idiomate vocant Oester et Westerreiche, S. Bonifacius solis comitibus suis stipatus, jussit ibi tentoria figi, volens in eodem loco nuper baptizatorum sustinere adventum confirmationis gratiâ. Jam enim propinquabat dies eidem confirmationi destinatus. Is postquam advenit, sole jam summos occupante gradus, omnes illi qui haud aliter atque filii a patre expectabantur, indigni percipere gratiam Spiritus Sancti quae illo die per sacram confirmationem illis offerenda erat, ex amicis in hostes, et ex neophytis in lictores mutati, cum ingenti strepitu armorum ad sanctorum castra advolant. Id cernentes famuli, sumptis armis, contra illam furentis populi multitudinem sanctos tuèri nitebantur. At S. Bonifacius audito tumultuantis turbae impetu, primo quidem ad spiritalis praesidii asylum confugit, sanctorum reliquias, quas semper secum circumferre solebat arripiens: deinde accitis ad se clericis, e tentorio processit, famulosque ad resistendum paratos compescuit, dicens: «Nolite, quaeso, pugnare filii mei: nolite adversariis bellum inferre, quando sacrae Scripturae verbis docemur, non solum malum pro malo non reddere, sed etiam pro malis bona exhibere. Jamdiu optatus adest dies: jam tempus illud advenit, quo de laboriosa seculi hujus aerumna ad aeternae beatitudinis gaudia invitamur. Cur ergo tantam gratiam, tantam gloriam a nobis excludere vultis? Immo vero confortamini in Domino, et oblata coelestis gratiae munera gratis animis nos excipere patimini. Sperate in Dòmino, et ille nos a periculis omnibus eripiet.» His et id genus aliis sermonibus compescuit ministros ab armis hostibus inferendis. Deinde etiam Clericos cujusque ordinis patria ac libera voce adhortans, «Fratres charissimi, inquit, si qua divini cura amoris, si qua apud vos mearum admonitionum residet memoria, hac horâ jam declarate, in animum revocantes illa verba Salvatoris: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*. Spei vestrae ancoram in Deo defigite qui post vitam hanc momentaneam perpetuae salutis bravium vobis rependens, ad civium supernorum consortium vos perducet. Nolite, obsecro, diuturna invictarum mentium praelia in hoc temporis puncto amittere: nolite improbis gentilium blandimentis et adulationibus enervari: sed praesentissimum hoc mortis discrimen quod nobis impendet, pro illius amore qui nostra causâ passus est, constanter et viriliter perferte, ut cum illo aeternum gaudere possitis.»

§ **9**. Necdum vero sanctus Episcopus hujus salutiferae exhortationis verba absolverat, cum ecce furens illa paganorum turba, cum gladiis et omnis generis infesta armatura in eos irruit, cruentisque manibus barbara quadam feritate eos trucidat. Inde ad tentoria eorum properant, et tum libros, tum sacrarum reliquiarum capsulas secum auferunt, arbitrantes se magnos in eis argenti et auri thesauros reperturos. Mox ad naves advolant, alimenta omnia exportant, et cum aliquid vini illic reperissent, hilariter inde potitant. Postea inter se tractant de dividundo inter ipsos thesauro illo, quem se invenisse falso existimabant. Cumque longa disceptatione nihil inter se pacifice possent constituere, repente inter eos immanis existit discordia quae eousque processit, ut eodem furore, eadem vesaniâ, iisdemque armis, quibus sanctos martyres suae salutis ministros jugularant, mutuo se conficerent. Ea caede peracta qui ex iis supererant, iterum spe pecuniarum incitati, ad thecas illas properant, iisque confractis, pro auro et argento codices et divinae doctrinae chartas inveniunt. Tum furore et amentiâ perciti, codices illos partim per campi planitiem, partim per paludes dispergunt, partim in loca incongrua abjiciunt. Qui tamen beneficio Dei, ut cujus esset meriti vir sanctus, innotesceret, post longa tempori spatia illaesi et inviolati reperti sunt, et ad ecclesias in quibus hodieque manent, a singulis eorum inventoribus reportati.

§ **10**. In iis autem repertus est sancti Evangelii codex, quem vir beatus pro sanctitate sua jugiter apud se ferre consueverat: qui licet ense acuto, ut etiamnum videre licet, per medium sectus sit, nulla tamen litera ea sectione abolita est. Eum librum fertur sanctus Episcopus tum, cum in ejus caput ensis vibraretur, sicario objecisse, vel pro tuendo capite, ut tali in periculo fieri solet, vel pro spiritali clypeo. Et est sane illustre miraculum, quo et Dei virtus, et beati viri sanctitas declaratur, in secto libro nullius literae abolitionem videri. Frustrati autem spe sui carnifices illi, domum tristes abierunt. Ubi autem vicini Christiani eam sanctorum virorum necem percepere, terras latronum illorum armata manu invaserunt: et cum se ad repugnandum homines impii compararent, sed tanti sceleris conscientiâ pressi, nihil possent, in fugam acti, a Christianis interfecti sunt. Cumque res illorum diripuissent Christiani, ad sua reversi sunt. Ita qui salutis suae ministros trucidare non sunt veriti, duplici contritione contriti sunt, corporis in hac vita, animarum apud inferos.

§ **11**. Non diu post Trajectensis Ecclesiae Clerici corpus S. Bonifacii Trajectum deportarunt, et cum multa veneratione tumularunt. Id postquam rescivit S. Lullus, convocatis permultis, tam clericis quam laicis, venerabilibus viris, indicavit eis necem S. Bonifacii, et quemadmodum Trajecti humatus sit: simul etiam exponens eis, quo in loco se adhuc vivens jusserit sepeliri, petiit

ut ad ejus exequendam voluntatem ipsi velint adjumento esse. Permultis autem sese ad eam rem promptissimos offerentibus, elegit ex eis magis idoneos, misitque partim navibus, partim equis subvectos qui sancti viri corpus a Trajectensibus repeterent. Sed cum Trajectenses illorum cognito adventu sese illis opponerent, nec tamen tantae multitudini se pares esse viderent, protestati sunt, a Pipino rege jussum esse, ne corpus S. Bonifacii inde tolleretur. Quod cum legati commentitium putarent, totis viribus id aggressi sunt ad effectum perducere, cujus causâ eo venerant, virtute divina eos confirmante, ut sui voti compotes fierent. Interim de corpore sacro utrinque illis contendentibus, campana ecclesiae, nullo movente, insonuit. Quod audientes incolae qui ad pugnam se paraverant, nutu divino perterriti, sancti viri corpus petentibus reddendum censuerunt. Atque ita venerabiles illi legati sacrum corpus honorifice et sine remigantium labore tricesimo ab obitu ejus die Moguntiam attulerunt: ad quem diem, perinde acsi huic rei praestitutus fuisset, multi utriusque sexus etiam procul degentes, confluxerant eo animo, ut legatos expectarent, vel occurrerent venientibus, nihil comperti habentes de sancti corporis adventu. Pariter etiam e regia chorte advenit venerandus praesul Lullus, licet ignoraret revertisse suos cum sacro pignore. Factum est hoc divinae providentiae dispensatione, ut pariter convenientes illi, quibus amissio tanti patris et doctoris magnum moerorem attulerat, communi quoque laetitiâ perfunderentur quod eum perpetuum apud Deum patronum essent habituri.

§ **12**. Tanti igitur thesauri pignore accepto, permulti Moguntinenses censebant illic humandum esse, ubi vir sanctus Episcopum egisset. Ajebant id jus esse omnium ecclesiarum, ut apud sedem suam condantur antistites. Et quidem usqueadeo isthuc affirmantium sententia praevaluit, ut propèmodum etiam S. Lullus ipsis consentire videretur. Sed cuidam venerabili Diacono Otberto S. Bonifacius per visum apparens, ait: Dic Episcopo Lullo, ut sine ulla haesitatione corpus meum ad monasterium meum transferat. Multis autem huic visioni fidem non commodantibus, Lullus Episcopus ad sanctorum reliquias voluit Otbertum jurare, se non nisi vera loqui. Quod cum ille incunctanter fecisset, omnes mox in eam ière sententiam, ut ad monasterium transferretur. Itaque alii naves adducebant, quibus sacrum corpus veheretur, alii sanctum funus litaniâ, psalmodiâ, aliisque sacris carminibus et canticis prosequebantur. Atque aliis recedentibus, alii ex vicinis locis succedebant, laetantes se illius sacro corpori posse exhibere comites, quem non dubitarent apud Dominum ipsis suffragari. Quae vero laetitia et animi compunctio de tanti viri patrocinio permultis oborta sit, nos pro dignitate scripto complecti non valemus. Et certe aliquot locis, ubi cum

sancto corpore vel pernoctassent, vel meridie fuissent, postea ecclesias in ejus honorem aedificarunt. Itaque cum tali celebritate et gaudio perductus est in Fuldense monasterium, ubi vir sanctus saepe optaverat sepeliri, et ut id fieret, non semel beato Lullo mandarat. Atque ille preces ejus modis omnibus exequi contendens, ea qua par erat veneratione sacrum quidem corpus ejus terrae mandavit, animam vero coelestibus sociandam gaudiis multis precibus commendavit.

§ 13. Ad ejus autem tumulum, per merita ejus multa congrua fide petentibus obtingunt beneficia utriusque hominis interioris quidem, dum suorum peccatorum veniam obtinent: exterioris autem, dum se sentiunt a morbis liberari. Si vero contingat ea beneficia illic non impetrari, non id imputandum est vel divinae inclementiae, vel inefficaci apud Deum S. Bonifacii patrocinio: sed iis potius qui propter suam incredulitatem non merentur exaudiri: sicut etiam de Domino Christo sacrum testatur Evangelium quod non fecerit virtutes multas in patria sua propter incredulitatem illorum. Quamquam etiam cessant interdum miracula tum ob cultus divini neglectum, tum ob incorrigibilem malitiam habitatorum: tum etiam quod pro exhibitis miraculis non solum Deo et Sanctis ejus debitae laudes et grates non agantur, sed nec memoriae commendentur. Vixit in Episcopatu S. Bonifacius annos triginta sex, menses sex, et dies totidem. Passus vero est cum sociis suis Nonis Junii, Anno peregrinationis suae quadragesimo, incarnationis autem Dominicae septingentesimo quinquagesimoquinto, regnante eodem Domino: cui laus et gloria per omnia secula seculorum, Amen.

VITA S. CLAUDII EPISC. BISUNTINI

PER LAUR. SURIUM MUTATO STYLO

EX QUODAM IMPRESSO CODICE DESCRIPTA.

Ob. nonagenario major anno 699 — Nat. Francus.

§ 1. Beatus Claudius fertur originem duxisse ex illustri Salinensium principum sive Palatinorum familia. In parentum suorum domo usque ad septimum aetatis annum in Dei timore accurate enutritus, postea discendis literis admotus est, probatissimis traditus magistris: sub quibus ille non solum disciplinas liberales brevi perdidicit, sed etiam scripta divina et sanctorum hominum res gestas sedulo perlegit. Erat enim in illa tenera aetate praeclaro et docili ingenio, ferventi animo, piisque et

sanctis operibus valde addicto, ita ut nullum diem absque bonorum operum studio praeterlabi pateretur. Etsi autem aetate erat juvenis, attamen nihil in ejus moribus aut factis puerile cernebatur. Numquam ille choreis se admiscuit, numquam mundanis interfuit spectaculis: sed hominibus religiosis et honestis sese adjungens, de virtutum studiis et exercitiis suavia cum illis miscebat colloquia. Verba autem illius sapientiae sale condita, usqueadeo rationi consentanea et grata fuere, ut omnium in se studia et affectus provocaret. Atque ita fiebat, ut etiam viri provectae aetatis et sapientes non mediocriter illum amarent, tanquam puerum sanctum et virtutum studiosum: alii ut affabilem, comem atque prudentem venerarentur. Homines improbos et scurrilitati deditos respuens, illorum consortia modis omnibus devitabat. Foeminarum juvencularum adeo declinabat colloquia, ut nunquam sine causa rationabili illis loqui voluerit: nec unquam in eo deprehensus fuit qualiscumque sermo vel opus nefarium, non risus inhonestus, non ulla animi levitas aut dissolutio. Ante omnia autem templa frequentabat, Dominicis praesertim et festis diebus Missas et preces Canonicas sive horarias, sermonesque divinos summa animi devotione auscultabat.

§ 2. Crescente vero famâ sanctitatis ejus, cum jam vicesimum aetatis attigisset annum, contempta militiâ seculari, Bisuntinae seu Vesontionensis, gall. *Besançon*, Ecclesiae factus est Canonicus. Itaque in dies seipso melior fieri studens, precibus Canonicis tum nocturnis, tum diurnis interfuit, libros scripturae divinae diligenter evolvit, et omni ex parte, ceu verus Dei servus, in eam curam sedulo incubuit, ne quid reprehensione dignum admitteret: atque intantum brevi temporis spatio, divina illum adjuvante gratiâ, in sanctis operibus et sacra doctrinâ clarus evasit, ut in tota Burgundionum ditione nullus ei par inveniretur, id quod perspici facile potest ex editis ab illo lucubrationibus quae usque in praesens in Jurensi monasterio asservantur. Quotidie autem, demptis Dominicis et solemnioribus diebus, non nisi semel edebat. Crebro noctes orando, legendo, meditando pervigil exegit. Castum et mundum ab omni inquinamento se servabat. Vestitus ei erat mediocris, mores modesti et humiles, sermo verax, suavis et amabilis. Denique virtutum omnium tantus in illo cernebatur ornatus, ut jam verus monachus a cunctis haberetur. Anno autem duodecimo suscepti canonicatus ejus, praesul Bisuntinus coepit adversa laborare valetudine. Timens igitur beatissimus Claudius, ne quod postea tamen evenit, Episcopus illic crearetur, ad tempus inde recessit, atque ad parentes suos sese recepit. Humanissime autem ab illis exceptus, aliquandiu apud illos sancte et pie versatus est.

§ 3. Interim memoratus antistes vitam cum morte commutavit, et inter clerum et populum Bisuntinum de substituendo ei

successore non minima extitit dissensio, aliis hunc, aliis alium eligentibus. Tandem unanimes ad precandum Dominum se contulerunt, humique prostrati, cum lacrymis obnixe rogarunt, ut ob merita sanctissimae Matris suae, et beati Joannis Baptistae patroni ipsorum, sanctorumque omnium clementer ipsis inspiraret, quisnam Ecclesiae Bisuntinae pastor eligendus esset. Atque in his precibus illis perseverantibus, vox coelitus audita est, jubens eos omissis lacrymis beatum Claudium creare antistitem. Ea voce exhilarati Canonici, omnes in eam eunt sententiam, ut Claudius sit episcopus Bisuntinus: confestimque mittunt honêstiores e Clero et populo viros qui ejus consensum obtineant. Ille tandem multis precibus et lacrymis victus, sciens se divinae non posse resistere voluntati, Bisuntium ducitur, imo vero trahitur, Archiepiscopus consecratur, a summo Pontifice ejus electio canonica approbatur et confirmatur, anno a Christo nato sexcentesimo vicesimosexto.

§ 4. Factus autem Episcopus, eamdem, quam prius humilitatem et morum gravitatem in omnibus semper servavit, et ut fidelis servus et prudens familiam Domini et creditas sibi Ecclesias ferventi zelo gubernavit, causas et controversias ecclesiasticas horis opportunis comiter et placide audivit et ad ecclesiasticarum sanctionum praescriptum egregie diremit. Numquam ob quaevis tractanda negotia secularia, nisi evidens necessitas aliud postularet ab ecclesia iis horis abesse voluit, quibus divina peragebantur officia. Crebro visitabat dioecesis suae ecclesias, et ceu bonus paterfamilias, juxta Domini sententiam, de thesauro suo proferens nova et vetera, mellitissimis exhortationibus suis bonos et pios incitabat, ut ad meliora proficerent: lapsos vero et errantes solicite admonebat, ut ad bonam sese frugem reciperent, erat enim sane haud mediocriter literatus. Divinae contemplationi sedulus vacabat, atque interim spiritus ejus mirum in modum elevabatur. Nec tamen propter contemplationis quae Mariae tribuitur, otium, Marthae laboriosum neglexit ministerium: imo vero septem misericordiae exercendis operibus totis viribus incumbebat.

§ 5. Cum autem annis septem eam gubernasset Ecclesiam, divino eum amore magis ac magis perurgente, omnes mundi hujus opes et pompas declinare cupiens, ut posset liberius divinae se contemplationi tradere, cunctis in sua dioecesi bene dispositis, Episcopatu se abdicavit, et ab Angelo admonitus, ad monasterium S. Eugendi * quod etiam Jurense dicitur, in Bisuntinae dioecesis confinio situm, se contulit, atque illic habitum et institutum S. Benedicti complexus est. Tantae vero sanctitatis et perfectionis fuit, ut omnium quae in mundo sunt, oblitus, solo omnipotentis Dei flagraret amore. Vigilabat in precibus, assiduus erat in

* Vide Sur., Vol. I, p. 59.

jejuniis, diligentem navabat operam sacris lectionibus et meditationibus, et ut canon monasticus docet, verum et strenuum sese monachum exhibebat. Ad divina celebranda officia omnes ipse templi ingressu antevertebat, postremus omnium e templo recedebat. Atque hac ratione adeo cunctos ad monasticae perfectionis provocabat studium, ut Injuriosus, ejus monasterii tunc Abbas, vir sane eximia tum sanctitate tum prudentiâ, cum multa humilitate et instantia monasterium illud regendum ei obtulerit: quod tamen vir sanctus modestissime recusavit. At tamen post annos quinque Injurioso Abbate cum magna meritorum copia ad Dominum migrante, venerabiles ejusdem coenobii patres illum unanimiter elegerunt sibi Abbatem, quibus aegre tandem assensus est. Ita Claudius quanto se in hoc mundo plus abjicere voluit, tanto digniorem se et apud Deum et homines qui exaltaretur, effecit. Quod quidem non absque divina dispensatione ita evenisse existimatur, ut loco illi, in quo multi floruere sanctitate conspicui viri, etiam sanctissimus Archiepiscopus adjungeretur, atque inde locus ipse insignior redderetur.

§ 6. Porro autem complures ad beatum virum confluxere non modo clerici, sed etiam nobiles et cives, sanctitatis ejus famâ illecti, instanter ab illo monasticum habitum expetentes. Quos ille absque personarum acceptione haud difficulter admittebat, et ad perfectionis capessenda fastigia summopere provehebat. Cujusmodi autem filios spiritales illic enutrierit, id nostram excedit dicendi facultatem: potest autem, quisquis eum invisit locum sanctum, facile id colligere ex multitudine sanctorum corporum quae illic venerationi habentur. Multas vero etiam temporales possessiones, quibus famuli Dei sustentarentur, obtinuit convenienter illi Christi promissioni, *Omnis qui reliquerit domum, aut agros propter me, etc., centuplum accipiet.* Dabantur enim ei a fidelibus regibus et principibus: in quibus Clodoveus rex, qui tum Franciae tenebat gubernacula, monasterio ejus annuos largitus est modios tritici quinquaginta, et hordei totidem, itemque quinquaginta denariorum argenti libras annuas. Pauperibus Christi vir beatus, itemque supervenientibus hospitibus omnem humanitatem praestandis eleemosynis exhibuit. Ornamenta ecclesiae, libros, calices, cruces, candelabra aurea et argentea, pannos sericos, et alia ad divinum cultum pertinentia egregie augmentavit, Sanctorum reliquias in thecis pretiosissimis reverenter reposuit, monasterii domos et structuras ita ut decuit instauravit.

§ 7. Anno autem quarto Childeberti regis Francorum, cum jam Claudius pater sanctissimus annis quinquaginta servis Christi in hoc monasterio cum multa laude praefuisset, senex admodum et plenus dierum, totis visceribus Dominum suspirans, levi quodam morbo correptus est. Sciens ergo obitus sui tempus imminere, tertio die jussit convocari fratres omnes monasterii,

ad eosque praesentes luculentissimum sermonem habuit, blandisque eos exhortationibus instituit, ut nunquam quicquam divino amori anteponerent, cuncta mundi hujus oblectamenta prae desiderio et amore aeternorum plane contemnerent, nec quicquam abitione sua dolerent. Cumque eos cerneret ubertim ab oculis lacrymarum rivulos fundere, motus misericordiâ, qua multa semper praeditus fuit, accepta ab omnibus pace, ad cellulas eos remisit, totamque sequentem noctem precibus exegit. Quarto vero die in oratorium veniens, sacramentum poenitentiae et sacrosanctum Christi corpus magno lacrymarum perfusus imbre singulari devotione percepit. Atque inde ad cellam suam reductus, corpus suum non alibi quam in monasterio ob evitandas mundi pompas sepeliri jussit. Inde quinto die circa horam diei nonam, incumbens in scamnum, in quo legens aut orans sedere vel stare consueverat, erectis sursum brachiis, junctis manibus, oculis in coelum defixis, sanctissimam animam reddidit Creatori. Ejus corpus usque in praesens in illa S. Eugendi ecclesia cunctis adventantibus incorruptum et integrum monstratur, innumeris miraculis coruscans. Festum ejus celebratur octavo Idus Junii (*a*).

VITA S. GUDWALI EPISC.

QUAM QUIDAM, SUPPRESSO NOMINE SUO, TRIBUS LIBELLIS CONSCRIPSIT ANTE ANNOS PLUS MINUS QUINGENTOS. VITANDAE AUTEM PROLIXITATIS CAUSA, HANC LAURENTIUS SURIUS SCRIPSIT COMPREHENSIUS, SALVA HISTORIAE ET VERITATE ET INTEGRITATE, TOTAM UNO LIBELLO COMPLECTENS. NAM AUCTOR RES NON ADEO MULTAS MULTIS VERBIS PROSEQUITUR.

Floruit saeculo VII — Nat. Anglus.

§ 1. Sanctus Gudwalus in Britannia ortus est. Parentes et cognatos habuit generis nobilitate insignes. Eo autem nascente, divinae justitiae severitudo in clementiam mutata est, cessavitque gladius, fames et pestis, quae eam gentem afflixerant, ut quasi pacis quemdam filium Britanniae editum, ea rerum mutatio

(*a*) S. Episcopi venerabile corpus in praediota S. Eugendi (gallici vulgaris corrupto vocabulo *Saint-Oyand*) annis ab ejus dormitione elapsis 554, mire integerrimum et viventi simillimum est recognitum. Circa MCCXLIX peregrinorum e dissitis etiam regionibus piae catervae frequentiores in dies ad hoc depositum accedere coeperunt, Claudiique nomen cultu et miraculorum famâ celebrari. S. Claudii (sive Condatecensis S. Eugendi, vide Sur., Vol. I, p. 61) Abbatia oppidum postea hujus nominis constituit, in cujus Cathedralem S. Petri circa medium praeteriti proxime saeculi, cuncta ruinosae abbatialis ecclesiae sacra pignora sunt solemniter delata. Anno demum nefandae gallicae subversionis notissimo, praedives S. Claudii capsa est confracta, S. Patroni membra impiorum rabie omnino contrita et exusta. Brachii tamen anterior pars casu eripi potuit, quam hactenus credimus in ara principe illius Cathedralis templi asservatam. Complures in Burgundica Gallia curiatae ecclesiae S. Claudio gaudent titulari.

praenunciare videretur. Ablutus inde sacro baptismate est, et cum aetatis progressu crevit in eo gratia Spiritus Sancti, crevit etiam paulatim scientia et cognitio coelestium doctrinarum. Ubi autem ad viriles pervenit annos, cum ita de eo sentirent plerique omnes, domus Dei illum egregiam futurum esse columnam, Levita et sacerdos ordinatus est. Tum vero coepit prodere sapientiae a teneris annis acquisitae thesauros, studere lucris immortalis Regis sui, et humana scientiâ et divina sapientiâ alios imbuere, ex inexausta Evangelici fontis abysso sitientibus haustus salutis suppeditare. Atque hac ratione quosdam ita veri solis radiis inflammavit, ut ipsi quoque aliis et illustrandis et inflammandis idonei facti sint.

§ **2**. Reddidit autem praepotens Deus vicem tam praeclaris ejus studiis, eumque ad principatum Ecclesiasticum promovit. Factus igitur Episcopus, quo altius in populo Dei caput extulit, eo latius de se sparsit sanctae conversationis odorem: et quamdiu quidem sacerdotio functus est, opus gratiae suae per illum magnifice declaravit Spiritus Sanctus, omni clero populoque laetante. Erat autem illi amplum patrimonium, sed ille fastidiens opes et copias omnes labentis vitae, quidquid habuit facultatum, Ecclesiae Christi elargitus est. Cernens etiam curâ pastorali ceu catenis quibusdam seculo se illigari, cum primum potuit, illâ se penitus expedivit. Itaque summo inprimis pastori, et deinde idoneo substituto successori ecclesiam commendans, suae dioecesis quoddam monasterium petiit, vitam illic monasticam, immo angelicam vivens: vacansque quieti et divinarum rerum contemplationi sperabat brevi fore, ut locus votis ipsius opportunus divinitus sibi revelaretur. Interim coepit etiam miraculis coruscare. Accidit, ut cum die quodam in eo monasterio coelestia suo more tractaret, repente latronum funesta manus irrueret, et barbarica feritate res monasterii diripere conaretur. Ubi id viro Dei innotuit, ad rogandum Dominum se contulit, humi prostratus. Jam adventabant, quibus ex officio id incumbebat, ad quos hujus rei fama pervenerat, ut illorum nefarios conatus retardarent et comprimerent: sed ultio divina illos antevertit. Magno enim terrore correpti praedones illi, in pedes se conjiciunt, unusque ex illis fratrem suum jugulat: mox furore perciti, ita se mutua caede conficiunt, ut ne unus quidem superfuerit.

§ **3**. Erat autem monasterio illi propinquum mare, in cujus sinu rupem vastam extare vidit vir sanctus quae cujusdam insulae habitabilis speciem praeferret. Cingebatur quidem undique mari, sed tumescentibus ejus fluctibus nequaquam obruebatur. Eâ conspecta, vir Dei gratias agit Christo, et locum suis votis respondentem sibi obtigisse gratulatur. Itaque sperans se illic secretius uni Deo vacaturum, et beatorum spirituum jucundissimam familiaritatem promeriturum, Crucis signo se communiens,

uno tantum comite contentus, eo se confert, et instar antiquorum eremitarum angustum sibi in ipsa rupe domicilium excindit. Fratres vero monasterii, quos jam salutari institutione imbuerat, ejus absentiam non ferentes, ubique eum inquirunt pia solicitudine. Tandem repertum in foramine petrae, immo in Petra illa quae Christus est, student etiam ipsi ejus sanctam simplicitatem et vivificam mortificationem hilariter imitari. Pressi autem loci angustiâ, ferreis instrumentis aliquot ibi effecere habitacula quae solis Christi servis sufficerent.

§ 4. Non longe vero aberat secessus quidam, in quem mare tum certis horis naturali fervore exaestuans, tum incertis vi quadam concitatum magno impetu ferebatur, excidium sedibus illis minitans. Ea res virum sanctum non mediocriter anxium habebat: et cum nulla humanitus tanto malo remedia possent apponi, oculos ad coelum sustollens, divinae misericordiae viscera precibus pulsabat. Nec distulit pius Dominus admirabili quadam ratione praesens periculum amovere. Commovet pisces maris, et machinam magni roboris divinitus praeparatam, per spumantes pelagi fluctus ad illum secessum apportant: cujus objectu et impetus omnis insanientis maris repressus est, et vir sanctus periculo omni liberatus. Manet hoc praesidium in hunc usque diem, creaturâ suo creatori obsecundante.

§ 5. Erat etiam aliud ejus rupis incommodum, nempe quod prae aquae penuria servi Dei siti afflictarentur. Sed dum caro deficit, fides proficit: proficiente fide mens sursum erigitur. Ita et sanctus Gudwalus hac molestiâ sentiens fratres affici, rursus ad precandum Dominum se recipit: precantem mox prosequitur larga benedictio, ex rupe erumpunt aquae, ut olim e petra in deserto quae distillantes saepe cadendo excavant saxum, et locum instar dolii efficiunt làticis capacem: sicque salubri illo potu servi Dei sitim facile depellunt. Itaque rupes quondam solitudine horrida, jam domus orationis, monachorum domicilium efficitur: ubi solemnes agebantur excubiae et coelestia concrepabant oracula in laudem Dei. Et ut vetustiora gestorum ejus èxemplaria habent, discipulos ad centum octogintaocto illic vir sanctus collegit: cui sanctae multitudini cum loci angustia aegre sufficeret, vir beatus cum Deo tractans, et mirabilem erga illum fiduciam concipiens, non praemissa, ut solebat, prece, sed magna Dei fretus potentiâ, cum mare suo more recèdens, vasta illic arenarum spatia retecta relinqueret, omnis morae impatiens, accessit propere, et virgâ quam manu gestabat, certa arenis vestigia imprimens, in Christi nomine praecepit undis, ne illa unquam transgrederentur. Vidisses ad eas voces sancti viri indomabile pelagus mitescere, suos cohibere impetus, tumores remittere. Et certe in hunc usque diem leges sibi praefixas mare transgredi non audet. Patet hinc, etiam nostris temporibus veteris legis

miracula non deesse. Moyses divisit mare: noster Gudwalus frenos illi injecit.

§ 6. Solebat vir sanctus Missas assidue celebrare. Quanta autem puritate se tanto ministerio praepararet, divinitus revelatum est. Jejuniis, vigiliis, precibus praemissis, cum sacro altari virginitatis bysso et charitatis purpurâ astaret indutus, atque ad coelestia suspensus, coeli aperti sunt, et visio mirabilis ei exhibita est. Descendunt ad eum sancti angeli, astant consolationis gratiâ sacrificanti, tremendis intersunt mysteriis, una cum illo laudes depròmunt Deo cum ingenti reverentia. Ille ceu splendida lucis columna stat sancta sanctorum tractans, Agnum Dei immolans: junguntur coelestia terrenis, terrena coelestibus, mortalibus immortales: pro tanta gratia, divinitus mortalibus collata, immortales gratulantur.

§ 7. His et id genus aliis a Deo affectus beneficiis, vir sanctus magis ac magis fervescebat spiritu, cupiens se illis gratum exhibere. Jam mundo et omnibus quae hic mundus offerre potest amicis suis, valefecerat, planeque mundo crucifixus erat, atque adeo etiam animam suam perfecte oderat. Nec tamen his contentus, semper perfectiora meditabatur. Itaque communicato cum fratribus consilio, ex illa insula pèregre constituit proficisci. Interim septem apparantur navigia: quae cum omnibus fratribus ingressus, dat se itineri. Inter navigandum exit ipse e navi, calcat pedibus fluctus maris, et Christi dexterâ quae olim Petrum Apostolum, ne mergeretur, erexit, sustentatus, non solum toto corpore incolumi, sed etiam vestibus siccis graditur in undis multa alacritate perfusus. Audita ibi vox est Domini (sicut testantur fratres, qui huic rei interfuere) ita eum confirmantis: Constans esto Gudwale meus: constans esto electe meus: ne verearis, tecum ego sum Deus tuus. Inter haec ille Horis, Christi et Apostolorum ejus auctoritate (sic enim auctor habet) institutis, preces Deo persoluturus, laudesque et gratiarum actiones oblaturus, cum dixisset more Ecclesiastico, Deus in adjutorium meum intende: angeli subjunxerunt, Domine ad adjuvandum me festina; et ita totum officium alternis vicibus cum viro Dei explevere. Denique prospero cursu omnis ille Domini exercitus ad terras delatus est.

§ 8. Egressi porro e navibus magna indigenarum humanitate excepti sunt. Jam fama sancti viri per omnem illam regionem diffundebatur. Ille vero locum aedificando monasterio aptum non sine difficultate inquirit, nec tamen illa difficultate ab spe sua deducitur, quippe quem superiora Dei beneficia non sinerent animo vacillare. Dum igitur per deserta et inaccessa loca locum opportunum investigat, in agellum quemdam incidit, non satis quidem ipsius proposito congruum, sed qui tamen advenis ad necessitatem sufficere posse videretur. Ibi ergo labori se

accingunt, sed frustra. Eorum vero labores miseratus Deus, eos consolatus est. Cum enim die quodam Nonae horae preces festiva laude persolverent, quidam vir praepotens regionis illius multo stipatus milite supervenit, eosque gaudio et stupore plenus reverenter accessit. Cernens autem virum Dei Gudwalum in medio illorum ceu angelum Dei stantem, psallentem, et ad singulos versus genua flectentem, corde compunctus, submisso capite, tertio eum adoravit, accedensque cum tremore et reverentia, benedictionem illius expetiit. Ea percepta, sic ei locutus est: Patriam tuam, inclyte athleta Dei, ego novi, nec me fugit generis tui spectata nobilitas: gratulor etiam tibi hunc pro Christo susceptum voluntariae peregrinationis laborem: sed quando hic locus nec monastico instituto, nec tantae fratrum multitudini commodus est, fac quod tibi per me consulit Deus. Est non valde procul locus alius, quem si velis excolere, laboris tui optato fructu perfrùeris. Sed eas prius cum aliquot fratribus exploratum: ubi eum propius inspexeris, non dubito gratissimum fore. His auditis, vir sanctus prorumpit in laudes Christi: deinde ducem itineris sequens virum, quem diximus, abit visurus locum. Ejus autem tum amoenitate, tum commoditate laetatus, post gratias Christo dictas, complexus est locum, suaeque habitationi plane destinavit. Mittitur inde ad fratres, ut eo omnes se se conferant. Postquam illi advenere, perpetuas illic sedes figere constituunt, et monasterium construere festinant. Ita locus agrestis et ferarum cubilia, mutantur in domum orationis et divinae contemplationis domicilia. Fratres instar apum sedularum, divinis fervent studiis.

§ 9. Porro beatus Gudwalus instar animalium, quae Scriptura ante et retro oculos habuisse commemorat, et praesentia et futura pensitans, secum cogitare et cum aliis tractare coepit, num locus ille tam amoenus certum aliquem haberet possessorem. Dictumque est illi, Mevorum quemdam, Christianae religionis cultorem, illic paternas habuisse sedes, sed indigenarum id non ferentium infestatione compulsum repetere nativum solum, sicque Corminiam * pacis studio se suamque domum transtulisse. Tum vero B. Gudwalus dixit: si sic se res habet, fratres mei, etiam atque etiam videndum nobis est, quid agere nos conveniat. Cum enim in caeteris, tum praesertim ejusmodi in negotio, quae sancta et justa sint sectari oportet. Non enim debemus ita nos comparare, ut charitas proximi per nos violata esse videatur. Itaque fiat, quod dictat ratio, et ad fundi hujus dominum legati mittantur, qui eum amice hac de re appellent. Spero enim in Domino, sua illum gratiâ permoturum pectus Mevori, ut tam pro suae animae salute, quam pro nostra utilitate, locum hunc nobis largiri haud difficulter velit. Mittamus quatuor ad eum fratres,

* *Cornubiam* melius alii, in Devoniae provincia, Hybernico mari adjacente.

qui hoc negotium prudenter et bona fide expediant. Assensere illi fratres omnes, et electi sunt quatuor qui mitterentur. Tandemque post longa itineris emensa spatia, Corminiam illi veniunt, illustrem Mevorum adeunt, salutem dicunt, legationis suae summam explicant: ajunt patrem Gudwalum in ejus fines ingressum, non ut violentum invasorem, sed quod speraret in Christi jus ipso concedente transituros. Jam sedes tuas, inquiunt, Christus haereditavit, jam illic templum suo cultui providit, suos illic milites collegit.

§ **10**. Haec ubi illustris Mevorus audivit, magnas Deo gratias egit, quod nec publica auctoritate, nec inimicorum violentiâ ejus praeclara haereditas esset occupata: sed quod Christus potius eam sibi dedicasset. Deinde fratres hospitio accepit, omnemque eis humanitatem impendit. Nec mercede caruit ea hospitalis benignitas, et benigna hospitalitas. Jam novem annis cum uxore ita vixerat, ut matrimonii quidem, ea quae decet conjuges, inter se benevolentiâ et charitate essent conjuncti, sed cubiculis disjuncti. Erant vero ambo senes, nec eis ulla ex conjugio proles obtigerat. Hospites ea re cognita, non immemores insignium operum quae per S. Gudwalum fecerat Dominus, antequam irent cubitum, hunc in modum illos secreto compellant: Scimus a Domino directum esse iter nostrum, et meritis patris coelesti benedictione vos perfruituros. Nostris igitur parete consiliis, et hac nocte castum vos cubile pariter excipiat. Nos meritis patris nostri preces nostras jungemus, et bene speramus in misericordia Dei, charae prolis vobis munus adfuturum. Primo quidem illi opponunt senio graves annos, tandem tamen acquiescunt. Et ecce intempestae noctis silentio S. Gudwalus in visione astat matronae illi, indicatque ei nasciturum ex ipsa filium. Jubet autem, ut Simeonis ei nomen imponat, et ipsi illum tradat educandum, in divino servitio permansurum. Mane proficisci volentibus servis Dei, qui haec praedixerant, occurrit matrona, gratias agit, visionem exponit. Occurrit etiam Mevorus, Deumque benedicens, spondet se filium postquam natus fuerit, cum omni haereditate Deo et beato Gudwalo ratis legibus oblaturum. His ita gestis, fratres ad suum monasterium proficiscuntur, S. Gudwalo ordine omnia referunt, et cum eo pariter benedicunt Deum. Et matrona quidem illa filium peperit, Simeonemque dici voluit.

§ **11**. Aliquot inde evolutis annis, memor beatus Gudwalus sponsionis Mevori, legatos ad eum denuo mittit: qui in ipso itinere per vastissimam ambulantes sylvam, ab improviso incidunt in latrones: qui in illos mox irruunt, praedam opimam ex illis captis sibi frustra pollicentes. Nam fratres imperterriti coepto pergunt itinere, et psalmos precesque Deo offerentes, illius opem per Gudwali patris merita implorant. Et ecce teterrimi illi nebulones, tanquam vi quadam retro repulsi, fugâ dilabuntur, simulque

oculorum lumen amittunt, frontibus in arbores oppositas impingunt, et quadam amentiâ laborantes, inconditos clamores edunt. Poterat ea res eis certum accire interitum, sed fratres malum pro bono rependere volentes, pro illis Christum rogant, et sic redeunt ad sanitatem: cumque Deo votum nuncupassent, etiam amissum illis lumen redditum est. Fratres autem tandem veniunt Cormiam, admonentque Mevorum et ejus conjugem voti quod Deo praestiterant. Illi eos lauto accipiunt. convivio, Simeon parvulus in medio statuitur, Christo laudes gratesque aguntur.

§ **12**. Proxima luce Mevorus cum illis proficiscitur, iturus ad patrem Gudwalum, sicut jampridem optarat. Ecce autem nubes subito densantur, coelum omne nigrescit, horrida imminet tempestas, imbres jam jamque ruituri ab aëre timentur. Sed fratres a suo magistro edocti in rebus adversis clamare ad Dominum, et de ejus misericordia bene sperare, tertio in genua se submittunt, preces fundunt, sacrosanctam Trinitatem, ut per merita S. Gudwali sibi opituletur, orant. Jam cum impetu e coelo labebantur imbres, et omnia circumquaque inundabant: solos hos Dei famulos publica gradientes viâ, non fuere ausi attingere, donec ad venerandi patris sui praesentiam venirent. Ad quem sane illustris Mevorus reverenter accedens, Christum in illo manentem humi prostratus adorat. Ille vero officiosissime eum excipiens, diu optatam benedictionem et allocutionem ei impertit. Inter haec Gudwalus pius pater Mevorum haud aliter atque angelum hospitio exceptum amplectitur: Mevorus in Gudwalo Christum veneratur, Simeonem filium suum, bonae indolis puerum offert Christo, coram testibus omnem ejus haereditatem simul illi transcribens. Poterat tunc dicere Mevorus Domino: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Christus enim in terra viventium illorum fit haereditas qui in hac terra morientium illum volunt habere haeredem.

§ **13**. Confirmatus est autem regius ille fiscus Ecclesiae, quam in sua peregrinatione hic inclytus Pontifex, praeclarus eremita et coenobitarum dux egregius fundavit, in qua etiam usque ad supremum vitae diem Deo servire decrevit. Ubi sane degens, magna de se praebuit virtutum exempla praesentibus, odorem suavissimum sanctae existimationis et famae absentibus. Quis vero explicet, quantus fuerit coram Deo in ipsis animi sui penetralibus? Totus flagrabat divini amoris igne, quo se intus ceu pingue quoddam et medullatum sacrificium cremabat Deo.

§ **14**. Cum jam autem fere absolvisset structuram templi, Dei et multorum auxilio fretus, non deerat satan: sed praesentiens quae illic damna esset accepturus, ad suas redit malignitatis artes, dat operam, possit ut sanctum impedire opus. Inter haec unum ex artificibus e pinna templi agit praecipitem: qui misere

contritus, animam exhalavit. At socii tanto ejus incommodo affli-cti, ad sanctum virum accurrunt. Properat vir Dei, sed ille prius abiit e vita, quam posset ad eum pervenire. Tum vero oratorium ingressus, Domino preces coram altari fundit. Inde redit ad hominem extinctum, jubet circumstantes omnes abscedere, incumbit pronus super cadaver, alterum Eliseum exhibens. Redit anima in corpus, et homo in pristinum statum restituitur. Vivum illum sanctus pater nec ulla vulnerum vestigia retinentem, sociis reddit. Solvuntur prae gaudio et admiratione in lacrymas oculi omnium qui huic spectaculo intererant, et ad pedes viri Dei advoluti, magnas edunt voces in coelum, ita dicentes: Vere sanctus Dei es, vere amicus Dei es. Hoc loco auctor hanc ad S. Gudwalum precatiunculam subjungit: Per hanc tantam gratiam, qua beatissime pater Gudwale animam revocasti in membra defuncti, ampliori gratiâ revoca, quaesumus, animas diabolica captivitate abductas. Vitae morientes Christo vivifica et morti viventes, mundo mortifica, per eum qui vera est animarum vita, et vivens permanet in secula.

§ **15**. Proficiente deinde monasticae sanctionis ordine, patrum auctoritate et beati Gudwali dispositione constituto, necessarii quidem usus ratio postulare videbatur, ut horâ nona peractis sacramentorum Christi solemniis, fratres cibo corpora reficerent. At sanctus pater productiori inediâ Christo se victimam exhibens, illis edentibus, in oratorio precibus vacabat. Eadem autem horâ fur quidam hortum monasterii ingredi, herbasque inde asportare solebat. Frater, cujus curae is hortus commendatus erat, quotidiana laboris sui dispendia ferebat aequo animo, sperans se hominem nequam sua patientiâ in viam revocaturum. Sed illo in dies pejora moliente, ad patrem Gudwalum refert. Ille vero, ut erat mitissimus, Nisi hunc, inquit, summa compelleret necessitas, nequaquam hoc se scelere obstringeret. Sed sustine usque in crastinum, et gloriam Dei miraberis. Altera die redit fur ad sua studia, sed divinitus tandem proditur omnibus. Apparuit enim illi persona terribilis, sacerdotii dignitate venerabilis, atque inter aspera objurgationis verba pastorali virgâ sive pedo caedit improbum. At ille prope amens effectus, dum fugae praesidium captare vult immani vociferatione se potius prodit: dumque sepem transilire conatur, tanquam invisibili retentus catenâ, sese loco movere non poterat. Fratres tanto clamore permoti, accurrunt ad hortum, et re perspecta, Deum mirabilem praedicant. Tandem venerabilis Pater Gudwalus cum gravitate quadam eo accedens, et hominem miserum contemplans, Oportet nos, inquit, charissimi, hujus erroribus compati. Frater enim noster est in Christo. Oportet pro illo deprecari Dominum, ut utriusque hominis ei salutem restituat. Ut autem miser ille sanctum virum audivit loquentem, vultus ejus

gloriam non ferens, exanguis in terram collapsus est. Fratribus autem orantibus, vir Dei manum extendens, Dominus, inquit, èrigit elisos: Dominus solvit compeditos. Ad quas voces ille continuo surrexit incolumis, et omnes haec videntes atque audientes, ad Dei celebrandam gloriam invitavit.

§ **16**. Mulier quaedam fidelis filium habuit annos natum decem, ab ipso primo ortu mutum. Haec fide plena accessit ad virum Dei qui tum forte more suo cum fratribus de rebus utilibus conferebat, dixitque illi: « Homo Dei, scio *quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*. En habeo hic filiolum, jam decem annis nulla verba sonantem: quaeso te, precibus tuis laxentur diuturna vincula, ut erumpat lingua in vocem laudis et gratiarum actionis.» Respondit vir sanctus: «Tu ipsa Deum omnipotentem fideliter ora qui solus potest virtute sua sanare filium tuum.» Dixit hoc vir sanctus, non quod se in Christi nomine id praestare posse diffideret qui se sciret majora fecisse, sed quod studio humilitatis vellet omnem miraculorum suorum gloriam in Deum auctorem refundi. At mulier multo etiam vehementius coepit instare, ut filioli ipsius misereretur. Cernens igitur vir Dei fidei ejus constantiam, digito tetigit linguam pueri, et ille mox in verba prorupit.

§ **17**. Habebat monasterium viri Dei caulas ovium quibus lupi valde erant infesti. Accidit quodam die, ut ex ipsis pene faucibus lupi pastor oviculam ereptam, ad pedes sancti viri deponeret jam praefocatam. Ille mox ad precandum Dominum conversus, prece absoluta, pastoralis virgae extrema parte tangit ovem, et ipso contactu reducit ad vitam. Quae cum ad suum gregem cunctis mirantibus abiisset, oravit vir sanctus Dominum, ut lupum illum juberet ad se venire. Et ecce adventat lupus domestico cane blandior, recentis adhuc praedae sanguine infectus, et male sibi conscius, ad pedes hominis Dei se prosternit, tanquam pro maleficio satisfacturus. Stupent praesentes omnes, et erectis in coelum manibus, Deum laude et praedicatione efferunt. Tum vir sanctus: Recede, inquit, cruenta bestia, et desine esse infestus ovibus nostris. Ilico lupus tanquam in ovem mutatus recedit mansuetus, et qui prius oves diripuerat, jam illis fit praesidio contra lupos et feras belluas, fortiter illas propugnans. Alium etiam lupum vir sanctus in agro vidit aegerrime incedentem. Misertus bestiae sciscitabatur ex eo alta voce, quid ipsi mali accidisset. Lupus tanquam ejus verba esset assecutus, ut potuit accessit venerabundus, pedemque spinâ compunctum ostendens, videbatur opem poscere. Tum vir Dei pedum admovens pedi ejus, quo ovem excitarat, ait ad Dominum: Homines et jumenta salvabis Domine: et evestigio sanatus est lupus. Jussit autem vir Dei, ut nullam deinceps creaturam infestaret: victum sibi caperet ex foeno et siliquis, atque ita servata innocentiâ, tenderet ad commune mortis debitum

persolvendum. Et certe postea permulti testati sunt, se belluam ex eo tempore mansuefactam vidisse. En obediunt ferae belluae sanctis viris, et homines non modo illis non obediunt, sed etiam suum contemnunt creatorem. Bestiae Deum in sanctis venerantur: homines et Deum et sanctos ejus despiciunt.

§ 18. Mendici quodam tempore stipem petituri, ad sanctum virum in monasterium venere. Motus ille misericordià, perquirit, num quae eleemosynarum reliquiae in monasterio supersint. Ut audivit nihil esse rèliqui (jam enim vir pius pene omnia elargitus erat), equum agriculturae destinatum, jubet ocyus adduci et dari pauperibus. Illi equum hilariter accipiunt, demisso capite gratias agunt. Deinde hospitio recepti, humanissime tractantur, et ea nocte illic dormiunt. Mane surgentes agricolae, inter se conferunt de equo pauperibus dato, et tanto ipsis erepto laboris subsidio. Interim vident equum herbam in agro depascentem, per omnia illi simillimum, quem pridie in pauperibus suis Christus acceperat. Itur ad monasterium, rogantur pauperes, num equum sibi datum habeant apud se. Illi confestim equum ostendunt. Mox tam insigne miraculum longe lateque dissipatur, et omnes rei novitate stupent: monachi, laici, populus omnis utroque conspecto equo, tantam utriusque similitudinem impense mirantur. Denique agricolae equum prioris equi vicarium accipiunt, Deoque gratias agunt pro sui laboris levamento.

§ 19. Post haec aliaque miraculorum signa, quibus vir sanctus maria nobilitavit, terras sanctificavit, Ecclesiam Dei illustravit et sublimavit, optatissimum vitae hujus finem Deo revelante, impendere cognovit. Nam cum die quodam sacrosancti Quadragesimalis jejunii, immolata jam in mensa altaris redemptionis nostrae victimâ, signum crucifixi Domini nostri supplex visitaret, piissimamque Christi passionem et mortem, quam sui mortificatione jam utcumque in se expertus erat, et mente coleret, et laudibus celebraret, angelus Domini jucundo aspectu illi se visendum obtulit, hortânsque illum ad constanter in fortissimo virtutum certamine perseverandum, ait brevi illum cum palma victoriae suo regi Christo occursurum. Inde coelos repetens, tantam illic odoris suavissimi fragrantiam reliquit, ut vir Dei et animâ et corpore quod totius septimanae inediâ extenuarat, mire recreatus, in Dei laudes devote prorumperet. Erat ea quaedam praegustatio immortalis illius convivii quod vir beatus ardenter suspirabat: et jam magis ac magis aeternas ille in se concupiscentias excitabat, Christumque videndi desideria acrius incitabat: ipsumque obitus sui diem, ad epulas coelestes, quas in regno Patris sui praedives Christi benignitas ipsum diligentibus praeparat, invitatus, ferventi desiderio expectabat.

§ 20. Die autem decimo ante obitum suum, cum sacro altari astaret coëlestibus intentus, beatissimus Michaël Archangelus ei

apparuit, et certum tempus suae ex hac luce migrationis indicavit. Adveniunt etiam praeclari Apostoli Petrus et Paulus, coelesti lumine circumdati, confirmant Archangeli jucundissimum nuncium, propinquum imminere mortis diem etiam ipsi assevèrant: hortantur ut more suo ad illum diem hymnis, precibus, jejuniis sese praeparet. Ita enim, inquiunt, coronam regni coelestis obtinebis. Ejusmodi gratissimis nunciis viro Dei tanquam in ecstasim rapto, illi redeunt ad coelos, et templum incredibili odoris suavitate complent. Ille vero animâ et corpore eo odore optime affectus, preces ardentius fudit ad Deum.

§ 21. Altero autem die jubet fratres omnes ad se venire, recitat illis quae vidisset et audivisset, interim lacrymis ora rigans. Fratres, iis auditis, de ejus quidem gloria exultant in Domino, sed tanto patre se orbandos impensius dolent. At ille jubet eos cohibere lacrymas, gaudere potius quod sciant illum proficisci ad laborum suorum capessenda praemia: tum etiam suum decessum precibus suis tueri. Deinde morbo corripitur, et cum ad extrema tenderet, conveniunt ad eum fratres, cantica animae ejus e corpore abiturae congrua depròmunt. Gaudebat ille in Domino, et optimis sermonibus eorum animas instruebat: hortabatur, ut mundum hunc contemnerent, et coelestis regni desiderii fervere nt. Cumque divinis mysteriis iturum spiritum roborasset, vale ultimum eis dicens, laetus obdormivit in Domino, visaque est a fratribus sanctissima anima ejus in columbae specie ad coelos evolare. Obiit vir sanctus octavo Idus Junii, et ad ipsas sacri corporis reliquias mirifica lux tota nocte resplenduit, quae omnes noctis tenebras profligans, cellam illam, ubi corpus sacrum repositum erat, immensa luce complevit.

§ 22. Ad sacrum ejus obitum inter caeteros aderat etiam venerabilis mater ejus, aderant, et sorores ejus, sacris vigiliis cum gaudio communicantes. Quae quidem pio defuncti amore adductae, in omnes preces descendunt, ut liceat ipsis corpus ejus ad natale solum absportare, ut illic in Ecclesia sua, honore tanto pontifice digno, sepulturae mandetur. Principio autem fratres se praebent inexorabiles, sed tandem rem totam divinae voluntati permittentes, sacrum corpus in loculo reponunt, et plaustro imponunt. Per viam omnis generis homines obviam se effundunt, sacro corpori debita officia impendere gestientes. Interim ad collem quemdam pervenitur qui ob memorabile miraculum illic tum perpetratum, collis S. Gudwali, ab ejus accolis appellatus est. In eo colle jumenta quae plaustrum trahebant, adeo obriguere, ut penitus loco movere se non possent, cogerentque simul conventum illum omnem secum illic subsistere. Adhibiti sunt adhuc duodecim boves, sed etiam illi haesere fixis vestigiis. Tum ad se reversi, dixerunt: Cur frustra nitimur contra voluntatem Dei? Non nostra de hoc sacro corpore, sed Domini voluntas fiat. Mox

communi consilio jubent duos indomitos vitulos illo sacro vehendo oneri deputari, eosque libere ire, quo illos ducere visum sit divinae providentiae. Vituli adducti alia gradiuntur viâ, rectaque tendunt ad insulam, quam Plet vocant: quae, nisi tamen fallor, ea est, in qua sanctus Pontifex ex egregio coenobita, praeclarus anachoreta enituit. Atque ibi non sine multa multorum admiratione illud sacrum corpus tumulatum est, etiam accedentibus miraculorum signis. Nam caecus quidam casu feretrum tangens, mox visum se recepisse mirum in modum laetabatur.

§ **23**. Et hoc quidem in loco gloriosum inclyti praesulis corpus multo tempore conditum mansit, multis coruscans miraculis. Postea vero barbaris incursantibus, complures Britanni relictis avitis sedibus, in exteras regiones dispersi sunt: et fratres monasterii supradicti, absportato sacro corpore, mare quod Britanniam a Galliis separat transfretantes, in Franciam pervenere: eamque perlustrantes cum sacro pignore, unde odores mirifici fundebantur, tandem ad Monasterioli castrum appulerunt. Sed quia illic non eo, quo par erat, honore afficiebatur, Arnulphus inclytus Marchio multorum saluti divinitus destinatus, Blandinium illud transferendum curavit. Accersito enim ad se reverendo Abbate Gerardo, spectatae religionis et industriae viro, ex auctoritate Episcopi ei hoc negotium demandavit. Abbas vero cum multa fide et tremore magno pretiosi corporis thesaurum accipiens, una cum reliquiis, nullo pretio aestimandis, egregii confessoris Bertulphi *, multa Cleri et monachorum frequentiâ stipatus, ad monasterium beatissimorum Christi Apostolorum Petri et Pauli quod Blandinium appellant, deportavit. Convènit autem eo utriusque sexus populus innumerabilis, manibus plaudens, et Dominum benedicens quod ecclesiam illam pretiosissimis illis gemmis ornaret. Facta est haec translatio 3 Nonas Decembris, Clotario apud Francos, sceptra regni moderante. Atque ita hoc in loco beatus Gudwalus, gloriosus coram Deo in coelis, mirabilis ex Deo in terris, conjunctus praeclaro Christi sacerdoti Wandregisilo et sociis omnivaria semper laude colendis, larga intercessionum suarum impertit suffragia, et copiosa miserationum Christi cum fide et devotione quaerentibus obtinet beneficia, ipso largiente qui in Trinitate et Unitate perfecta vivit et regnat per infinita secula seculorum, Amen.

* De eo Surius, Vol. II, p. 124.

VITA S. NORTBERTI

ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS
ET PRIMI AUCTORIS ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS

A QUODAM EJUS AEQUALI, ET, NISI FALLOR, HUGONE ILLO, QUI EI PROXIME SUCCESSIT IN REGIMINE MONASTERII PRAEMONSTRATENSIS, FIDELITER CONSCRIPTA. STYLUM SUBINDE (AIT SURIUS) NONNIHIL ELIMAVI IN GRATIAM LECTORIS.

Obiit anno 1134 — Nat. Germanus.

§ 1. Fuit in diebus Henrici junioris Caesaris Augusti, Paschali Summo Pontifice Sedis Apostolicae règimen administrante, vir quidam nomine Nortbertus patre Heriberto natione Teutonicus, municipio Xanctis quod antiquitus Troja dicebatur, de illustri prosapia Francorum et Germanorum ortus formâ decorus, ac paululum pròcerus, aetate adultus, instructus scientiâ, eloquio excultus, officio clericus, Ordine Subdiaconus, vitâ et moribus pro aetate, seculari consuetudine, admodum levis. Deinde cum in omnibus ei praesentis vitae obsecundaret felicitas, inter caetera etiam in magnatum aulis celebris extitit. Primo quidem in aula domini Friderici Coloniensis Archiepiscopi: deinde in aula Imperatoris: in hac quidem propter officium clericatus et scientiam literarum, in illa vero propter generositatem animi et insignem urbanitatem: in utraque autem propter raram affabilitatem et elegantiam morum. Hic clarus, ibi nobilis: strenuus utrobique. Dilectus et honoratus non minus a dominis, quam a familia universa: omnium enim inter quos versabatur, studiis congruebat. Erat enim aspectu hilaris sermone jucundus, conversatione placidus, convictu affabilis: in suos beneficus, comis erga extraneos. In manu consilii sui positus, et ante cogitationum suarum oculos constitutus, nihil sibi dènegans, neque quicquam intentatum relinquens. Civis egregius hujus seculi et inclytus Babyloniae colonus, nesciens quid super eum disponeretur in posterum, et ignarus quid sibi crastinus pàreret dies: immo quod deterius est, non curans: religionis et quietis impatiens, inquietudinis autem et impatientiae servus. Augebant vero in his omnibus spem votorum ejus, et dilatabant desideria cordis secundorum proventuum temporalis successio et aura favoris humani, plausu dulcissimo.

§ 2. His igitur exagitatus, circumferebatur Nortbertus in medio Babylonis, multiplicibus et tortuosis anfractibus per vias

difficiles et laboriosas, errans et nesciens, periclitans et securus, exhauriens ventum et àucupans vanitatem. Cum ecce subito et ex improviso sermo velox et manus praepotens imminet dorso fugitivi, dejiciens ascensorem et èrigens curvum. Tum vero sensim atque paulatim coepit ab interioribus versa vice reformare quod vanitate fuerat deformatum, evellens et destruens, aedificans et plantans. Venitque repente et mutavit sylvestrem et rapacem accipitrem in simplicem et mansuetam columbam. Factumque est, sicut dicit Apostolus, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret et gratia. Et quia noverat Spiritus modum et ordinem operationis suae, postquam inspiravit amorem, addidit et aperuit intèllectum, misitque in animum ejus, ut tempus adhuc modicum et sibi congruum sustineret exterioris hominis exuendi cum actibus suis, locumque idoneum eligeret huic seculo publice abrenunciandi. Jam igitur edoctus pugnare cum hoste, retraxit continuo pedem ab aula, ac domi residens, expectabat, et quasi tyrocinia quaedam futurae conversionis exercens, apud se disponebat: quicquid paupertatis, quicquid afflictionum et certaminum accidere posset, infatigabili praemeditatione levabat. Imbutus itaque nova interioris virtutis gratiâ, exterioris autem vetustatis tunicâ nondum exùtus, demulcebat desiderium suum spe uberioris fructus, malens simul novi hominis indumentum pariter et ornamentum suscipere, illud quidem in habitu religionis, istud vero in dignitate sacerdotii, fierentque cumulata munera tanto jucundiora, quanto existerent ex mutua collatione potiora.

§ 3. Cumque diu optatum jam tempus adesset, et sacri Ordines forent ex more in ecclesia celebrandi: vir Dei pia exultatione repletus, festinanter et cum omni devotione adiit dominum Fridericum Archiepiscopum Coloniensem, petens se prima vice inter caeteros ordinari. Quo audito, Archiepiscopus non mediocriter admirans, hominem per se petere quod ab aliis saepe recusasset oblatum: libenter tamen et laeta responsione annuit se facturum quod quaerebat. Mox ille subjunxit: « Diaconus simul et Presbyter opto fieri. » Ad haec Archiepiscopus vehementer stupens et pavens, quaesivit quaenam esset hujuscemodi tam subitaneae atque inopinatae voluntatis causa. Ille ait: « Sic est in animo meo, nec poteris scire modo, scies autem postea.» Cumque Archiepiscopus causam scire volens, vehementer ex adverso insisteret, cogitans apud se vir Dei, quod per omnem modum honesta et congrua esset persona cui possit et debeat secretorum suorum conscientiam aperire: procidens ad pedes ejus, cum lacrymis et gemitu peccatorum suorum veniam petens et accipiens, confessus est firmum et indeclinabile suae voluntatis propositum. Videns autem Archiepiscopus hominem apud se, quod petebat, firmiter deliberasse, ac metuens gratam sibi familiaris sui amicitiam violare: considerans quoque bonum, quod posset de tam laudabili viro facilime

provenire, atque intelligens, quod non sine instinctu divino talia contingerent, quamvis non liceret hos duos supremos Ordines a quoquam simul recipi aut dari: admissa tamen pro causa et tempore dispensatione, tandem aliquando annuit... Acceptis ergo sacris Ordinibus, convertit continuo pedem, et contulit se ad Sigebergense quoddam magnae et praeclarae famae monasterium, ubi inter religiosos ac devotos in omni sanctitate monachos, et accepti sacerdotii addisceret usum, et certa religiose vivendi caperet documenta. Completisque ibi diebus circiter quadraginta, rediens ad patrium solum, contulit se ad ecclesiam ubi fuerat et erat canonicus secularis.

§ 4. Sequenti vero die cum obtulissent ei Decanus et concanonici sui, ut majoris in conventu Missae mysteria celebraret, ille humili responsione annuit se facturum. Temporis igitur horâ instante, acceditur ad altare, et singula, prout res exigebat, usque post evangelium solemniter peraguntur. Lecto itaque evangelio, vir Dei zelo divini fervoris accensus, incalescente in praecordiis ejus igne Spiritus Sancti, versus est ad vestibulum ecclesiae: subjiciensque verbo Dei ministerium vocis et officium linguae, coepit, prout ei divinitus administrabatur, proferre de thesauris sapientiae et scientiae Dei pia futurae vitae monita, et salutaria aeternae beatitudinis hortamenta: addens praeterea et ostendens quam sint omnia vitae hujus oblectamenta fluida et caduca, brevia tempore, vilia aestimatione, nec amore digna, nec possessione idonea; gloria labilis, ambitio caeca, divitiae fugaces, delectatio momentanea, requies infida, securitas incerta, gaudia vana, prosperitas falsa: inflectens et retorquens totum negotii pondus in concanonicos suos, neminem tamen aperte designans. Post haec autem reversus ad altare, incepta sacrosanctae Missae mysteria ad finem usque perduxit.

§ 5. Crastina rursus die, cum jam omnes ex more in Capitulo, ut vocant, resedissent, coepit primo, accepto codice, alloqui Decanum, ostendens ex verbis beatorum Gregorii atque Isidori, quorum se regulam tenere dicebant, quia ipse, qui erat omnium praepositus et magister, deberet eos ad rectum honestae ac sanctae vitae tramitem revocare. Audientes haec seniores et praelati, utpote sapientes, rem taciti considerabant, et quia nullàtenus veritati et spiritui qui loquebatur, resistere praesumebant: Juniores vero, quibus mos est, minus, quae Dei sunt, attendere, ad alterutrum murmurantes, et seorsum subsannantes, pristinae levitati deputabant. Unde factum est, ut inde recederent, exteriorem ei reverentiam exhibentes, tum quia gravis erat inter eos auctoritatis, tum quia signum et habitum prae se ferebat alicujus religionis. At ille singulorum aditus atque diverticula procul quodammodo prospiciens et attendens, in crastinum rursus, cum iterum convenissent, coepit proclamare eos nominatim, de

unoquoque pronuncians, quis, quid, ubi, qua horâ, cum quo, quod minime liceret egisset vel dixisset. Eo itaque in hoc per dies quamplurimos perseverante, cum jam eis intolerabilis videretur, altius reptante in cordibus eorum ex occulta permissione Dei spiritu maligno qui operatur in filios diffidentiae, concitaverunt adversus eum quemdam ignobilissimum clericum, vilis conditionis humilisque fortunae. Hic dum temeraria audacique praesumptione obloqueretur ei, multis conviciis proscìdit eum, atque etiam incredibili arreptus dementiâ, foedavit faciem ejus. Accepta vir Dei tanta contumeliâ, continuit seipsum, et conticuit: detersaque facie sua, ac peccatis suis deputans, maluit coram Deo lacrymis indulgere, quam ultioni. Qua in re expertus est, quantum sibi per Dei gratiam virium adesset ad majora pro justitia toleranda.

§ 6. Patientiae igitur clypeo protectus, et fidei fortitudine communitus, praedicans et annuncians verbum Dei opportune, importune, seseque quotidie meliorem reddens, conversatus est per annos tres in eodem habitu. Cum autem persecutionem pateretur ab his quibus erat ejus praedicatio importuna, conferebat se iterum ad Sigebergense quoddam mônachorum coenobium, quod tribus a Colonia distat miliaribus: aliquando in regularium canonicorum monasterium quod dicitur Roda: saepius autem ad quemdam eremitam, nomine Lidulphum, mirae sanctitatis et abstinentiae virum, clericorum vitam agentem. Ad hujuscemodi autem viros confugiebat, causâ recreandi spiritum, quotiescumque persecutiones patiebatur ab his quibus verba veritatis erant molesta: tum etiam, ut inter eos et sanctae vitae addisceret instituta, et spei coelestis susciperet incrementa. Nonnunquam vero domum suam, quae erat Xanctis, rediens, coeptae praedicationis studiis insistebat.

§ 7. His igitur ita se habentibus, accidit ut concilium quoddam fieret in Teutonicis partibus apud oppidum quod dicitur Friteslare, coram domino Cunone, sedis Apostolicae legato. Ex qua re occasione accepta, Episcopi, Archiepiscopi, Abbates aliique multi, qui negotiorum suorum causas illuc convenerant tractaturi, inito consilio, vocaverunt hominem Dei. Quo praesente, coeperunt eum communi omnium assensu coram praefato domino accusantes redarguere, quod praedicationis officium usurpasset, ipsosque in suis concionibus verbis et conviciis acriter insectaretur, cum a nullo mitteretur, nec eorum princeps esset constitutus: tum etiam, quod habitum religionis prae se ferret, cum in nullo religio et proprietas convenirent: denique quod pretiosas vestes abjecisset, cum mos terrae id non haberet, maxime apud nobiles, qualis ipse esset, ut quamdiu versantur in seculo, agninis seu caprinis vestibus utantur. Ad haec omnia sapiens a Deo edoctus, sapienter respondebat, invictusque, adjuvante eum gratiâ divina,

recessit ab eis, quia non erat conveniens testimonium illorum adversus eum.

§ 8. Omni ergo destitutus subsidio, divino tantum fultus auxilio, orationibus et psalmodiis jugiter incumbebat. Inde cum proposuisset totam noctem insomnem ducere, et orando rogare Deum, ut ipse, qui est dator recti consilii, et bonorum operum adjutor, secundum beneplacitum voluntatis suae consilium ejus dirigeret et propositum adjuvaret: ac sic in oratione pernoctasset, summo diluculo paululum dormitavit. Et ecce adversarius affuit, ita insultando et subsannando loquens: Eja, eja, multa proposuisti, sed ad quem finem pervenire speras, qui nec in unius noctis proposito perseverare potuisti? Expergefactus itaque homo Dei, et insidias inimici non ignorans, respondit: Quis minis tuis crederet, cum ab initio, teste veritate, mendax sis et pater mendacii? Taliter ergo spiritus malignus confusus, recessit ab eo. Videns autem homo Dei, quod veritas, cui testimonium perhibebat, multorum mendacio suffocaretur, praesertim cum peccatum eorum ex relatione verborum Dei amplius invalesceret: intelligens etiam, quod in ipsum usque ad falsi criminis illationem irruerent, eorum detrimentum ac perditionem potius, quam quod sibi nocere possent, dolens ac metuens, venit ad Archiepiscopum suum, et resignavit ei, quicquid beneficiorum ac redditum, quibus plurimum abundabat, fuerat consecutus in ecclesia. Venditis insuper domibus ac caeteris omnibus, quae vel ex patrimonio vel aliunde jure haereditario possidebat, cum omni supellectili sua, et in pauperes erogatis, nihil sibi retinens praeter decem marcas argenti et mulam sacellumque ad Missam celebrandam, assumptis duobus tantum laicis comitibus itineris sui, exemplo patriarchae Abrahae, spontaneam adiit peregrinationem.

§ 9. Cumque venisset ad quoddam castrum, Hoyum nomine, super Mosam fluvium situm, èadem ipsa, quae sibi retinuerat, ibidem pauperibus erogavit, solo sacello sibi retento ad sacrosanctae Missae mysteria celebranda. Pede igitur nudo, tunicâ lanea et pallio sibi sufficiente, sine recto, sine certo domicilio, virtute animi horrendas hyemes et asperam glaciem superans, solo Christo duce, cum duobus singularis propositi comitibus proficiscitur versus sanctum Aegidium. Quo cum pervenisset, ibique gratiâ Dei ordinante, qui sperantes in se non relinquit, Gelasium Papam, qui successit Paschali, invenisset, confessus est ei voluntatem et propositum animi sui, veniamque de hoc specialiter, quod duos simul supremos Ordines contra Canonum instituta susceperat, a praefato Pontifice postulans, impetravit. Papa vero videns prudentiam ejus et spiritum Dei habitantem in eo, voluit eum secum retinere. At ille rogans et obsecrans, ne hac ipsum obedientiâ cogeret, exponebat qualiter seipsum totum in

aulis regum ac pompis pontificum lasciviendo dissipasset, et quod id. quo invitaret eum, juventuti suae vel assumptae poenitentiae minime congrueret. Quod si canonicum, vel monachum aut eremitam seu etiam peregrinum ipsum esse praeciperet, libenter ac per omnia se obtemperaturum ajebat.

§ **10**. Videns igitur Pontifex constantiam hominis et devotionem animi bonam, necnon et persecutionem, quam pro verbo veritatis pertulerat, dedit ei licentiam et liberam facultatem praedicandi verbum Dei, non solum ubi prius praedicaverat, verum etiam ubicumque terrarum vellet et posset, idipsum ex persona sua monendo, et praecipiendo injungens. Praeterea eis, qui prius ex invidentia ei restiterant, inhibuit, ne saltem simplices prohiberent, si ipsi conciones ejus supervacaneas seu minus sibi utiles judicarent. Et hoc ipsum, ut ratum esset et stabile, auctoritatis suae literis ac sigillo firmavit.

§ **11**. Accepta itaque praedicandi ex Apostolica jussione potestate, coepit media horrendae hyemis asperitate et intemperie, cum duobus sociis, nudis pedibus remeare. Tanta quippe charitate flagrabat in Deum, ut eum nec frigoris asperitas, nec inedia, nec corporis lassitudo ab eo quod coeperat revocaret. Pertingebant ei in itinere nives usque ad genua aliquando, nonnunquam usque ad femora, nec tamen uno saltem die eum poterant retinere. Cibus ab eo, nisi Quadragesimalis et vespertinus, praeterquam Dominicis diebus, minime sumebatur. Piscibus autem seu vino rarissime utebatur. Corpus ejus non requiescebat per diem: spiritus autem neque noctu, neque interdiu habebat requiem. Singularis enim fidei et mirae fortitudinis erat homo ille. Cum ergo procedendo transiret Aurelianum, adjunxit se comitem ejus Subdiaconus quidam: et sic cum tribus sociis pervenit Valencenas sabbato Palmarum. In crastino ergo habuit sermonem ad populum, et ita per gratiam Dei omnibus gratus fuit, ut cogerent eum fessa membra ibi paululum recreare. Quibus cum nulla ratione vellet acquiescere, factum est per dispensationem Dei, ut sociis ejus subita aegritudine oppressis, non posset inde tunc ulterius proficisci. Remansit itaque homo, ut curaret infirmos suos: qui tamen sequentibus intra octavas Paschae diebus, beato fine quieverunt. E quibus duo laici conditi sunt in suburbio apud Valencenas in ecclesia beati Petri. Subdiaconus vero monachus effectus, sepultus est in ecclesia beatae Mariae, quae in eodem oppido sita est. Interea dum ibi maneret, contigit dominum Burchardum Cameracensem episcopum, piae ac venerandae memoriae virum, transitum inde habere proximo die ante Coenam Domini. Quo audito, vir Dei, quia cognoverant se mutuo, dum adhuc versarentur in seculo, accessit ad colloquendum cum eo. Veniens ergo ad ostium domus, ubi hospitio receptus erat Episcopus, invenit ibi ante fores per voluntatem Dei unum de

clericis ejus stantem. Hunc igitur submissa voce rogavit, ut introduceret ipsum ad Episcopum. Erat enim gelu super terram, et ipse nudis pedibus incedens. Ingressus igitur praedictus clericus, locutusque ad Episcopum, introduxit hominem. Qui paululum inter se colloquentes, recognoverunt se continuo, memores pristinae familiaritatis. Episcopus autem intuens hominem, et intra se vehementissime admirans ac stupens, collacrymatus est, non enim poterat se continere. Commota quippe sunt viscera ejus super eum. Et irruens in collum ejus, ac pio ejulatu exclamans, cum suspirio dixit: « O Nortberte, Nortberte: quis unquam talia de te crederet aut cogitaret? » Stans vero praedictus clericus qui eum introduxerat, et affectum Episcopi videns erga hominem, minime tamen sermones eorum intelligens quia Teutonice loquebantur, praesumens accessit, et interrogavit, quidnam hoc esset. Statim Episcopus. « Iste quem sic vides, inquit, in aula regis mecum pariter nutritus est, homo nobilis et deliciis affluens, intantum ut episcopatum meum, cum ei offerretur, respueret. » Audiens haec clericus, lacrymis statim perfusus est, tum quia dominum suum flentem videbat, tum quia mens et spiritus ejus in amorem tanti hominis charitate melliflua redundabat. Erat etiam ipse praeditus voluntate relinquendi seculum, et hujuscemodi vivendi modum, quem in homine illo cernebat, in corde suo jamdiu conceperat, eumque nimia cum devotione per dies singulos consequi optabat.

§ **12**. Post haec vir Dei gravi infirmitate corripitur. Episcopus autem praestolabatur, quem exitum infirmitas quae acciderat, haberet, et familiarem suum per Archidiaconum quemdam et alios quosdam suae aulae homines visitabat. Praedictus vero clericus, utrum convalesceret et quando, de die in diem solicitus investigabat. Postquam ergo convaluit, accessit ad eum, et cum ei confessus esset votum et desiderium animi sui, seque cum ipso sponderet iturum, extendens homo continuo manus suas ad coelum, et immensas gratias agens, dixit: Domine Deus, hodie te rogaveram, ut dares mihi socium. Existimabat enim quod statim cum ipso remanens, nusquam ad alia agenda digrederetur. At ille hoc non eo modo statuerat: sed primo volebat res suas disponere. Itaque cum post haec verba intulisset, velle se de rebus suis disponere, contristatus est homo ad hujuscemodi sermonem, et ait: « Eja frater, si est ex Deo, non dissolvetur.» At haec ille continuo respondit: « Vinculo indissolubili colligasti me tibi pater.» Ac sic abiens, rebus suis constitutis, paulo post reversus est, et deinceps perpetuo secutus est hominem Dei Nortbertum.

§ **13**. Anno igitur, mense Junio, post comitum suorum ex hac vita decessum, accessit ei dominus Hugo, jam dictus clericus, qui proximo post eum loco successit in regimine Praemonstratae ecclesiae, piae et sanctae conversationis homo. Gavisus ea re vir

Dei, et immensas gratias agens Deo, animatur ad praedicationem. Et jam sciens et praesumens de voluntate Dei, circuibat castella, villas et oppida, praedicans et reconcilians male dissidentes, et inveterata odia et bella ad pacem reducens. Securi erant de gratia Dei, qui servis suis provideret quae essent necessaria. Fixum enim in mente habentes, quia peregrini et hospites essent super terram, nec ulla quidem notâ ambitionis perstringi poterant, quorum tota spes de coelo pendebat. In tanta igitur admiratione et dilectione apud omnes esse coeperunt, ut quocumque iter agentes se verterent, cum villis aut castris propinquarent, etiam pastores, relictis gregibus, concito cursu praevenirent, et populis servos Dei advenire clamarent. Tunc vero campanae pulsabantur, tunc concursus populi, omnis sexus, omnis aetatis, omnis conditionis catervatim ad ecclesiam confluens, Missarum solemnia libenter audiebat, et verborum exhortationes ac monita libentius suscipiebat. Post sermonem autem non modica facta collatione de confessionis frequentatione, de agenda poenitentia, de conjugiis, de proprietatibus, et quomodo qui moriuntur in eis, debeant salvari: de omnibus his, inquam, dato et accepto responso, sub vesperam tandem ad hospitium ducebatur. Gaudebat vero non modice, felicemque se ac Deo dignum judicabat qui eum hospitio suscipere merebatur. Interdum autem alius trahebat asellum, alius rapiebat aselli capistrum, alius vi detinebat juvenem illum quem solum habebant ad asellum custodiendum. Sic itaque undique pertranseundo, multos ab errore revocabat, et poenitentiam suadens, multos retrahebat a crimine, multos etiam discordantes ad concordiam reducebat. Propter haec et his similia tantum amorem et gratiam ad populum contulit ei Deus, ut visu et alloquio ejus vix satiari quis posset, et ipse tanta populi charitate teneretur, ut multo tempore, relicto ecclesiarum hospitio, potius recipi vellet in medio urbium et castrorum, ubi omnes adventantes benigne et comiter exciperet. Erat praeterea in his omnibus supra quam dici vel credi possit, patiens in vigiliis, sedulus in labore, gratiosus in verbis, gratus aspectu, benignus in simplices, severus in hostes Ecclesiae.

§ **11**. Contigit quadam die, cum transiret per quoddam castrum, Fossas nomine, fieri concursum hominum, tam clericorum quam laicorum, insolitum ejus vivendi modum admirantium, et eo maxime quod quem socium acceperat, bene cognitum haberent. Intelligentes autem eum concordiae et pacis ex collata sibi gratia a Deo, esse administrum, obnixe rogare coeperunt, ut apud eos requiem paulisper caperet, asserentes in eadem regione funestis odiis et atroci discordiâ quosdam laborare, eaque causâ non minus sexaginta esse peremtos, nec a quoquam, cum a multis religiosis et potentibus jamdiu laboratum esset, potuisse sarciri concordiam. Cumque multi hac de re multa loquerentur, non casu

aestimandum est, sed divina disponente gratiâ factum esse, ut illac transiret quidam, cujus frater eodem odio instigante illa septimanâ interemtus erat. Quem cum astantes cernerent: Ecce unus, inquiunt, ex his de quibus sermo habetur inter nos. Quo advocato, statim homo Dei, brachiis collo ejus circumdatis, sic ait: « Dilecte mi, peregrinus ego sum, hac pertransiens, et nihil a quoquam petii in istis partibus vel accepi. Sed quia te juvenem bene armatum elegantemque video, placet mihi primum munus a te expetere et accipere, quod pro perspicua probitate tua rogo, ne mihi negare velis. » Statim ille nutu divino pietatis affectu permotus, et lacrymis obortis perfusus, respondit: « Quid est, reverende pater, quod tibi a me, vel a quolibet possit negari? » Qui cum condonationem peremti fratris ab eo peteret, continuo impetravit: nec solum condonavit, sed obsequium etiam viro Dei praestitit, ostendens opportunitatem acerba illa odia penitus sopiendi, et integram pacem conciliandi. Erat tum feria secunda, quando homini Dei primo haec indicata sunt.

§ **15**. Sequenti inde sabbato ad villam quae Monasterium nuncupatur, utraque pars adversariorum convenit, populus etiam multus ex eadem vicinitate confluxit, partim ut hominem Dei, de quo rara quaedam nunciabantur, viderent, partim ut dissidentes quorum odiis tota regio perturbabatur, ad conciliationem provocarent. Cumque vir Dei intra cubiculum quoddam, clauso ostio, fere usque ad horam tertiam persisteret orando, populus taedio et curiositate quadam affectus, coepit mirari non minimum, et murmurando alter ad alterum dicere: Qua causâ convenimus? Putabamus quod exiret, et verbi Dei semina jactaret, et aquis fontis vitae corda discordantium emolliret: et ecce in latibulis jacet dormiens, aut alia in re suae voluntati indulgens. Cum vero adeo impatientes ultra ferre nollent, coëgerunt socium ejus qui ad illos egressus fuerat, ut ingrederetur et diceret ei omnes mox recessuros, si non exiret. Ille sciens esse eum in precibus, ne eum perturbaret, ingredi distulit. Importunitate tandem eorum compulsus, intravit, et stans coram eo tremens submissa voce dixit: « Pater, populus expectat te, et quia praesentiam tuam ei non exhibes, vult recedere. » Et ille: « Tace, inquit, fili mi: non est nostrum servire Deo pro voluntate hominum, sed pro voluntate Dei. » At tamen non diu post surgens ab oratione, ecclesiam ingreditur, et sacris vestibus praeparatis, primo Missam beatae Mariae, ut in sabbatis solet fieri, celebrat: deinde Missam illorum defunctorum quorum mors extitit causa odii quod sedare volebat. Quibus devotissime peractis, juxta consuetudinem exivit ad faciendum sermonem. Sed quia prandii hora jam transierat (erat enim fere nona) multis ad reficiendum egressis, paucos, quibus praedicaret, invenit.

§ **16**. Apud illum autem hoc in more positum erat, ut sic in

paucis, sicut in multis: sicut in divitibus, sic in pauperibus ex abundantis charitatis visceribus, unicuique pro modulo suo et facultate, faceret sermonem. Porro paululum facta oratione, cum coepisset loqui et attraxisset spiritum, miro et ineffabili modo spiritus ille charitatis, quasi vox diffusa, sonus factus est in cordibus eorum qui prae taedio recesserant, et, ut ad sonitum tubae, unusquisque relicta refectione, de locis et tabernis in quibus consederant, quasi meliores epulas accepturi, ad ecclesiam convolabant. Cumque vir Dei repletam videret ecclesiam, abbreviato sermone, sic eos alloquitur: « Viri fratres, Dominus noster Jesus Christus cum discipulos suos ad praedicandum mitteret, inter alia hoc eis mandavit, ut in quamcumque domum intrarent, primum dicerent: Pax huic domui. Et si ibi esset pax, hoc est, filius pacis, requiesceret super eos pax eorum. Nos autem non nostris meritis, sed superabundanti gratiâ Dei sola, imitatores eorum effecti, eamdem pacem vobis denunciamus quae mente incredula neganda non est: nam ad pacem perpetuam pertingere facit. Vobis igitur incognitum non est, qua causâ convenerimus. Non est nostrum, nec ex nostro, utpote qui peregrinus sum et advena pertransiens, sed potestatis et voluntatis Dei est perficere: vestrum est autem, voluntati illius integro et devoto affectu acquiescere. » Ad haec vox omnium una facta est: Praecipiat, inquiunt, per te Dominus nobis, quod beneplacitum est ei: non habemus ei contradicere, quod, te ordinante, in hoc negotio Dominus de nobis facere voluerit. Quid plura? Egressa est utraque pars adversaria foras in atrium, reliquis in medio positis. Et parvo intervallo facto, abjurata est discordia, et concordia confecta, paxque sacramento confirmata.

§ **17**. In crastinum summo diluculo consurgens, secessit ad aliam villam, non longe positam, Gemblàcum * nomine, ut sermonem faceret ad populum: ubi sane devotissime susceptus est, quod et verbi Dei praeconem et placidae pacis eum internuncium esse didicissent. In eadem regione duo principes mutuis conflagrabant odiis, et, ut fieri solet, rapinâ et incendiis tota regio in vastitatem et solitudinem redacta fuerat. Hoc vir Dei audiens, et populorum clamoribus permotus, miseriaeque et paupertatis misertus, ipsos, quo potuit, labore adiit: cumque primum alloqueretur, dicens: « Magnus es et potens, et ignorare non debes, tibi a Deo collatam potestatem, et me servum ejus esse ad te missum. Me ergo, non pro me, sed pro illius amore audire debes qui pro tua et multorum salute ad te diverti. Audi igitur pauperem et peregrinum, et Domini Dei tui mandata per me tibi allata suscipe, ut ab eo tu quoque suscipiaris. Remitte ei qui tibi nocuit: dimitte, ut tibi dimittatur: tibique sit commodo, pauperibus et egènis subsidio: ut commodum tuum fiat peccatorum tuorum

* *Giblen* in Brabantia.

remissio, pauperum subsidium, rerum dissipatarum reparatio.» His auditis, princeps ille et homine inspecto, ut erat vultu angelico, et considerata vestitus et habitus humilitate, et facundiâ verborum, totus intremuit (commota quippe sunt omnia viscera ejus), et pietatis affectu responsionem emolliens, dixit: « Fiat quod vis. Non est enim aliqua certe rationis oppositio, qua possit quis tuae contradicere vel obsistere petitioni. »

§ **18**. Cum ergo tali affectu ad effectum perduxisset quod petebat, ab eo transivit ad alium. Sed seminator discordiae praeveniens, cor ejus sic obduraverat, et sui seminis radicem in eo sparserat, atque ita mentis oculos clauserat, ut nullius veri luminis aditus in mente, nullius charitatis fervor esset in corde, quo viro Dei vel ad breve spatium placide et humaniter responderet. Videns autem atrocitatem vultus illius, et oculorum torvitatem atque feritatem verborum et cordis duritiam, ne margaritas ante porcos jactaret, statim conticuit: et versus ad socium quem secum habebat: « Insanit, inquit, hic homo: sed futurum est brevi, ut retrorsum cadat, et detur inimicis suis ad capiendum et illaqueandum et conculcandum.» Haec dixit, et in eadem septimana verborum effectus subsecutus est; nam et captus ab inimicis, detentus est. Haec ideo dicta noverit lector, ut et in hoc vir Dei spiritum prophetiae habuisse credatur.

§ **19**. Et procedens inde, venit ad proximam villam quae vocatur *Cauroi*. Et quia fama de eo jam undique percrebuerat, populus de eadem vicinia ad audiendum sermonem confluebat. Et post celebrationem Missae audito finitoque sermone, sicut consueverat, de pace et concordia, et, si inter eos aliquod dissidium esset, coepit inquirere. Cum autem nominarent inter eos quosdam discordantes, coepit eos humili exhortatione a veteris odii rixis revocare. Sed cum unus ex eis, multis rogatus precibus, nullàtenus petitioni ejus et omnium circumstantium acquiesceret, foras exiliit, ascendens equum suum (miles enim erat), nitebatur fugere. Sed cum calcaribus fortiter iterum atque iterum urgèret eum, nullàtenus vel passum unum potuit procedere. Exeuntibus autem caeteris qui in ecclesia remanserant, et undique concurrentibus cum stupore et admiratione nimia, quidam subsannando clamare, quidam condolendo flere coeperunt. Omnes tamen una voce Deum laudabant qui in sanctis suis gloriosus est, et ibidem hanc ostendebat gloriam. Ille vero non minimum pudefactus ad vocem clamantium, ad ecclesiam coram viro Dei rediit, et prostratus veniam petens quod prius ab eo petebatur, quantocyus libens annuit, et absolutionem quod sanctum virum Dei offendisset, petiit et accepit. Et sic impletum est in eo quod scriptum est: *Imple facies eorum ignominiâ, et quaerent nomen tuum Domine (Psal.* 82).

§ **20**. Eodem anno contigit beatae memoriae Gelasium Papam,

a quo praedicandi auctoritatem acceperat, migrare a seculo: cui successit Calixtus Viennensis episcopus, piae et sanctae conversationis homo, et dignae recordationis, quem constat apud Cluniacum electum fuisse, et in sede universalis Ecclesiae potestatem, honorisque et dignitatis culmen communi omnium electione suscepisse. Transierat enim jam dictus Papa Gelasius cum saniori parte Cardinalium, ut sanctam matrem Ecclesiam in membris visitaret. Tanto denique patre orbati Cardinales, caeterique sanctae Ecclesiae filii qui ad exequias Gelasii convenerant, ab eo qui dixerat, *Non relinquam vos orphanos,* consilio quaesito et accepto, ad perficiendum quod coeperat praedecessor, Calixtus Rhemis concilium convocavit. Ubi et introitum suum Ecclesia confirmavit, et ipse quae bene gesta erant approbavit et corroboravit: et quae sinistra inventa sunt et corrigenda, auctoritate Romana correxit. Audiens vero homo Dei Apostolicae sedis dignitatem esse innovatam, Rhemos adiit: ubi ab Episcopis et Abbatibus qui convenerant, cum gaudio susceptus est, non minimum admirantibus super excellentia verborum praedicationis et responsionum ejus. Et ne ab aliquibus oblatrantibus sana ejus doctrina in aliquo posset infirmari, literas Apostolicae auctoritatis, quas a Papa Gelasio acceperat, iterum renovari postulavit.

§ **21**. Quibus acceptis, dominus Papa venerabili Laudunensi episcopo Bartholomaeo praecepit, ut curam ejus susciperet. Erat enim ipse homo, habens ex progenie matris ejus quosdam in episcopatu, et eorum instinctu submonitus erat episcopus, humanitatis ei manum per aliquod tempus porrigere. Quo deducto, et finito concilio, Papa non post multum Laudunum devenit. Tum vero Episcopus cum Papa consilium iniit, quomodo eum retinere posset: atque eo nomine obtulit ei ecclesiam B. Martini quae in suburbio sita est: in quà pauci fratres erant, sub regula canonicae professionis degentes. At vir Dei modis omnibus renuebat. Tandem cum cogeretur, ne summi Pontificis offensam, et inobedientiae notam incurreret quod petebatur annuit, si tamen canonici illic commorantes, ea, quae secundum Evangelicam et Apostolicam institutionem eos docturus esset, observare non recusarent. Sed cum ostenderet eis formam Evangelicae institutionis, quomodo imitatores Christi, contemptores mundi esse deberent, quomodo praeceptis et regulis sanctorum patrum obedientes: illi statim ad verbum et aspectum ejus perterriti, dixerunt: Nolumus hunc regnare super nos, quia talem magistrum nostra non novit nec praedecessorum nostrorum consuetudo. Liceat nobis nostro more vivere: castigare quidem Deus vult, non mortificare. Sic homo Dei et obedivit, et ab obedientia solutus, ab illa non recessit.

§ **22**. Mansit itaque ibidem. Socius enim ejus, de quo superius mentio facta est, cum Cameracensi episcopo Burchardo

profectus erat: habebat enim de rebus suis, quas non ita pridem reliquerat indiscussas, quaedam disponere. Quae quod aliter quam vellet distraherentur (novitius quippe erat), aequanimiter non poterat sustinere. Interea Episcopus dissoluta jejunio et frigore hospitis sui membra nitebatur reficere: sed ipse quotidie ab hospite suo confovebatur spirituali et melliflua verbi Dei refectione. Ob hanc causam amore nimio et charitatis igne succensus, assidue pulsabat eum precibus quibuscumque poterat, ut in episcopatu suo vellet manere, quotidie circumducens eum et ostendens, si qua foret ecclesia quae ei placeret, si quae solitudines, si qua deserta, si qua terra culta vel inculta ad aedificandum et commanendum. Victus tandem ipsius et multorum aliorum tam religiosorum quam nobilium precibus, elegit locum valde desertum et solitarium qui ab incolis antiquitus Praemonstratum vocabatur: in quo, si quando daret ei Deus colligere socios, se mansurum spopondit.

§ **23**. Transacta igitur hyeme, niviumque et glaciei frigore vernali calore paululum deterso, vir Dei, ut erat solitus, virtute divini solatii accinctus, ad praedicandum exiit, et solus Cameràcum veniens, sermonem habuit ad populum. Et ecce cecidit semen in terram bonam, scilicet in juvenem Evermodum nomine: qui tanto rore Spiritus Sancti perfusus fuit in verbi Dei susceptione, ut amoris ejus causâ stans oraret ad Dominum Deum suum in eodem loco et in eisdem passibus, ubi Dei hominem stare diligenter consideraverat in faciendo sermone. Nec moras intulit, sed statim relictis omnibus, secutus est eum, tantoque intimi amoris vinculo ei colligatus est, ut omni tempore vitae ejus spiritus viri Dei in eo requiem caperet, et post decessum suum locum sepulturae suae ei commendaret. Perveniens autem Nivigellam, alium juvenem Antonium nomine, a Deo sibi datum recipit. Hi duo et tertius, quem prius receperat, radices et fundamentum fuere futurae multitudinis quae subsecuta est. Et intra Quadragesimam illam tot socios obtinuit, ut in septimana passionis Domini ante Pascha cum tredecim reversus, praedictum locum possederit. Locato igitur fundamento in Christo Jesu, paulatim de vivis et bene sectis et polìtis lapidibus crescebat aedificium, et domus Dei ampliabatur.

§ **24**. Post haec homo Dei, ut erat solitus, ad praedicandum egressus est, recepitque socium suum qui ad componendum res suas abierat: et quamplurimis in itinere discordiâ laborantibus ad concordiam revocatis, Nivigellam pervenerunt. Quia vero ab exordio praedicationis suae in eodem oppido nimis charus habebatur, statim ut Praemonstratum concessit, quidam ex eis conversionis gratiâ ad eum cucurrerunt: sed asperitatem Ordinis et institutionis impositae, ferre non valentes, ut canes ad vomitum reversi sunt. Qui suam nequitiam tegere volentes, ad opprobrium

hominis Dei, et ut conciones ejus averterent, zizania superseminaverunt, ita ut nec videre illum, nec ejus conciones audire vellent. Sed ille hac re nullo modo expavit, confidens hoc magis fore materiam victoriae contra daemones, qui ejus praedicationi et saluti credentium, quam per eum operabatur Deus, nitebantur objicere impedimenta. Cum ergo ob hanc causam in populo illo parvi pretii haberetur, suscitavit Deus militi suo bellum, de quo, ipsius dono certando viriliter, assecutus est victoriam amorique pristino redditus, et non tantum apud Nivigellensem plebem, sed etiam apud omnes hoc audientes, adeptus est suavissimi odoris favorem et gratiam. Nam ibidem aderat pater cujusdam puellae, quae jam per annum a daemonio vexata fuerat, et vinculis et carcere tenebatur. Qui graviter flens et suspirans, dolore filiae affectus, coepit rogare eum, ut saltem videre eam et tangere dignaretur. Magnum opus, sed non dispar fides in opere. Adducite eam, inquit, ad me. Adducitur puella jam duodennis, et plurima populi frequentia convenit. Tunc igitur Dei sacerdos tempus, et locum, et materiam videns ut glorificaretur Deus, majorem fiduciam concepit. Ita albis et stolâ vestitus, exorcismum agere aggressus est. Coepitque diversa legere evangelia super caput illius. Sed cum plures horas precibus super eam insisteret, daemonis, convicia, sannas et blasphemias ingeminantis, fugam consequi haud potuit. Non decidit tamen fide Nortbertus; et crastina die, noctem in jejunio et oratione cum transegisset, repetitis exorcismis, dum Missam celebraret, spiritus immundus nullas patiens moras, foeda relinquens vestigia, aufugit, vasque possessum reliquit. Illa vero liberata a sua tortore, collapsa, languida delata est in domum paternam, et paulo post accepto cibo, ex integro incolumis et compos sui, perfecte sanata apparuit. Hoc itaque publice factum est, teste omni populo, qui Dei laudes in commune praedicabat, et patrem Nortbertum vere Apostolicum virum fatebatur.

§ **25**. Post haec pervenit Coloniam, ubi et libenter suscipitur, et libentius in sermone et confessione auditur, quod illum prius et juvenem novissent, et jam mirabiliter mutatum viderent. Et quia populus fere solet imitari, si quid novi conspiciat, multi ad verbum et exhortationem ejus tam clerici quam laici concurrentes, illum secuti sunt. Habebat ille jam tunc in animo aedificare ecclesiam in qua adunatos fratres reciperet. Atque ob hanc causam petivit ab Archiepiscopo Friderico et caeteris fidelibus sanctarum Reliquiarum sibi munera donari, quibus non minimum ab antiquo repleta et instructa erat felix Colonia. Annuit Archiepiscopus, annuit ceu justae petitioni clerus et populus. At ille fratribus suis quos secum habebat et quos ibidem Deus ei contulerat, jejunio indicto, hoc pretiosum donum Deo commendabat, ut venerabile patrocinium is faceret inveniri. Nocte vero

eàdem, virgo quaedam ex numero undecim millium virginum *, et nomen ipsius virginis, et locus, ubi jaceret, per visionem cuidam designatus est, et in crastinum ex ordine visionis, corpus ibidem quaesitum, integrum inventum est. Quo cum hymnis et laudibus Dei et gratiarum actione suscepto, de reliquiis etiam aliarum virginum aliorumque quorumdam martyrum, videlicet Gereonis **, Maurorum, duorum Ewaldorum, duo vascula instar feretri ei impleta sunt. Sequenti vero die, cum a Praeposito et Canonicis S. Gereonis similiter sibi dari reliquias supplicaret, concessum est. ei, ut si quid, quod placeat ei in ecclesia eorum, vellet. id quaereret et acciperet. Gavisus est homo Dei, et hoc promissum, ut erat solitus, Deo per totam noctem orando commendabat attentius.

§ **26**. Mane autem facto, in medio monasterio, ubi nullum alicujus sepulcri patebat vestigium, effòdi praecepit: ubi corpus integrum absque cerebro repertum est, honorifice et cum omni diligentia collocatum. Quod cum canonici et plebs innumerabilis quae convenerat, cerneret: Ecce, inquiunt, hic est dominus noster Gereon, et nostrum venerabile patrocinium, quod a nobis et a praedecessoribus nostris per multos annos quaesitum est, et peccatis nostris exigentibus inveniri non potuit. Et exclamantes voce magna, cum gaudio immensas Deo gratias agebant, hominem Deo dignum efferentes, per quem talis ac tantus thesaurus diuque desideratus mereretur inveniri. Et ne quis dubitet ipsum esse, sciat pro certo verum agnitionis ejus fuisse indicium, quod de morte et martyrio ejus legitur, partem capitis, et non totum caput, esse abscissum. Hanc partem habebant, sed reliquum corpus ubi esset, prorsus ignorabant. Susceptum est itaque corpus sanctum, ut digne debuit, et elevatum, parsque inde viro Dei data est: quod reliquum fuit, magnifice a Clero et populo repositum est. Assumptis non diu post Reliquiis, collectoque fratrum tam clericorum quam laicorum collegio, quos Deo per verbum praedicationis genuerat, redeundi iter aggressus est, et ubique in ecclesiis, in congregationibus, cum processione magnifice suscipiebatur. Audiens autem transitum ejus nobilis matrona, Ermensendis nomine, Namurcensis Comitissa, velociter occurrit ei, orans ut ad collocandos illic fratres quamdam ecclesiolam in villa Floreffiae, vellet suscipere. Decreverat etenim ipsa ex multo tempore pro remedio animae suae ac praedecessorum suorum in eadem ecclesia religionem propagare. Videns ille sinceram mulieris devotionem, suscepit quod petebat: ibidemque altero reliquiarum vasculo derelicto, festinavit Praemonstratum (erat enim instans Nativitatis dies), habens clericos et laicos circiter triginta novitios.

* Martyrum, S. Ursulae Sociarum; vide XXI oct.
** Dicitur ex admirabili et invicta Thebana Legione; col. X oct.

§ 27. Congregatis igitur clericis ferme quadraginta, et quamplurimis laicis, assidua consolatione vespere et mane fovebat eos, et multiplicibus sermonibus hortabatur, ne desisterent a felici proposito et spontanea paupertate, quam susceperant: et quod docebat, velut aquila provocans ad volandum pullos suos, operibus demonstrabat. Cum autem multi religiosi, tam Episcopi quam Abbates, diversa consilia darent, alius eremiticam, alius anachoreticam vitam, alius Cistertiensem Ordinem assumendum suadentes: ille, cujus opus et consilium de supernis pendebat, qui suum principium non sibi, non hominibus, sed ei qui est omnium rerum initium, commendabat, in corde suo cuncta conferens, ut sapiens velox ad audiendum, qui differt et reservat in posterum, tandem ne professioni canonicae, cui etiam ipse, et quotquot cum eo vivere volebant, intitulati fuerant ab infantia, inferre injuriam videretur, regulam, quam beatus Augustinus suis instituit, afferri praecepit. Apostolica enim vita, quam in praedicatione susceperat, jam optabat vivere, quam quidem ab eodem beato viro post Apostolos audierat constitutam et renovatam fuisse. Quam cum allatam diligenter inspexisset, in paucis compositam, in multis tamen dispositam, statim in die natalis Domini quae instabat instar Dominicae descriptionis, sub eadem et stabilitatis in loco, et professionis gratia, ad illam beatae perennitatis civitatem singuli seipsos conscripserunt.

§ 28. Quadam die cum reverteretur Rhemis cum quibusdam sociis suis, et duobus novitiis, quos de seculo traxerat sermo divinus ad eos factus, et incederent cum silentio per viam, de Deo suo meditantes, vox quaedam de nube in auribus eorum in hunc modum insonuit: Haec est fratris Nortberti societas. Ad quam vox altera ex altero lätere respondit: Ex his duobus novitiis älter non est de societate eorum. Audiebat hoc homo Dei, et alii qui comitabantur eum, et rem taciti considerabant, nihil mali suspicantes: sed tamen quidnam portenderet, haesitabant. At pater Nortbertus, cui major incumbebat solicitudo, sciens non supervacuum esse quod ex permissione divina hae voces audirentur, perquirebat a Deo omni orationum instantiâ, quid sibi vellent quae audierant, mores eorum et actus considerans de die in diem, de quibus fuerant prolata. Cumque considerasset alterum eorum minus devotum in confessione, levem in verbis, inquietum corpore, inconstantem moribus, tepidum in oratione, negligentem in obedientia (erat autem Anglus): «Quid est, inquit, frater: quid est quod gestas in corde? Expone quod latet. Si Deum quaeris, non est ulla creatura coram eo invisibilis: quia, ut ait Apostolus, omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Veritatem quaerimus, et prout fragilitati humanae conceditur, in veritate ambulare nitimur, nec est ulla veritatis et falsitatis conventio, nec aliqua fidelis cum infideli participatio.» Cui ille caput agitando, et leviter

verba proferendo, dicebat: « Putasne bone pater, quicquam velle me tibi furari? Pauper es, sed omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. » Haec dixit, et dicta opere complevit. Nam tunc quidam forte ad conversionem venerat, et cum parvula substantia sua aliquantulum argenti detulerat quod retro altare pauperis oratorii, quod tunc solum habebant, projectum jacebat. Nocte vero quadam ille horam sibi providens opportunam, argentum illud rapiens aufugit. Sic igitur deceptor ille, plenus fraude et minister diaboli, pauperes eos in corde judicans, pauperibus Christi nihil mali suspicantibus, paupertatem auxit intantum, ut nulla eis remaneret substantia, unde sumptus procurari possent vel unius diei.

§ **29**. Jamtunc plurimi in disciplinam ejus vitâ et proposito, relictis omnibus, se conferebant, et definito consilio quaerebatur, ubi in eodem deserto certum ad commanendum et aedificandum locum idoneum praepararent. Erat enim locus ille asperrimus et plane incultus, arbustis et paludibus et caeteris incommodis occupatus, nec quicquam apparebat habile ad commorandum, praeter sacellum et juxta illud pomarium et stagnum quoddam parvulum, quod de aquis montium, pluviarum tantum tempore, et de succo paludum usque in praesens impleri constat. Ibi consederat homo Dei cum parvula sodalitate sua, spei ancoram inconcussae fidei adjungens, et cum patriarcha nostro Abraham spem contra spem ponens. Verumtamen ne pusillus grex desperaret, et ut amicorum suorum corda laetificaret, et aemulis derogandi occasionem subtraheret, num qua tali in loco posset esse commoditas, ipse circumiens considerare coepit, et alios considerare praecepit, addens, ut ad omnipotentem Deum assidua fieret et intenta orationum supplicatio, ut is ostenderet locum in quo divinus cultus omni tempore posset peragi. Cumque multi assiduis precibus Domino isthuc commendarent, obnixe beneplacitum voluntatis ejus jejuniis et orationibus exquirentes, apparuit cuidam visio manifesta satis et evidens, locum, et quae in loco et de loco erant ventura, aperta significatione denuncians. Nam ibidem, ubi praesens sita est ecclesia, Dominus noster Jesus Christus tamquam pendens in cruce visus est, super quem septem solis radii mirabilis claritatis fulgebant, et a quatuor partibus multitudo magna peregrinorum cum peris et baculis properabat, iique flexis genibus adorato suo Redemptore, et pedibus ejus dato osculo, quasi per licentiam recedebant reversuri. Quod cum viro Dei revelatum fuisset, gratias egit Deo, qui servis suis se in veritate quaerentibus, et in fide et justitia obsequentibus, de praeteritis dat fiduciam, et de futuris secreta revelatione notitiam. Et post haec exhilarata facie, assumpta fiduciâ, « Eja, inquit, fratres, eja fratres dilectissimi: accingimini et estote viri fortes: vobis

plurima bellorum genera praeparántur, quae ab hostibus tam visibilibus quam invisibilibus futura sunt. Sed novi tyrones, qui venerunt per visionem, visibiliter venturi sunt, et accepto praecepto et obedientiâ ab eo qui Patri fuit obediens, vobiscum sunt usque ad consummationem bellaturi. Verbum hoc verum fuit, quod subsecuta actio quotidie declarat in his qui relictis omnibus, ut peregrini veniunt, et professione facta, quasi osculo dato, ad obtinendas praeliorum acies, ad diversas nationes recedunt. »

§ **30**. Quia vero aedificium et templum spirituale bene dispositum et compositum fuerat, ad materiale necessarium erat laborem adhibere, ut cuncta fierent cum benedictione. Itaque Episcopo Bartholomaeo advocato, effossoque fundamento et consecrato, de consecratis lapidibus fundari fecit ecclesiam, astante Thoma domino de Cosci, qui hominem Dei metuebat et reverebatur propter Deum, sciens eum virum justum et omni honore dignum: astante etiam filio Ingelerammo adhuc puerulo, et multis nobilibus clericis et laicis, et populorum innumera multitudine admirante et quasi spectaculum considerante, et intra se adinvicem dicente: Quis putas est homo iste? cujus fidei? Putasne stabile erit hoc opus, quod in tanta solitudine locatur, et cujus fundamenta non in petra, non supra firmam petram jacitur, sed in palude? Tanta namque ibi palus erat, ut vix impleri posset, licet multa lapidum congeries projiceretur. Sed non debuit titubare, nec potuit eradicari: quia plantatio, quam plantat coelestis Pater, non eradicabitur. Crevitque quam celerrime aedificium, et intra tempus novem mensium perfectum et consummatum est, et a supradicto Episcopo Bartholomaeo consecratum. Exivit deinde homo Dei ad praedicandum, relictis, qui praeessent coepto operi, et aliis rebus omnibus, et omnia integra conservarent, tum etiam qui praeessent tam clericorum quam laicorum conventui, binos et binos in singulis ponens officiis: quos ad ultimum vale, de pace et unanimitate docebat, dicens nunquam posse exorbitare congregatam aliquam multitudinem, quam praelatorum concordia moderetur.

§ **31**. Eo tempore, famâ viri Dei propter res praeclare gestas longe lateque pervagante compunctus est paupertatis spiritu Comes quidam Westphaliae potentissimus, Godefridus nomine. Qui accessit ad eum quod de eo multa audisset: sed cum auditis majora Spiritu Sancto perdocente, qui per eum operabatur, invenisset, omne consilium et voluntatem suam ei aperuit, et qui se totum jam Deo devoverat interius, sine mora de omnibus relinquendis et de paupertate voluntaria amplectenda perdocetur exterius. Erat enim dives, potens in armis, utpote homo juvenis, praediis multis, servis et ancillis abundans, quibus omnibus mox renuncians, se et sua omnia Deo per manus hominis Dei disponenda tradidit ea conditione, ut propriae domus, castri videlicet Capenbergensis,

mutaret fastigia, Deoque consecranda curaret: ut ubi regnaverat vitiorum execratio, virtutum illic locum faceret divinae benedictionis consecratio. Quid faceret juvenis, certamen gravissimum suscepturus? Gravissimum certamen jure dixerim; erat enim illi uxor et frater ipso junior qui modis omnibus ejus proposito se opponebant. Contradicebant etiam servi, ancillae et omnes ministri ejus. Contradicebat Comes Fridericus, pater uxoris ejus, magna ex parte eleemosynam, quam fecisset, de dote filiae suae esse dicens. Itaque manus ejus contra hos omnes, et manus horum omnium contra eum. Vicit tandem humilis importunitas: uxorque consensit, et frater, leonino furore deposito, agninam induit mansuetudinem, itemque religionis habitum, quem ipsum Comitem velle noverat, cum illo suscepit. Gavisus est pater Nortbertus, gavisus est et Comes, et redditis omnibus Caesari quae Caesaris erant, et quae Dei Deo retentis, tres de propriis allodiis ecclesias, ordinante patre Nortberto, construxit. In quibus fratribus collocatis et religione constituta, cum Dei cultus egregie compleretur, non defuit tentatio, nec malignorum spirituum persecutio.

§ **32**. Nam Comes Fridericus, pater uxoris Comitis, ambitioni suae indulgens quod castrum Capenbergense dominatum Westphaliae tenuisset, praetexens illud esse dotem filiae suae, comminatus est fratribus, nisi quantocyus ex eo abscederent, se omnes trucidaturum. Aliquoties etiam cum equitatu suo illuc usque accedebat, patri Nortberto comminas, si eum cum asino ipsius posset comprehendere, ambos se suspensurum, ut reipsa experiretur quis esset eorum majoris ponderis. Tam superbae orationi qui aderant, Episcopi et alii Principes contradicebant, et iram Dei illi comminabantur. Fratres ergo Capenbergenses in arcto positi, nec ullum habentes qui ipsos liberaret de manu potentis et iniqui, miserunt ad patrem suum, ut ipsos adjuvaret, simul hominis superbi verba ei nunciantes. Quo nuncio accepto, collectis viribus fidei et spei per eum et in eum qui dixit: Confidite, ego vici mundum: ad ipsum se totum contulit, et publice pronunciavit se cum asino suo terram illius ingressurum, et copiam sui se facturum. Quid multa? Quamvis iter longum esset, tamen asinum suum mutare noluit: sed transito Rheno cum asino suo, inermis et debilis terram illius Comitis intravit. Nec longe post ille pacis inimicus languore correptus, interiit, et reddidit simul finem malitiae et vitae. Sic pacatis omnibus, fratribusque Deum timentibus electis, in tribus ecclesiis de eodem allodio cultum Dei omni tempore peragendum ordinavit.

§ **33**. Cum autem in Franciam reverteretur, et fama de conversione supradicti principis, mirantibus multis, divulgaretur quod cum habitu in monasteria mutasset castra, totumque Comitatum servitio Dei mancipasset: exemplo ejus commotus et

compunctus quidam nobilissimus princeps Franciae, Comes Theobaldus, hominem Dei adiit, de salute sua et de remissione peccatorum suorum simili modo consilium quaesiturus. Considerans autem hominis Dei facundiam, et vultus elegantiam, et maturitatem in verbis et responsis ejus, pietatis affectu mens ejus prae amore dulcedinis Dei et mansuetudinis sic perfusa est, ut statim seipsum totum cum omni possessiòne sua viri Dei permiserit voluntati. Erat enim et ipse homo prudens et bene doctus, et sanam doctrinam sapientiamque verborum Dei sapienter in corde suo et laudabiliter colligebat. Sed vir Dei videns generosi principis pectus nobile, nobilemque et devotam quam de seipso bene dividens offerebat oblationem, et holocaustum quod de cunctis rebus et divitiis faciebat, paucis diebus ad respondendum acceptis induciis, Domino Deo consilium hoc attentius commendabat.

§ 34. Didicerat enim principem illum amplissimas habere possessiones, et castra quam plurima, nec cuncta facile posse mancipari alicui religioni, tum propter regni munitionem, tum propter aliorum multorum nobilium, qui ejus principis beneficiarii erant, destructionem. Audierat etiam esse eum largissimum in praestandis eleemosynis, in ecclesiis, monasteriis et caeteris religiosorum officinis aedificandis, addendisque caeterarum rerum necessariarum magnis subsidiis. Audierat eum patrem esse orphanorum, tutorem viduarum, nutritorem pauperum, solamen leprosorum. Itaque vir per omnia discretus, alterius instituti vitam minime illi complectendam sentiebat. Expectabat autem ille responsum de contemptu mundi et deserendis omnibus. Sed homo Dei, accepto post datas inducias divinitus consilio: « Non erit, inquit, ita. Jugum enim Domini, ut coepisti, cum jugo matrimonii portabis, et semen tuum cum benedictione patrum tuorum praecedentium terram largissimam obtinebit: qui a nobis fas non est in te destruere quod de te divina dispositio ante omnia secula hisce novissimis temporibus voluit ordinare.» Ad quae sic respondit princeps: « Si sic necesse confirmas, reverende pater, ex Dei voluntate, Domini est terra et plenitudo ejus, nec ex ea quisquam aliquid, nisi per illum, obtinebit. Quia igitur ex illo haec praecipis, non habeo contradicere: sed certum tibi sit, nullam me ducturum aliam, nisi quam Dominus Deus per te mihi voluerit copulare. » Penset hic lector, quanta fuerit in viro Dei virtus discretionis qui ex duobus principibus alterum cuncta voluit relinquere, alteri vero praecepit tanquam nihil habentem cuncta possidere. Consideravit quippe in altero quod aliena etiam ab egènis raperet: consideravit in altero quod propria egentibus largiri non cessaret.

§ 35. Constituerat homo Dei iter Romanum ingredi pro statuendo Ordine Fratrum suorum, et pro confirmandis rebus

eorum, sibi a Deo collatis. Assumptis itaque legatis Comitis, Ratisponam usque eos adduxit. Erat enim Episcopus ejus civitatis nobilissimi stemmatis, et habebat fratrem Engelbertum, potentissimum Marchionem, cui erant nubilis aetatis filiae, e quibus una expetita, Comiti Theobaldo desponsa est. Reversi sunt legati ejus isthuc nunciantes, et pater Nortbertus coeptum iter prosequens, Romam pervenit: ubi a beatae memoriae Papa Honorio honorifice susceptus est, et quicquid juste petiit, ab eo facile impetravit. Peractis itaque omnibus, cum jam de reditu cogitaret, quadam nocte summo diluculo, cum de Deo meditaretur ipse et quidam sociorum ejus, quos itineris solamen habebat, audita est vox ab illis manifeste, Parthenopolis (*Magdebourg*) ipsum fore episcopum. His auditis, admirantes stupebant, nec audebat quisquam eorum alius alii indicare quid audisset. Praemiserat interim unum ex clericis suis qui nunciaret Comiti reditum suum, et acciperet responsum de matrimonio quod per legatos suos audivisset expetitum.

§ **36**. Ipse vero rediens, transitum habuit per civitatem Herbipolim (*Vurtzbourg*) quae tunc episcopo carebat, coëgeruntque eum Clerus et populus Pascha apud ipsos celebrare. Eo igitur retento, cum in die sancto summam Missam in ecclesia celebraret cum magna frequentia populi, ventumque fuisset ad sacrosancti Dominici Corporis et Sanguinis perceptionem, accessit ad eum caeca mulier quae omnibus nota erat, et eo post Dominici Corporis et Sanguinis communionem sufflante in oculos ejus, lumen recepit. Unde cum omnis illic assistens populus magnificentiam Dei altis vocibus extolleret, quidam divites e praecipuis civitatis compuncti et amore Dei accensi, se et sua per manus hominis Dei Deo obtulerunt. De quorum facultatibus ecclesia aedificata illic est quae divinis cultibus claret usque in hodiernum diem. Recordati vero vocis, quam Romae audierant ipse homo Dei et fratres ejus, cum Parthenòpolis et Herbipolis, aeque in polis desinant, timentes ne in Episcopum assumeretur ab iis qui supra modum magnificabant eum, celeriter e civitate egressi sunt.

§ **37**. Accepta igitur potestate a Romano Pontifice de institutione proposita et statuto ordine, cum ad Praemonstratum reversus esset, statim confirmavit quod prius fecerat, videlicet ecclesiam B. Martini quae est Lauduni *(Laon)* sita in suburbio, quam sub Abbate, cum adhuc in nimia paupertate esset, instituerat: quae quantum in temporali et spirituali aedificio creverit, et plantata in qua terra radices fixerit, arbores ex ea in diversas terrarum nationes translatae dicant, fructus ex ea suavissime rèdolens praedicet, et qui viderunt et cooperatores extiterunt, usque in aeternum succedentes succedentibus praebeant testimonium. Ordinari fecit etiam in Vivariensi ecclesia Abbatem, quam in Suessionensi pago susceperat, ubi et daemon qui eum persequebatur,

ad introitum fratrum, in hominem quemdam statim ingressus est, quem pater Nortbertus, Deo cooperante, hoc modo liberavit.

§ **38**. Ille siquidem , ut erat solitus , heri et nudiustertius, exierat agriculturam suam agere, et dum geminato laboris aestu sitiret, ad proximum fontem accessit; ubi cum bibiturus se inclinaret, vidit immanem umbram et terribilem in aqua. Qua visione perterritus, dum temperat sibi a potu aquae, erectus videt quasi ingentem hominem cum terrore quaerentem, cujus esset. Atque eo dicto disparuit, et miser arreptus a daemone, furere coepit. Hora erat pomeridiana, et ille apud villam ad vesperam inventus, ligatus adductus est. Quem cum pater Nortbertus diligenter intuitus esset: « Videtis, inquit, quomodo malignus spiritus qui bonis omnibus invidet, nos etiam hoc in loco odiosos reddere nititur? Vult enim rumorem spargere, ad ingressum nostrum hanc infamiae notam existere, et ejus hoc esse signum quod ista mala praecedant: sed per gratiam Dei non praevalebit. » Tunc coepit hominem exorcizare et signare, donec quiesceret, et sana verba proferret. Quod videntes qui astabant, gavisi sunt valde, gratias agentes Deo, et dicentes: Eja benedictus Deus per omnia: modo quiescere paululum potest hic pater noster qui fatigatus longo itinere, huc accessit. Sed ille qui discretionem spirituum habebat, propius accedens, cum de naribus illius obsessi foetorem putidissimum exire sensisset, ait: « Non est ita, ut vos putatis: nondum spiritus iste nequam recessit, sed làtitat in calamo isto, et verba composita loquitur divinae virtutis timore, ut non expellatur, sed nobis recedentibus acrius hunc miserum valeat cruciare. Attamen sine causa non est traditus iste adversariae potestati. Permittamus eum hac nocte poenas debitas solvere, orantes pro eo, et forsitan cras facilius miserebitur ejus Deus. » Et sic factum est. Sed rei veritas et subsecutae veritatis indicia vera comprobaverunt esse verba sacerdotis. Nam ut recesserunt ab eo coepit arreptitius ille multo nequius stridère et fùrere, quam prius fecisset. In crastinum autem homo Dei reversus est ad eum, et in conspectu innumerae plebis, quasi ad spectaculum astantis, sanus per Dei gratiam redditus est aeger, et ad domum propriam cum omni sensus integritate reversus.

§ **39**. Non est autem praetereundum, quare vocatus fuerit ad suscipiendam Antuerpiensem Ecclesiam. Est Antuerpia oppidum amplissimum et populosum, in quo unus erat tantum sacerdos qui curam totius populi ibidem commorantis gerebat. Sed prae nimia multitudine et frequenti negligentia non poterat: nec credebatur ei quod et ipse quasi in conjugio, neptem suam in tertio gradu manifeste sociam sui sceleris haberet. Hanc ob causam populus ille, quasi grex absque pastore, per multos errorum anfractus deviabat. Unde contigit, ut haereticus quidam mirae subtilitatis et seductor, Tanchelinus nomine, illuc adveniens, in

eadem gente locum suae imposturae inveniret *. Erat is omnium hominum sceleratissimus, Deique et omnium sacramentorum ejus totiusque religionis et Christianae fidei hostis, ita ut ministerium Episcoporum et sacerdotum nihil esse diceret, et sacrosancti Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi perceptionem, ad salutem perpetuam prodesse negaret. Itaque illum populum, cui jam per multa tempora veritas horum nunciata non fuerat, in hos errores induxit. Credebant ei, et sequebantur eum circiter tria millia armatorum, nec erat Dux aut Episcopus vel princeps qui auderet ei resistere vel occurrere, nec ante eum, nisi sectam ejus amplecteretur, apparere. Cum pretioso apparatu in vestibus deauratis incedebat, verbisque persuasibilibus, magnisque conviviorum apparatibus benevolentiam eorum ad seducendos eos exhauriebat. Res mira et stupenda: lotiones ejus bibebant, et reliquiarum loco absportantes recondebant. Et cum filias in matrum praesentia, sponsasque maritis videntibus corrumperet, opus spirituale id esse asserebat, intantum, ut infelicem se diceret qui huic conjunctioni nefariae misceri non meruisset.

§ **40**. Haec turpissima et detestanda hominis impostura etiam post mortem ejus extirpari nullatenus potuit, licet duodecim clericorum congregatio ab Episcopo in subsidium sacerdotis qui solus erat in ecclesia sancti Michaëlis, instituta esset. Tum vero clerici et charitate et evidenti necessitate cogente, patri Nortberto et fratribus ejus per manum Episcopi hanc ecclesiam cum quibusdam redditibus dederunt, confidentes quod Deus meritis illius et fratrum, mortiferae pestis auferret saevitiam, et tenebris ignorantiae depulsis, lumen veritatis repararet. Suscepta est ecclesia, et clerici in eodem oppido aliam sibi aedificaverunt: quae utraeque manent usque in hodiernum diem, Dei servitio mancipatae. At pater Nortbertus, peritos fratres ibi collocavit qui mortifero vulneri vitale medicamentum apponerent. Itaque coeperunt et ipsi seminare verbum Dei, et eloquia faucibus eorum super mel et favum dulcia propinare, infirmis pulmentum dulcedinis ministrantes, et debilibus panem qui cor hominis confirmat, et vitam praestat aeternam, annunciantes. Ajebant enim: Fratres ne miremini, et ne timeatis: vos per ignorantiam secuti estis mendacium, veritatem esse existimantes. Quam si quis prius vos edocuisset, ut faciles inventi estis ad perditionem, sic faciliores fuissetis ad salutem consequendam. Audientes ergo quidam verbum, et videntes opera quae sequebantur, compuncti revertentes viri et mulieres, Corpus Dominicum quod in cistis vel in foraminibus per decem aut quindecim et eo amplius annos abdiderant, reportabant.

§ **41**. Cum quadam nocte Praemonstrati cum quibusdam fratribus infirmis et minutis plus solito resedisset, de spe coelesti

* Tanchelinus haereticus Antuerpienses dementat.

et beatitudinis gloria conferens, et conferentes audiens, cum in secretae noctis silentio quidam ex eis sitirent, missum est ad fontem, ut afferretur aqua. Revertentibus igitur qui missi fuerant, statim ut ostium cellulae ingressi sunt: Quare, inquit vir Dei, aquam immundam huc attulistis? At illi timentes, stupebant, et vas bene lotum et aquam purissimam se attulisse protestabantur. Cumque de urna in scyphum effunderetur, semel atque iterum jussit aquam infusam effundi, omnino prohibens, ne quis ex ea vel pauxillum gustaret; et cum tertio usque ad fundum urnae ventum esset, accensoque lumine clarius intuerentur, viderunt bufonem mirae magnitudinis in scypho reptantem, et obstupuerunt. Obstupescere jure poterant, et supra modum mirari, tum quia hyems erat, quando hujusmodi vermes apparere non solent: tum quia fons erat purissimus, et vas mundissimum fuisse recordabantur. Videns eos attonitos pater Nortbertus: Quid, inquit, fratres miramini? Mille artifex est ille spiritus nequam qui nos hostiliter persequitur: sed projicite eum: quia major ejus est versutia et arrogantia, quam fortitudo. Quid, quaeso, de hoc viro sentiendum est? Numquid ille spiritibus immundis tam subtili ratione obviare potuisset, nisi Sancti Spiritus infusio et gratia abundans eum docuisset?

§ **42**. Cuidam etiam puero pastori ovium quaerenti, cum canes non haberet, si lupus ei ovem auferret, quid faceret, joco responsum est, ut nomine magistri sui praeciperet, ne auderet eam devorare vel laedere. Non diu post more solito servante eo oves in agro, lupus veniens unam ex eis rapuit, et concito cursu aufugit. Quem frater procul aspiciens, praecepti non immemor, alta voce clamare coepit: Quo fugis, o malignissime raptor, solito velocior? Depone ovem, depone, inquam: ex parte magistri mei hoc tibi praecipio, et non laedas eam, nec longius absportare ausus sis. Mox lupus ovem illaesam deposuit, et ille festinus in humeros sublatam, ad alias eam reportavit.

§ **43**. Veniens beatus pater Spiram, Saxones et clericos Parthenopolis civitatis ex magna parte ad eligendum Archiepiscopum coram rege Lothario congregatos invenit. Qui audientes eum advenisse hominem, quem per diversas terrarum nationes virum sanctum populus affirmaret, vocaverunt eum, tum ad sermonem faciendum, in quo libenter audiri solebat, tum ad audiendum consilium super negotiis quibusdam, quod quorundam ex iis, qui convenerant, necessitas exposceret. Et primo quidem Parthenopolitanorum causa, qui patre orbati erant, agebatur. Aderat ibidem quidam Cardinalis, qui a Romana Sede recens advenerat, et aliorum principum innumera multitudo: et in electione, eorum consilio, tres nominati sunt, quorum unus erat pater Nortbertus, sed eo ignorante. Factum est autem, cum illi haesitarent, et e tribus optimum sibi cuperent, digito latenter ex adverso

latère innuit eis Primicerius Metensis Albero, qui postea Trevirensis Ecclesiae Archiepiscopus fuit, ut virum Dei Nortbertum assumerent. Qui statim porrectis manibus eum arripiunt, vocibus iteratis exclamantes: Hunc in patrem nostrum eligimus, hunc pastorem nostrum approbamus. Non potuit se homo debilis defendere, non licuit ei cogitare, nec cogitando quicquam de seipso constituere, sed simulatque raptus est, a rege commendatus est, et ab omnibus astantibus approbatus, ab ipso etiam Romanae Ecclesiae Legato confirmatus. Deducitur ergo homo Dei grave onus secum portans, deducitur ad locum quem non noverat. Ita ille, qui gentem neglexerat paganorum incredulam, ad quam in primordio conversionis suae ire constituerat, ut miseros ab errore infidelitatis revocaret: nunc auctoritatem et officium secum ferens, unde dispositionem divinam putavit effugere, inde cogitur obedientiam manifeste subire.

§ 14. Fuit itaque ad introitum ejus populi concursus innumerabilis, et congratulabantur omnes majoris aetatis et minoris. Majores, quod celebrem et magni nominis personam elegissent: minores, quod eum, qui infirmitatibus eorum compateretur, recipere meruissent. Procul autem aspiciens civitatem illam ad quam ducebatur, nudatis pedibus incedebat. Inde cum processione deducitur in palatium, sed ut pauper paupere amictus pallio, aliis introëuntibus, repellitur non agnitus ab ostiario. Dicebat quippe ostiarius illi: Alii pauperes jamdiu intromissi sunt: non decet, ut te ingeras importune, comprimens horum principum multitudinem. Exclamabant autem, qui sequebantur, haec videntes: Miser, quid agis? Sine miser: quid est, quod fecisti? Numquid non nosti, quia iste est Episcopus noster, et dominus tuus? At ille confestim aufugiens latitabat, patre Nortberto eum revocante et subridendo dicente: « Ne timeas, et ne fugias, mi frater. Melius enim me nosti et perspicaciori oculo intueris, quam illi, qui ad haec alta palatia me compellunt, ad quae non debueram, qui tam pauper et modicus appareo, sublimari. »

§ 15. Consecratus igitur et Episcopus factus, et in episcopali cathedra sublimatus, non immemor illius Apostolici praecepti, debere Episcopum suae domui esse bene praepositum: convocatis praefectis domus et cunctis ministris, perquirebat qui essent redditus episcopalis mensae, et ubi et quinam illi qui singulis praeesse deberent. Et cum annumerata cuncta fuissent et scriptis commendata, et qui ex ipsis sumptus debebantur, vix sunt ex omnibus inventa, quae quatuor mensibus anni possent sufficere. Admiratus supra modum Dei sacerdos, interrogabat diligenter, utrum ne ampliori praediorum possessione antiquitus instructa esset Ecclesia, an ab aliquibus qui illi ante ipsum praefuissent, quae juris ejus erant, minus caute conservando essent dispersa. Cognita autem veritate, quod nobilis fuisset Ecclesia,

et a regia majestate fundata et sublimata, liberaliterque dotata et aucta, « Ubi sunt ergo haec, inquit, aut qua ratione ab ea et a vobis sunt abalienata? » Ajunt illi: « Quidam ex decessoribus tuis nimium suae carnis affectibus indulgentes, fratribus et propinquis et parentibus suis alia praedia largiti sunt, alia permiserunt. Alii vero iis succedentes, quaedam feudi vel beneficii loco dederunt. Alii remissius se habentes, et a potentibus oppressi, defendere non valentes quae juris erant Ecclesiae, quaedam perdiderunt; et sic imminutae sunt, et penitus ad nihilum redactae cunctae res, quae huic dignitati servire solebant. » Audiens haec vir Dei, memor illius quod maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus: collectis viribus in eo et per eum, a quo se vocatum ad hoc officium administrandum non diffidebat, imperterritus jùbare potestatis assumpto, legationem undique mittit, praecipiens ut quicumque possessiones Ecclesiae, cui Deo auctore praesideret, injuste obtinerent, nullo pacto deinceps eas sibi vendicare ausi essent, nisi prius ostendissent, eas ad se jure haereditario esse devolutas.

§ **46**. Audientes haec raptores et sacrilegi illi, multum indignabantur, quod homo inermis et pauper, qui asino vehente introductus esset, tam potens tamque festinum auderet edictum proponere, quod tamen pro nihilo putabant, nihil ex iis, quae violenter possederant, se perdituros existimantes. At ille gladio spirituali quo accinctus erat, eos persequitur, in sua quiete permanens aggreditur, percutit, dejicit, dejectos anathematis vinculo ligat. At illi eam persecutionem Episcopo facilem, sibi diuturnam et gravem esse non ignorantes, quandoquidem praecipit auctoritas, qui anathema unius anni patiuntur, eos post annum exleges, nec in aulis aliquod habere responsum: dimiserunt magna ex parte ea, quae de beneficiis Ecclesiae sibi praeter jus fasque usurparant. Sed faciebant id sane inviti, et ob hoc inimicitiarum et odii fomitem adversus Episcopum, utcumque et ubicumque poterant, latenter ministrabànt. Sed ille, qui viam justitiae et cursum recti itineris ante episcopatum tenuerat, immobilis permanebat, praedicans verbum et regnum Dei annuncians, pacemque in terminis suis faciens, domos religiosorum exaltans, et ubi non erant, novas construens: religiosos amplexans et ordinans, dissolutis et irreligiosis, nisi resipiscerent, afferens assiduas persecutiones, Decanis et sacerdotibus, et iis qui habebant regere populum, omnibus ad sacros ordines promotis, modis omnibus castimoniam sectandam esse dicebat, cogens eos eam servare: aut, si essent notorii, cuncta ecclesiastica beneficia relinquere. Initia dolorum et occasio persecutionum, omnia haec. Dicebant enim de die in diem, suam quisque, quam aegre ferebant, molestiam conquerentes: Ut quid hunc adventitium et cujus ignorabamus consuetudines, super nos regnare voluimus? Contrarius quidem est

operibus et consuetudinibus nostris, supra quam ferre possimus. Sic qui prius immensis laudibus elevabatur, nunc vituperiis et improperiis dejicitur: sed tamen proficiebat in opere exterius, ipso dispensante, qui cuncta exteriora, priusquam fiant, ordinare consuevit interius.

§ 47. Erat ante palatium episcopale haud longe sita ecclesia in honorem sanctae Dei Genitricis Mariae, in qua viginti erant canonici seculares, sub Praeposito antiquitus constituti. Hanc ergo cum praevidisset sacerdos Dei sibi esse necessariam, ut ibi fratribus suis repositis, aliquando a tumultu, qui officio imposito debebatur, paululum spiritum refocillaret, petebat multoties et a rege et a canonicis tum majoris, tum hujus ecclesiae, ut alibi ab ipso aliis aequa vel meliori commutatione redditibus acceptis, illam sibi liberam concederent. At illi omnes una voce contradicebant, asserentes ecclesiam tanti nominis non debere immutari, nec regiae dignitatis potestatem, cui erat subdita, imminui: sed nec alterius ordinis et consuetudinis gentem introduci: quae jura regalia ignoraret, et subjectionem debitam et officia pro consuetudine ipsorum praestare nesciret. Passus est hanc per aliquot annos repulsam, sed vicit tandem in petitione humiliter persevèrans: vicit quidem ratione qua premebat eos: vicit et constantiâ, qua noverant eum a bonis initiis usque ad finem numquam velle desistere. Amotis ergo clericis illis et singulis ubi vellent collocatis, fratres suis Ordinis, sicut diu concupierat, in eam ecclesiam induxit, ubi etiam se vivente secundum ordinem institutum, et post decessum suum perpetuis temporibus Dei cultum prosequendum constituit.

§ 48. Crevit fratrum numerus et muliplicati sunt, et in Saxonia, ubi religio tepuerat: et in Sclavonia, ubi nulla erat. Radicati fructuoso germine floruerunt, multiplicati sunt, ut quondam Hebraei. Fremuerunt Saxones, fremuerunt Parthenopolitani (*Magdeburgenses*), odioque et invidiâ adversus hominem Dei invalescente, ipse in Deo spem et fiduciam habens, et aliorum institutorum congregationes propagare non cessabat. Jam autem advenerat dies ille sanctissimus et celeberrimus Coenae Domini, in quo poenitentes reconciliandos sanctorum patrum decrevit auctoritas, in quo Agnus ille innocens ad conciliandas inimicitias inter Deum et hominem captus est et ductus ad immolandum: et ecce ad ostium loci illius, in quo sacerdos Dei confessiones recipiebat, adstitit quidam amictus pallio sub poenitentis specie, obnixe ostiarium rogans, ut ad confitendum intrare ei liceret ad Episcopum. Hoc cum ostiarius viro Dei indicasset: Noli, inquit, ille, intromittere eum. Et cum ex praecepto domini sui diceret paululum expectandum esse, ille magis instabat ut introduceretur. Sic perseveravit pulsus nec intromissus est, donec recessit alia multitudo, quae convenerat ad confitendum: et tunc novissime

illi copia intrandi data est. Quem cum procul vir Dei diligenter inspexisset, ait: Noli huc propius accedere, sed sta et vide ne moveas pedem. Advocatisque de ministris palatii qui foris aderant, praecepit eis ut astantem juvenem pallio quo obvolutus erat nudarent. Nudato autem eo, apparuit cultellus acutus quem astrictum lateri suo tenebat, cujus erat longitudo fere pedis et dimidii. Itaque cum eodem, jubente Episcopo, cunctis qui aderant intuentibus, ante eum adductus est. Cumque quaereretur ab eo, cur sic armatus venisset, tremens ac stupens, utpote ineffabilis et nefandae crudelitatis conscius, mortem timens, pròcidit ad pedes ejus, et quia ad ipsum interficiendum missus fuisset, confessus est. Nominatisque illis a quibus erat conductus, quorumque instinctu et consilio venerat ad tam execrabile facinus perpetrandum, cuncti qui aderant, supra modum mirabantur, quod proditionis hujus rei inventi essent etiam illi qui de praecipuis negotiis et secretioribus consiliis cum eo tractare consueverant. At vir justus, ut erat hilari facie et vultu sereno, ad eos respiciens, ait: Quid miramini, si vas suum hostis antiquus recognovit, et in membris Christi opus suum exercere nititur, quod in hac sacratissima nocte in sancto capite nostro Jesu Christo non timuit efficere? O quam felix esset, qui in aliqua hujus diei hora non ab inimicis, sed etiam ab amicis, ut sunt isti quos recitatos audistis, traderetur et moreretur! Haec est dies, qua desperatis misericordia, peccantibus venia, mortuis redditur vita. Attamen ille traditor in custodia ponitur, non ut puniatur, sed ut suffragatorum suorum consilium detegatur, et in eis ignominia tanti sceleris castigetur. Quid igitur? Num scire poterat homo Dei, quid ille, qui confessionis et poenitentiae causâ venire se simulabat, sub veste ferret, nisi gratia superabundans eum docuisset?

§ **19**. Cum quodam noctis tempore ad celebranda cum clericis suis matutinarum solemnia more solito surrexisset, advenerat clericus quidam de domesticis, et retro se ad ostium in insidiis posuerat, iniquitate plenus et crudeli malitiâ, utpote armatus congruis armis, quibus innocentem in dolo ferire posset et interficere. Egressisque Capellanis qui praecedebant, sicut mos est in terra illa (praecedunt enim dominos suos Capellani) sed ille de insidiis prosiliens, novissimum, putans eum esse Episcopum, sed erat ex clericis, veste conscissa percussit. Cumque ille exclamaret et diceret: Quis est qui me laedit? ille ex sono vocis non esse ipsum quem quaerebat, agnoscens: Putavi, inquit, hunc novissimum esse, quem jugulare volebam. Praecesserat enim Episcopus commixtim inter alios, eumdem casum quasi futurorum praescius timens. At ille concito cursu in fugam versus est, et cum alii ad capiendum illum insequerentur, Episcopus ait: « Sinite eum fugere, nec malum pro malo reddatis: fecit quippe

quod potuit, et quantum ei Deus permittere voluit. Nondum venit hora mea: sed qui miserunt illum, non dormiunt nec quiescunt, donec opprobriis satientur, et me vel morti tradant, vel, si divinum sit opus, quod agitur de me manifeste probatum reddant. »

§ **50**. Orbatus grex pusillus Praemonstratensis ecclesiae tanto patre, ipsum per biennium patienter expectabant, aliis ex ipsis cum quibusdam secularibus dicentibus: subsistere nequaquam poterimus, quia recedente pastore, oves abire solent in dispersionem: alii nullum magistrum, nisi ipsum: alii de ipso desperantes, alium volebant eligere. Quod cum viro Dei relatum fuisset, timens ne aresceret, quod a Deo per ipsum plantatum fuerat, si adhuc rore divini consilii non perfunderetur: advocatis ad se quibusdam ex prioribus et majoris et sanioris consilii fratribus, perquirebat ab eis, quid facto opus esset, singulatim perscrùtans de voluntatibus eorum, ut per omnia in definitione sui operis certior redderetur. Cumque intellexisset alios secum velle habitare, alios consilio suo alibi velle vivere, alios propositae paupertatis votum velle tenere, plurimos tamen sub certo magistro et disciplina eumdem paupertatis tenorem velle observare, remisit eos ad locum suum, paucis secum retentis, ad pacis et unanimitatis studium iterum atque iterum eos adhortans, ut cum eis ab ipso facultas eligendi patrem concessa fuerit, concordia Jesu Christi et dilectio, quam docuisset, in ipsis inveniretur. Recesserunt illi, et bonus pater non immemor filiorum, quos in Christo genuerat, ne diu absque magistro remanerent, fideles non diu post nuncios ad eos misit, qui et eligendi facultatem, et de ipsa electione ejus indicarent voluntatem. Electione igitur approbata a filiis ut erat a patre datus assensus, reversi sunt ad eum qui fuerant missi, voluntatis ejus praeceptum completum esse nunciantes.

§ **51**. Habebat autem ipse electum secum, sed tamen rem dissimulari jussit per aliquot dies, nec illi electo indicari. Consilium ad tempus occultabatur, non tamen ignorabat electus ille, quid de se factum esset, quamvis rem tacite consideraret, divina edoctus revelatione. Asserebat denique, quod mane die illo quo de ipso facta fuit electio, stetisset in visione coram filio Dei Jesu Christo, cum patre et magistro suo Nortberto. Extendensque manum suam dexteram Jesus, recipiebat fratrem illum, a caeteris fratribus electum, de manu viri Dei, dicentis: Apud te, Domine, mihi commissum tuae sanctissimae majestati repraesento. Per hoc jam proculdubio scire poterat, quid de ipse divina miseratio constituisset. Quid plura? Venit dies, in qua placuit homini Dei, quod coeperat, perficere. Convocatisque fratribus quos habebat secum, consilium suum indicavit eis. Et advocato electo, ait: « Tu mihi succedes electione fratrum tuorum in domo paupertatis

nostrae.» Cumque ille responderet: «Tibi et in primis Deo Patri omnium obedire oportet. Vadam et considerabo misericordiae Dei processus et successus. In quibus si efficere aliquid potero et proficere, gratias tibi agam: sin autem, ad te, quem post Deum, patrem elegi et animae meae tutorem, mihi sine offensa liceat remeare.» Ait illi vir Dei: «Vade: manus enim Domini usque in finem tecum erit.» Hac accepta benedictione, ille recessit, duobus adjunctis sibi sociis, de quibus praeceperat vir Dei, ut alterum in Antuerpiensi ecclesia patrem, alterum in Floreffiensi constitueret. Et sic factum est. Positus et consecratus est ille pater in Praemonstratensi ecclesia, et illi duo in duabus aliis supradictis. Sed et duo jam alii consecrati erant in duabus aliis ecclesiis, Laudunensi sancti Martini, et Vivariensi. Isti quinque, et sextus, quem ad locum, qui dicitur *Bonaspes*, statim post introitum suum Abbas Praemonstratensis ablegarat, imminentem dissolutionem Ordinis in plerisque locis videntes, et majorem futuram metuentes, ad diem statutum in loco determinato convenerunt, et quicquid ad praesens in domibus suis superfluum videbatur esse, recidentes, deinceps ad exemplum Cistertiensis Ordinis, annuatim se reversuros simul ad Ordinis sui sinistra corrigenda firmaverunt. Quod cum in locis aliis divulgatum fuisset, si in primo anno sex, et in secundo novem fuissent, in tertio duodecim, in quarto decem et octo fuere: et ita deinceps multiplicati sunt ubique terrarum, sicut voces et actus eorum et opera usque in praesentem diem testantur.

§ **52**. Deinde beatae memoriae Papâ Honorio ad aeternitatem vocato, Innocentioque in sancta Romana Sede, canonica electione, subrogato, cum sedem obtinere non posset propter intrusionem Petri Leonis et seditionem familiae ejus, exiens inde contulit se in Franciam: ubi, ut decuit, honorifice susceptus est. Convocatoque Rhemis concilio, convenerunt undique Episcopi de diversis nationibus: advenit et pater Nortbertus: ibique illum Petrum intrusum excommunicaverunt, et electione Innocentii approbata, eumdem Petrum Leonis leoni rugienti, nisi resipisceret, tradiderunt. Attulerat autem Nortbertus secum Ecclesiae suae privilegia vetustissima, et fere a vermibus consumpta: quae cuncta Romano munimine fecit renovari et corrigi, apponens ea quae receperat de manibus illorum qui ea injuste et violenter rapuerant. Addidit praeterea aliud privilegium secreto, ut cum daretur opportunitas, Romana fultus auctoritate, Ordinem suae religionis in episcopali propagaret ecclesia. Finito ergo Concilio, cum ad sedem propriam reverteretur, jamque ex parte divulgatum esset quod fecerat, magis fremebant, ad alterutrum dicentes: Regnum nostrum non stabit, et gloria nostra nihil est: sed et honor omnium nostrum et praedecessorum nostrorum redigetur in nihilum, nisi quamprimum excludamus eum a nobis, et auferatur

haec ejus subtilis potestas de terra nostra. Et exinde quaerebant opportunitatem, ut facerent caute quod inordinate et insipienter machinabantur.

§ **53**. Accidit autem eodem tempore quidam casus adversus in ecclesia majore qui secreto viro Dei fuerat revelatus. Cumque eum senioribus ecclesiae indicasset, et protestaretur ejus causa expiari debere ecclesiam ex Canonum praescripto, illi acquiescere ei noluerunt, dicentes non esse denuo consecrandam illam quam constaret multorum regum et Pontificum auctoritate fuisse consecratam. Hoc illi perhibebant, sed ille contra asserebat, numquam se in ea divina celebrare velle mysteria, nisi ab ea daemonum infestationem, qua esset irretita, paterentur excludi. In hunc modum contendebant: sed vir Dei ille qui versutias eorum non metuebat, modo Deus esset in causa, notam fecit rem omnem populo ex pulpito, ostendens quid in hujusmodi casibus sanctorum Patrum sanxisset auctoritas. Haec dixit, et sequenti nocte, assumptis duobus Episcopis, quos tunc secum habebat, et Praeposito ejusdem ecclesiae qui in hoc ei favebat, et quamplurimis de fratribus suis clericis, intravit ecclesiam: ubi induti sacris vestibus, aquâ consecrata illud officium sincera devotione, compleverunt.

§ **54**. Sed simulatque peractum est ministerium, adhuc omnibus qui aderant, sacris vestibus indutis, clamor nimius et tumultus grandis populi foris auditus est. Commota quippe fuerat omnis civitas furore non minimo et inenarrabili quod rumor plane barbarus manasset ad eos a quibusdam adversariis, scilicet fregisse Episcopum altaria, sacrarium reserasse, feretra et phylacteria dissolvisse, sibique reposuisse, et cum his omnibus sub ejusdem noctis tenebris cum omni etiam thesauro ecclesiae fugere constituisse. Audientes haec qui cum viro Dei erant, territi sunt, alii plus, alii minus: sed ille imperterritus ad eos exire volebat, ut interrogaret quidnam esset. Porro alii modis omnibus prohibebant, dicentes hunc plebis tumultum non facile tali horâ a quoquam posse sedari: coëgeruntque eum ascendere in quoddam propugnaculum quod ab Imperatore Ottone ibi constructum erat antiquitus, loco turris cujusdam ecclesiae quam coeperat aedificare, sed morte praeveniente non consummavit. Ibi se reclinavit homo Dei et qui cum eo erant sacris adhuc amicti vestibus, mortem potius turpissimam corporis, quam vitam expectantes. Invalescebant interim voces insultantium et insilientium, atque ut prodirent crebro clamitantium. Sed illi in turri econtrario in matutinarum solemniis laudes Deo canentes, cum hymnis et canticis exultationis in honorem praedicatoris egregii Pauli, vocibus immensis resonabant: isti vero insultationis voces clamoribus inconditis multiplicantes sacerdotem Dei reum esse mortis proclamabant.

§ **55**. Erat tum festum commemorationis beati Pauli Apostoli.

Hac fiduciâ freti quidam ex ipsis, nihil formidabant: sed alii seculo et suae carni tenere inhaerentes, cum multo ejulatu dicebant: Eheu, cur istum secuti sumus hominem, ut cum eo moreremur in peccatis nostris? Quibus vir sanctus, melliflua eos consolatione exhortans, ajebat: « Nolite, fratres charissimi, nolite terreri: Dei enim est quod a nobis gestum est: Dei est, quod geritur: Dei est permissio, quando ab inimicis ejus bonum opus impugnatur. » Haec quandoque dicebat; interdum autem pro illis orabat attentius, ne deficiendo desperarent. Illorum defectu crescebat orandi affectus. Et ut ipse postea asserebat, non tam metuebat mortem, quam ne desperando illi deficerent. Congregabatur vero per totam noctem multitudo adversaria: ediverso multiplicabat preces in articulo talis necessitatis pius sacerdos, et qui cum eo erant. Facto autem mane, cum summo diluculo illucesceret, dum alii ad insultum turris insistunt, alii sagittis, alii jaculis pontificem et clericos ejus appetunt, quidam qui in necem ejus jurasse dicebantur, tanquam avidiores crudelis illius caedis perpetrandae, pertinaciter irrumpentes, ad superiora turris audacter evaserunt. Quos ut vidit districtis gladiis irruere, ne in aliorum mortem desaevirent, progrediens obviam, magistri sui exemplum secutus: « Unum, inquit, hominem quaeritis; ecce ego: Parcite istis qui nullam mortis sententiam meruerunt. » At illi eo viso, ut erat adhuc amictus episcopali et sacerdotali veste purpurea, territi sunt, et cum paululum retrocederent, in momento Deus, cujus nutu omnia disponebantur, declarata martyris sui, quantum in eo fuit, constantiâ, adeo mentes illorum persecutorum compunxit, ut ad pedes ejus corruentes, veniam tanti facinoris precarentur et acciperent, atque ex hostibus in defensores prodirent. Alii vero celeriter insequentes eos, unum ex cubiculariis ejus qui fideliter ei adhaerebat, quemdam aditum defendentem repererunt, ei jam Episcopum ab aliis trucidatum putantes, illum quod dominum suum diligeret odio habentes, gladio percusserunt, et usque ad guttur collum secantes, semivivum reliquerunt, cum extinctum crederent.

§ **56**. Quod videns vir Dei, omnibus invitis, in mediam turbam prosiliit, et inimicis faciens sui copiam, morti se obtulit, eligens mori potius, quam ut aliquis alius, ipso superstite, occumberet. Cernens autem eum ille idem qui ministrum ejus percusserat, furore diabolico et iniquitate plenus, evaginatum eumque cruentum adhuc gladium tenens, extendit manum suam in pontificem, et audaci temeritate grandem ictum in ejus humerum intulit: sed resiliit gladius, perinde acsi caesus esset lapis adamantinus, et de recenti, quo erat tinctus, sanguine fimbrias episcopalis mitrae quam in capite gestabat, infecit: quae mitra, quamdiu homo vixit, eam maculam retinuit. Videntes autem qui stabant ex adverso, rei exitum expectantes, quique magis hominis

sanguinem expetebant, quam hominem: videntes, inquam, illi, quod non moreretur, dum a quibusdam ei parcebatur, a nonnullis vero percussus non laedebatur, Reliquias sanctorum celeriter apportantes, eas in medio posuerunt, fassique sunt perabsurdum id esse, ut tam improbe pastor ab ovibus oppugnaretur. Haec quidem illi prae se ferebant, falsam simulantes humanitatem: nam et ipsi eum hoc in articulo positum cogebant, ut fratres suos de ecclesia beatae Mariae ejiceret qui in ea positi erant, ut superius dictum est. At ille recusabat, affirmans factum hoc, quoad viveret, numquam ipsos immutaturos, quod regali potentiâ et Romana auctoritate esset confirmatum.

§ **57**. Dum haec agerentur, advenit ejus urbis Comes ex itinere, et quasi tumultus hujus nescius, in medias turbas se intulit, separansque alios ab aliis, diem certum eis praefixit, ad quem adessent omnes, justam querimoniam habentes adversus Episcopum. Recesserunt ergo illi ad praeceptum judicis: at Dei sacerdos intravit eamdem ecclesiam, cujus causâ omnis illa commotio facta fuerat, Missam celebraturus, et immensas Deo suo gratias redditurus. Cumque accessisset ad altare, accersitis circumstantibus ait: Ecce integra sunt omnia, salvaque et sana quae nunciata fuerant fracta et absportata. Celebravit igitur Missam in eodem loco, sed et epistolam et evangelium ipsemet legit (recesserant enim omnes ministri ejus, taedio et timore affecti), ita ut vere dici posset de eo, sicut de summo capite nostro Jesu Christo: Relicto eo, omnes fugerunt. Finita autem Missâ, venit ad palatium, purpuream miro et ineffabili modo habens faciem, utpote calice Domini potatus. Hunc quippe colorem in ipso mortis periculo tenuerat, et hoc testabantur qui cum ipso fuere, non visum illum esse vel ad modicum pallescere. Ipse vero martyrum constantiam, facilem et super mel et favum esse dulcissimam asserebat.

§ **58**. Praedicti autem adversarii, coactis iterum perversis conventiculis suis, suum animi dolorem promebant, dicentes se esse delusos, et arte magica tenebrarumque caligine sensus ipsorum perstrictos, quod hominem illum vivum reliquissent, qui eis non cederet, moresque et honorem ipsorum dignitatemque urbis violare non metueret. Vere delusi, quia dolosi. Namque hoc ab eis plane decretum est, ut cum ad praedictum diem convenirent, singuli certam vini vel medonis mensuram exhaurirent, ut si quicquam voluntati eorum contrarium in discussionibus querimoniarum accideret, id sarciretur nece sui pastoris: et sic ebrietati potius imputaretur, quam deliberationi. Estque hoc inter ipsos sancitum, ut quicumque huic decreto non obediret, domus ejus eversioni, et tota supellex direptioni esset obnoxia. Quod cum relatum fuisset ad aures quorumdam principum terrae qui virum Dei quadam ex parte diligebant, quod scirent eum virum

sanctum et justum, suadebant ei, ut ad tempus cederet, exemplo magistri sui, qui a facie persequentium se abscondit. Quod cum ille renueret, palmamque martyrii gaudens expectaret, illi multiplicibus persuasionibus exire compellebant.

§ **59**. Advenit inde praefixus dies, et coepit civitas immensis clamoribus perstrepere. Interrogans autem homo Dei, quid esset, responsum est ei, quod populus multus congregatus, fratres de ecclesia beatae Mariae vellet ejicere. At ille subridens, ajebat: « Non est ita: quia plantatio, quam plantavit Pater coelestis, eradicari non poterit. » Attamen compulerunt eum, ut exiret. Et praeparatis equis, exivit ad Abbatiam quamdam sancti Joannis quae est in suburbio civitatis, ubi satis speciose dispositis omnibus, abiit ad quoddam castrum suum Hallam, ubi a tanto tumultu quiesceret. Sed illud praeclusum invenit. Praevenientes enim hostes ejus, munitiones omnes occupaverant. Quid faceret homo qui nusquam inveniebat ubi requiesceret pes ejus? quid faceret humano destitutus auxilio? Contulit se ad ecclesiam quamdam Canonicorum regularium quae ibi prope erat, orans Deum suum per aliquot dies, ut viam suam in suae beneplacito voluntatis dirigere dignaretur. Sed Deus videns servi sui humilitatem et constantiam, respexit veritatis ejus preces: et, sicut voluit pax rebus data est. Nam ut convenerant certatim inimici ad perimendum, sic convenire festinabant ad satisfaciendum. Itaque omnimodam satisfactionem offerebant, et pecuniam multam. Sed ille qui plus animas Deo quaerere venerat, quam pecunias, eas respuebat, ut animas eorum quae propter nefarios hos conatus perditionis periculo subjacebant, lucrifaceret.

§ **60**. Videntes hoc adversarii, studuerunt eum lenire, et illi vulnerato domum suam, quam dejecerant, ex integro reparantes, ad curandum vulnus quod ei inflixerant, grandem pecuniae summam contulerunt. Post haec, apertis januis castri, quas ad adventum ejus prius clauserant, intravit illuc multo cum honore, multorum coetu vallatus nobilium, multitudine etiam plebis qui omnes Deum laudabant pro constantia tanti Pontificis, ipsumque pontificatus honore dignum ajebant, quem Deus omnipotens ex tot persequentium manibus eripuisset, quique in tam evidenti mortis periculo cum fidei suae integritate corporisque incolumitate invictus permansisset. Tertio anno episcopatus sui facta sunt haec, et quinque postea sedit annis, de die in diem ministerium suum honorificans, in omni religione et honestate proficiens, unitatem sanctae Ecclesiae conservans, ejusque perturbatores et schismaticos omnes persequens et detestans, bonos amplectens, desolatis dans consilium, pauperes et orphanos viduasque sustentans, religiosos quoque fovens et augens, religionisque praebens formam seipsum, quantum dignitas functionis pati poterat, tam minoribus quam majoribus affabilem se exhibens, divinae

largitatis et gratiae non immemor, Domino Deo suo per singulos dies bonae existimationis et intimae suavitatis et dulcedinis offerens conscientiam.

§ **61**. Erat tum schisma gravissimum et ad componendum difficillimum in sancta Romana sede, ut jam supra dictum est, Pontificibus Innocentio et Petro Leonis *. E quibus Innocentius canonice electus, catholicus erat, et a catholicis omnibus approbatus recipiebatur: Petrus vero erat intrusus, sed tamen occupavit sanctam Sedem, non Deo, neque Ecclesiâ sancta, sed viribus humanis fretus. Erat enim etsi non nobilitate, multitudine tamen generis potens in Urbe, legesque sanctas et ordinem et omnia statuta patrum et Ecclesiae sanctae. regulamque Christianae fidei, ambitione excaecatus, destruebat, turres et munitiones Urbis alias dejiciens, alias muniens, ut principatum secularem et suae cupiditatis scopum obtineret. Itaque consilio inito a rege Lothario et Christianis principibus, ne cognitio et robur fidelium Christianorum his temporibus illa peste mortifera elideretur, expeditionem in Italiam appararunt, ut sacrilegum illum, quem gladius spiritualis, quo jam saepissime percussus fuerat, penetrare non poterat, materialis tandem conficeret. Cum eo autem et aliis tam Episcopis quam Archiepiscopis, ex praecepto et obedientia Innocentii pastoris catholici, pontifex Nortbertus profectus est. Transitisque castris et urbibus cum magna turba praeeuntis et subsequentis exercitus, Romam, Papam venerabilem Innocentium secum deducentes, perveniunt. Ubi cum impetu grandi et manu forti introëuntes, ipsum eumdem Papam in sancta Sede, invitis hostibus et adversariis omnibus, collocarunt.

§ **62**. Porro Lotharium regem Pontifex in sede positus et alii qui convenerant, in Romanum Imperatorem consecraverunt. Erat enim vir ille strenuus belli ductor, praecipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei et sanctae Ecclesiae veritatis amicus, justitiae tenax, injustitiae hostis. Cujus probitas patuit in Sicilia, viguit in Saxonia. Qui quamdiu vixit, Romanum imperium, quod ejus curae mandatum fuerat, titubare non potuit. Diligebat autem et ipse virum Dei Nortbertum quod ejus consiliis quae strenuitate et providentiâ pollebant, assidue uteretur, ab eoque coelestis dulcedinis potum hauriret, et pane divinae refectionis quotidie foveretur. Cum autem ab Italia reversus esset in civitatem suam Parthenopolim, non diu post gravi aegritudine correptus est, eaque per aliquod tempus, id est, spatio quatuor mensium, laboravit: episcopatuque sapienter et fideliter annis octo administrato, plenus Spiritu Sancto, cum omni integritate sensus, astantibus benedictione data, beato fine quievit. Neque enim, ut ait B. Augustinus, poterat male mori qui bene vixerat. Annus erat Dominicae Incarnationis millesimus

* De Petro Leonis et ejus schismate, vide Sur., Vol. II, p. 261.

centesimus tricesimus quartus, feria quarta Pentecostes, octavo Idus Junii.

§ **63**. Defuncto Nortberto, contentio non minina orta est inter majorem ecclesiam, et eam quae est B. Mariae, de loco sepulturae ejus. Volebant enim alii, dignumque et justum dicebant, ut quia caput ecclesiarum ejus civitatis fuisset, ecclesiae primariae ejus ossa deferrent honorem. Sed fratres sanctae Mariae sui juris eum esse asserebant, quod per illum suo creatori reconciliati, eum patrem elegissent, et per illum seipsos et suam devotionem Domino Deo suo, a quo aversi fuerant, reddidissent: praecipue autem, quod adhuc vivens praecepisset, et usque in finem hanc suae voluntatis devotionem indicasset, ut inter fratres suos et filios sepeliretur et quiesceret. Videntes tandem illi qui erant medii, contentionem hanc dirimi non posse quod suam unaquaeque pars sententiam aequiorem assereret, consilium dederunt, ut ad Imperatorem Lotharium cito mitteretur: quod ille mandaret aut statueret, id ratum haberetur. Et sic factum est. Interim vero corpus inhumatum jacebat, sicque de die in diem per singula monasteria civitatis circumlatum est, et in unoquoque vigiliae, et ea quae fidelibus defunctis debentur, diligenter sunt celebrata, donec die octavo reversi sunt qui missi fuerant. Tum vero jussu Imperatoris apud fratres in ecclesia B. Mariae corpus viri Dei sepultum est. Fuit autem hoc admiratione dignum et tacendum non est, quod cum esset aestas nimia, ita ut eodem anno nullum foenum in pratis prae nimia siccitate secaretur, de corpore ejus per tot dies nihil foetori percipi potuit. Unde licet intelligi, quod mundaverit eum gratia superabundans a corruptione mentis quae conservavit corpus ejus ne corrumperetur. Sepultus itaque ante altare sanctae Crucis, in medio monasterio fuit per aliquot annos. Sed boni filii, qui memores benignitatis quam ipsis exhibuerat, eum tènere diligebant, ut sine oblivione memoriae ipsorum affigeretur, ante oculos suos in claustrum eum transtulerunt, ubi in tumulo, diligenter pro loci opportunitate adornato (*a*), diem expectat novissimum in spe certa resurrectionis et gloriae.

(*a*) Cum Magdeburgensem civitatem, miserando eventu, Lutheranica haeresis labente XVI saeculo occupasset, ut pretiosa S. Norberti ossa impiorum manibus subducerentur, adhibitis a Praemonstratensium Abbate apud Imp. Ferdinandum II officiis, sunt quam honorifice in catholicam Pragam translata anno MDCXXVII, in abbatialem ecclesiam *Strahof*. Undecimo autem vertentis saeculi anno, cum S. Institutoris peculiare sacellum, ne instaurando in ampliorem et elegantiorem formam templo obstaret, disjiciendum esset, in sarcophago arae principi pulchre eminenti veneratissimum corpus est collocatum. Quinquagenario primae Translationis redeunte anno festum illic magnificentius celebratur. Nortbertum Sanctis adscripsit Gregorius XIII anno MDLXXXII, Rom. Breviario inseruit Clemens X.

—

VITA S. PAULI

ARCHIEPISC. CONSTANTINOP. ET MART.

SIMEONI METAPHRASTI FALSO ATTRIBUTA.

Obiit medio IV saeculo.

§ 1. Quando Constantius, Constantini Magni tertius filius, tenebat sceptra Romani imperii, Arriani persecutionem moverunt adversus pios, ut qui ad haec a Constantio plurimum haberent adjumenti, et Athanasium quidem exterminatum accepit Occidens: divinus autem Alexander Antistes Byzantii, cum vitae fini appropinquasset, nullum quidem suae Ecclesiae constituit successorem: sed cum duos praecipuos elegisset ex aliis, populo hanc dedit optionem, ut si velint quidem Doctorem et virtutibus resplendentem habere Pontificem, Paulum eligerent, quem ipse ordinavit Presbyterum. Sin autem habitu solum gravem, et vestitu extrinsecus honestum, Macedonium qui fuerat jam olim ordinatus Diaconus, et jam vergebat ad senectutem. Haec cum eis dixisset, transit ad sedes meliores *, cum fuisset quidem Pontifex vigintitres annos, vixisset autem nonagintaocto.

§ 2. Circa electionem autem eorum qui dicti fuerant, extitit contentio. Nam Arriani quidem magis aspiciebant ad Macedonium: Orthodoxi vero eligebant Paulum. Vincit tamen suffragium Orthodoxorum, et eligitur Paulus Byzantii Episcopus, in Ecclesia quae appellatur sanctae Irenes, quam tempus a nova separans, concedit ut vetus nominetur. Constantius autem cum haud ita multo post Constantinopolim rediisset ex Antiochia, iratus fuit electo, quod non ex ejus sententiâ processisset electio: et congregato Arrianorum conciliabulo, condemnavit quidem Paulum, ut quiesceret: Eusebium vero, qui tertio mutabat sedem, ex Nicomediae Episcopo creat urbis regiae Episcopum. Sed cum ille quidem impie haec fecisset, revertitur rursus Antiochiam. Eusebius autem omnem movebat lapidem, ut ex sacro symbolo tolleret *homousion*, id est, consubstantiale.

§ 3. Celebratur dedicatio ecclesiae Antiochenae, quam Constantinus quidem Magnus excitavit a fundamentis: Constantius autem studium adhibuit, ut consecraretur: et dedicationis praetextu congregantur Episcopi numero nonaginta. Maximus vero Antistes Jerosolymorum, vir pius, non aderat, neque Romae Julius, nec per se, nec per aliquem ex subjectis. Congregatur ergo

* Decessit anno CCCXXXVI: colitur XXVIII aug.

Synodus, praesente etiam Constantio. Eusebiani autem student ante alia, ut deponatur Athanasius. Primam vero in eum intentant accusationem, quod fecerit praeter regulam: regulam dicentes, quam tunc ipsi ediderant. Reversus enim, ajebant, ab exilio, non communi sententiâ, sed ipse sibi tradidit episcopatum. Secundam autem quod cum in ejus adventu exorta esset seditio, multi sint mortui. Tertiam, ea quae facta sunt Tyri. Ex quibus condemnato pietatis athletâ, ejus loco constituunt Gregorium qui èadem quae ipsi sentiebat. Et cum haec ausi essent, audent etiam fidem transformare: nihil quidem aperte reprehendentes eorum quae facta sunt Niceae: sed improbo et malitioso consilio semina prius jacientes ad destruendum homousion. Et quae Antiochiae quidem habita fuit Synodus, cum haec et hujusmodi alia ausa esset, et quosdam fecisset canones, fuit solûta.

§ 4. Eusebius autem fungitur legatione apud Julium Romanum Episcopum, machinans, ut confirmaretur lata in Athanasium sententia. Sed nihil effecit eorum quae sperabat. Paulus vero Pontifex cum Romam venisset, et alii non pauci Episcopi, quinetiam ipse quoque Athanasius, qui fuerant expulsi, comparatis ab Eusebio insidiis, simul Romae degebant. Sanctus autem Julius cum intellexisset esse calumniam quae facta fuerant adversus Pontifices, eos literis munitos mittit ad Orientem, suam unicuique reddens sedem, et eos simul reprehendens qui ipsos deposuerant. Atque suas quidem ecclesias ii rursus accipiunt, et mittunt literas ad eos, ad quos scriptae fuerant. Cum Eusebius itaque interiisset, Paulus in suam sedem restituitur. Qui autem partes Arrii sequebantur, in ea quae nunc ad Paulum dicitur, ecclesia, eligunt Macedonium: qui blaspheme quidem Filium dicebat esse Patri similem, circumscribens homousium: sanctissimum autem Spiritum a divinitate omnino alienum.

§ 5. Cum Athanasius autem suam recepisset ecclesiam qui considebant rursus Antiochiae (etenim rursus convenerant, conantes vicissim criminari Julium Romanum Episcopum), protinus impium Gregorium, quem ipsi praeter leges elegerant, mittunt Alexandriam. Et eum quidem reducebat Praetor Alexandriae, secum ducens septem millia militum. Quod cum rescivisset Athanasius, Romam iterum navigavit. Populus autem Alexandrinus non ferens rem tam nefariam, ecclesiam quae vocabatur Dionysii, non recte id faciens, exussit. Cum vero rescivisset Constantius qui agebat Antiochiae, Paulum praeconem veritatis in suam sedem esse restitutum, jubet Hermogeni Duci exercitus qui mittebatur in partes Thraciae, exturbare eum ex ecclesia. Et ille quidem cum venisset Constantinopolim, studebat facere, ut ei fuerat imperatum. Populus autem non est hoc passus: sed et domum ejus incendunt, et ipsum extractum interimunt. Quod quidem cum audiisset Constantius, aegerrime tulit quod factum fuerat: et cum ipse

venisset in civitatem, sanctum quidem Paulum ex ea expellit: et civitatem mulctat frumento, ablato ei dimidio doni, quod illius pater, benignus scilicet et clemens Constantinus, ei donaverat. Erat autem summa donationis, octoginta millia panum quotidianorum. Irascebatur autem etiam Macedonio, non solum quod praeter ejus sententiam fuisset electus, sed etiam propter caedes, quas ipse, seditionem agitans, fuerat causa faciendi.

§ 6. Eo itaque dimisso, venit Romam, et versabatur simul cum Athanasio. Refert ergo quae passus fuerat, Romano Episcopo: et rursus munitus ejus literis et Constantis Imperatoris, statim revertitur, et suae sedi restituitur, cum magno gaudio exceptus a civitate. Constantius autem rursus id factum aegre tulit, et rursus ab eo prodit jussus qui justum mittat in exilium. Itaque cum eum accepisset Praefectus Philippus, sanctum quidem mittit in exilium, ejus vero loco in Ecclesia reponit Sancti Spiritus hostem Macedonium. Processit autem missio in exilium, non aperte, sed ex insidiis. Caedes enim Hermogenis reddidit Philippum cautiorem ad malefaciendum: et honorifice quidem vocat Dei Pontificem ad lavacrum, quod appellatur Zeuxippus, tanquam propter quaedam in communi utilia et arcana consilia: et illinc mittit in aulam Imperatoris, et per ipsam deinde Thessalonicam quae fuit patria ejus majoribus; et ei quidem est prohibitum ascendere ad partes Orientis, non autem in propinquas regiones.

§ 7. Impius autem Macedonius, militari manu ei inserviente, equitans simul cum Praefecto, Dei invadit Ecclesiam, cum se extendisset interitus ad ter mille et quinquaginta. Hujus contumeliae fuerunt etiam participes Marcianus et Martyrius qui erant Lectores et scribae divini Pauli, ut qui ipsi quoque libere praedicarent homousion. Sic ergo Christianorum caedibus, Ecclesiae inimicus collocatur in sedibus Ecclesiasticis. Quo quidem tempore et Constantius magnam construit ecclesiam quae denominatur a Dei sapientia, et divinus Paulus tertio paulo post venit in ecclesiam: et accepto Athanasio socio certaminis, docent Constantem ea quae passi fuerant: qui erat quidem Imperator Occidentis, erat vero frater Constantii. Cum ille autem diligenter didicisset ea quae nefarie passi fuerant, scribit ad fratrem, ut tres Episcopi ad eum veniant ab Oriente, reddituri rationem eorum quae in Athanasium et Paulum sunt perpetrata, et simul in scriptis allaturi expositionem fidei. Et Romam quidem mittuntur quatuor Episcopi, Narciscus Cilix, et Theodorus Thrax, et Mares Chalcedonensis, et Marcus Syrus. Ii cum Romam venissent, cum Athanasio quidem et Paulo non ausi sunt disserere: cum autem eam, quae ab eis Antiochiae exposita fuerat, fidem celassent, et aliam composuissent quae aperte quidem nihil continebat blasphemum, sed non tuebatur *homousium*, tradunt Imperatori: et, cum nihil amplius nec fecissent nec passi fuissent, redierunt.

§ **8**. Cum triennium autem praeteriisset, rursus congregantur Episcopi Orientales, et aliam fidem componunt, et emittunt ad eos qui sunt in Italia. Hujus vero scripti, fuere ministri, Eudoxius qui tunc erat Episcopus Germaniciae, et Martyrius, et Macedonius Mopsuestiae. Erat autem eorum fidei expositio alioqui eadem cum ea quae prius fuerat exposita: sed alienis quibusdam in fine additionibus extendebatur longius. Pontificum autem qui erat Romae coetus eam minime admisit, dicentes se contentos esse symbolo fidei, quod Nicena pronunciavit Synodus. Cum essent autem omnia plena tumultu et contentione, indicitur Oecumenica Synodus sententiâ duorum Imperatorum, undecimo anno post decessum pii Imperatoris Constantini, eorum patris. Convenerunt ergo Sardicen, ab Occidente quidem plusquam trecenti Episcopi: ex Oriente autem soli septuaginta sex. Episcopi vero Orientis non admittebant ad colloquium Episcopos Occidentis. Causa autem erat, quod Paulus et Athanasius athletae pietatis, cum eis considebant.

§ **9**. Cum vero nec defensores verae religionis amovèrent Athanasium, nec haeretici desisterent ab inimicitiis, quas gerebant in athletas, a se invicem scinduntur: et cum Philippos quae est Macedoniae civitas, venissent Orientales, congregantur: et tunc aperte anathemati subjiciunt homousium. Qui autem erant Sardicae, eos absentes condemnant et deponunt tanquam calumniatores: quae vero Niceae confirmata fuerat, fidem corroborant. Quae cum cognovisset Constans Imperator Occidentis, per literas docet fratrem Constantium, et suadet ut sit clemens et benignus in Paulum et Athanasium: et ne sit eis impedimento, quo minus suis sedibus restituantur: adjiciens quod nisi volens faveret iis qui jure nituntur, ipse veniet, et eo invito jus reddet iis qui afficiuntur injuriâ. Fratris itaque minas extimescens Constantius, sanctum quidem Paulum non prohibuit restitui suo Episcopatui: ejus autem certaminis socium Athanasium diversis ad se accersit literis: et cum venisset, benigne accipit, et suae sedi restituit. Sic quidem magna perturbatio redacta fuit ad tranquillitatem, et Ecclesia gaudebat se habere defensores pietatis.

§ **10**. Cum autem Magnentius invasisset tyrannidem, et interemisset Constantem Imperatorem Occidentis, rursus Arrianae insaniae procella orbis terrarum conturbabat ecclesias: et rursus quidem fugit Athanasius: ejus autem sedem arripit Gregorius, et relegatur Cùcusum Armeniae Paulus pietatis defensor. Quo in loco per laqueum consummatur martyrio, impiis noctu irruentibus. Constantinopoli autem ejus loco introducitur impius Macedonius, et extruduntur Pastores ex aliis Ecclesiis: eas vero rursus invadunt lupi, et gentium in Christianos crudelitatem contendit obscurare insania Macedonii, et universus quidem Oriens malis affligebatur: praecipue autem Constantinopolis. Quo tempore

Angelius quoque Episcopus Novatianorum, ut qui ipse quoque tueretur homousium, mittitur in exilium: eratque malum, quod non potest explicari: non solum procedens usque ad Pontifices et Sacerdotes, sed etiam foeminas et pueros qui Macedonii repellebant communionem, occupans. Nam ubera quidem foeminarum, o insaniam, partim quidem in arcarum tegumenta injecta et compressa excindebantur, partim autem ferro: et alia in alios excogitabantur gravia supplicia. Nam quae vel a Deo alienos gentiles adversus communem naturam excogitare impediebat pudor, ea tunc facere impiis venit in mentem.

§ **11**. Extendit rabiem Macedonius etiam adversus regionem Paphlagonum; audiverat enim multos ex Orthodoxis et Novatianis in ea versari: et efficit, ut quatuor cohortes armatorum militum adversus eos mittantur, et armis cogantur ad impietatem. Qui autem habitabant Mantineum, coacta multitudine, cum zelo pietatis falces et secures et quicquid se obtulerat, pro armis accepissent, adversus milites prodeunt in aciem. Deinde commisso praelio, multi quidem interierunt, etiam Paphlagonum: ex militibus autem omnes, paucis exceptis. Hoc ergo crudele et impudens facinus, non solum apud eos qui erant affecti injuriâ, sed etiam apud eos qui videbantur bene velle Macedonio, justum odium excitavit. Non hoc autem solum, sed etiam quod corpus Constantini, inprimis, inquam, pii Imperatoris (videbatur enim aedes, in qua erat situm, minari ruinam) acceptum sine ejus sententia transtulerat in templum S. Acacii. Et quoniam non placebat omnibus translatio: sed multis videbatur impium, effodi corpora mortuorum, et maxime Imperatoris qui fuit pietate insignis, facta est magna caedes, et multorum et gravium malorum quae fecerat, Macedonius parvas quasdam luit poenas, dignitatis scilicet depositionem.

§ **12**. Vigebat tamen res Arrii per totum imperium Constantii, et adhuc magis temporibus impii Valentis, donec de illo quidem sumpsit poenas divina justitia: Theodosium autem Hispanum justa sententia Gratiani qui administrabat Occidentem, ad sedem Imperatoriam provexit Orientis, et fidei Orthodoxae per ipsum robur acquisiit. Sed sic quidem Arrii haeresis quae quadraginta annos depopulata fuerat Ecclesias pietate Theodosii fuit exterminata, et fides Orthodoxa fuit exornata suis justis honoribus. Congregat itaque idem pius Imperator Synodum, studens Macedonianos in concordiam redigere cum Orthodoxis et iis qui tuebantur homousium. Quamobrem vocat eos qui praeerant eorum haeresi: et convenerunt ex Orthodoxis, ab Alexandria quidem Timotheus, ab Jerosolymis autem Cyrillus, Meletius ab Antiochia: aderatque Gregorius Theologus, et Ascholius Thessalonicensis, et Gregorius Nyssenus, et multi alii; erant enim centum et quinquaginta coetus eorum universus. Haereticae autem catervae dux

erat quidem Eleusius Cyzicenus, et Marcianus Lampsacenus, et Evethius Ephesinus: et alii qui erant omnes simul trigintasex.

§ **13**. Admonebat autem Imperator et quotquot erant Orthodoxi, eos qui sequebantur partes haereticorum, ut cum eis consentirent, et tuerentur homousion, in memoriam revocantes quod Orthodoxorum communionem sua sponte amiserunt. Haeretici autem justarum reprehensionum et benignarum admonitionum nullam ducentes rationem, suam non dimittebant impietatem. Propterea ergo ejiciuntur e concilio et e civitate. Synodus autem eligit Nectarium qui erat quidem e sanguine senatorio, tunc autem gerebat magistratum Praetoris, erat vero is moribus mitissimus. Confirmat autem ipsa quoque sancta Synodus expositionem fidei, quam constituit concilium Nicenum: et assentitur omnibus Imperator, et curat cum magna exportari reverentia e Cucuso confessoris Pauli sacras reliquias, et eis procedunt obviam longe ante Chalcèdonem, quicumque ex Episcopis aderant Nectario: et cum multis hymnis et comitatu magno eas excipiunt, et eas per mediam portantes civitatem, in ecclesia quae fuit quidem extructa sub nomine sanctae Irenes, antiqua autem sic vocatur, quam Constantinus Imperator ex modica excitavit ad ingentem latitudinem et magnitudinem, cui etiam praesedit, ad breve tempus deposuerunt: et cum hymnos nocturnos peregissent, mane rursus tota civitas, cum pari honore et gloria, in ea qua ex ejus nomine nunc appellatur ecclesia, omnibus Pontificibus et clero, et ipso simul cum eis assistente Imperatore, in sepulcro, quod sanctos excipit, deponunt, eum honorantes longis et prolixis hymnodiis, propterea quod magnos labores et gravia certamina fortiter perpessus pro pietate, evasit in coelis dignus praemiis immortalibus: In Christo Jesu Domino nostro (*a*).

VITA ROBERTI ABBATIS

CISTERTIENSIS ORDINIS IN GALLIA

BONA FIDE, UT APPARET, LICET INCERTO AUCTORE, CONSCRIPTA.

STYLUM PASSIM NONNIHIL CORREXIT LAUR. SURIUS.

Obiit anno 1159. — Anglus.

§ **1**. Venerabilis Abbas Robertus ex provincia Eboracensi (*York*) ortus, in ipsa pueritia puerorum levitates et ludos devitans, atque in literarum studiis proficiens, cujusdam ecclesiae rector

(*a*) Colitur Venetiis Commemoratione, ritu simpl., die XVII mart., ob corpus ignota aetate huc allatum, et ibi in eccl. S. Laurentii asservatum; cujus recognitio et solemnis Translatio peracta est anno MDCXVII.

postea effectus est. Sed ea ecclesiâ et animarum curâ tandem sese abdicans, in monasterio Witebiensi (vulgo de Witiby) habitum monasticum petiit, et accepit. Per id tempus Richardus Prior monasterii S. Mariae Eboracensis, cum duodecim sociis locum quemdam, quem Fontes vocant *, a Turstino Archiepiscopo accepit, et in Abbatem electus, monasterium construxit, in quo Cistertiensium habitu suscepto, vitam illorum et mores aemulabatur. Nemo illic panem otiosus edebat, nec quieti indulgebat quisquam, nisi labore fatigatus. Famelici accedebant ad mensam, fessi ad lectum. Numquam ad satietatem refecti, nihilo minus absque tristitia et murmure, cum omni alacritate benedicebant Dominum.

§ 2. Ad hanc ergo sanctam sodalitatem vir Domini Robertus, cum prius a suo Abbate copiam petiisset, sese adjunxit, eratque in labore strenuus, in lectione et meditatione assiduus, in oratione devotus, consilio providus, sermone facundus. Elapsis autem quinque annis, cum jam a Christo nato ageretur annus millesimus centesimus tricesimusseptimus, nobilis quidam in Northumbriae ** regione amplam possessionem largitus est, in qua Robertus, creatus Abbas, assumptis secum undecim fratribus, novum monasterium construxit. Multa autem ejus fuit abstinentia, ita ut a mensa numquam satiatus surrexerit, et in Quadragesima pane et aquâ uti consueverit. Accidit quodam Paschali tempore, ut extincto et prostrato appetitu, cibis appositis vesci non posset. Cumque frater qui ministrabat ei, diceret: « Quare non comedis, pater? » ille respondit: « Si haberem panem avenaceum butyro illitum, fortassis inde mihi vesci liberet. » Attulit ergo frater ille panem ejusmodi: sed vir Dei animadvertens, se pauxillum concupiscentiae indulsisse, vehementer expavit, et severus ac rigidus in seipsum vindex, gustare inde noluit, planeque jejunus permansit. Cibum autem illum jussit pauperibus ad monasterii fores dari, ubi tum erat juvenis quidam splendida facie qui eum una cum scutella accepit, et mox evanuit. Loquentibus vero illis de ablata scutella, subito ea decidit in mensam coram Abbate. Erat enim Angelus Domini qui eleemosynam viri Dei e coelo missus accepit.

§ 3. Praeter solitum servitutis et precum pensum, centum quinquaginta psalmos quotidie Domino decantabat. Quodam autem tempore solito attentius orans, et lacrymis ubertim faciem rigans, animam suam coram Deo effundebat, petens ut gratum ipsi esset servitium suum, et fratrum suorum, et ut nomina eorum in libro vitae scriberet. Tum vero coelitus lapsa vox est ejusmodi. Confortare fili: exauditae sunt preces tuae, et nomina filiorum tuorum, pro quibus rogasti, in coelis scripta sunt. Non nisi duo ex iis, in terra scripti sunt, quorum pectora terrenarum

* In valle *Scheldala* apud vicum *Sutton*.
** Northumberland. Monasterii autem locus fuit *Morpeth*, nomen *New-Minster*.

rerum amori semper affixa fuere. Non multo post duo conversi, quos vocant, excusso cucullo, vitam in seculo misere finierunt.

§ 4. Per Novum Castrum * quandoque iter agens vir Dei, in multam juvenum turbam incidit: inter quos vidit hominem mirabili curiositate huc atque illuc discurrere, procaci illis vultu blandiri, et quasi ad rem arduam illos adhortari et extimulare. Animadvertens autem non esse hominis illud officium, sed mali daemonis ludibrium, multa vi verborum imperat illi, ut ab eis evestigio recedat: Heus tu, inquit, calamistrate, non indigent viri illi operâ tua: recede velociter, et sequere me. Confestim ille, demisso vultu, Abbatis vestigia per lutum platearum, tamquam ad caudas equorum alligatus, cunctis ad eam rem valde attonitis, sequitur. Ubi autem extra urbem ad semitarum diverticula ventum est, dixit ei vir Dei: « Quisnam es tu, et quid tibi cum illis rei erat: » Respondit ille: « Quis ego sim, non te latet, et conatus meos probe nosti. Nuptiae a divitibus cum magna pompa in vico illo celebrantur. Ego vero in eam curam intentus eram, ut sponsus ab aemulis suis in convivio caederetur: porro convivae irâ permoti, eam sponsi caedem ulcisci properarent, sicque irâ et ebrietate obcaecati, mutuis se vulneribus conficerent. Denique ut intra urbem seditione concitata, multorum animae trucidatis corporibus in nostras manus pervenirent. Jamque mihi persuaseram, me de parta victoria gaudium ingens allaturum principi meo: at nunc per te dissipato consilio et machinationibus meis, vacuus et inanis abscedo.» His auditis, vir Domini nequitiam ejus execrans, praecepit in nomine Domini, ut ad loca deserta se conferret, nec unquam deinceps ausus esset hominibus illudere. Ad eam jussionem nequam spiritus evanuit, sed tantum post se reliquit horrorem, ut equi hinnitu, fremitu et ungularum fossione saevientes, vix a sessoribus possent contineri.

§ 5. Die quodam sub Missae sacrificio vidit in spiritu mare multiplicatis fluctuum voluminibus tumescere et sursum deorsum jactari, porro navim quamdam fracto gubernaculo et diruptis rudentibus, incerta vagatione ferri, et tandem ad scopulos illisam a compàge sua penitus dissolvi, undisque hiantibus homines, qui in ea erant, absorberi. Sacrificio peracto, misit fratres, qui die quarto in litore et loco, a viro Dei designato, submersorum corpora invenerunt, eaque Ecclesiasticae sepulturae mandarunt.

§ 6. Matrona quaedam admonita a servo Dei, ad meliorem se frugem recepit, spretaque mundi pompâ et ornamentorum fastu atque vanitate, inter delicias domus suae vitam solitariam agere videbatur. Saepius ergo dominam illam vir Dei invisere et ad meliora incitare consuevit: sed ea res fratribus quibusdam pravarum suspicionum materiam praebuit, existimantibus familiaritatem

* Anglice *Newcastle* in hod. Northumbriae finibus.

illam ab impuro amore proficisci. Jam multorum aures illi infecerant, et tandem etiam ad beatum Bernardum querimoniae delatae sunt. Ad eum ergo cum venisset vir Dei, cujus et nomen et meritum in spiritu jam illi revelatum erat, vocavit eum ad se secreto, dixitque ei: Frater Roberte, falsa sunt ea omnia quae sinistra suspicio de te sparsit: atque in amoris argumentum dedit ei zonam suam, quae meritis utriusque multis postea aegrotis beneficium sanitatis attulit.

§ 7. Sanctus Godricus * viri Dei confessiones recipere solebat. Ad eum ergo crebro accedebat, et inter se de morbis vitiorum, virtutum remediis, itemque de secretis coelestibus, angelicis visitationibus et sanctorum patrociniis conferentes, diem cum noctibus continuabant. Is Godricus eo tempore, quo vir Dei migravit e corpore, in cella sua manens, duos muros candidos vidit, ad coelum usque porrectos. In iis autem tres angelici spiritus visebantur, qui animam beati viri in specie globi ignei ad coelos deferebant. Unus ex iis a dextris, alter a sinistris erat: sed praeter illos tertius quidam spiritus supra omnium verticem nimia cum exultatione antecedebat. Non enim, inquit, Godricus, ita disponente Domino, solus a corpore Robertus migrare potuit, sed cum eo quaedam bonae vitae foemina, Editha nomine, decessit. Etsi autem longis terrarum spatiis a se fuerint separati, at tamen eadem horâ in una beatitudinis sorte sunt conjuncti. Irruerunt autem in occursum beati viri spiritus nequam, sed pugnantibus pro eo angelis Dei, illi sua temeritate pudefiunt, et in sinum Abrahae Robertus Christi servus deportatur. Obiit vir Dei septimo Idus Junii, anno R. S. MCLIX.

§ 8. Quidam ex matris utero mutus, diu cum multis lacrymis sancti Thomae martyris opem imploravit. Ei tandem per visum apparuit sanctus Thomas, jussitque eum celeriter proficisci ad novum monasterium, ubi a sancto Roberto Abbate perfectam esset citra dubium sanitatem adepturus. At ille in animo suo obmurmurans. Quis, inquit, mihi vel itineris dux erit, vel sumptus necessarios praebebit? Respondit sanctus Thomas: Ille tibi dux erit, qui verbo cuncta creavit. Credidit homo, et laetus eo perveniens, optatum vocis beneficium percepit, laudans Deum. Multa alia vir Dei miracula edidit, quae studio brevitatis sunt omissa.

* Colitur in Ordine S. Benedicti et aliquibus in Angliae locis XXI maji.

VITA S. MEDARDI EPISC. NOVIOM.

AUCTORE PRIMUM FORTUNATO PRESBYTERO:
CUI TAMEN AB ALIO QUODAM DOCTO VIRO NON PAUCA POSTEA
ADJECTA ESSE NON DUBITO, LECTU NON INDIGNA.

Obiit anno 545 — Nat. Francus.

§ **1**. Beatissimus Medardus *, egregiae vir sanctitatis, patre Nectardo, matre vero Protagia genitus, apud Salentiacum, haereditariam praedecessorum suorum possessionem, natus atque altus est. Est autem praedium illud Salentiacus in Episcopatu situm Viromandensi, in regione autem Noviomensi. Qui Noviòmus ** cum tunc temporis castrum seu munitio haberetur, postmodum ipsius ejusdem gloriosi pontificis Medardi ordinatione, pontificalis cathedrae honore, ut postmodum dicendum reservamus, sublimatus est. Sanctus itaque puer sub parentum tutela diligenter educatus, divinae providentiâ gratiae studiis literarum eruditus, parvo in tempore inspiratae scientiae lumine prae caeteris consodalibus suis eminentius claruit.

§ **2**. Erat autem illi eo tempore consodalis quidam Eleutherius nomine, quem ipse tamquam similis similem, puer videlicet puerum, socius consocium quammulta diligebat familiaritate. Hunc itaque, cum aliquando invicem colloquerentur, utpote propheticae gratiae afflatus spiritu, Episcopum futurum esse puer ipse praedixit: et non multo post ejus spiritualem praenuntiationem, ipse per quem prophetaverat, Spiritus Sanctus adimplevit. Cum enim aetatis et morum sibi divinitus aspirasset gratia, in Tornàco civitate, pontificali, Deo annuente, sublimatus est cathedrâ. Ita S. Medardus hoc, quod praedixerat, quasi propheta divino spiritu, jam probavit.

§ **3**. Erat ei super egentibus cura non modica, adeo ut adhuc puerulus multa sese domaret abstinentiâ, expensamque suam pauperibus distribueret, ac vestimenta sua indigentibus benevole largiretur. Quadam siquidem die casulam, quam ei mater sua non modici pretii fecerat, dum ipse in manibus haberet, fortuito caecum quemdam obvium habuit, cujus, quam tunc patiebatur, nuditati compassus, eam benignissime porrexit: et licet parentum temporalium indignationem revereretur, quod tamen ab eis susceperat, spirituali patri Deo praesentare non dubitavit.

§ **4**. Contigit eo in tempore genitorem suum, quem praenominavimus, ab itinere redisse, equosque suos, qui defatigati erant, quia tunc servientes aberant, huic sancto puero, quo in

* Vulg. gall. *Mard.*   ** *Noyon.*

prato sub ejus custodia reficerentur commisisse. Puer autem ex patris praecepto equos hilariter suscepit, et voluntati ejus assentiens, injunctum sibi officium officiosissime adimplere properavit. Cum vero in custodia eorum intentus esset, vidit fortuito ignotum quemdam pertransire, ac sellam equestrem, et quae equitantem condecent, a tergo gestare. Percontari puer coepit, qua de causa sic incederet onustus, cum solummodo viâ vianti gravi satis impedimento videretur. Equum meum, ille respondit, contigit casu deperisse: quae tamen equi erant. inutile mihi visum est perdidisse. Facilius nempe solum equum mihi erit comparare, quam et equum et ea quae hujusmodi condecent officium reparare. Puer autem bonae indolis, tantae illius compatiens fatigationi, cum jam eum prae nimio labore desudantem, et pene jam deficientem vidisset, ex piissimo affectu mentis, « In nomine, ait, Domini unum ex his tolle, quos hic in custodia suscepi.» Cumque viator hoc suae potestatis non esse ambigens, aliquantulum remoraretur, « Tolle, ait, sicut dixi, et quocumque te pertransire contigerit, me hujus concessionis et auctorem et patronum incunctanter habebis.» Persuadenti puero eques libentissime, utpote nimis defatigatus, obtemperavit, equoque quam citissime strato, cum multis gratiarum actionibus laetus abscessit.

§ **5**. Post ejus abscessum, cum jam domi paratum esset, per quemdam e famulis puer a parentibus, ut convivio interesset, invitatur. Ille vero, qui ad hoc missus est, eminus prospiciens, videt puerum propter pluviam, quae tunc forte ingruebat, aliquantulum ab equis secessisse, ac tamquam làtebram propter imbrium effusionem quaerentem, ab officio declinasse. Et in altum oculos elevans, videt aquilam alarum expansione, omnique ad hoc distento corpore, tam congruenter puerum cooperire, ut in nullo, cum circumquaque pluvia illa grassaretur, ab inundante aëris illius contingi posset exundatione. Hoc diu miratus, tandem non sine multa trepidatione appropians, humilime puerum sanctum adiit, et ut ex praecepto patris paterno interesset convivio, diligentissime invitavit. Puer autem ire recusans, « Precor, inquit, frater revertens domum, apud parentes meos super hoc me habeas excusatum.» Ea de causa fortassis remorari cupiebat, quo jam dictus eques in hac remoratione longius aveheretur, ne forte ab aliquo, si eum insequi vellet, inveniretur. Reversus itaque servulus, parentibus filii replicat excusationem, et non sine multa stupefactione aquilae super puerum ex ordine pandit obumbrationem. Parentes cum omni familia super his quae audierant, murmurantes invicem laetantur. Ut vero certiores fiant, ad videndum tantum hoc miraculum hilariter sese cohortantur. Relicto convivio pater, cum omni ruit familia, mater cum ancillulis suis currendo pene atterit vestigia: unum omnibus votum, si forte, quae auditu didicerant, visu etiam probare possent. Ubi vero illo

ventum est, intuentur diligentius, et quod relatu didicerant, ipso suorum oculorum testimonio veraciter confitentur. Pater et mater super filio quam familiariter illacrymantes, Deo puerum commendant, ac non sine multa devotione, charissimae suae sobolis innocentiam retractant.

§ 6. Inter haec milites, quorum equos custodire erat, equis recensitis, unum deesse reperiunt: quem ut hujusmodi hominibus mos est, a puero intente requirunt, blande ac leniter parvulum demulcent, instanter ab eo requirentes, si quam per eum damni hujus adinvenire possent recuperationem. Erat siquidem aliquantula jam super talibus de illo suspicio: quia eum erga pauperes non nesciebant esse munificum, ac quicquid uspiam reperire poterat, in usus eum audierant expendere miserorum. Cumque a famulis ea de causa et privatim et publice argueretur, appropians patri, rem ei ex ordine pandit. Miratur pater clementissimam compunctionem filii, et licet damni aliquantulum sibi non nesciret imminere, admodum tamen super benevoli pueri benevola congratulatus est compassione. Tantum hujus pueri Dominus in sua perspiciens voluntate famulatum, ipso eodem momento magnum subito dignatus est declarare miraculum. Nam cum denuo equorum suorum solicite recenserent numerum, divina sic operante majestate, totam eorum integritatem ex improviso reperiunt. Mirantur astantes: familia cuncta laetatur. Pater cum matre filium quam familiariter amplexantur, et ut in altiora se subrigat, lacrymabiliter cohortantur. Fili, ajunt, omnia nostra, tua sunt, ùtere nostris, ut libet. Tuo, ajunt, et nostro, ut tibi visum fuerit, in Dei gratia ùtere patrimonio, ut nos tecum consortes perennis vitae habeas in praemio. Non diffidebant enim se ejus oratione salvari, quem jam tantis a Deo videbant virtutibus illustrari. Et haec dicentes, secum adducunt puerum, multoque cum gaudio in his et in aliis bonae suae sobolis actibus Deo gratias referentes, gratanter sese reficiunt.

§ 7. Accidit postmodum, dum domi puerulus haberetur, inter indigenas non modica quaedam altercatio, de terminis videlicet agrorum, ut frequenter fieri videtur, jugis et infinita disceptatio. Rixabantur multoties a mane usque ad vesperam, et ut hujusmodi rusticis moris est, pene jam ad arma usque invicem exprobrando processerant. Genus enim hoc agreste hominum, si quid inter eos dissensionis exortum fuerit, nisi cum multa ignominia terminare nesciunt. Cum vero tandem ex communi consensu ad dirimenda agriculturae suae processissent confinia, contigit cum eis adfuisse et hunc venerabilem puerum. Ubi vero ventum est ad locum, cum diversi diversa sentirent, videt puer lapidem terrae fixum, ut plerumque videri solet in terminis agrorum. Super quem pedem injiciens, « Hic est, inquit, terminus et hujus contentionis limes certissimus. » Ad cujus levissimum tactum lapis

ille ita subsidit, velut cera a facie candentis ferri liquescit. Apparet equidem figura plantae pedis ejus, in eadem caute adeo subtiliter expressa, ut a nullo artificum expressius exculpi aut signari possit. Ita contentione sedata, Dominum, qui magna operatur in minimis, glorificantes, redierunt in sua. Exstat usque in hodiernum diem penes nos idem lapis, magnaeque apud eos, quibus est cognitum, habetur venerationi. Haec duo quae in pueritia ejus acta cognovimus, dixisse sufficiat. Amodo autem ad ea quae in maturiori ejus aetate per eum Dominus operatus est, Deo ipso annuente, tota mentis intentio est dirigenda.

§ **8**. Perspicientes autem boni parentes bonae sòbolis suae benevolentiam, et in servitio Dei ejus attendentes industriam, Episcopo eum qui tunc temporis Viromandensi (*Vermandois*) praeerat Ecclesiae, commendaverunt, orantes devotissime, quatenus episcopali benedictione ad clericatus promoveretur officium. Commendatum itaque sibi benigne Praesul ipse suscepit, benevole amplexatus est et diligenter enutrivit, et tamquam unicum et uterinum filium in fide et doctrina Ecclesiastica educare liberaliter elaborabat. Quantae ipse liberalitatis, quantae sanctimoniae seu castimoniae se a puero exhibuerit, quanta humilitate seu reverentiâ et apud Deum et urbis pontificem claruerit, pro certo edicere nostrae non est possibilitatis. Erat quidem magnanimus in adversis, mitis in prosperis, cunctos sibi obedientiae sedulitate praeferens, morum claritate praecellens, egentibus larga miseratione succurrens. Sicque viriliter fomite conculcato vitiorum, augustiorem conscendens scalam virtutum, quicquid Deo contrarium sentiebat, declinabat: quicquid vero placitum noverat, omni nisu exequebatur. Erat siquidem in oratione assiduus, jejuniis et vigiliis intentus, aliorum tribulationibus tamquam suisipsius lacrymabiliter compatiens. Omnibus omnia factus erat, ut omnes ad aeternam confortaret consolationem. Quid plura? Multis attestantibus peregrinus erat in seculo, et jam pro certo mansionarius credebatur in coelo. Facies ejus jucunda, lingua ejus facunda, os ejus in laudem Dei semper erat apertum. Carnis voluptàtibus reluctans, perfectiorem spiritualis vitae lineam toto nisu exèquebatur. Obedientiae virtute omnibus se imitabilem, frugalitate laudabilem, et universa morum probitate praebebat insignem: de virtute in virtutem, secundum Psalmistam, transmigrabat, ut Deum deorum videre promereretur in Sion.

§ **9**. Decursis itaque cum multa honestate inferiorum ordinibus graduum, post bonam eorum administrationem, divina sibi aspirante gratiâ, sacerdotale coactus est ad officium. Simul vero ut tam sublimi promotus est dignitate, quanta corpus suum parsimoniâ maceraverit, quis posset explanare? Ipse, equidem multa se affligens abstinentiâ, esurientes reficiebat: sitiens ipse, sitientes refocillabat: nudos, suae non parcens nuditati, misericorditer

vestiebat: et omissis suis suorumque usibus, quicquid sibimet subripere poterat, pauperibus et egenis benigne largiebatur. Postquam ergo vir beatus dignitatem, ut praelibatum est, adeptus est sacerdotii, divinae dispositionis gratiâ, multimoda miraculorum meruit declaratione publicari. Deus siquidem, cujus ipse sanctis institutionibus viriliter elaborabat obedire, per multa eum insignia mundo non dedignatus est declarare.

§ **10**. Contigit forte illis in diebus latronem quemdam vineam ejusdam sancti noctu irrupisse, multaque cum aviditate uvas et palmites, et quicquid arripere potuit, irreverenter decerpsisse. Secabat gladio, quod manu discerpere non poterat: quaeque manum ejus evadere poterant, pedibus atterendo conculcabat. Sanctus ipse Medardus ipsa fortassis eadem horâ solitis incumbebat orationibus, et sicut hujusmodi decet hominem, Deum tam pro inimicis, quam pro amicis suppliciter deprecabatur. Orasset autem, nec ne, non dormitabat tamen neque dormiebat pervigil custos Israël. Cum enim miser ipse latro plenis praedâ manibus effugere conaretur, tota nocte vineam circuiens, aditum exeundi reperire non potuit: immo vellet nollet, adusque auroram suo ipso furto devinctus, ibidem tota ipsa nocte permansit. Aurorâ igitur illucescente, custodes subito conveniunt, vineam conculcatam, palmites diruptos reperiunt, et evestigio latronem circumquaque insequuntur. Stupefactus nimirum raptor infelix, latebat in vinea, quem sua ipsius rapina, tanquam jam judicatum, pene condemnaverat. Tenebat quidem rapinam in manibus: immo ipse a sua ipsius rapina tenebatur. Abstractus demum a latibulo, confessus est se rapiendi causâ furtim vineam irrupisse, furtim quae videbant decerpsisse: et cum maxima parte noctis ad id elaborasset, nusquam exitum reperisse. Adjudicatus ergo jam cogebatur ad supplicium, cum sanctus ipse sacerdos ex improviso accurrens, misero factus est in munimentum. Memor siquidem Dei servus Dominicae orationis, in qua oramus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* vix de manibus eum eripuit insequentium, blandeque ac leniter demulcendo, ab hac eum culpa clementer absolvit, eumque, sicut erat onustus, libere abire permisit.

§ **11**. Hac eadem patientiâ vir sanctus plerumque et in alios usus est. Quodam namque tempore cum noctu latro alius apes suas subripuisset, apes ipsae in sancti viri ultionem, relictis vasis suis, in malefactorem illum circumquaque diffugientem acerrima eatenus instimulatione persecutae sunt, quousque ad sanctum, vellet, nollet, regrederetur, et ejus provolutus vestigiis suppliciter pro commisso crimine veniam precaretur. Cui mox ut sanctus manum extendit benedictionis, et apes tanquam obedientes, ab ejus insecutione cessaverunt, et antiquo domini sui dominio evidenter sese reddiderunt.

§ **12**. Contigit eo in tempore Viromandensem Episcopum, qui per aliquot annorum curricula ipsam rexerat Ecclesiam, divinum ad judicium évocari, et sponso praerepto, Ecclesiam illam per aliquod temporis spatium viduari. Peractis vero non sine multo fletu Episcopi sui excubiis, Regis et optimatum assensu sanctissimum sacerdotem Medardum plebs omnis illa Viromandensis, et omnes eidem provinciae adjacentes, Episcopum sibi unanimiter acclamabant consecrari. Quorum petitioni cum diutius, indignum se judicans, vir Dei restitisset, divina tandem dispositione multimodis eorum precibus fatigatus, assensum dedit, et Viromandensis praesulatus curam regendam suscepit. Quod vero invitus suscepit, feliciter et intente administravit. Hujus quippe praelationis honore sublimatus, sanctissimaeque unctionis sacramento confirmatus, die noctuque in lege Domini meditabatur, et infatigabiliter divinis in laudibus persistebat: et cum ab ipsa infantia curandis pauperibus sedulo insudasset, tum praecipue majorem in hoc diligentiam adhibens, in ipsis majestatem ipsam Dei se non diffidebat amplexari. Sedula quidem praedicatione subditorum animas a diabolica liberabat seductione, bono suae conversationis exemplo subditorum animas confortabat, et quoscumque devios seu erroneos noverat, de ipsis mortis faucibus ad vitam praedicando revocabat. Quid plura? Quod ore praedicabat, opere indissimulate ne aliis praedicans, ipse reprobus efficeretur, explere non negligebat.

§ **13**. Verum priusquam beatissimus pontifex episcopali sublimatus fuisset, cathedrâ, crebris et intolerabilibus Wandalorum, Hunnorum, Hungarorum et aliarum gentium irruptionibus, universalis devastata erat Gallia. Destructis civitatibus, exectis matrum visceribus, inhumata infantium projiciebantur corpora: conjugibus interfectis, matronae viduatae remanserant, et prae nimia desolatione ad internecionem usque indigenae omnes pene devenerant. Dolens itaque vir beatus civitatis illius Viromandensis, quam regendam susceperat, jam factam destructionem, veritusque iterandam paganorum irruptionem, Noviòmum, quem munitionem praenominavimus, sano satis consilio sedem constituit episcopalem. Est etenim regio illa fertilis et amoena, vineis et hortis abundans, multàque annonae culturâ, bellicosos generans homines, et in Ecclesiasticis officiis utriusque sexus personas Deo generose servientes. Est et regio ipsa sylvis circumdata et paludibus, et suaipsius habilitate contra hostiles non parum munita excursus. Circumquaque ibi virent pomeria, grata ibi planities est et amoenissima, pratisque et pascuis virentibus suis non modicum arridet habitatoribus. Est etiam locus ipse ab Oriente et Occidente rupibus adeo vallatus et rivulis, montibus quoque et vallium cuniculis, quo contra plurimam hostium incursionem a paucis commodissime possit defendi. Ibi ergo, ne

ulterius direptioni subjacerent gentium, Episcopali sede confirmata, sanctus Pastor suas oves multa praedicationis instantiâ confortabat. Praedicabat instanter poenitentibus promissam remissionem peccatorum. Praedicabat omnibus, regnum Dei appropinquare, citoque judicium Dei futurum. His et aliis multimodis praedicationibus et Deo charus erat, et in populo amabilis admodum habebatur.

§ **14**. Cum ergo ecclesiam, quam Noviomi construxerat, felicissime gubernaret, sanctum Eleutherium *, Tornacensis Ecclesiae pontificem, quem ipse, ut praelibavimus, in infantia sua futurum esse praedixerat Episcopum, hominem contigit exuere, ac post felicem pontificii sui administrationem, de terrenis ad coelestia coronandum, transmigrare. Post cujus lugubres exequias, cum de pontificis electione invicem dissererent, peracto triduano jejunio, et solemnibus hostiarum victimis Deo devote oblatis, subita Sancti Spiritus inspiratione inflammati, unanimiter sanctum hunc Pontificem Medardum elegerunt, ejus se orationibus confidentes contra impetus muniendos malignorum spirituum. Id populus acclamabat, in hoc Rex ipse proceresque palatii, praecipue comprovinciales Episcopi, consentiebant. Legerunt siquidem, vocem populi, vocem ipsam esse Dominicam: et quod tam unanimiter populus expetierat, omni remota excusatione fieri adjudicabant. Recusabat humillime insignis Dei Praesul, quod plebs tam unanimiter acclamabat: constanti eis animo, impotentem se vociferans, magnanimiter resistebat. Metropolitani demum et comprovincialium suorum evictus auctoritate, Regisque ac procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione, duas illas Ecclesias unam fecit.

§ **15**. Quot et quanta in regione illa opprobria, quot et quantas perpessus sit injurias, quoties comminationibus injuriatus fuerit Tornacensium, quoties pro incessabili praedicatione adjudicatus fuerit ad supplicium, licet nos lateat, Deo tamen manifestum esse, nulli est ambiguum. Erat enim gens ipsa fera et indomabilis, durae cervicis populus et implacabilis, pravis admodum subditus obsequiis idolorum, et cum multa obstinatione suorum defendens culturam deorum. His ipse se viriliter injiciens sanctus Episcopus, Evangelicas et Apostolicas institutiones imperterrite praedicabat, falsis eorum objectionibus magnanimiter respondebat, et imaginarias eorum opiniones veridica prophetarum praenunciatione viriliter expugnabat. Aderat siquidem ei divina semper gratia quae illum et ab infidelium protegebat incursu, et eorum quoque infidelium ad dulcisonam spiritualis doctrinae institutionem emolliebat auditus. Sicque factum est, ut parvo tempore innumerabilis eorum multitudo ad fidem catholicam converterentur, et Deo praeordinante, per inaestimabilem sancti hujus

* Col. xx febr. V. MARTYROL. ILLUSTR. ejus mensis, p. 159*.

Praesulis Pontificis instantiam, sacrosancti baptismatis undâ, maxima ex parte sanctificarentur.

§ **16**.. Comprobatur in hoc sancto pastore veridica summi Pastoris sententia, quam ejus ex ore sancta et Evangelica nos docet historia. *Signa*, inquit, *eos qui in me credunt, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super aegros manus imponent, et bene habebunt* (*Marci* XVI). Daemonia quidem Sanctus ejecit, cum Creatoris imaginem ab idolorum cultura in remissionem peccatorum praedicando revocavit. Lingua eum nova locutum esse non diffidimus, cum ad ejus praedicationem, quam eatenus non audierant, infideles ad fidem transisse non nescimus. Serpentes siquidem eum manifestum est ejecisse, cum praedicationis sanctae antidoto ab execrabilis serpentis venenosis immissionibus languentium ei gentium corda concessum est sanasse. Mortiferum multoties bibit, verum ei non nocuit: cum profanis semper repugnans persuasionibus, neque diabolo, neque ministris ejus succubuit. Aegros bene se fecit habere, cum eos ad verae fidei sanitatem de infirmissima convertit incredulitate. Sic itaque ad imitationem summi Pastoris, qui, sicut ab eo in Evangelio suscepimus, alias habens oves, de duobus unum ovile fecit: sanctus pontifex Medardus ferocem illam Flandrensium gentem suae Noviomensi ecclesiae associavit, et per multorum annorum spatium, licet aliquo itineris intervallo remoti essent, ad divinum eos cultum informare indesinenter elaboravit.

§ **17**. Diùtino ergo temporis transacto spatio, sanctum Dei pontificem gravissima contigit deprimi corporis infirmitate, et invalescente morbo, corporeos ejus sensus de die in diem paulatim deficere. Jacebat siquidem Sancti corpus omni pene suaipsius virtute destitutum: spiritus autem, quia semper Christum desideraverat, omni nisu suspirabat ad eum. Fessum corpus ad suam anhelabat materiem: anima vero ad eam, unde processerat, tendebat requiem. Confluebant undique, quos ipse regendos susceperat, ed pastoris sancti plorabundam visitationem: confluebant undique filii, paternam sibi lugentes àdimi consolationem. Verum licet corpus et sensus ejus corporeos gravis illa mortis occupasset instantia, non tamen a praedicationis ejus officio sanctissimae ipsiùs linguae retardabatur facundia, Deum corde suspirabat, et ore fatebatur. Deum incessanter praedicabat, et ad fidem catholicam usque ad ipsum mortis suae momentum, quoscumque poterat, instanter exhortabatur.

§ **18**. Cum autem beatus hic pontifex vitae appropinquaret ad exitum, contigit Clotarium regem, postquam Granum filium suum cum uxore sua ac filiabus combusserat, a regione reverti Britannorum. Cognita vero hujus invalitudine pontificis, ad eum visendum humiliter festinavit, ejus se non diffidens contra

diabolicas infestationes benedictione muniri, et intercessione apud divinam majestatem reconciliari. Cum ergo in hac regali visitatione, in conspectu ejusdem et principum de sepultura pontificis tractaretur, suorum assensu filiorum, sua se in sede Sanctus ipse praeordinavit sepeliendum. Cujus sententiae firmo rex animo resistens, Suessionis eum constituit transferendum asserens se super corpus ejus basilicam decenter aedificaturum, et ad laudem et gloriam divinae majestatis coenobialem servorum Dei regulam ordinaturum. Cessit igitur beatissimus pontifex regiae dispositioni, et indefesse se suosque Domino commendans, finita oratione, spiritum exhalavit. O felix corpus, felicioremque animam! Mox eorum certissimo qui aderant, testimonio, coeli aperti sunt, et divina luminaria fere per duarum horarum spatium ante sancti apparuere praesentiam, de tenebris eum transitoriis ad lucem designantia pro certo transisse perpetuam. Hoc tanto beatissimi praesulis animati miraculo, majori, ut eum transferrent, accensi sunt desiderio. Corpore itaque sancto composito ac delato ad ecclesiam, nocte illa exequialem cum multa devotione celebraverunt vigiliam.

§ **19.** Mane vero facto, cum Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrassent officium, inopinabilis multitudo convenit nobilium, de castellis et civitatibus, de agris et municipiis adjacentibus inaestimabilis accurrit conventus: alii ejus devote desiderantes interesse obsequiis, alii admodum lugentes patrem separari a filiis. Per medias ergo plorantium lacrymas rex irrumpens cum Episcopis et optimatibus, suisipsius humeris corpus sustulit sanctissimum, Suessionis, sicut praedixerat, efferre volens ad sepeliendum. Tum per totam civitatem et in suburbio, unam et eamdem vocem audire erat, plorantium; recolebant siquidem urbis illius indigenae patris sanctissimi, qua eàtenus informati fuerant, benignissimam praedicationem: dolebant vero et vehementer angebantur, quia cum patrem amisissent, patris etiam sepulturâ regis et procerum violentiâ frustrabantur. Compatiebantur qui supervenerant ad tantum plebis illius gemitum; verum quia regia urgebat dignitas, ad sanctissimi corporis intente insudabant translationem. Vix ergo et non sine multo labore, patre moerentibus et lugentibus filiis erepto, sicut a rege susceperant, iter aggrediuntur.

§ **20.** Audita translatione sanctissimi confessoris, et non desperans de tanti clementia intercessoris, intra portantium cuneos caecus quidam feretro se humillime submisit, et protinus secundum fidem suam, quia bene speraverat, per sancti Medardi meritum visum gratuito munere recepit. Quid plura? Qui prius in civitate tantam audierant devotionem lugentium, et tunc super hac caeci illuminatione tantum Dei et sancti Pontificis perspiciebant miraculum, ulnas libentissime sanctae illius evectioni

supponunt. Magna se credidit ditandum remuneratione, cui etsi non gestare, saltem illud sancti feretrum quoquo modo licuit attrectare. Episcopi et optimates ad id se officii hilariter cohortantur, et onus illud leve sentientes, ex praecepto regis apud Attipiacum villam fluvium Axonam navigio transgrediuntur. Postmodum iter dirigentes contra ejusdem fluminis undam, sicut rex praeordinavit, iter ad urbem flectunt Suessionicam; ubi Bandaredus Episcopus, cum debita processione reverenter occurrit, ac sanctissimum corpus, prout decebat, honorifice suscepit. Sic solemniter felix illa Suessionensium civitas sanctum Dei suscepit confessorem, amplexata est festive patronum, amodo proprium patriae habitura defensorem. Inter hos properantium cuneos quidam se ingessit, aurium diutius frustratus officio: qui mox ut peplum, quo sacrum tegebatur corpus, osculando devote attigit, fraudati sensus usum ilico sancti pontificis intercessione suscipere promeruit. Gratulatur admodum rex, gratulantur etiam Pontifices cum optimatibus: magnum fit in coelis gaudium, et astantes universi Deum ex toto corde non sine lacrymis compuncte venerantur.

§ **21**. Retransmeant ex praecepto regis praedictum flumen Axonam, perveniuntque in praedium, ubi Rex sancti pontificis praeordinaverat sepulturam. Ibi, Deo disponente qui cuncta praevidet et praenoscit, laetitiam, qua sanctum illius corpus evehebatur, nescio qua de causa contigit deponi. Et ecce iterato miracula geminantur, et in universali conspectu astantium sanctissimi praesulis merita glorificantur. Cum enim sanctissimam ejus glebam ex injuncto sibi officio ad sepulturam deportare vellent, divino nutu tanti eam ponderis persenserunt, ut nullo modo corpus Sancti a loco, ubi eum deposuerant, movere possent. Alii aliis succedentes, ad evectionem totis viribus elaborabant: alii alios tanquam invalidos et impotentes increpabant. Verum licet alios tanquam imbecilles causarentur, ipsi tamen cum ad id sese praeparassent, desiderio suo ex toto frustrabantur. Rex et qui aderant, diligenter causae hujus recensentes eventum, cum penitus quid res haec praetenderet ignorarent, Dei solius suppliciter super hoc exorabant subsidium. Tumultus non minimus super hac retardatione perstrepebat in populo, dicentibus aliis, quia de sede sua tanquam captivus abductus fuerat, hoc divinitus fieri, et merito: aliis autem objicientibus, regem corpus sanctum reverenter transtulisse et verae devotionis studio. Rex nimirum attonitus, ad sancti loculum non sine multa devotione appropinquavit, et solemni facta traditione, villae illius regalis Croiciaci, in qua sanctus ipse sepeliendus erat, medietatem sancto eidem perenniter habendam sigilli regalis impressione confirmavit.

§ **22**. Contigit ilico res mirabilis et laudabiliter recitanda. Mox enim ulnis suppositis, onus illud sanctissimum parte quidem

ex altera sine ulla difficultate sublevare potuerunt: parte vero ex altera incredibilis ponderis et penitus immobile persenserunt. Ad haec rex jucundo satis vultu tantam Dei retractans gratiam, quam citius potuit, ad sanctissimi confessoris dominium illam, quam sibi retinuerat, jussit resigillari partem residuam. Nec mora: Dei adeo gratiâ Sanctum mox sustulere leviatum, ut quod eatenus desperaverant, sine ulla difficultate a paucis deportaretur ad sepulcrum. Defertur igitur corpus sanctum ad sepulturam: verum illo in itinere Dominus pretiosissimam suam non est dedignatus clarificare margaritam.

§ **23**. Antequam enim terrae corpus sanctum conderetur quidam vastis catenarum loris brachia surasque devinctus, per medias sese properantium turmas non sine multa difficultate injecit. Cui mox ut sancti confessoris concessum est tangere operimentum, omnia mox dissiluere repagula catenarum, diruptisque compedum vinculis, liberrime cum multa gratiarum actione, sequebatur munerarium suum. Perventum est tandem ad eam, quam ei rex non sine Dei providentia praeordinaverat. sepulturam: Episcopi cum Abbatibus, peractis prius quae Dei erant, sanctissimum illud corpus terrae decentissime commendant.

§ **24**. Peractis celeberrime beatissimi Dei athletae inferiis, rex Clotarius supra venerabile sancti corpus parvum ad tempus jussit aedificari tugurium, quousque ad faciendam inibi ecclesiam necessaria pararet expensarum. Contracta vero undecumque potuit non parva pecuniâ, sanctum illud Dei habitaculum instanter ordiri perproperabat, et plerisque negotiis postpositis, ad hoc perficiendum enixius elaborabat: fecissetque parvo in tempore quod benevola conceperat mente, nisi secundum quod unicuique imminet, rebus eum humanis nimis intempestive contigisset excessisse. Cum enim in Cotia sylva venatu exerceretur, valida correptus febre, cum ad Compendii (*Compiègne*) palatium repedasset, parvo post tempore morte praeventus, postmodum vero in ecclesia eadem, quam jam aedificare coeperat, ante scilicet S. Medardi altare, honorifice est sepultus. Expensas vero, quas huic praeparaverat operi, secundum quod David rex filio suo Salomoni ad templi Domini aedificationem ecclesiae quam Deo voverat, expendendas dereliquit, mandans et remandans ei, quatenus, si qua ei erga patrem charitatis debitae dilectio maneret, omni occasione seposita, sanctae huic aedificationi quousque honorifice compleretur, totam prorsus intentionem adhiberet.

§ **25**. Sigebertus vero, patre sepulto, in regno confirmatus, quod a patre in hoc susceperat negotii, largiflue prosecutus est. Admirabili enim diversi generis lapidum constructione, secundum quod a patre suo susceperat, ecclesiam illam decoravit, auro et argento ac necessariis in officio ecclesiastico ornamentorum varietatibus abundanter exornavit, censu et redditibus, prout regiam

decebat dignitatem, affluenter et excellentissime ditavit. Eleganter vero ecclesiâ composita, undecumque potuit elegantiores ibi sacri ordinis ordinavit personas, quo et patris sui votum benignissime compleret, et inibi Deo ecclesiasticum officium pro sua et patris sui omniumque fidelium salute perenniter exhiberetur. Idem ipse venerabilis rex Sigebertus, cum fratrem suum Chilpericum nomine apud urbem Tornàcum obsidere disponeret, apud Victoriacum Fredegundis reginae versutiâ interemptus, cum prius eum Lambris sepelissent, ab ipso eodem fratre suo Chilperico postmodum Suessionis relatus, in ecclesia, quam decentissime composuerat, prope patris sui tumulum decenter est sepultus. Nunc pauca de multis nostri est scripto commendare miracula.

§ **26**. Hujus quidem sancti famâ circumquaque increbrescente, infirmos variis detentos languoribus, ad ejus memoriam ex multis terrarum partibus accidit confluere, quibus per meritum sancti sui gratia divina non dedignata est subvenire. Quod ergo prius memoriae occurrit, prius dicamus: quatenus de singulis non solummodo singulares, verum multimodae Deo gratiae referantur. Tuguriolum illud, quod corpori sancto superaedificatum esse praescripsimus, tantae virtutis, divina disponente gratiâ, compertum est esse, ut si quis dolore dentium attactus, ex virgulis, quibus contextum fuerat, locum doloris tangeret, confestim omnis illa dentium infirmitas abigeretur: quod et in palatio regis divulgatum est. Quidam namque Charimeris nomine qui eo tempore Childeberti regis referendarius habebatur, quia hoc eodem morbo gravissime laborabat, ad eamdem S. Medardi basilicam deductus est. Cumque januas ecclesiae clausas reperisset, et eum dentium dolor magis ac magis urgeret, de una januarum fiducialiter hastulam excidit, et ubi magis infirmitas grassabatur, confidentissime quod exciderat apposuit: moxque ab eo quem diu perpessus erat dolore liberatus est. Habetur etiam baculus ejus apud nos, per quem plerosque infirmos diversorum languorum medicamina expertos esse comperimus.

§ **27**. Anicula quaedam annosa nimis, cum ei manus arida quasi alienum quiddam de brachio dependeret, licet jam de vita prae nimia suaipsius aetate desperaret, ad sancti tamen Confessoris memoriam, cujus celebrem famam audierat, devotissima mente pervenit, eumque multimodis precibus non sine multa lacrymarum profusione super aridae suae manus, quia nimis angebatur, solicitabat recuperatione. Ut ergo se ante praesentiam beatissimi pontificis cum multo ejulatu exposuit, adfuit repente per Sancti ejusdem meritum divinae majestatis suffragium. Restauratur mox mulieri quod vitio naturae defraudatum erat: reparatur in ea manus aridae naturalis integritas, et quod minus de matris assumpserat utero, intercessoris sui benignissimo resumit praesidio. Reviviscit manus juvenilis, jam praemortuo

vetulae illius brachio: et quae prius eleemosynam, tanquam impos laborandi, ostiatim quaesierat, jamtunc effecta docilis, suarum ipsius laborationum vivere coepit stipendiis. Sospes effecta gaudet et laetatur, gratias quamplures suo rependens munerario, Deum adorat et veneratur. Similiter et alia muliercula, eodem manus morbo laborans, ante sancti ejusdem praesentiam sanitati restituta est.

§ **28**. Post aliquod vero temporis intervallum, cum jam ipse locus multae circumquaque haberetur venerationi, Warinbertus quidam, qui sic nominabatur, post venerabilis Autberti decessum regia praeceptione regendum idem coenobiale suscepit monasterium. Quo cum aliquot potitus esset annis, Drausionem Suessionicae civitatis Episcopum vitâ contigit excedere, sedemque illam aliquandiu absque rectore vacuam manere. Post ejus autem lugubres inferias, unanimi consilio regis et civium, Warinbertum hunc, cathedrae illi pontificali, suo magis quam Dei, ut post patuit, arbitrio, rectorem substituunt. Qui adeptus regimen episcopale multo elaborabat studio, ne priori privaretur dignitate: et licet cum difficultate non minima, obtinuit tamen, quod male quaesierat. Eheu socors nimis et ignava mens hominum! Miser hic nimia exaestuans cupiditate, dum pravae suae ambitionis augere non cessat commercium, corporis sui et quod dolendum est, animae quoque sibi praeparat exitium. Attentus siquidem extra modum negotiis secularibus, ac suis plus justo pravis inhians cupiditatibus, locum illum sanctum neglectui coepit habere, quaeque inibi a regibus et aliis pro eleemosynarum largitione deputata fuerant, suis male usibus retinere. Quae inibi Deo servientibus fideles quique, Dei et S. Medardi gratiâ, praeordinaverant, suis ipse in thesauris recondebat, ac servorum Dei posthabita solicitudine, reditus Ecclesiae suis satellitibus irreverenter distribuebat. Quibus prae nimia ingluvie eructantibus, spiritualis illa congregatio esuriebat: suis multo vino exaestuantibus, sancti Praesulis familia pro nimio sitis ardore pene deficiebat. Nudi et pauperes servi Dei lugebant et lamentabantur: familiares autem miserrimi illius Episcopi per plateas in vestibus pretiosissimis gloriabantur. Acclamationes servorum Dei surda Episcopus aure pertransibat, cum eis praelatus esset, eorum querimoniam, tanquam a nullo arguendos, non sine multa cordis et oris arrogantia, imminentis sibi vindictae nescius, pro nihilo reputabat. Ad libitum suum miserum illum, qui pastoris indigne sibi nomen usurpaverat, oves Domini, non suas tractare licuit: verum illius, cujus erant propriae, manum effugere nullo modo potuit. Audiat ergo intente, quicumque praelationis Ecclesiasticae fungitur officio, quam terribili pro hac servorum Dei reclamatione percussus sit judicio.

§ **29**. Erat siquidem in pago Cenomanico * quoddam praedium, quod rex Sigebertus ejusdem aedificator ecclesiae, ad ejus quam ibi Domino aggregaverat, congregationis firmaverat dominium. Praedium illud Madvallis dicebatur, ex Britannica videlicet et latina lingua nomine composito, quod bona vallis, nostro scilicet et Romanae linguae vulgari potest interpretari eloquio. Madvallem itaque illam, id est, bonam vallem, quia multis abundabat reditibus, ipse sibi Warinbertus ad perditionem suam usurpaverat, et ex toto neglectis, sicut diximus, fratribus illis, villae illius census suis usibus mancipabat. Gemebat S. Medardi pauper congregatio, quia quod eorum erat usibus deputatum, contra canonicam institutionem male dilapidabatur in Episcopio. Quadam itaque die, cum secundum consuetudinem de praedio illo plaustra onusta, ut diximus, ad palatium episcopale deducerentur, comperta fratres illi Episcopi absentiâ, vehicula illa, utpote quae sui erant juris, ad sancti Praesulis divertere coëgerunt ecclesiam, non diffugientes pro defensione justitiae corporalem, si quoquo modo inferretur, sustinere molestiam. Sua ergo cum suis reposuissent in promptuariis, sanctissimi servi Dei Medardi lacrymabiliter solicitabant merita, quatenus aut ejus intercessione furibundus ille invasor placaretur, aut ejus defensione ab ejus protegerentur insania. Verebantur siquidem, quod non post multum provenisset, nisi gratia divina lugenti suae familiae propitiabili clementiâ subvenisset.

§ **30**. Ut enim ad Episcopi quod factum erat pervenit notitiam, non retractans institutionem canonicam, nec revèritus judicialem Dei sententiam, cum fustibus et gladiis, non jam praelatus, verum vir sanguinarius ad ipsam B. Medardi cum multo superbiae fastu, cum indoctae plebis conventu ausus est properare basilicam. Cumque irreverenter sanctuarii regias concuterent, eosque qui pro subitanea tormentorum expectatione, aditum obstruxerant, exprobrationibus contumeliosis insequeretur, furibundus ipse pontifex per medium eorum irrumpens, praesumptuose nimis et cum multa superbia excruciari custodes minabatur, nisi cito sibi januae aperirentur. In tam imminente mortis discrimine servi Dei trementes, Deo et S. Medardo non sine multa lacrymarum profusione animas suas commendant, et sic divinitus animati, aperiri furentibus illis jubent ecclesiam. Mox infelix Episcopus ingressus monasterium, ut eum qui sibi aperuerat, prae nimio timore secus januas percepit delitescere, tam valide illi baculum, quem manu gestabat, illisit in capite, ut pene totum ejus vestimentum exundanti cruentaretur sanguine. Stupefactus frater et pene decidens, ad Deum suspiravit, et ei querimoniae hujus causam, cum aliter non praesumeret, intimo cordis murmure lacrymabiliter commendavit. Audiant tyranni servorum Dei

* Gall. *Puy-du-Maine*.

reclamationes et revereantur: audiant fideles quique celerrimam Dei consolationem et confortentur. Statim enim infelicissimus ille Warinbertus excors et impoenitens, mox ut ante sanctissimi confessoris memoriam * tanquam oraturus genua flexit, divino terribiliter percussus judicio, diffusis per alvi secreta visceribus, miserabiliter expiravit. Fratres autem Ecclesiae, malum pro malo reddere nolentes, fratris illius, quem percussum diximus, sedata querimoniâ, corpus defuncti honorifice in ipsa eadem sepelierunt ecclesia. Ibi saepe per beatissimi Medardi pontificis meritum gloriosa fiunt miracula: ibi qui fideliter precantur, grata consequuntur remedia: ibi certa vere poenitentibus non denegatur indulgentia: quam nobis quoque peccatoribus, de ejusdem tamen gratia non desperantibus, per ejusdem S. Medardi largiatur intercessionem, qui fidelibus suis aeternae felicitatis repromisit consolationem, Jesus Christus filius Dei, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in saecula.

MARTYRIUM

SS. FRATRUM PRIMI ET FELICIANI

EX VETUSTIS MSS. CODICIBUS
PER LAUR. SURIUM, MUTATA PHRASI, ALIQUANTO BREVIUS DESCRIPTUM.
CONSENTIUNT ANTIQUISSIMA MARTYROLOGIA.

Ineunte IV saec. — Patriâ Romani.

§ 1. Temporibus Diocletiani et Maximiani Imperatorum saeva est Christianis orta tempestas, ita, ut si quis hujus vitae sectator esset inventus, nec vellet idòlis sacrificare, diversis suppliciis afficeretur. Itaque sancti viri Primus et Felicianus in Domino perdurantes, a templorum pontificibus apud Imperatores delati sunt, dictumque ab illis est, deos nolle responsa reddere, nec ulla ipsis praestare beneficia, nisi prius Primus et Felicianus ad sacrificandum compellerentur. Proinde rogabant, ut tum ipsis, tum suo imperio succurrerent, ne male perirent. Tunc Diocletianus et Maximianus ** miserunt milites, qui eos diligenter inquirerent, et inventos comprehenderent; erant enim cives Romani. Comprehensos igitur duxerunt ad Imperatores, qui jusserunt eos ferro vinctos, in carcerem protrùdi. Illis autem pro Christi nomine vinctis adfuit Angelus Domini, qui eos consolans absolvit a

* Monumentum, sepulcrum, etc.
** Quae his in Actis quoad SS. Romanos Martyres de utroque simul Imperatore dicuntur, de uno ex eis tantum, et probabiliter de Maximiano, cum Diocletianus plerumque in Oriente versaretur, intellige dicta.

vinculis quibus erant constricti. Illi vero benedixerunt Deum, qui eos sicut olim Petrum Apostolum, per angelum suum a vinculis liberasset: rogabantque, ut ab ejusdem Apostoli meritis ipsos non sineret esse alienos.

§ 2. Post dies aliquot jusserunt eos Principes coram se adduci. Illis intromissis, dictum est ab officio: «Astant.» Dixerunt eis Imperatores: «Vos estis, qui jussa nostra contemnitis?» Sancti martyres responderunt: «Nos ea semper pro nihilo ducemus.» Imperatores dixerunt: «Patienter interim fèrimus injurias nostras: sed vos jam sacrificate Jovi et Herculi, ne perdatis generis vestri dignitatem.» Beati martyres responderunt: «Nos Deo placationis et laudis hostiam immolamus in odorem suavitatis, neque consentimus operibus tenebrarum, quibus vos addicti estis.» Imperatores dixerunt: «Facite sacrificium diis invictissimis Herculi et Jovi: alioqui carnifices vos atrociter laniabunt.» Beati martyres responderunt: «Sic mereamur pro Christi nomine haec pati, ut ad martyrii coronam liceat pervenire, et simus participes promissionum ejus, et bonorum illorum quae promisit se daturum illis qui pro ipsius nomine respuerunt omnia mundi hujus blandimenta, et sequuntur Agnum quocumque ierit. Qua autem ratione possumus a lapidibus et lignis opem petere, vestrosque non deos sed daemones invocare? qui sane ad tantam sunt redacti ignominiam, ut nisi ferro et plumbo confirmentur, stare nullo modo possint: eisque custodiendis canes adhibere necesse sit. Quae tandem haec vestra amentia est?» Tum vero irâ perciti Imperatores, jusserunt eos duci ad fanum Herculis: et, si nollent sacrificare, dire excruciari. Fecerunt milites, ut erant jussi: sed cum nullo pacto sanctos possent a sententia deducere, cernerentque eos pro Christi nomine mori malle, quam vivere, virgis eos crudeliter caeciderunt, dixeruntque: «Cur non obedìtis decretis Imperatorum, et diis omnipotentibus offertis sacrificium, ad quod vos ipsa quoque natura hortatur?» Responderunt martyres: «Par est illi nos obedire Imperatori, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam. Vestros autem Imperatores, qui vana colunt simulacra, gehennae ignis inextinguibilis suscipiet.» Milites haec retulerunt ad Imperatores: qui valde irati, praeceperunt eos tradi Promoto praesidi civitatis Numentanae, ut eos egregie excarnificaret, si nollent libare diis.

§ 3. Tulerunt ergo eos milites ferro vinctos, et tertiodecimo milliario viâ Numentana miserunt eos in carcerem apud forum civitatis. At sancti martyres a precibus et hymnis nunquam cessabant, et quotidie ab Angelo refocillabantur. Post multum temporis Promotus praeses jussit in foro urbis Numentanae sibi tribùnal apparari, sedensque illic, dixit: «Intromittantur personae.» Intromissis sanctis martyribus, ait: «Ex praecepto Principum et dominorum nostrorum immolate diis, quos magnos esse probat divinitas.» Responderunt

sancti martyres: « Impios rectius dixeris, quam dominos qui in Christum credentes interficiunt, coluntque ligna et lapides: qui cum nullo sensu praediti sint, nihil vobis praestare possunt: cultores vero illorum aeternus vorabit ignis. » His dictis, jussit eos Praeses abinvicem separari, existimans posse eos poenis mutari, et ad sacrificandum impelli. Abducto igitur Primo, ita ad Felicianum locutus est: « Consule senectuti tuae, et sacrifica Jovi invicto, ut jussere domini nostri.» Respondit Felicianus: «Consulat senectuti meae Christus, qui me hactenus in sui nominis fide custodivit. Tuae vero minae terrorem aliquem afferre possunt, sed mentem meam immutare nulla ratione valebunt. » Iratus Praeses, jussit eum immaniter plumbatis caedi: deinde erecto dixit: « Cur non abjicis hanc pectoris tui insaniam, et jucundos potius eligis dies, quam velis corpus tuum diversis macerari suppliciis? » B. Felicianus ait: « Ego jam octoginta habeo aetatis annos, et jam triginta lapsi sunt anni, postquam ad veri notitiam perveni, statuique in Christo bene vivere, qui me ex tuis crudelibus manibus liberavit. Nihil vero de mundi hujus oblectamentis cogitans, decrevi sempiterno et omnipotenti Creatori meo vivere. » Haec et his similia multa dicentem jussit Praeses ad stipitem ligari, et acutos clavos manibus ac pedibus ejus infigi, dixitque illi: « Tandiu sic confixus manebis, donec diis immortalibus debitum persolvas officium.» At S. Felicianus in Dei amore bene firmus, laeto vultu pendens in ligno canebat: *In Deo speravi: non timebo, quid faciat mihi homo* (*ex Ps.* 55). Dicit ei Praeses: « Miser, depone hanc mentis tuae vanitatem, et nega te Christianum, ut possis multivaria illa quae tibi parantur lucrari tormenta.» Felicianus respondit: « Infelix et mortalium omnium miserrime: itane Creatorem ego negabo meum, qui fecit coelum et terram, mare, et omnia quae in eis sunt? Qui vero illum ego negare potero, et adorare truncos, et vanos deos? » Tum furore percitus Praeses, praecepit ut diu torqueretur. Ille autem dixit: « Gratias tibi ago Domine Jesu Christe, quod merui in eorum censeri numero, qui pro tuo nomine passi, ad martyrii coronam pertigere. » Iratus Praeses, jussit eum totum triduum ita suspensum relinqui, nec quicquam omnino illi cibi aut potus porrigi, ut vel sic victus succumberet. At ille coelesti refectus alimoniâ, permansit in laudibus Dei. Ea res male habuit Praesidem. Itaque praecepit, ut flagellis caesum e ligno deponerent, et in custodia servarent, nec cuiquam omnino copiam facerent ad illum ingrediendi.

§ 4. Postero die jussit beatum Primum coram se sisti, eique dixit: « Ecce frater tuus Imperatorum decretis obsecundans, et diis omnipotentibus immolans, amicus est Augustorum et magnus in palatio. Tu ergo si idem feceris, pari fruèris honore.» Respondit S. Primus: « Tametsi satanae filius es, tamen recte pronuncias

fratrem meum obsecundatum esse Imperatori, sed plane coelesti, non hominibus vanissimis, qui spem suam in Deo collocare noluerunt, et ideo misere peribunt. Fingis autem, ut me possis evertere. Nam Felicianus, quem tu excruciasti, et cum eum flectere non posses, in carcerem conjici voluisti, illic pro Christi nomine haud secus atque in paradiso laetatur. Porro poenas et verbera abs te illi illata, mihi hodie Angelus Domini indicavit. Non igitur mihi contingat ab ejus passione separari. » Tunc Praeses jussit eum fustibus validissimis caedi: sed ille dixit: « Etsi corpus meum habes in manu tua, at animae meae nocere nihil potes. » Dixit ei Praeses: « Sacrifica diis. » Respondit S. Primus: « Tu sacrifica cum omnibus tuis. Ego Deo meo sacrificium offero placationis. » Deinde jussit Praeses lampadibus ejus latera exùri. Ille in eculeum levatus et lampadibus ustus, ita psallebat: « *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum* (*Ps.* 65). Benedico autem te Domine Jesu Christe, quia in te confidens, nihil sentio eorum quae mihi a satanae ministris inferuntur. » Audiens autem Praeses nihil eum sensisse, dixit ad suos: « Puto equidem aut deos hominibus suas virtutes demonstrasse, aut magicis artibus hunc omnia superare. » Sanctus Primus ait: « Tune magicis artibus ea tribuis quae Christus ad laudem sui nominis praestat servis suis? » Tum Praeses jussit eum deponi de eculeo, simulque plumbum liquefieri, idque bulliens in os ejus, in lecto recumbentis, infundi. Voluit autem Felicianum coram adesse, ut his poenis territus, sacrificia offerret. At S. Primus plumbum omne instar aquae frigidae exhausit, dixitque Praesidi: « Ecce non est a me separatus ille, quem tu dicebas diis vestris immolasse. Confidit autem in Domino, qui nos liberabit de poenis omnibus, pro ejus enim nomine haec pàtimur. Omnia autem quae hic videntur, temporaria sunt: quae vero praeparavit Deus diligentibus se, aeterna sunt. En adunati sumus in gloriam redemptionis, ut nulla nos inimicus fraude circumscribat, neque ulla tenebrarum caligo nos occupet. Poteris autem tu quoque, modo velis, credere in Christum, agnoscere creatorem tuum, et majora his videre. »

§ **5**. Dicit eis Praeses: « Sacrificate diis: alioqui feris belluis vos lacerandos objiciam. » Beati martyres responderunt: « Audite nos et intelligite, et recedite ab istis idolis mortuis et perituris, credatisque in Deum vivum et verum, et in Jesum Christum Filium ejus, ut salvae fiant animae vestrae, possitisque evadere poenas sempiternas. » Tunc Praeses ceu furiis quibusdam agitatus, dixit: « Quid ita in hac insania perdùras Feliciane, sicut et iste perditus? Accedite et immolate diis. » S. Felicianus ait: « Non est hic perditus: sed si tu ejus dictis obtemperares, posses introire in potentias Domini. At nunc quando te induravit satan, aditus tibi patet in ignem aeternum, qui paratus est tibi, et omnibus tibi consentientibus. » Cum autem Praeses animi angore

corriperetur, jussit eos duci in amphitheatrum, quod est apud forum urbis Numentanae, simulque leones duos ingentes in eos immitti, quorum rugitus omnes ejus urbis cives exterruit. Cum ergo venissent ad sanctos martyres leones cum impetu currentes, ad pedes illorum se volutarunt, mireque illis blandiri et tanquam gratulari visi sunt. Voluit igitur Praeses, ut illis revocatis ursi ferocissimi dimitterentur, sed illi quoque omnis feritatis obliti, ceu agni quidam sanctis blandiebantur, et ad eorum se vestigia provolvebant. Dixerunt ergo sancti martyres : « Praeses inique, en ferae agnoscunt Creatorem suum, et vos in cordis caecitate permanentes, non cognoscitis eum, qui vos ad imaginem et similitudinem suam creare dignatus est. » Tum vero populus inter se fremitus dabat et infinitos clamores in coelum, credideruntque in Dominum viri amplius quingenti cum omnibus suis. Convenerant enim plurimi ad spectaculum etiam ex vicinis urbibus.

§ 6. Cernens vero Praeses se non posse illos superare, permultosque eorum causâ credere in Dominum, capitis sententiam in eos pronunciavit. Ejecti sunt itaque extra amphitheatrum ; et illic decollati. Corpora autem illorum projecta sunt canibus: sed neque ferae, neque aves, neque muscae illa attingere potuerunt. Porro noctu a Christianis fidelibus rapta sunt, et ad Arcus Numentanos intra arenarium deportata. Ubi cum magnum fecissent planctum, nova sindone cum aromatibus ea involverunt, et juxta arenarium condiderunt, hymnis et psalmis per dies triginta in Dei nomine vacantes. Magna vero illic beneficia exuberant usque in praesentem diem. Annis autem aliquot evolutis, cum jam cessasset persecutio *, multi Christiani in honorem beatissimorum Martyrum illorum basilicam ibi construxere, sperantes se per illos misericordiam consecuturos in nomine Domini nostri Jesu Christi. Abest ea basilica ab urbe Roma milliario quartodecimo: diesque natalis sanctorum Martyrum incidit in quintum Idus Junii : regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor in secula seculorum, Amen.

* Anno CCCXII per Constantinum Magnum et Licinium facta Christianis potestas ecclesias aedificandi et exornandi martyrum monumenta.

DE S. VIRG. ET MART. PELAGIA

INFRA LAUDANDA

ALOISIUS LIPOMANUS EPISC. VERON.

CANDIDO LECTORI.

Arbitror, te, optime lector, pro certo habiturum, aliam esse Pelagiam, cujus vita jam praemissa est, et aliam, quam deinceps duabus orationibus divinus pater Joannes Chrysostomus suavi suo eloquio ornaturus est. Prior enim Pelagia in judicium coram Diocletiano Imperatore, matre infideli prodente, adducta est, ac bove aeneo incenso combusta. Secunda vero haec Antiochena virgo, Christiana matre orta, in judicium non est adducta, nec igne absumpta, sed se ex alto praecipitem dedit, atque ex eo consummata est. Ex quo etiam admoneris, tertiam illam Pelagiam Antiochenam, cujus vitam in proxime praecedenti Tomo legisti, quae prius meretrix, mox ad Dominum conversa, singulare cunctis peccatoribus poenitentiae praebuit exemplum, aliam omnino ab his duabus esse, quae virgines extitisse leguntur, licet una ex eis, etiam Antiochena fuerit. At est aliud, quod hic te admoneamus. Chrysostomus ipse hanc alteram Pelagiam, quae se ex tecto praecipitavit, ne in illusorum manus incideret, martyrem vocat, ejusque diem festum Antiochiae celebrari asserit. Cui divus Ambrosius Mediolanensis Antistes haud dissimilis, libro II Epistolarum, Epistola VII ad Simplicianum scripta, virginem hanc summopere commendat, sanctamque nuncupat. Idemque libro III de Virginibus, quaestionem movens, quid super eorum meritis existimandum sit, qui se praecipitaverunt ex alto, vel in fluvium demerserunt, ne in persecutorum inciderent manus, cum Scriptura divina vim sibi Christianum prohibeat inferre, hoc tandem modo eam solvit: Et quidem de virginibus in necessitate custodiae constitutis, enòdem habemus assertionem, cum martyrii extet exemplum. Praecipue sanctam hanc Pelagiam virginem Antiochenam, quae sese praecipitavit, sororesque ejus duas cum matre, quae et ipsae in undas semetipsas dederunt, adducit in medium, easque ad martyrium omnes properasse commemorat.

Quod si alterius forte sententiae esse tibi videatur divus Augustinus Hipponensis Episcopus libro I, de Civitate Dei, cap. XVIII, hoc te non contristet. Idem enim pater libro eodem, cap. XXVI te consolatur: De his, inquiens, nihil tèmere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiae aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio: et fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptae, sed divinitus jussae, nec errantes, sed obedientes, sicut de Sampsone aliud nobis fas non est credere? Haec ille. Cum igitur Spiritus Sancti instinctu virgines seipsas aliquando interemerint, ne in persecutorum manus venirent, et idcirco dignis testibus Ecclesiae sanctae fuerit divina auctoritate revelatum, earum memoriam esse celebrandam, idque omnino factum in sancta Pelagia credere debeamus, praesertim cum duo hi sanctissimi pariterque doctissimi viri, Chrysostomus inquam, et Ambrosius, virginem hanc inter Martyres collocent,

ejusque martyrium in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentetur, vides de sancta hujus virginis innocentia atque felici consummatione non esse nobis ultra relictum ambigendi locum. Lege ergo Chrysostomi duas has Pelagiae laudem continentes elegantissimas orationes. Videbis in sancta virgine praeclarum fidei testimonium, egregiam animi fortitudinem, inviolabileque servandae virginitatis Christo semel promissae propositum. Utinam autem et nos, et christianae omnes virgines, tantae fidei proficiamus exemplo. Vale.

IN LAUDEM S. PELAGIAE

VIRG. ET MART. ANTIOCHENAE

SERMO S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

Sub init. IV saeculi — Nat. Syrâ.

§ 1. Laudetur et summis praeconiis celebretur Deus, quod mulieres etiam ipsae, quinetiam puellae mortem contemnant ac derideant, virginesque admodum adolescentes, et nuptiarum expertes, ultro inferorum stimulos invadant, neque ob id tamen aliquid grave patiantur. Omnia haec bona per Christum ipsum e Virgine genitum nobis allata sunt, quandoquidem post partum illum et ortum maxime admirabilem, mortis vires dissolutae sunt, et diaboli potentia ita enervata est, ut non a viris solum, sed ab ipsis etiam mulieribus contemnatur, neque mulieribus tantum, sed vel ipsis puellis ludibrio sit. Quemadmodum enim optimus aliquis pastor, cum leonem pecora ipsa et gregem totum vastantem ceperit, et ipsius dentes evulserit, atque ungues secuerit, jubamque totonderit, talem reddit, quem vel pastorum pueri contemnant ac derideant, puellisque deinceps illudendum tradit: ita et Christus ipse, cum mortem, naturae nostrae antea horribilem, et totum genus humanum perterrefacientem expugnaverit, et omnem ejus timorem dissolverit, eam virginibus etiam ipsis illudendam tradidit.

§ 2. Quamobrem et beata virgo Pelagia tanta cum voluptate ad mortem cucurrit, ut neque carnificum manus expectarit, neque in judicium ingressa fuerit, sed proprii animi studio, et summa alacritate illorum saevitiam anteverterit. Parata erat ad cruciatus, tormentaque, et omne suppliciorum genus perferendum: sed metuebat tamen, ne virginitatis coronam perderet. Hinc autem discas, impiorum hominum intemperantiam, Pelagiae virgini timorem attulisse quod ab intemperata illorum hominum injuria virgo se submovit ac praeripuit. Id quod e marium numero nemo antea facere aggressus fuit: omnes enim ad judicium accesserant, et illic fortitudinem suam ostenderant. At

mulieres ipsae propter naturae suae conditionem ad injuriam accipiendam paratiorem, talem mortis rationem sibi excogitarunt. Nam si licuisset et virginitatem ad finem usque servare, et martyrii coronam percipere, ad judicium ire non recusassent. Quoniam vero necesse erat omnino ab alterutro excidere, extremae dementiae hoc esse beata virgo cogitavit, dimidiatae coronae compotem factam abire, cum utriusque victoriae palmam assequi liceret: ob idque noluit in judicium accedere, ac intemperantium hominum aspectui spectaculum proponi, atque procacibus oculis sui aspectus voluptatem praebere, et sanctum illud corpus injuriae subjicere: sed ex thalamo et mulierum conclàvi ad alterum thalamum, hoc est, in coelum ipsum ascendit.

§ 3. Magnum quidem est, carnifices ipsos circumstantes, et hominis alicujus latera fodientes videre: sed nihilo minus, quam illud, hoc est. Quorum enim latera fodiuntur, eorum sensus prae tormentorum varietate consumitur, ut mors ipsa non amplius terribilis, sed liberatio quaedam, et urgentium malorum remissio videatur. Pelagia vero cum nihil tale adhuc passa esset, et corpus integrum atque intactum haberet, neque dolorem aliquem sentiret, forti quadam excelsi animi magnitudine certe illi opus fuit, ut ex hac vita morte violenta seipsam ejiceret. Quamobrem cum illorum tolerantiam admiraris, hujus etiam, quam diximus, fortitudinem admirare: cum illorum patientiam obstupescis, et hujus generosam mentem obstupescas, quod talem mortem subire ausa fuerit. Nolim rem hanc simpliciter praetereas, sed cogita, quomodo par est teneram illam virginem quae nihil aliud noverat, nisi virginalem aulam, illo tempore affectam fuisse, cum milites repente irruentes, et ad fores ipsas stantes vidit qui ad judicium illam vocabant, et per forum pro talibus tantisque rebus pertrahere volebant. Non pater intus erat, non mater, non nutrix, non ancilla, non denique vicinus aliquis, aut amicus praesto erat: sed sola a carnificibus illis comprehensa est. Quod enim exire, et carnificibus illis ac militibus respondere, quod os erigere et vocem emittere, quod eos aspicere, quod denique consistere et respirare potuerit, hoc certe tale ac tantum est, ut nemo possit non illud admirari atque obstupescere. Non erant haec naturae humanae facta: sed Dei majorem partem conferentis auxilio id fiebat. At ipsa tamen otiosa non erat, sed a seipsa promptum et generosum animum, voluntatem, propositum, studium et alacritatem afferebat. Divina igitur ope ac benevolentiâ factum est, ut haec omnia ad eventum perlata sint. Itaque ipsam et admirari, et beatam dicere merito debemus: beatam quod Dei praesidium atque opem habuerit: admirabilem, quod tantam animi alacritatem ostenderit.

§ 4. Quis enim non jure obstupescat, audiens illam temporis momento tale propositum iniisse, confirmasse et ad exitum

contulisse? Scitis enim omnes vos, quemadmodum post multa saepe ac multo tempore cogitata, cum occasio ipsa rei conatum a nobis exigit, si vel paululum timoris mentem nostram corripuerit, formidine repente perculsi, consilia omnia effundimus. At vero illa momento temporis consilium ita horribile ac formidolosum inire, decernere et reipsa perficere potuit. Non praesentium virorum terror, non temporis celeritas, non sua ipsius, cui tot insidiae paratae fuerant, solitudo, non quia intra domum sola comprehensa fuerat, non aliae denique res beatam illam virginem perturbarunt: sed ita securo et praesenti animo omnia faciebat, ut si amici et noti aliqui homines illic praesto essent: idque jure optimo: non enim erat intus sola, sed consiliarium habebat Jesum ipsum. Ille virgini praesto erat, ille ipsius mentem et cor excitabat, ille animum confirmabat: solus, inquam, ille metum omnem ejiciebat. Haec autem non simpliciter Jesus faciebat, sed quoniam martyr ipsa illius auxilio se dignam antea praebuerat.

§ 5. E domo igitur egressa, petiit a militibus, ut sibi liceret redire intro, et vestem mutare. Ingressa vero intro, vestem mutavit, incorruptam pro corrupta, et pro fragili et caduca, stabilem ac sempiternam. Ego vero, praeter ea quae dicta sunt, et illud miror, quomodo milites illi gratiam, quam Pelagia virgo petierat, concesserunt: quomodo mulier viros decepit: quomodo nihil eorum, quae futura erant, illi suspicati sunt: quomodo ejus dolum non animadverterunt. Neque enim est, quod aliquis dicat, neminem unquam tale quippiam fecisse. Multae enim fortasse se praecipitarunt, et in mare seipsas injecerunt, pectusque suum gladio trajecerunt, et laqueis colla inseruerunt: nam multa hujusmodi temporibus illis acciderant. Sed Deus ipse militum illorum corda excaecavit, ut virginis Pelagiae dolum non animadverterent. Quamobrem e mediis retibus virgo avolavit, et sicut cerva, cum evadit venatorum manus, in quas inciderat, ad alicujus montis verticem venatorum pedibus et telorum jactibus inaccessum statim confugit, ac deinde a cursu desistit, e loco illo sine timore aliquo eos despiciens, a quibus antea insidiae parabantur: ita et virgo illa cum in ipsas venatorum manus incidisset, et parietibus ipsis, velut quibusdam retibus, comprehensa esset, cucurrit non in montis verticem, sed in ipsum coeli fastigium, quo nulla erat ipsis accedendi facultas: deinde illinc vacuis manibus eos revertentes aspiciens, gaudebat, cum infideles homines redargutos et multo rubòre aspersos videret.

§ 6. Cogita quale illud fuit, sedente judice, astantibus carnificibus, paratis tormentis, universa multitudine collecta, cum milites ipsi expectarentur, qui Pelagiam adducerent, omnesque prae voluptate gestirent, et tamquam ebrii essent, praedam in manibus se habere sperantes, tunc illos ipsos, qui ejus rei causâ missi fuerant, vultu in terram demisso redeuntes videre, factumque

illud narrantes audire. Quantum dèdecus, quantum moerorem ac probrum omnibus impiis illis tunc fuisse par est? Qua tristitiâ, quo vultu et rubore perfusos milites illos rediisse credimus, qui reipsa didicerant, se non cum hominibus, sed cum Deo bellum gerere? Joseph quo tempore a domina sua insidiis petebatur, vestem impuris ac scelestis barbarae mulieris manibus detentam reliquit, et nudus exiit. Pelagia vero neque corpus suum ab intemperatis illis hominibus tangi passa est, sed cum animâ ipsa corpore denudata in coelum ascendisset, et sanctam suam carnem apud hostes reliquisset, ita dubios et perplexos adversarios reddidit, ut nescirent quid facerent: neque enim habebant, quid reliquiis illis deinceps facerent. Talia sunt perfecta Dei opera, rerum desperatiònem ad multam facilitatem, sibique adversantium res, quae videntur facillimae, ad extremam desperationem transferentis.

§ 7. Quid difficultate illa majus, in quam puella tunc inciderat? Quid facilitate illarum rerum, quas milites tunc tractabant, planius videri poterat? Habebant puellam intus solam comprehensam, domo ipsa velut carcere quodam conclusam, et tamen redierunt praedam non assecuti. Contra puella ipsa, cum omnibus auxiliis atque adjutoribus deserta esset, neque ullam evadendi viam haberet, sed prope illarum ferarum manus se positam videret, ex ipsis faucibus, ut aliquis diceret, abrepta, omnium insidias diffùgit, et milites ac judices, principesque illos superavit, idque eo tempore, quo omnes se illius victores futuros sperabant.

§ 8. Postea vero, quam puella ipsa mortua est, tunc in majorem desperatiónem inciderunt, ut discerent Martyrum mortem, Martyrum esse victoriam. Hoc perinde fuit, ac si undarum impetu ad ipsum portus aditum irruente navigium merce copiosa et margaritis pretiosis refertum, cum jamjam ab illaipsa fluctuatione submergendum esse videretur, periculum mox diffugiens, ab ipso aquarum impetu impulsum, quam celerrime ad portum transmissum esset. Sic militum illorum invasio ac terror, cum omnibus undis formidolosior incidisset, fecit, ut multo celerius puella festinaret ad coelum ascendere: quaeque navim ipsam submersura videbatur unda, illa salvam ad tranquillum portum transmisit: ac deinde corpus illud omni fulgore splendidius ex alto deferebatur, diabolum id videntem feriens. Non enim ita fulgur e coelis demissum, nobis terribile videri solet, ut Martyris corpus fulgure gravius daemonum turmas tunc perterrefecit.

§ 9. Sed ut discas non sine divina providentia id factum fuisse, hoc praecipue licet aperte intelligere ex ipsius virginis proposito et prompto animo: quodque milites illi virginis dolum non considerarint, sed quod illa petierat, libenter concesserint:

quod denique ad exitum res ipsa perducta sit. Licet etiam nihilominus et ex ipsa mortis ratione hoc intelligere. Multi enim e sublimi tecto dejecti, nihil mali passi sunt: alii vero, quibus corporis membra laesa et mutilata fuerint, post casum ipsum multo tempore superfuerunt. At in illa beata virgine nihil tale Deus ipse fieri permisit: sed statim jussit animam corpus relinquere, eamque ipse accepit, quippe quae quantum satis fuit, certaverat, et rem omnem impleverat: non enim mors illa ejusmodi casus naturam, sed Dei jussionem, consecuta est.

§ **10**. Jacebat igitur corpus illud non in lecto aliquo, sed in solo. Nec propterea tamen honoris expers erat, quia in solo ipso jacebat: sed solum ipsum ex eo fuit honoratum, quod corpus illud tam gloriosum excepit: quinimmo quia in terra jacebat, eo ipso corpus illud erat honoratius. Hujusmodi enim sunt injuriae, quae propter Christum accipiuntur, ut honoris cumulum nobis afferant. Jacebat igitur in solo ipso, et angusto quodam loco: sed Angeli Pelagiae corpus circumdabant, et Archangeli omnes honorabant, Christus denique ipse praesens erat: nam si domini mortuos servos aliquos nobiliores ad sepulturam deducunt, neque id erubescunt: multo magis Christus ipse virginem, quae ejus causâ libenter animam emiserat, et tantum periculum susceperat, praesentiâ sua honorare non recusavit. Jacebat itaque illa, et epitaphium habebat martyrium, quod susceperat, confessionis ornatu decora, et veste omni regali purpurâ pretiosiore induta. Erat autem vestis illa duplex, una virginitatis, altera martyrii. His funebribus donis ornata virgo haec, ad tribùnal Christi assistit.

§ **11**. Talem habitum et nos viventes ac mortui nobisipsis parare studeamus, illud scientes, quod qui auratis vestibus corpus suum exornaverit, nullam ex ea re mortuo homini utilitatem attulerit: quinetiam multorum invidiam et reprehensionem excitaverit: quippe qui neque in morte ambitiosus, et falsae gloriae appetens esse desierit. At si virtute se ornarit, multos etiam post mortem sui laudatores habebit. Etenim ipsis etiam regalibus aulis apud omnes homines splendidius erit sepulcrum illud, ubi corpus jacuerit, quod cum virtute ac pietate vixerit. Hujus rei vosipsi testes estis, qui divitum monumenta, quamvis aureis vestibus contecta, tanquam speluncas quasdam praetereuntes, ad sanctam hanc virginem multo cum studio et animi alacritate accurritis: quoniam cum martyrio, confessione et virginitate, multae et aureae vestis loco, funus suum ornarit, hinc postea discessit. Hanc igitur pro viribus et nos imitemur. Contempsit illa vitam hanc: contemnamus et nos delicias, irrideamus sumptuosos apparatus, abstineamus crapulâ et ebrietate, fugiamus voracitatem.

§ **12**. Non temere haec nunc dico, sed quoniam multos video, postquam concio haec dimissa fuerit, ad ebrietatem, ad caupònas

et mensas illas, quae sunt in hospitiis publicis, et ad alia inhonesta opera statim reversuros. Quamobrem precor vos et hortor, ut semper sanctam hanc virginem in memoria et mente habeatis, neque concionem hanc celebrem dedecoretis, non denique fiduciam nostram ex hoc die festo ad nos proficiscentem imminuatis. Etenim non temere cum Graecis disserentes hujus diei festi celebritate gloriamur, eamque objicientes, erubescere illos facimus, cum dicimus, quemadmodum urbem integram ac totam, tantumque populum puella una mortua singulis annis ad se attrahit, idque post tam multos annos, neque tempus ullum honoris hujus seriem interrùpit. Verum si senserint, quae in hac celebritate committuntur, majore laudationum parte privati erimus. Haec enim multitudo, quae nunc praesens est, si bene ordinata ad nos accedere posthac studuerit, ea res maximo nobis erit ornamento: at si cum segnitie et negligentia multa hic aderit, probrum et accusationem nobis ea res afferet.

§ **13**. Ut igitur vestra multitudine, charissimi auditores, nos exultare possimus, eodem recto ordine domum revertamini, quo par est eos redire, qui cum talibus martyribus vèrsati fuerint. Nam si quis non ita domum redierit, non solum nihil profecerit, verum etiam periculum maximum sibi attraxerit. Scio vos hoc morbo non laborare: sed non satis hoc vobis est ad excusationem, nisi et fratres ipsos inhoneste se gerentes, ad modestiam maximam, et ad convenientem et compositum statum redigatis. Honorasti Martyrem praesentiâ tua? eamdem illam et proximorum tuorum emendatione honora. Si enim videris inordinatum risum, atque inhonestum cursum, et illiberalem incessum, indecentemque habitum et figuram, accede, et illosipsos, qui talia committunt, acerbo et terribili vultu intuère. At contemnent illi, et irridebunt potius. Sume tecum duos vel tres fratres, vel plures, ut qui haec facit, multitudine ipsa praesente correctus, modestiór fiat. Quod si neque sic illorum amentiam represseris, eosipsos ad sacerdotes deferas. Sed vix fieri potest, ut ad eam impudentiam illi devenerint, ut si reprehensi ac rogati fuerint, non cedant, verecundentur, et ab inordinata et ludicra chòrea se rètrahant. Quod si decem, si tres, si duos, si unum tantum lucrìfeceris, multam utilitatem tibi comparaveris.

§ **14**. At multa est viae longitudo. Longitudinem hanc ad eos, quos supra diximus, colligendos sponte subeamus. Multo thuris vapore viam implemus. Honestum quidem hoc est. Verum non tantum via ipsa honesta apparuerit, si, vaporis atque odorum instrumentis per illam totam dispositis, aërem ipsum odoris suavitate perfuderis, quantum si omnes, qui hodie per illam ipsam viam incedunt, Martyris certamina inter se narrantes domum redeant, linguas ipsas singulis pro vaporis instrumento exercentes. An non videtis cum Imperator in urbem ingreditur, quam

composite atque ordinate milites ipsi ordine utrinque disposito armati incedunt, vicissim se hortantes, ut quieto et sedato ac reverenti gradu procedant, quo iis, qui eos spectant, compositi et spectatu digni videantur? Illos igitur imitemur, nam et nos Imperatorem deducimus, non corporeum aliquem, aut terrenum, sed angelorum Dominum. Atque ita ingrediamur, nos mutuo hortantes ad concinne atque ordinate progrediendum, ut non multitudine solum, verum etiam ordine ipso spectatoribus stuporem afferamus. Maxime quidem. Quamvis enim nemo praesens esset, quamvis soli per viam incederemus, neque sic tamen immodestos nos esse oporteret, divinos illos oculos metuentes, qui semper patent, et ubique praesentes sunt, omniaque intuentur.

§ **15**. Nunc vero etiam illud considerate, multos haereticos hic esse inter nos commistos, qui si vos ita saltantes, ridentes, vociferantes et ebrios viderint, summe nos condemnantes discedent. Quod si aliquis uni alicui homini scandalum afferens, inevitabiles poenas dabit: nos, qui tam multis scandalum afferimus, quas poenas daturos putas? Sed prohibeat illud Deus, ut post hos sermones, et hanc admonitionem aliquis iis vitiis obnoxius inveniatur. Nam si antehac, qui hujusmodi facinora committere audebant, veniâ digni non erant, post consilium atque increpationem hanc poena ipsa multo gravior erit, et inevitabilior tam iis qui haec faciunt, quam qui fieri vident et contemnunt. Ut igitur et illos poenâ liberetis, et vobis copiosiorem mercedem comparare possitis, fratrum nostrorum curam suscipite: ad ea quae dicta sunt colligenda atque enarranda eos impellite, ut per totam viam haec meditantes, et iis, qui domi remanserunt, mensae hujus reliquias afferentes, illustre convivium etiam illic habeatis. Ita enim et hujus diei festi gustum maximum percipiemus, et sanctam martyrem ad majorem benevolentiam provocabimus, vero honore illam prosequentes: quae majorem etiam voluptatem capiet, si fructum aliquem et utilitatem animas juvantem adepti redierimus, quam si huc venerimus, et postea tumultuati simus.

§ **16**. Faxit Deus hujus sanctae virginis, et eorum, qui similiter certaverunt, orationibus ac precibus, et ut haec, et alia quae dicta sunt, diligenter memoriâ teneatis, et ut ad opus ipsum omnia conferentes, in omnibus, ad finem usque, Deo ipsi grati simus: Cui sit gloria in secula seculorum.

IN EAMD. S. V. ET M. PELAGIAM

SERMO ALTER

BEATI JOANNIS CHRYSOSTOMI

§ 1. Majore quidem theatro sancta virgo Pelagia digna esset: magna enim hujus puellae certamina, extiterunt, ob idque copiosiorem theatri frequentiam requirunt. At satis illi tamen est Christus, qui solus pro omni ornamento hujus virginis panegyrim ac celebritatem praesens exornat. Quo enim loco Christus adest, illic omnium Angelorum chorus praesto est. Et omnes quidem martyres sua corpora cruciatibus fortiora praestiterunt, ob idque magnum quoddam theatrum adversus diabolum sibi paraverunt, cum incorporeos spiritus corpore ipso superaverint, et carnem suam cum ferro contendentem fortiter exhibuerint. Cum vero etiam puellas ipsas video pro Christo crucifixo mori gestientes, tunc diaboli temeritatem magis rideo, qui cum permulta vaticinandi loca sibi excogitaverit, quasi res futuras in illis ipsis praenunciaturus esset, non illud praeviderit ac vaticinatus sit, quantum dèdecus quovis risu dignum hodierno die passurus esset.

§ 2. Quid enim magis ridendum aliquis duceret, quam quod hodie passus est diabolus? Qui licet virginem irretìtam haberet, a praeda tamen ipsa excidit, et puellam, quam apprehendit, tenere non potuit, quasi umbram, non virginem apprehendisset. Nam cum illa simplicitatem columbae cum serpentis prudentia conjunctam haberet, ut columba quidam simplex comprehensâ est, sed ut prudens serpens diffugit: quamvis enim esset comprehensa, de victoria tamen non desperavit: neque animo aut consilio capta fuit, licet corpore detenta esset: sed artem quamdam atque consilium excogitavit, quo eorum, a quibus comprehensa fuerat, temeritatem eluderet, et eos tanquam stupidos redderet.

§ 3. Sed quidnam hoc fuit? Se consilium mutasse puella simulavit: idque ut credibile videretur, quamvis in tantae fluctuationis et naufragii periculo constituta esset, vultu tamen ipso hilaritatem prae se ferebat. Figmento igitur illo milites capti, et puellae hilaritate decepti, humanius in illam se gerere coeperunt. Quae cum ab ipsis petiisset, ut tandiu liceret abesse, quoad ornatum sponsae convenientem sibi indueret, eundi potestatem milites ei concesserunt, quippe qui ea re non solum illi virgini gratum facturi essent, sed futurum etiam cogitabant, ut a Judice ipso magis laudarentur, si puellam veste ornatam duxissent. Illa vero consilii sui compos facta, statim se veste induit quae vere decora est. Cum enim animi fortitudine et resurrectionis spe multa se induisset atque corroborasset, ad ipsius tecti vestigium

cucurrit. et illinc seipsam praecipitem dedit. Itaque palaestrae genus illud exegit, quod ut magnum quippiam aliquando diabolus Domino ipsi proponere ausus fuerat, cum dixit: Si filius Dei es, mitte te deorsum.

§ 4. Hujus puellae fidem et animi magnitudinem valde obstupesco. Quid enim tunc alia virgo secum ipsa non cogitasset? Dixisset quidem: Do meipsam ex hoc loco praecipitem, cum id facere eoipso coacta sim, quod stuprum metuo. Laudabile est propositum, modo casum ipsum mors consequatur, quamvis enim in me mortuam hostes debacchati fuerint, id tamen ego non sentiam, meque insciente, hoc facient. At si in terram collisa, corporis membra perfracta fuerint, anima vero in membris permanserit, corporis turpitudinem moleste ferens ac dolens, tunc nihilominus ad Judicem ducta, ea patiar, quae semper timui: tradent enim stupro corpus ipsum membris laesum, ac me violatam dimittent: sicque duplicem feram calamitatem, tum corporeis membris laesa, tum virginitate spoliata. Haec satis quidem fuissent, ut aliam puellam perturbarent. At illa fide ipsa ita confisa est, quasi finis ipsius sponsorem aliquem haberet: ob idque prompto animo ad eum casum festinavit.

§ 5. Itaque puellae et virginis fortitudine atque animo illo victus es, diabole. Quae enim Domino ipsi olim proposuisti, ad ea puella quaedam ejus famula te provocavit, et ad tecti fastigium accurrens, illinc seipsam jaculata est: cumque a Judice vocata esset, tibi, qui hoc suggessisti, non obtemperavit, neque subdolam pugnam subiit: novit enim versùtas cogitationes tuas, cum saepe virgines ipsas ad Judices, tanquam ad flagella excipienda, vocare soleas, postea vero sine pugna, iis qui pugnam subierunt, acerbius detentas ejicis. At si vere ad pugnam vel ad stadia puellam provocas, congredere nunc cum illa e tecto se dejiciente, eamque illinc decidentem sustine. Audeas contra illam stare, et palaestram experiri. Excita quamcumque velis astutiam. Habes terram pro pugnae campo. Urge nunc gladios ipsos, ut mortem inferas. Substerne interficiendis hominibus dura caedis instrumenta. Para decedenti puellae confractionem. Omnes enim quantumvis abstrusas atque abditas artes tuas, velut infirmissimas illa superavit, quodque majus est, neque illud a Deo exegit, quod scriptum est: Angelis tuis manda de me Domine, ne unquam offendam ad lapidem corpus meum: sed id petiit, ut animae praeciperet, post casum ipsum e corpore discedere.

§ 6. O puellam genere quidem et sexu foeminam, animo autem ipso marem! O virginem duobus nominibus extollendam, quod in virginum grege, et martyrum choro numerata sis! O puellam ita continentem, ut neque aspectu quidem ipso fruendi facultatem intemperato Judici praebueris! Hujus igitur puellae temperantiam et nos imitemur, et contra voluptates ipsa victoriae

trophaea erigamus. Incontinentiae atque intemperantiae impetum frangamus, et animum ipsum ad pietatem servandam corroboremus. Judices ipsos a tentationibus submoveamus, et cum opportunum est, non abjectos, sed audaces nos praestemus. Denique membra nostra quae sunt super terram, mortificemus, ut et Dominus ipse hoc humile corpus nostrum tale reddat, et in eam conditionem transferat, ut corporis sui formam cum eo communicet: Cui sit gloria et imperium in secula. Amen.

MARTYRIUM

SS. GETULII, CEREALIS, AMANTII ET PRIMITIVI

EX EGREGIO MS. CODICE PER LAUR. SURIUM STYLO MUTATO DESCRIPTUM CUI FIDEM CONCILIANT ETIAM ANTIQUISSIMA MARTYROLOGIA.

Anno 126 — Itali.

§ 1. Temporibus Hadriani Imperatoris fuit vir quidam omnis divinae legis peritissimus, idemque Christianissimus, Getulius nomine. Degebat autem in Sabinorum regione haud procul ab urbe Roma, convocabatque ad se quotidie permultos tum ex Italia, tum Graecia Christianos, iisque alimenta praebens, divinam legem exponebat, eosque erudiebat. Pervenit ejus rei fama ad aures Hadriani Imperatoris, qui misso Cereale Vicario, jussit eum comprehendi. Ubi ad illum venit Cerealis, invenit eum domi sedentem et more solito Christianos instituentem, qui ejus doctrinâ magis ac magis in fide Christi confirmabantur. Dixit autem ei Cerealis: «Audisti quae sint a principibus edicta apud omnes proposita?» Respondit S. Getulius: «Itane principum jussis parère necesse est?» Cerealis dixit: «Tuipse edicito aequum ne sit illis parère.» S. Getulius ait: «Cui tandem, o princeps, obtemperandum est? mortaline homini, et mox in putredinem abituro, an vero praepotentis Dei Filio?» Cerealis dixit: «Habet ergo filium Deus vester?» Getulius respondit: «Habet plane, qui quidem et fuit, et est, et erit semper.» Cerealis dixit: «Qua vel doctrinâ, vel signo nosse licebit, filium Dei, Deum esse. quemadmodum tu doces?» Respondit sanctus Getulius: «Noveris verbum Dei, verum Deum ex Deo Patre genitum, et de Spiritu Sancto conceptum, ex virgine Maria natum esse, eumque novissimis temporibus dignatum esse venire, ut mortuos suscitaret, caecos illuminaret, leprosos

mundaret, super mare pedibus ingrederetur, ventis et tempestatibus imperaret.» Cerealis Vicarius dixit: « Nosse velim, quinam isthuc factum sit.»

§ 2. Tum S. Getulius vocavit ad se Amantium tribunum fratrem suum, qui metu Hadriani principis latitabat. narravitque ei omnia de Cereali Vicario: porro ipsi Cereali indicavit Amantium fratrem suum. Ad cujus conspectum mirifice exhilaratus est Cerealis. Dixit autem ei S. Getulius: «Abjice jam Cerealis frater artes diabolicas, et amplectere Christi patientiam. Ego in Tyburtina urbe cum haberem uxorem, liberos et opes, omnibus valefeci, ut possem ad aeternam pervenire salutem.» Cerealis respondit: « Equidem nec uxorem nec proles habeo, quas relinquam. Si vero est aliquid aeternum, ne quaeso id me celetis.» S. Getulius dixit: « Aeternum hoc est, ut manufactis idòlis propudiatis, in Christum Dei filium credas.» Cerealis ait: « At quo tandem ordine haec fides suscipienda est, ut ne quid fuscatum in me resideat? » Dixit ei Amantius tribunus, amicus ejus: «Baptismum percipies in Christi confessione, et sic vitam habebis sempiternam. Quod si vero reliqueris omnia quae in hoc mundo appetis, centuplum accipies, et vitam aeternam possidebis.» Cerealis ait: «Ecquid obstat, quo minus pro Christo filio Dei sanguinem meum fundam? Sed jam quaeso moras vos nectere ne velitis.» Tum sanctus Getulius ad poenitentiam eum adhortabatur, simulque ei triduanum indixere jejunium, donec divinitus edocerentur, quid faciendum esset. Cumque tota nocte in vigiliis et precibus durarent, audierunt vocem angelicam ipsos admonentem, ut Sixtum urbis Romae Episcopum ad se vocarent, et ab illo baptisma perciperent.

§ 3. Venerunt igitur Romam, et accersito beató Sixto Episcopo *, in cryptam quamdam ejus, quam diximus, regionis ingressi sunt: ubi B. Sixtus more Christiano eum catechismo imbuit, ac deinde baptizavit. Eadem autem horâ vidit Cerealis descendentem super se Spiritum Sanctum, et mox ingenti voce clamavit: Ecce video lumen quoddam Solis splendore illustrius in me dèlabi. Porro B. Sixtus pro singulis obtulit sancta libamina, et participes eos fecit sacrosancti Corporis et Sanguinis Christi: et cum eos in fide confirmasset, gratias agens, discessit ab eis. Eodem tempore officiales Cerealem quaesierunt. Venit autem Vincentius quidam eo, ubi erant Sancti, aurum publica exactione collectum absportaturus. Ut autem vidit eum Cerealis, dixit ei: « Nos temporarias res jam abjecimus, ut fruamur aeternis. Temporalia enim una cum illis, qui amore ea prosequuntur, in nihilum redigentur.» Tum Vincentius magna voce exclamavit: O principes orbis et reipublicae moderatores: seductus est Cerealis dignitate Vicarius: relictisque diis, phantasmata sectatur: multaque irâ incensus, celeriter cucurrit ad Hadrianum principem, eique

* Col. S. Sixtus vel Xystus Pp. I die VI apr.

quid comperisset exposuit, nempe Cerealem se Christianum confiteri. Itaque Hadrianus misit Licinium consularem, qui ipsi Cerealem sisteret.

§ 4. Licinius veniens ad urbem Sabinorum, tenuit Cerealem, et cum illo Getulium, Amantium et Primitivum: moxque scripto petiit ab Hadriano, quid de illis fieri juberet. Rescripsit autem Hadrianus, ut aut immolarent diis, aut ignibus cremarentur. Eodem ergo die, quo lectae sunt literae Imperatoris, jussit Licinius in civitate Tyburtina (*Tivoli*) tribunal sibi praeparari, sanctosque sibi vinctos exhiberi. Cumque venissent, ita dixit: « Adeone Cerealis vitam desperasti tuam, ut praecepta principum, qui toti imperant orbi, contemnenda putes? » Cerealis respondit: « Et thesauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum, et Christo Jesu me serviturum promitto, ut vitam obtineam sempiternam.» Licinius dixit: «Utrum vivere aut mori malis, edicito.» Cerealis ait: « Ego si vivere non appeterem, Christum non confiterer. Vestra autem sacrificia nihil sunt.» Tunc ad S. Getulium conversus Licinius, dixit: « Sacrifica diis Jovi et Marti: alioqui extorquebo a te animam tuam. » Respondit S. Getulius: « Ego non perdam animam meam: immo vero potius lucrabor eam. »

§ 5. Tunc irâ inflammatus Licinius, jussit eos expoliatos caedi, dicens: « Praecepta principum contemnere nolite, sed magnis dominis obtemperate.» Cum autem caederentur, B. Getulius magnificans Deum, alta voce dixit: « Gratias ago Deo Patri omnipotenti et Domino Jesu Christo, eique meipsum sacrificium mundum offero.» Dixit ei Licinius: « Quod est mundum sacrificium?» B. Getulius respondit: «Spiritum contribulatum, et cor contritum et humiliatum Deus non despicit.» Licinius dixit ad ministros: « Abducite istos in carcerem; ubi sane ad dies vigintiseptem permansere.» Porro Licinius Romam proficiscens, res gestas narravit Hadriano Imperatori. At ille furore percitus, misit milites, qui eos flammis exurerent. Ducti sunt ergo sancti martyres ad tredecim milliaria ab urbe Roma, et illic ligatis manibus et pedibus ad flumen Tiberim in ignem conjecti sunt. Cum autem beatum Getulium flammae non contingerent, et ille magis etiam in Domino confortatus, solutis vinculis, Christum Dei filium glorificaret, milites caput ejus fustibus confregerunt: et sic invocans Dominum, emisit spiritum. Cujus sacrum corpus colligens Symphorosa uxor ejus, honorifice eum sepelivit in arenario praedii sui.

§ 6. Ado in suo Martyrologio haec adjungit: Consummati sunt beati martyres in fundo Caprèolis, viâ Salaria, ab urbe Roma plus minus milliario tertiodecimo supra fluvium Tiberim in parte Sabinensium. Quorum corpora collegit beata Symphorosa, uxor beati Getulii martyris. Quae non longe post eumdem ipsum martyrem cum septem suis filiis fuit martyrio confecta *; et sepulta est in praedio suo, loco et oppido supra nominato.

* Vide XVIII Jul.

HISTORIA INVENTIONIS

S. MAURINI ABBATIS ET MARTYRIS

AUCTORE STEPHANO, S. PANTALEONIS COLONIAE

MONACHO SUB FINEM X SAEC.

Incertae aetatis.

§ 1. Summa et vel unica salus est aegris mortalibus, quod electos suos ita Christus coelis divisit et terris, ut spiritus coelesti habitatione dignos superis admitteret, et terrae terrena permitteret. Non enim beatorum spiritus sui hominis penitus deserunt exuvias, arma scilicet suae militiae, in quibus de antiquo triumphaverunt serpente. Isti etenim isti sunt inclyti propugnatores tui, o redempta Christi cruore Ecclesia: isti stant pro filiis tuis, ne eos bàrathro oriş absorbeant toto aëre vagantes spirituum corruptores. Quando enim per te armatis dolo et igni resisteres adversariis, quae in propria carne aegre imperium ágis? Sed emeriti testes Christi, angelorum cives, immo consules pro meritis creati, etiamnunc iniquitatis satellites per te expugnant, quos per se vicerant. Hi reos Deo conciliant, orbem portant, tartara spoliant, ut angelorum numerum expleant, et muros Jerusalem extruant. Hoc indefesse Joannes Ephesi, hoc Andreas, hoc protomartyr Stephanus Byzantii *, hoc Petrus et Paulus Romae, et in toto pene terrarum orbe, hoc singuli sanctorum in sua sorte gratum Deo sacrificium faciunt.

§ 2. Habemus et nos in oculis hujus rei testem idoneum Maurinum, Deo et Angelis charum, cujus hodie passio coelos glorioso martyrio ornat, et reis veniam donat. Qui sub signis fidei ad sanguinem usque devotus, in die sui certaminis nil minus a magnis egit martyribus: qui caput draconis antiqui et nequitiae ejus satellites Decios detriverunt et Nerones. Egregia namque vicissitudine mortuo pro se Domino mortis triumphum obtulit, purpuratusque proprii sanguinis ostro, stolam suam dealbavit in sanguine Agni. In cujus nunc comitatu quocumque ìerit haerens, securus sui, suis proventum poscit salutis. Hujus gratuita Deus clementia nobis causidici scutum obtendit, hujus nos pretiosissimis membrorum gemmis ditavit. Nisi multum nos abjicimus, semper eum nobis praesentem sperare debemus, sed praesertim in hac die solemnitatis et laetitiae suae. Hanc, inquam, diem laetitiae ejus dixerim, in qua familiarius regi suo dux

* Auctorem fugit S. Stephani corpus jampridem Constantinopoli Venetias deportatum.

magnanimus militare coepit, mutato militari cingulo, non deposito. Digna, domini mei, laude hanc diem sacremus, et prono utriusque hominis obsequio honoremus. Egregium nobis sit Angelorum participari officio. Eis de nostri hodie patroni gloria gratulantibus gaudia nostra conferamus, immo gaudia eorum geminare ambiamus, et de peccatorum nostrorum tumulis resurgamus. Quodam modo enim de sepulchris vitiorum resurgimus, cum Deum manibus exquirimus, et sanctorum laudibus animum intendimus. Hinc per David familiare sibi organum Spiritus Sanctus, *Laudate*, inquit, *Dominum in sanctis ejus*. Et in his quoque mundalibus regnis, quem reges sua dignantur amicitia, si quod in spem gratiae suorum principum militaverit bellum, nostis quanta dulcedo, quanta regum super eo sit oblectatio audire quantus in clypeum assurgat, quanta vi torqueat hastam, et quanto ipsius vitae periculo caput objectet gladio.

§ 3. In gloriam ergo Maurini nobilissimi athletae et victoriosissimi, aliquid et nos resonemus dulce Deo, gratum coelo. Sed cinis et pulvis quid feret dignum amico Dei excelsi, cui hymnidici superorum famulantur chori? Parum est, si eum fortiter Dominica bella bellasse dicimus. Ter enim quaterque victor existit, qui non modo cum purpureis tyrannis in lites erupit, sed seculo altior, in ipsum hujus mundi principem, in ipsum, ut sic dictum sit, gigantem coelis bella minitantem, giganteo robore arma commovit, vitam morte possedit, mortuus palmam et spolia de hoste tulit. Parum est, si in eo patritii sanguinis stemma recensemus. Major ei nobilitas est, confratrem esse martyrum, cohaeredem Apostolorum, et socium Angelorum. Quod si de vitae ejus merito agitur, inferius erit quodcumque dici poterit: nisi quod vere probatur gloriosus Dei amicus et pretiosissimus filius. Et quia conducit filio similari ad patrem, piissimus Dominus nativae pietatis suum Maurinum ornavit insigni. In quo quisquis spem suam constituit, novit ocius quantae misericordiae balsamis affluat, novit quam praesens exauditor, quam propitius sit interventor: horumque attestatione quanti stet altissimo facile cognitum est. Verum taceat interim lingua carnis super coelestem gloriam martyris, quam nec oculus vidit, nec auris audivit: et saltem qualiter inventum sit ejus sacratissimum corpus diei gaudio ad memoriam revocemus.

§ 4. Peracto beato agonis sui triumpho, egregius Dei athleta Maurinus, locum tumuli coelo tantum notum, et Angelici tantum obsequii reverentiâ veneratum, habitavit usque ad Incarnati Verbi annum nongentesimum sexagesimum sextum, agente tum in sceptris, primo Othone. Cesserat ab hinc anno humanis officiis ejusdem principis divus frater Bruno archos antistes, et mutata vitâ, Christorum Domini * ante Deum captabat praemia. Qui

* Scilicet sacrorum Antistitum.

corpore extra muros urbis secundum desiderium cordis sui reconditus in oratoriolo sanctorum Pantaleonis, Cosmae et Damiani, locum quem vivens coluit, mortuus ornabat. Erat autem oratoriolum pro tenera novellae conversationis infantia angustum, et magnis meritis magni Praesulis impar. Ruit ergo solo tenus piissimo divinae potentiae effectu sine inhabitantium discrimine, sine familiaris rei damno, et sui ruinâ occasionem editioris fabricae praebuit. Coeli quoque inopinatas dederunt copias, proventuro operi thesaurum inexhaustum, gemmam diadematis Domini, curam sui et Angelici populi. Nam quia non potuit latère sub modio lucerna ardens coram Domino, dum ponendo fundamento terra effoditur, loculus, Maurini martyris invenitur, qui Brunoni manum conferret, et in altero làtere Pantaleoni astaret. Folcmarus ergo dignus Brunonis in sacerdotio successor, vocatus adfuit coelestis doni arbiter, et coelestium exequiarum minister. Ac primo pervidetur lapis loculum claudens, inscriptus martyris nomine, et officio, et martyrii ejus die et loco: Hic requiescunt ossa bonae memoriae Maurini Abbatis, qui in atrio ecclesiae martyrium pertulit sub die quarto Idus Junii.

§ 5. Amòto lapide, lignea ferro evincta invenitur arcula, carie indicans priscae passionis tempora. Tota omnibus portis civitas ad spectaculum illud angelicum non potest dici quam pio ruit affectu: Clerus et sanctimonialium se dedit chorus. Sanctae autem memoriae antistes, cum reverentiae obsequia et orationum praelibasset solemnia, spe et sancto plenus timore reliquias virtutum et medelae scias detexit, et ostenso in terris Angelorum cive, populum Dei gaudio et gaudii lacrymis satiavit. Renovantur antiqua miracula, hauritur odor, quo electos suos Dominus testatur. Putares balsamis veneranda ossa fluere. Vincitur sermo miraculo: minus est omne quod dico: sed quia hodierna agitis gaudia, in aeternum eàdem vos satiari contingat fragrantiâ. Jam vero quis non dicam expediet, sed digne miretur ipsorum pulchram gloriam ossium? Pulchro namque corporis indumento, quanta sit spiritus pulchritudo et munditia, compertum est. Videres brachia notâ ferri inscripta, videres ossa passionis grandine quassa, et in toto corpore militaris animi cerneres signa. Velent ducum aut regum cadavera byssus liliis, aut purpura contendens violis, aut detorti pondera auri *. Quid sunt autem haec ad Maurini collata gloriam? Byssus et purpura, vermium est esca: Maurini cicatrices et vulnera sunt immortalitatis signa.

§ 6. Hic quaedam Reginildis nomine sanctimonialis foemina, cum Maria Magdalena prima ad sepulchrum reperta, viventem spiritum in mortuis ossibus invenit et nunciavit. Haec in monasterio ancillarum Christi extra urbis muros sito, merito et officio nota, diutino capitis incommodo auditus munere cassata est,

* Intellige pannum auro textum.

simul et oculorum lumine pene privata. Circa quam cum omnia medicorum defecissent adjutoria, se desperatione recuperandi, sociasque moeroris habitu offùdit. Jam ferme bimus situ invaluit dolor, et ut dicitur juxta statum capitis, status totius erat corporis. Quamvis autem esset destituta viribus corporis, imbecillos sustentata artus, mediam se populi, baculo sancti desiderii praevio, ad Sancti usque bustum injecit se humi, tacitas preces coelo fudit, et martyri libam fecit lumine cerei *. Cumque quem mente videbat, carnis oculis, quos pene amiserat, intueri desideraret, et caput in loculo martyris reclinaret, utriusque auris meatus sanguine fluxit, et fidei pretio visus et auditus munia redemit, incolumisque officio quod agebatur jubilavit, et quotquot angelico illi spectaculo intererant in fide surrexit.

§ 7. Sanctae autem memoriae Gero, post datus Episcopus dignus Deo, secundo loco beati martyris meritum agnovit et praedicavit. Cum enim astante Folcmaro praesule, delectae secundi ordinis personae pretiosas sancti corporis margaritas, vino ex devotione baptizatas, novo ordinarent repositorio, officiosa se sedulitate admisit, et egregie audax, uno martyrem dente mutilavit. Mira dicturus sum. Mox in ipsa manu rapti teste poenas dedit, et invisibili igne non ardens arsit. Agnovit eruditus animus coelestem animadversionem, quam solus sensit, sed videre ipse non potuit. Quid ageret? Libenter pignus retineret, sed poenam sustinens, etiam animo majorum expectatione fortius, nisi reddidisset, torquebatur. Deducuntur interim pignora Sancti, comitante populo arcam Domini, in voce exultationis et confessionis epulante. Praeerat tunc monasterio sanctae Mariae Dominae nostrae, quod dicitur novum, venerabilis Wolvereda, virginum Dei mater et Abbatissa, quae huic spectaculo intererat, et psalmorum cantica in codice recitabat. Hanc Gero accivit, et cum reverentia in libro sanctum dentem deposuit, complacuitque martyri quies in acerra thuris Davidici. Factumque est unum idemque momentum, dentem posuisse et passionem: demonstrasti Jesu bone, quanta martyrem tuum diligentiâ velis tractari, hujusque rei pretium esse a gehenna liberari. Posita sunt autem debito fidelium honore ossa beatissimi Maurini in oratorio sancti Benedicti sub die tertio Idus Octobris.

§ 8. Magnis majora, gloriosis succedunt gloriosiora. Thiedo post datus Episcopus, tunc in monasterio sancti Severini custodis officium administrabat. Is non dissimili devotionis affectu de sancti martyris quod occurrit, latenter tulit, sibi suisque domi profuturum. Cum jam nox esset, in familiariori loco posuit. Ecce in diluculum cum locus ipse, tum proxima quaeque tantae suavitatis completa sunt fragrantiâ, ut èvidens esset coelos eam distillasse gloriam. Res nova, miraculum illustre. Ingredientes

* Melius aliud MSS.: *lumine fidei.*

et egredientes coelesti communicantur beneficio, sed latet causa. Quod in Maurino Deus operatur, sentitur, nil tamen ipsius ibi scitur. Libet et hic paululum immorari, et in miraculo aliud miraculum demirari. Usum hic cum natura odor perdidit. Nam cum subito processerit, post duas aut tres horas more solito non recessit, nec cum integro die aetatem aequavit: sed fere septem solibus sine exemplo senuit. De agris, de plateis curritur, irruit alter post alterum, facturi quique per seipsos insolitae novitatis fidem. Rumor et odor vero nituntur, causa neque etiam opinatur. Datur tandem gloria Deo, gloria martyri. Res namque nobilior de commisso redditur. Thiedo aperuit verbum emissum patri monasterii, in cujus tuitione est martyr: alter post alterum, quisque notum quasi novum nuntiat. Is sicut est divini timoris et amoris apprime scientiâ eruditus, sciens quia omnia quaecumque voluit Dominus fecit, animum fidei dedit, et totius animi organis alleluja sonuit. Placuit tamen ei duos suae congregationis fratres mittere, quatenus et eos in cultum sancti excitaret, et filiorum relatione suum suorumque animos indulcaret. Profecti ergo, non solum ut dicta eis sunt invenerunt, sed secum fratribus non modicas odoris detulere reliquias. Putares ipsos affrictos et secum quoque ibant circumferre aromata. Venerabilis autem monasterii rector magnitudine gaudii et dulcedine animi demum attractus descendit, divino animum nectare pavit, et grata vicissitudine thura laudis Deo litavit. Folcmarus quoque reverendus antistes et ipse adveniens rumorem auxit, et honorem ampliavit. Sanctas namque cum suo odore reliquias in altario beati Severini locavit, et junctos in coelo, in terris sociavit.

§ 9. In semetipso quoque idem antistes expertus est, quanti sit apud Deum meriti Maurinus emeritus miles. Superveniente namque sacratissima Paschalis gaudii solemnitate, vehementi oculorum dolore coepit fatigari. Vir autem venerandus flagello divinae admonitionis aequo quidem animo membra substravit, sed moerore amplius deficiebat, ne forte nobilis Colonia sine Episcopali officio sanctum perageret Pascha. Quinta autem feriâ, quam indulgentiae diem nominant, vix magno imbecilli hominis et devoti animi conflictu pontificalia administravit, et usque ad lectum languor invaluit, sed dum Maurinum animo reducit, consilium praesul invenit. Denique patrem monasterii, in quo *martyrium* Sancti floret *, secreto accivit, cui languoris sui inclementiam paucis aperuit: Semper quidem, inquit, Christiani animo divina desideranda est correptio, quae semper filiis fit in salutem. Caro enim attrita conscientiam purgat, spiritum emaculat. Ecce devotus porto flagellum, quod misit Dominus: sed vides quantus populosae civitatis in Ecclesia concursus, vides quantos de remotissimis etiam regionibus festivitate invitante confluxerit

* Idest: celebratur S. Martyris tumulus.

populus: quos omnes in judicium mei sine fructu laboris, sine exhortatione sermonis, sine viatico benedictionis in sua dimitto. Nascitur tamen mihi quaedam securitas, quod si quid de memoria * sancti Maurini ad me delatum fuerit, mihi quoque quam omnibus impendit, misericordiam non denegabit. Tum discessum est.

§ **10**. Die autem facto, qui Dominica Passione colebatur illustris, dentem beati martyris aegrotanti praefatus Abbas ad lectum mittit Antistitis. Comitatur sanctum pignus coelestis medelae munus. Nuntiatis enim monachis, assurgit sacerdos venienti in suo pignore martyri, quasi audiens, *Surge et ambula*. Depressis alta reverentiâ luminibus dentem admovit, et quod mulier evangelica tactu fimbriarum Domini accepit, se accepisse exultavit. Subito enim dolor omnis fugiebat, ante Sanctum stare non poterat. Sic inclyte martyr, ecclesiae Episcopum perdonasti, et regis tui Pascha honorasti. Die autem sancti Paschae cum inter Missarum solemnia pro jucunditate festi, praesul verbum faceret, sermonis ductu ad salutis suae migravit auspicem. Stupentibus cunctis, quibusdam vero gaudentibus, Maurinum vere sanctum, Deo charum, quaecumque voluerit impetrare a Deo compotem, libera voce pronuntiavit: morbi sui inclementiam ; sed in adventu Sancti subitam èdocet fugam. Pontificali deinde statuit edicto, ut dies passionis ejus honorabilis celebrisque inter nobiles anni festivitates numeretur. Similitudo autem quaedam dubii animi Thomae sanctissimi Meginhero cuidam nomine et officio noto obortâ est, quod scilicet martyr et nomine esset obscurus, et excepto epitaphii verbo, scripturae testimonio carèret. Pontifex autem testis sui sententiam fixit, quique dentem sanctum curatorem suum dum advixit ita coluit, ut in modico pignore totum se martyrem habere confideret.

§ **11**. Interea siccitatis flagello universa laborabat regio. Ad nota ergo praesidia sancta confugit Colonia, precibusque et sacrificiis instabat iniqui sereni redimere malitiam. Procedebant litaniae, exibat clerus, prodibat sanctimonialium chorus, et longa populorum examina sanctae Crucis vexilla et sanctorum martyrum deducebant suffragia. Sed divina sententia, forte quia fidem et patientiam in populo suo quaesivit, spatio duorum fere mensium pluviam suspendit. Erat autem videre mori pro ventura spe anni. Squalebant arva pulvere, et flavi sulci ad aquas hiabant. Superveniente autem sacratissima beati Maurini passionis die, ecclesiae beatae memoriae Dei Genitricis et semper virginis, et sanctissimi coelorum clavigeri senatorius clerus **, et diversae conditionis populus duce Meginhero (nam Episcopus aberat) ad

* Reliquiis.

** Capitulum Metropolitanae ecclesiae Coloniensis quae Deiparae Virg. et S. Petro Apost. erat sacra.

memoriam Sancti cum litaniis descendit. Denique promptus jam dubium ponere animum, pro angustia temporis idem Meginherus ad martyrium populo Missas facit. Ventum est ad sermonis sui ordinem, convenientia pro tribulatione dicta sunt. Cumque sermonis virtute cor populi erigeret, haec ita subintulit: Ecce, inquit, misit Dominus verbum in terra, quod non viderunt patres nostri. Ecce enim populosa civitas iterum atque iterum ad deprecandam faciem Domini mittit senes et juvenes, mittit pueros et virgines, coetusque infantium et lactentium nitidos, omnem clerum et universum populum, et non est qui exaudiatur. Et quae est sub nostro sole civitas, hac nostra locupletior Sanctorum? Ubi Apostolorum patrocinia sic praesentia? Ubi tot in unis cubilibus martyrum millia, et tot aurea virginum agmina? Ubi sic praesentes confessores et episcopi, qui genuerunt hunc populum Domini? Apud quos rugiebant daemones, quorum praesentiam portare non poterant, nos pro anima et patria supplicantes audire dissimulant. Sitit dura tellus, languet omnis regio, et juxta Jeremiam non recordatur Dominus scabelli pedum suorum in ira furoris sui. O inclyta Domini castra, armate animos perseverantiâ, et experimini vim facere clauso coelo. Erigere in fide miles Dei, et nubem ne transeat oratio oppositam, vel Maurino scinde patrono. Si hunc Dominus fatiscenti revelavit subsidium seculo, donet hodie hanc nobis quidem misericordiam, martyri autem suo gloriam, ut sicut hodie pro se hic martyr sanguinem suum fudit, ita pro eo terris benedictionem pluviae Dominus fundat. Dixit, et salutarem hostiam immolatum ascendit. Et ecce in serenissimo aëre Elias noster nubila contraxit, tonitru omne coelum mugiit, sicque largissimam pluviam dedit, ut, per aliquot horarum spatium, qui convenerant extra locum exire non possent. Sicque unius dubitatione salus facta est patriae. Mira dicturus sum: Multis postea annis jussi sunt coeli legem pati, et annuum cursum observare hujus diei, ut annua pluviâ hoc tanti beneficium signi ad memoriam revocarent. Unde et martyrem vulgus nominant Sanctum pluvialem, nos autem aeterna misericordiâ dicimus liberalem.

§ **12**. Quia coepi, loquar opera Domini. Puero cuidam morbus, quem dicunt varicum, densa visum caligine obnubit, et oculorum manus extinxit. Fluxerat decem annorum orbita, cum quadam die data manu puellae, quae ei dux erat et oculus, ad memoriam sancti Maurini pervenit. Aliquandiu oratum est. Tum puella, quae orbati, ut dictum est, gressus regebat, humi fusum tetigit, surgat et abeat praecipit. Tu, inquit, ille, abeas, viam quam volueris carpas: mihi opitulatione hujus piissimi patris oculi familiarissimi viae collati sunt duces. Surgens autem, ex scissione caliginis genas guttâ sanguinis apparuit cruentatus, videns, et viae ducem ulterius non requirens. Coloniae natus et

educatus, facie sed et genere notus, cognatos et affines gaudio, et totam civitatem miraculo, et martyris complevit praeconio.

§ **13**. Theusburg (Duysburg) nomen est villae. Hic ante aliquot annos inguinaria Dei permissu debacchata est pestis, et non paucos inopina morte soporavit. Inter alios presbyterum ecclesiae provisorem morbus invasit, qui hoc consilio mortem distulit. Qui se familiarius curabant, rogat ut amicorum et parentum subvectione Coloniam veniat, ad memoriam, inquit, Martyris, qui ibi recens revelatus, signorum virtute coruscat. Visa sunt verba haec amentis et deliri, quia toto fere homine mortuum attendebant. Cumque ante oculos et ejus vires, et usitata subinde tum subtractorum ab hac luce ponerent exempla quasi in sepulchro eum videbant. Is autem confortatus fide de lecto se super baculum dedit, et stupentibus cunctis pedem trahere post pedem tentabat. Evidenter hic enituit, quia sicut Agnus ubique est, ita et qui Agnum quocumque ierit sequuntur, ubi fideliter invocati opitulatione praesentes sunt. Nam qui de lecto fere mortuus descendit, mox ad quem tendit sibi adesse martyrem sentit: quoque ulterius processit, eo amplius viribus valuit. Et sicut ignis fervore amplius calescit, qui vicinus accedit: ita dum civitati appropiat, clementius aegrotat. Ubi autem ad memoriam Sancti ventum et oratum est, et sibi et omnibus in praefata villa eodem morbo laborantibus, integerrimam sanitatem fidei auro obtinuit.

§ **14**. Longum est ire per singula, quomodo virtutibus justus ut palma floreat. Sed ecce dum qui prope et qui longe sunt, inter nos fontem salutis hauriunt, timeamus ne nobis sit judicio, si medicum habentes aegrotamus. Loco patris et medici nobis Dominus Maurinum suum perdonavit filium, quem sibi genuit sponsa formosa sua, columba sua, quam sibi vitae pretio redemit, et in sanguine suo lavit. Si leprâ conscientiae prurit animus, si coelum libero intuitu non respicit oculus, si in via justitiae cursum stupens impedit nervus, si avaritia venarum fila contrahit in manibus, a patre medico filius medelam parvo mereberis. Immo tum filius eris, si mederi quaesieris. Nunquam duro usus est cauterio. Imperio morbos exturbat, vulnera oratione lavat, meritis fata sanat. Cum Elia clausum coelum in pluvias solvit, cum Eliseo ignem coelo demittit, sed mitior extinguit. Sicut ipse prophetarum Dominus fimbriis, sic iste languores pellit reliquiis. Petrus in plateis ejectos umbrâ suscitat: Maurinus longe positum tenui famae aurâ de lecto desperatum in viam salutis excitat. Cum Paulo caecos lumine vestit, cum Stephano ad tumulum surdorum aures aperit. Non longum est, quod dico. Geronem quemdam sacerdotio et officio clarum ita gravissimus languor perculit, ut vita in confinio mortis palpitaret. Jam ei pollices, jam lingua ligabatur, cum puerum cum argento ad

nostrum medicum mittit, et ut pro se celeriter et fideliter faciat membris morientibus exposcit. Ivit, rediit, et dominum paulo ante cum morte agentem, in lecto residentem invenit et comedentem.

§ **15**. Hic et item ei similes medici praecantare animas noverunt, ne juxta Joannem, divini pectoris potatorem, calicem irae Dei bibant, ut crucientur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, et in conspectu Agni : et fumus tormentorum ascendat in secula seculorum. Haec hodie Maurinus securus evasit, et in supernam civitatem laureatus intravit. In civitate autem patris debentur filiis jura haereditatis: Age ergo nunc pater inclyte, pater pie, age cum judicibus seculi (*SS. Apostolis*) causas nostras : ut et in terris digne te veneremur, et ibi quandoque desideratam tuam faciem contemplemur, ubi epularis et cum Angelis delectaris gloriâ et aspectu Agni, qui vivit et regnat in secula seculorum.

VITA S. MARGARITAE REGINAE SCOTIAE

QUAM QUIDEM S. ADELREDUS CISTERC. ABBAS

PRIMO CONSCRIPSIT

SED HAEC QUAM NOS EDIMUS, AB ALIO QUODAM INCERTO AUCTORE, EX ILLO BREVIUS DESCRIPTA EST. STYLUM IN GRATIAM LECTORIS NONNIHIL ELIMAVIMUS.

Anno 1093. — Patriâ Germana.

§ **1**. Mortuo Edmundo rege cumprimis strenuo, qui ab Anglis propter insuperabilem ejus fortitudinem ferrei lateris cognomen acceperat, Canutus rex, Angliae conquestor, filios ejus Edmundum et Eduardum propter foedus cum patre illorum ictum, prae pudore ferire non valens, ad regem Suevorum feriendos transmisit : qui pietate motus, eos ulterius ad regem Hungarorum Salomonem vitae reservandos misit. Edmundo vero sine liberis decedente, Eduardus frater ejus Agatham Imperatoris filiam duxit, ex qua sanctam Margaritam, postea Scotiae reginam, progenuit. Quae cum in primaeva adhuc floreret aetate, vitam sobriam ducere ac Deum super omnia diligere coepit, in divinarum quoque lectionum studio se occupare, et in his animum delectabiliter exercere. Suorum tandem magis quam sua voluntate, immo Dei ordinatione, regi Scotorum Malcolmo * in matrimonium collocatur. Ubi licet ea quae mundi sunt agere compelleretur, at tamen mundi rebus et desideriis inhaerere contempsit.

* Venerandae vitae viro, qui *Sancti* titulo aliquibus in publicis monumentis gaudet.

Plus enim delectabatur bono opere, quam divitiarum possessione. Omnia quae decebant, prudentis reginae imperio agebantur, ejus consilio regni jura disponebantur, illius industriâ religio divina augebatur. Nihil illius fide firmius, vultu constantius, patientiâ tolerantius, consilio gravius, sententiâ justius, colloquio jucundius.

§ 2. In loco, ubi nuptiae ejus fuerant celebratae *, in honorem sanctae Trinitatis nobilem ecclesiam construxit, eamque variis magni pretii ornamentis decoravit: in quibus ex solido et purò auro et argento vasa non pauca fuisse constat. Crucem quoque contulit, quam auro et interlucentibus gemmis vestiri curavit. In aliis quoque quibusque ecclesiis devotionis suae signa reliquit. Tanta vero ei inerat cum jucunditate severitas, et cum severitate jucunditas, ut omnes, qui in ejus erant obsequio, illam et timendo diligerent, et diligendo timerent, atque in ejus praesentia non solum nihil execrandum quisquam ausus esset facere, sed neque turpem proferre sermonem. Liberos suos cum omni diligentia nutriri et honestis moribus institui voluit, eosque coram ipsa saepius adductos fidem Christi docuit, utque illum semper timerent, accurate admonuit. Timete, inquit, o filii Dominum: quoniam non erit inopia timentibus eum. Et si dilexeritis illum, praesentis vitae prosperitatem, et cum sanctis suis aeternam vobis reddet felicitatem. Haec matris desideria, haec crebra admonitio, haec pro sua sòbole quotidiana erat cum lacrymis oratio, ut suum Creatorem agnoscerent, agnoscendo colerent, colendo in omnibus diligerent, et diligendo ad coelestis regni gloriam pervenirent. Nemo illa ingenio erat praestantior, nemo eloquio illustrior, regem ipsum ad justitiae, misericordiae, eleemosynarum, aliarumque studia et actus virtutum instigavit, et Deo cooperante obtemperantissimum reddidit. Videns enim ille in corde ejus revera Christum habitare, illam quovis modo offendere formidabat, votisque ejus et consiliis in omnibus obedire studebat. Quae respuit illa, ea et ipse respuere, et quae amabat illa, ea ipse itidem amore illius amare solebat: delectabatque illum manibus contrectare et osculo venerari librum, ex quo regina precari consuevit.

§ 3. Rege cum magno comitatu aliquo proficiscente, omnes comites et satellites ejus tanta severitate coërcuit, ut nullus quicquam rapere, nullus rusticos vel pauperes quoslibet laedere vel opprimere auderet. Tanto autem facilius sancta regina omnem mundi pompam sprevit, et peccatorum evasit maculas, quanto majori cum tremore et pavore districtum judicii diem ante mentis oculos sibi indesinenter repraesentabat. Crebro etiam confessarium suum rogabat, ut quicquid in ipsius dictis et factis reprehensione dignum adverteret, id cum reprehensione secreto ipsi

* *Daumfermilein*, lat. Fermelinoduni, quindecim milliaribus ab Edimburgo.

indicare non dubitaret. Quod cum ille rarius et remissius, quam ipsa vellet, faceret, importunam se illi ingerebat, somnolentum illum et suae salutis incuriosum ac negligentem vocitans. *Corripiat,* inquit, *me justus in misericordia, et increpet me: oleum autem,* id est adulatio peccatoris, *non impinguet caput meum* (*ex Ps.* 140). Reprehensionem sui, quam alius accipere posset ad contumeliam, illa ad virtutis profectum expetebat. Malum aliquem si vidisset, admonebat, ut ad meliorem frugem se reciperet: bonos hortabatur, ut studerent fieri meliores.

§ **4**. Cum autem in gente illa Scotorum contra universalis Ecclesiae sanctam consuetudinem multa illicita fieri videret, multa adhibuit consilia, ut ad veritatis viam errantes, Christo donante, reduceret. In quo conflictu rex ipse adjutor ei praecipuus aderat, quicquid in hac causa illa jussisset, et dicere et facere paratissimus: qui quod perfecte Anglorum idioma aeque ut proprium calleret, vigilantissimus hac in re utriusque partis interpres fuit. Itaque regina praefatione praemissa, qui cum catholica Ecclesia in una fide uni Deo servirent, eos ab eadem Ecclesia novis quibusdam et peregrinis institutionibus discrepare non debere: Primo proposuit, eos Quadragesimale jejunium non legitime observare, quia hoc non cum sancta Ecclesia a feria quarta in capite jejunii, sed sequenti septimanâ, feriâ secunda solerent inchoare. Cum autem illi econtrario dicerent, jejunium suum se ex Evangelii auctoritate quae Christi narret jejunium, observare per sex hebdomadas: illa respondit: Longe in hoc ab Evangelio discrepatis. Legitur enim ibi Dominus quadraginta diebus jejunasse, quod manifestum est vos non facere. Nam cum per sex hebdomadas sex Dominici dies a jejunio abstrahuntur, triginta tantum et sex dies ad jejunandum relinqui perspicuum est. Non ergo Evangelica auctoritate quadraginta, sed triginta dumtaxat et sex dierum constat vos observare jejunium. Restat itaque, ut quatuor diebus ante Quadragesimae initium jejunare nobiscum incipiatis, si Dominico exemplo quadraginta dierum numero abstinentiam observare velitis. Alioquin contra ipsius Domini auctoritatem et totius sanctae Ecclesiae traditionem vos soli repugnabitis. Hac illi ratione veritatis convicti, deinceps secundum morem universalis Ecclesiae sua jejunia inchoarunt.

§ **5**. Deinde etiam illud regina proposuit, jussitque ut ostenderent, qua ratione die sancto Paschae secundum morem sanctae et Apostolicae Ecclesiae sacramenta Corporis et Sanguinis Christi sumere negligerent. Responderunt illi: Apostolus de his loquens, ait: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (1. *Cor.* III). Unde quia nos peccatores agnoscimus, ne judicium nobis manducemus et bibamus, ad illud mysterium accedere formidamus. Quibus regina: Quid igitur? inquit. Qui peccatores sunt, sacrosanctum mysterium non percipient? Nemo ergo

illud percipere debebit, quia nemo sine sorde peccati, nec infans, cujus est unius diei vita super terram. Si autem nemo illud sumere debet, cur in Evangelio clamat Dominus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* (*Joann.* VI). Sed plane sententiam, quam de Apostolo profertis, secundum Patrum expositionem aliter necesse est ut intelligatis. Non enim omnes peccatores salutis sacramenta indigne sumere affirmat. Nam cum dixisset, *Judicium sibi manducat et bibit*: adjungit, *Non dijudicans corpus Domini:* hoc est, Non separans illud in fide ab escis corporalibus, judicium sibi manducat et bibit. Sed et ille, qui absque confessione et poenitentia cum suorum inquinamentis scelerum ad sacra mysteria accedere praesumpserit: ille, inquam, judicium sibi manducat et bibit. At nos, qui multis ante diebus, facta peccatorum confessione, poenitentiâ castigamur, jejuniis attenuamur, eleemosynis et lacrymis a peccatorum sordibus abluimur, in die resurrectionis Dominicae ad ejus mensam in catholica fide accedentes, carnem et sanguinem agni immaculati Jesu Christi non ad judicium, sed ad peccatorum sumimus remissionem, et ad salutarem percipiendae beatitudinis aeternae praeparationem. His ab ea perceptis, respondere nil potuerant, atque agnita deinceps Ecclesiae instituta in mysterii salutaris perceptione observarunt. Fuere praeterea in quibusdam Scotiae locis, qui contra totius Ecclesiae morem Missas celebrare solerent. Quod regina, zelo Dei accensa, ita destruere et profligare studuit, ut postea in toto Scotorum regno, qui tale aliquid attentaret, nemo repertus sit.

§ 6. Solebant etiam, neglecta Dominici diei reverentiâ, quemadmodum aliis diebus, ita illo quoque laboribus insistere. Quod minime licere, ratione pariter et auctoritate ostendit. Dominicum, inquit, diem propter Dominicam, quae in illo facta est, resurrectionem, venerationi habemus, ut in eo servilia opera jam non faciamus, in quo nos a servitute diaboli redemptos novimus. Hoc et beatus Papa Gregorius affirmat, dicens: Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum: ut si quid negligentiae per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicae precibus expietur. Idem quoque pater Gregorius quemdam propter opus terrenum, quod die Dominica fecerat, districta increpatione feriens, eos, quorum hoc consiliis egerat, duobus mensibus excommunicatos esse decrevit. His rationibus reginae contraire non valentes, ita diem Dominicum deinceps observabant, ut nihil quicquam in eo operari auderent. Illicita etiam novercarum conjugia, similiter et uxorem fratris defuncti fratrem superstitem ducere quae ibi antea fiebant, nimis ostendit execranda, et a fidelibus, velut ipsam mortem, devitanda. Multa quoque alia contra morem Ecclesiae inoleverant, quae in eodem Concilio damnans, de regni finibus extirpavit.

§ 7. Quando autem illa de salute animae confessario suo et de sempiternae vitae dulcedine loquebatur, verba ejus plena erant omnis gratiae: tantumque inter loquendum compungebatur, ut tota in lacrymas resolvenda putaretur. In ecclesia nemo illa silendo quietior, nemo orando attentior. Nihil unquam seculare vel mundanum illic loqui, nihil terrenum agere, sed tantum orare et lacrymas fundere solebat. Per nimiam autem inediam et abstinentiam in gravissimum morbum incidit. Nihil illius pectore clementius, nihil erga egènos et inopes benignius fuit. Neque enim sua dumtaxat, sed seipsam quoque, si licuisset, pauperibus libenter impendisset: atque interim omnibus pauperibus suis erat ipsa pauperior. Illi enim non habentes, habere cupiebant: illa vero ea quae habebat, dispergebat. Quando prodibat in publicum, miserorum, orphanorum, viduarum greges quasi ad matrem piissimam confluebant: nec ullus ex eis sine consolatione ab illa recedebat. Interdum quicquid erat regis proprium, egènis erogandum abstulit: quam pietatis rapinam Rex omnino gratam et ratam semper habuit, seque nescire simulavit. Neque modo pauperibus indigenis, verumetiam omnium pene nationum suam liberalitatem et munificentiam impendit, innumerabilesque captivos dato pretio libertati restituit, quos de gente Anglorum hostilis Scotorum vis in servitutem abduxerat. Occultos etiam exploratores per provincias misit, ut qui duriori premerentur servitute, et inhumaniter haberentur ac tractarentur, ejus liberalitate redimi possent.

§ 8. Eremitas et separatis cellis ubique inclusos, Christo servientes, venerari, diligere, suo adventu et alloquio crebrius visitare consuevit, illorumque se precibus commendans, quicquid petiissent, devota complevit. Cum principio noctis paululum quievisset, ecclesiam ingressa, nocturnas preces, quas matutinas vocant, primo de sacrosancta Trinitate, deinde de sancta Cruce, tertio de beatissima Maria sola absolvebat. Illis finitis, officium defunctorum incipiebat, ac deinde Psalterium integrum perlegebat. Quando Clerus horâ congrua preces Canonicas celebrabat, illa psalterium vel jam coeptum finiebat, vel primo absoluto, alterum inchoabat. Finitis autem precibus horariis, in cubiculum rediens, sex pauperum pedes lavit, eisque pecuniam dari jussit. Deinde parumper quieti ac sopori indulsit. Mane facto surgens piissima regina, novem infantulos orphanos, omni auxilio destitutos, prima diei horâ ad se introductos cibis mollioribus flexis genibus reficiebat, et cibos in ora eorum immittebat. Praeter haec trecentos pauperes in aulam consuetudo erat introduci, et clausis ostiis Rex ab una parte, Reginaque ab altera, Christo in pauperibus serviebant, cibosque specialiter praeparatos offerebant. Quo facto, regina ad ecclesiam se conferens, prolixis precibus et lacrymis atque gemitibus seipsam Deo sacrificium immolabat,

et ante summam Missam quinque vel sex privatim Missas audiebat. Ante refectionem vigintiquatuor pauperes humiliter eis ministrando reficiebat. Sumebat deinde cibum, non ut delectationi acquiesceret, sed tantum ut vitam servaret.

§ **9**. Erat vero ejus refectio tenuis et sobria et quae esuriem excitaret potius quam extingueret : videbaturque non tam sumere, quam gustare cibum. Quadraginta ante Pascha et natalem Christi diem, incredibili abstinentiâ se afflixit, sed propter nimium jejunii rigorem usque ad finem vitae suae acerrimos passa est stomachi dolores : nec tamen aegra corporis valetudo virtutem operis debilitare potuit. In sacra lectione erat studiosa, in orationibus persevèrans, in eleemosynis indeficiens, denique in omnibus prorsus quae Dei erant, vigilanter sese exercitans. Codex quidam Evangelicus, gemmis et auro ornatus in quo studere et legere solebat, custodis negligentiâ in aquam cecidit, et per diem ac noctem sine aliqua injuria vel laesione inviolatus permansit.

§ **10**. Habebat confessarium Turgotum, secundum Priorem Dunelmiae. Illi ergo ad se accersito, vitam suam replicare coepit, et ad singula verba lacrymarum flumina profundere : tantaque erat sub ejus sermonibus compunctio, tantus lacrymarum imber, ut nihil proculdubio esse videretur, quod tunc a Christo impetrare non posset. Cumque de necessariis sermonem pertexuisset, ita ait ad eum : Vale : ego, posthac diu in hac vita non subsistam : tu vero parvo post me tempore vives. Duo sunt autem quae a te postulo : Unum, ut quoad vixeris, animae meae in Missis et orationibus tuis meminisse velis : alterum, ut liberorum meorum curam habeas, amorem eis impendas, Deum praecipue timere eos doceas, et cum ad culmen terrenae dignitatis quemlibet eorum èvehi conspexeris, illius vel maxime patrem simul et magistrum te exhibeas, admonendo, et ubi res postulaverit, etiam objurgando, ne propter mundi prosperitatem, aeternae vitae felicitatem sua negligentiâ amittat.

§ **11**. Dimidio post haec anno, ingravescente morbi molestiâ, raro e lecto surgere potuit : quarto autem ante obitum suum die, cum rex Malcolmus in expeditione esset, tristior solito effecta, assidentibus ait : « Forte hodie tantum mali regno Scotorum accidit, quantum vix multis retro temporibus. » Post dies aliquot nunciorum relatione eodem die, quo regina dixerat, regem cum filio Eduardo fuisse occisum cognoverunt : quem illa, ceu futurorum praescia, multum prohibuerat, ne quoquam tunc cum exercitu progrederetur. Quarto inde post mortem Regis die, morbo nonnihil de sua acerbitate remittente, Missas auditura, oratorium intravit, et exitum suum Dominici Corporis et Sanguinis viatico praemunivit. Mox autem prioribus gravata doloribus, lecto prostrata, ad exitum, crescente molestiâ, vehementius urgetur. Tum

illa Crucem Scotiae nigram (*a*), quam semper in magna veneratione habuit, amplecti, exosculari, oculos faciemque crebro illâ signare curavit. Rediens interea de exercitu filius ejus Edgarus, cubiculum reginae intrat: quem illa de patre et fratre interrogat: sed ille quod verum erat dicere noluit, ne audita morte illorum, continuo et illa expiraret. Respondit autem, eos bene valere. At illa graviter suspirans: Scio, inquit, fili, scio; adjuravitque eum, ne rei veritatem celaret. Tum ille coactus, sicut erant, gesta exposuit. Quibus auditis, non peccavit labiis suis, neque stultum quid contra Deum locuta est: sed manus ad coelum èlevans, in laudem et gratiarum actionem prorupit, dicens: « Laudes et grates tibi ago, omnipotens Deus, quod me tantas in èxitu meo angustias perpeti, easque tolerantem, a quibusdam peccatorum maculis, uti spero, mundare voluisti. »

§ **12**. Sentiens postea mortem adesse, hanc orationem dicere coepit: « Domine Jesu Christe, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me, » atque sub his postremis verbis, liberata a vinculis corporis, anima ad verae libertatis, quem semper dilexerat, auctorem Christum migravit (*annos nata 47*), felicitatis eorum partìceps effecta, quorum virtutis est exempla secuta. Faciem autem ejus quae tota in morte palluerat, ita post obitum rubor candore permixtus perfùdit, ut non mortua, sed vivens aut dormiens videri posset. Obiit quarto Idus Junii, et in ecclesia sacrosanctae Trinitatis quam ipsa construxerat, contra altare humata est (*b*).

§ **13**. Cum autem David filius ejus in aula regis Angliae Henrici primi moraretur, nocte quadam a sorore sua Mathilde regina quae matris vestigiis puro corde insistebat, vocatus, ad cubiculum ejus accessit. Et ecce domus plena leprosis, et regina in medio stans, deposito pallio, linteo praecinxit se, et missa in pelvim aquâ, pedes eorum lavare, lotos extergere, et extersos utrisque manibus constringere et devotissime osculari coepit. Cui ille: Quid, inquit, agis domina mea? Certe si Rex isthuc sciret, nunquam os tuum leprosorum pedum tabe pollutum, labiis suis contingeret. At illa subridens, ait: Pedes Regis aeterni quis nesciat labiis regis morituri esse praeferendos? Ego certe idcirco vocavi te, frater charissime, ut meo exemplo similia facere discas. Sumpta itaque pelvi, fac quod me facere intuèris.

(*a*) Haec in thecae modum (unius fere palmi mensurâ) ut clauderetur et aperiretur, ex auro efformata continebat, inserta S. Crucis Chr. particula, imaginem Salvatoris in èbore (*Nigra* dicebatur) densissimo sculptam, aureisque distinctionibus mirabiliter decoratam. Eam religiosissima Regina attulerat in Scotiam, atque in haereditatem ad filios transmisit, quorum junior David, Rex factus, magnificum ei condendae templum prope urbem Edemburgum aedificavit titulo S. Crucis. (*Ex Adelredo* Vitae *auctore*).

(*b*) Inde clam abstulerunt Catholici, cum scelestissima *Reformatio*, quam vocant, Scotiam ab Ecclesia Rom. distraxit, asportaruntque ad Philippum II Hispan. Regem, qui ei honorifice excipiendae Sacellum in Escuriali excitavit. Sacrum vero Caput quod obtinuerat infelix Maria Stuarda, Monachus S. Benedicti surripere potuit ne in impiorum manus incideret, et Antuerpiam digne colendum detulit, anno MDXCVII: dein Scotorum Soc. Jesu PP. Collegio *Duain* in Gallia dono datum fuit.

IN S. BARNABAM APOST.
ENCOMIUM

AUCTORE ALEXANDRO MONACHO CYPRIO

EX MS. VATICANAE BIBLIOTHECAE, ET INTERPRETATIONE FRANCISCI ZENI.

Ob. circa ann. Chr. 70 — Cyprius.

§ 1. Cum Barnabam laudamus, tunc et omnium Apostolorum sacrum collegium collaudamus, quorum enim vocatio una fuit, eorum eadem est et gloria: et quorum ordo unus, eorum eadem est et dignitas: quorum paria certamina, eorumdem coronae diversae non sunt: quorum denique institutionis ratio communis, eorum praemia aeque honorata sunt. Jam vero Barnabam ipsum oratione nostra in medium producamus, et quam maxime possumus, laudum praeconia illi concinemus, sum enim ejus viri amator ardentissimus. Scio autem, et mihi persuadeo, hujus Apostoli vel nomen ipsum auribus vestris jucundissimum accidere. Itaque illum honoremus, quatenus pro viribus de illo dicentes, aequi animi significationem demus: quod enim ejus viri dignitas postulat, id tale est, ut omnem orationem ab eo superari fateamur.

§ 2. Laudetur igitur a nobis infimis magnus ille Apostolus Barnabas. Celebretur *consolationis filius* ab hominibus qui Christo crediderunt. Extollatur a quovis homine ille, qui a Patre ipso honoratus, a Filio vocatus, et a Spiritu Sancto perfectus est. Barnabas, inquam, magnus Ecclesiae orator, illa Evangelicae praedicationis tuba, magna Christi vox, Spiritus Sancti cithara, divinae gratiae plectrum. Barnabas in expediendis pro Christo bellis miles robustissimus: qui corpore incorporeum hostem, simul versans cum Apostolorum exercitu, validissime profligavit: qui bonarum disciplinarum religiosus praeceptor extitit, et Christiani ovilis dux certus, et rationalis quidam summi Dei paradisus, omnium virtutum germina florentia in se continens: qui egregium quoddam fidei germen fuit, charitatis rosa suavissimum odorem emittens, spei flos incorruptus, divinae gratiae fructus jucundissimus, illius vitis quae vitam omnibus praebet, palmes feracissimus, immortalitatis racèmus, mel distillans, patientiae propugnaculum firmum atque immobile, continentiae sectator ita validus, ut Crucem gestaverit, et adversus Christi interfectores intrepidus militiae dux fuerit, Christi Crucifixi germen ad coelum usque protensum. Barnabas, pietatis magister, fidei columna ac fastigium, fundamentum stabile, et fluctuantium portus valde

tranquillus, fidelis et prudens dispensator qui coelestem in terris semitam tenuit, et parem angelis vitam duxit. Barnabas Christi mysteriorum thesaurus, orthodoxorum sanctae Dei Ecclesiae dogmatum minister, aegrotantium medicus, sanos et valentes homines, firma certaque animi jucunditate afficiens, Christiani gregi custos vigilantissimus, in terris manens, et in coelis vitâ atque institutione versans: qui in mundo pietatis dogmata clara et alta voce praedicavit, et in coelis sempiternam coronam recepit: qui fuit gentium dux, ad Deum eas perducens, et Ecclesiarum Dei beatissimus praeco, campus quidam beneolentibus Christi floribus refertissimus, Christi gratiarum ager fertilissimus *. Idem virtutum exercitatione insignis, contemplationibus et miraculis praestans, virginitatis margarita quaedam pretiosa, et castitatis beryllus lectissimus, temperantiae gemma purissima, Christum in se loquentem habens, electum Dei vas, qui mundum dereliquit, et omnia quae in illo sunt, quisquilias quasdam duxit, ut Christum tantum lucrifaceret seculorum Regem...

§ 3. Defessa est oratio nostra, dum admirabilem, divinum et optatissimum Apostolum Barnabam laudibus extollere cupit atque contendit, quodque mirum est, nondum ad exordium pervenit. Hujus enim admirabilis viri laudes majores sunt, quam ut nostra oratio illas attingere possit. Earum igitur tractationem, ut orationibus nostris majorem, omittentes, pauca quaedam de ejus vita et martyrio ab auctore Stròmatum Clemente, aliorumque veterum hominum scriptis, repetita vobis, venerandi auditores, exponam, et ita narrationi huic finem imponemus, divinis literis concedentes, ut hujus viri semper decantati et celeberrimi caput magnifico illo praeconio coronent: *Erat Barnabas vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide* (*Act.* XI). Quid huic praeconio par, aut unquam fuit simile?

§ 4. Ortum duxit beatissimus hic vir de laudatissima illa tribu Levi, ex qua Moses et Aaron, magni illi Dei prophetae et populi optimates ortum duxere, cujus cognationis etiam Samuel propheta particeps fuit. Ejus autem proavi bellorum causâ cum ad Cypriorum regionem migravissent, aequo animo illic habitabant. Erant autem viri admodum religiosi, Dei legem reverentes, et valde divites: quamobrem et Jerosolymis facultates multas possidebant, et agrum prope urbem illam pulcherrimum, non solum omnium generum fructuosis arboribus elegantem, sed aedificiorum magnitudine valde illustrem. Ex quo enim tempore Isaias propheta ita reliquit scriptum: Beatus, qui habet semen in Sion, et domum in Jerusalem: hanc ejus prophetiam Hebraeorum filii corporeo sensu interpretabantur, et ditissimus quisque dabat

* Synonymiae nimis frequentis, et otiose in laudum congerie productae, taedio lectorem aliquantulum levare curavimus. Caeterum hanc historiam, merito (si pauca excludas) Baronius sub anno 485, *omni acceptione dignissimam* dicit.

operam, ut aliquid in urbe Jerosolyma possideret. Cum vero in Cypriorum regione natus esset, et parentes elegantem puerum vidissent, statim Joseph eum nominarunt, puerum suum Patriarchae illius appellatione honorantes. Factum vero est, et cum nominis appellatione, morum etiam nobilitas conveniret, si quis enim vocem hanc, Joseph, interpretetur, inveniet idem valere, quod Dei additamentum: additus enim fuit a Deo justus hic vir Apostolorum coetui, et sacro Sanctorum consortio. Ad haec eamdem vocem, Dei gloriam interpretari possumus.

§ 5. Cum vero Barnabas ipse adolevisset, illum in urbem Jerosolymam parentes perduxerunt, et Gamalieli legem ac Prophetas diligenter edocendum tradiderunt, qui et Paulum, tunc Saulum appellatum, condiscipulum habebat. Quotidie vero Barnabas magis proficiebat, tum doctrinâ, tum omni virtute; nondum tamen ad Levitarum ordinem aggregatus fuerat, eo quod non erat aetate illa quam ea res postulabat: adhuc enim cum ephèbis numerabatur. Non tamen a templo discedebat, cum in jejuniis ac precibus die ac nocte versaretur. Ita vero leges et reliqua divina scripta memoriter pronunciabat, ut literarum monimentis non indigèret, quietemque ipsam tam charam habebat, ut temperantiae matrem illam esse duceret. Perniciosas vero hominum consuetudines execrabatur, ac vehementer fugiebat, purum et a vitiis intactum seipsum ita conservans, ut virtutis esset spècimen quoddam. Quamobrem apud omnes existimatione et gloriâ florebat.

§ 6. Accidit autem, ut tempore illo Dominus Jesus Christus Jerosolymam veniret, et paralyticum in probatica piscina sanaret, aliaque signa multa et prodigia in templo ederet. Illa omnia cum Barnabas vidisset, obstupuit, et statim ad Christi pedes se abjecit, eumque precatus est, ut illi benediceret. Christus autem, qui cor hominum et animos inspicit, Barnabae fidem gratam habens, benevole ipsum accepit, et divini sui congressus eumdem participem fecit: qua re ad Christi charitatem magis accendebatur. Quam primum vero adiit domum Mariae matris Joannis qui Marcus postea dictus est: quae Maria * ejus matertera esse dicebatur, quamobrem et Marcum Barnabae consobrinum appellabant. Illam cum adiisset: Age, inquit, mulier, veni et vide quae patres nostri videre concupiverunt: ecce enim Jesus quidam propheta e Nazareth Galilaeae in templo est, magnifica quaedam edens miracula, qui multis videtur Messias esse qui venturus erat.....

§ 7. Tunc vero Barnabas secutus est Dominum revertentem a Jerosolymis in Galilaeam. Cum autem multi undique ad Dominum convenirent, et ejus fidem sequerentur, dixit discipulis suis: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Itaque designavit

* In Martyrol. memoratur XXIX huj.

septuaginta illos discipulos quorum primus dux et summus erat magnus Barnabas. Sed nemo audiens Apostolos hanc appellationem illi viro imposuisse, temere et sine divino consilio id factum fuisse opinetur: nam Petrus ipse illi nomen hoc imposuit, ille, inquam, Petrus, qui per Sancti Spiritus revelationem filii Dei theologiam edidicit. Et quemadmodum Jacobus et Joannes propter virtutem, *filii tonitrui* vocati sunt, ita et Barnabas virtutis suae causâ *filius consolationis* appellatus est, quippe qui propter sanctitatis praestantiam omnibus consolationi fuit.

§ 8. Idem cum audisset Dominum docentem, *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam, et facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum numquam deficientem in coelis* (*Lucae* XII): nihil moratus, statim rem omnem pretiosam a parentibus mortuis sibi relictam vendidit, et egentibus distribuit: sibi vero solum agrum unum reservavit, unde ali posset. Postea vero quam Dominus crucem perpessus est, et a mortuis resurrexit, ac Spiritum Sanctum ad discipulos suos misit, tunc divinus Barnabas Christi charitate magis inflammatus, illum etiam agrum vendidit, cumque multum pecuniae ex ejus pretio accepisset, omnem pecuniam illam ad Apostolorum pedes deposuit, neque quicquam omnino sibi reservavit, suo exemplo omnes discipulos ad eamdem virtutem alliciens. Ille et cum Saulo disputabat, quem ad Christi Domini fidem perducere cupiebat. Saulus autem cum legis institutione diligenter atque accurate niteretur, Barnabam ipsum ut deceptum irridebat, et in Christum maledicta jaciens, fabri filium, idiotam et agrestem hominem appellabat, quem ut et morte violenta sublatum deridebat. Cum vero miracula, quae per Apostolos efficiebantur, et populi multitudinem indies majorem ad fidei praedicationem confluentem videret, animo cruciabatur: cumque una cum Libertinis, Cyrenensibus atque Alexandrinis magnum illum Ecclesiae oratorem Stephanum adortus esset, neque sapientiae et Spiritui, qui per Stephanum loquebatur, resistere posset, insaniâ et furore multo correptus, inordinatos populi homines contra Stephanum concitavit. Quo interfecto, persecutionem magnam commovit adversus Ecclesiam, quae erat Jerosolymis *.

§ 9. Cum vero de his, qui propter Stephani caedem atque angustias dispersi Antiochiam venerant, et Christi Evangelium praedicaverant, auditum fuisset ab iis qui erant Jerosolymis, Apostoli beatum Barnabam, magnum et potentem virum, ad sanctissimum Ecclesiae quae illic erat, et Christi gregem pascendum miserunt. Qui cum illuc venisset, multo adjumento fuit hominibus Christi fidem sequentibus: ejus enim divina praedicatione ac doctrinâ factum est, ut multa populi accessio ad Christum fieret. Cum vero divino Spiritu ductus Barnabas, ab urbe Antiochia

* Deductiones oratorias eliminavimus quos refûtant Bollandiani.

egressus esset, urbes omnes ac regiones peragravit, Christi Evangelium longe lateque diffundens, neque prius destitit, quam ad urbem Romam omnium maximam venerit. Ex universis enim discipulis Christi primus Evangelium in urbe Roma praedicavit. Cumque multi ad Christi fidem venissent, et Barnabam ipsum summe honorarent, humana gloriâ rejecta, clam fugiens, Româ exiit (*a*). Etenim beatus ille vir ita omnes homines, qui erant temporibus illis, animi submissione ac modestiâ superabat, ut ad hujus virtutis culmen perveniret. Id quod declarat ejus historia. Cum enim divinae literae ubique virum hunc cum primis nominent ac laudent, ipse primas aliis concedens, secundas partes amplexus est.

§ **10**. Postea cum idem Barnabas ad Aegypti urbem Alexandriam venisset, et Dei sermonem ibi praedicasset, illinc exiit, pèragrans deinceps urbes omnes, quoad venit Jerosolymam. Unde etiam egressus, reversus est Antiochiam. In qua cum Dei gratiâ Ecclesiam copiosiorem factam vidisset, valde gavisus est. Inde autem discedens, Tarsum venit, Paulum quaerens: quem inventum Antiochiam perduxit. Ibi cum totum annum transegissent, et multum populum ad Christi disciplinam transtulissent cumque ibi primum Christi discipulos Christianos vocassent, atque illinc accepissent ab Ecclesia, quae pauperibus distribuerent, ascenderunt rursus Jerosolymam quartodecimo anno postquam Dominus Jesus Crucem pertulit *, quemadmodum scribit Paulus, cum dicit: Quatuordecim annis postea Jerosolymam ascendi cum Barnaba. Cum vero ministerium complevissent, et fidem ac dexteram ab Apostolis datam accepissent, ut ipsi ad gentes profecti, ii vero, qui cum Petro erant, circumcisis praedicarent, descenderunt Antiochiam, habentes Marcum ministrum. Missi autem a Spiritu Sancto ex urbe Antiochia, venerunt in Cyprum, et totam insulam peragrarunt, Salaminâ Paphum usque, Evangelium praedicantes, et miracula facientes: quo tempore Elymam excaecarunt, et Proconsulem Sergium Paulum fide illuminarunt (*Vide Act.* XIII, 8).

§ **11**. Postea vero quam multos ad Christi disciplinam converterunt, e Cypro discedentes, venerunt Pamphyliam. Cum vero Marcus ipse Apostolos vidisset pro Evangelii praedicatione pericula subeuntes, neque honori studentes, sed brevem et caducam hanc gloriam derelinquentes, ad bellum contra infideles homines suscipiendum properare, ipse ad pericula subeunda claudicare

(*a*) Inde Mediolanum tunc Romae tantum in Italia secundam venisse et hanc perillustrem Ecclesiam, circa annum Chr. LIII vel paullo post instituisse plura graeca aeque ac latina monumenta testantur. Vide hac de re Sermonem Ven. Bedae in laudem S. Barnabae cap. 9, atque Hist. Datianam passim. Quinque vel ad summum septem annos videtur S. Apostolus in Insubria versatus diversos erudiens circumsistentes populos, vel per se vel per idoneos ministros. Primi tunc post Mediolanenses creduntur fide imbuti, Cenomanorum colonia, Brixienses, ad quos Barnabas Anathalonem misit evangelicum virum quem e Graecia secum duxerat; qui Barnabae ipsi in Mediolanensi Sede immediate successit (vide ad diem XXV sept.).

* Non a passione Domini sunt 14 anni computandi, sed a reditu ipsius Pauli ex Arabia.

coepit, quippe qui adolescens erat formidolosus, et infirmior quam ut mortem contemnere posset. Derelictis igitur Apostolis, reversus est Jerosolymam ad matrem suam. Cum vero Apostoli Barnabas et Paulus opus complevissent ad quod missi fuerant, et infinita pro Christo certamina sustinuissent, venerunt Antiochiam, unde a divina gratia missi sunt ad Gentes. Necesse autem fuit rursus proficisci Jerosolymam ad Petrum Apostolum propter falsos illos apostolos, qui docebant discipulos, ut se circumciderent, et legem servarent. Cum autem Marcus illos ab omnibus honoratos videret, quodque post multa illa verbera et pericula robustiores facti essent, et integris corporibus praediti: propriam imbecillitatem accusans, doluit quod factum a se fuerat, et ad Paulum quidem ipsum erubuit se conferre, Barnabam vero adiit lacrymans: cumque ad ejus pedes se abjecisset, eum rogabat, ut superioris errati veniam impetraret, et ejus precibus firmior fieret in posterum, futurum promittens, ut omnia mortis genera pro Domini nostri Jesu Christi nomine, prompto animo sufferret. Multis his lacrymis Barnabas flectitur, eumque hortatus, ut a luctu desisteret: Fiat, inquit, quod Deus vult, modo tu paratus sis praestare quod promiseris.

§ 12. Cum vero scripta accepissent quae ab Apostolis in urbe Jerosolyma decreta fuerant, descenderunt Antiochiam, et una cum fratribus exultabant. Marcus autem ipsos animo parum fidenti secutus est. Post haec visum est Barnabae et Paulo peragrare urbes omnes, et fratres visere. Tunc Barnabas Paulum rogabat, ut Marcum secum una venire pateretur, quippe qui paratus esset usque ad mortem pro Christi fide certamen sustinere. Paulus vero contra rogabat Barnabam, ut secum una Marcum non haberent. Hinc occasio quaedam nata est, ut Apostoli a se vicissim separarentur, divina providentiâ id utiliter permittente. Deus enim ipse Marcum populorum et gentium multarum pastorem ac magistrum creaturus erat.

§ 13. Sed nemo imprudenter proprio affectu metiatur, quod est in sacra de Apostolorum actis historia, quo loco de Paulo et Barnaba narratur illud: Facta est dissensio ita ut discederent abinvicem. Non enim ad hoc iracundiae aut furoris affectu impulsi sunt Christi Apostoli: nam qui carnem cum affectibus et cupiditatibus crucifixerunt, qui voce magna sic omnes Christo credentes admonebant: *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia* (*Ephes*. IV), qui fieri potest, ut illiipsi in hujusmodi affectum inciderint? Scimus autem, et ex divinis literis dissensionum diversitatem cognovimus, ut cum ait Apostolus: *Consideremus nosmetipsos in provocatione charitatis, et bonorum operum* (*Hebr*. X). Talis fuit et Apostolis dissidendi ratio, hoc est, Dei zelus. Paulus enim accuratam censuram requirebat, Apostolicae professioni convenientem:

Barnabas vero ad humanitatem propensior erat: quamobrem et Marcum secum habens, in Cyprum navigavit.

§ **14**. Cumque eam insulam totam peragrasset, populos multos ad Christi fidem convertit, et Salaminam venit, ubi paulisper moratus est, edens miracula, et praedicans regnum Dei: quo loco turbae multae ad Christi fidem accesserunt. Disputabat autem cum Judaeis in Synagoga omnibus sabbatis, divinarum literarum testimoniis Jesum Christum illum esse probans, quem Deus promiserat. Omnes autem Barnabam reverebantur propter divinam quamdam honestatem, quae in illius aspectu vigebat. Erat enim oris specie valde gravis, habitu ac veste admodum tenui, cujusmodi illorum est, qui, delicias abjicientes, in virtutis exercitatione versantur. Erat superciliis contractis, et oculis hilaritatem prae se ferentibus, non torvum aliquid, sed grave quiddam in se habentibus, et reverenter admodum deorsum spectantibus. Oris honestas et labra decora, mellis suavitatem distillantia, in eodem illo inerant. Non enim aliquid unquam pronunciabat, quod foret supervacaneum. Ejus incessus compositus, et ab ostentatione alienus, totus denique omni ex parte Apostolus Barnabas erat tanquam recta quaedam Dei columna, omnium virtutum splendore illustris.

§ **15**. Hic cum in urbe Salamina Christi praedicationem doceret, venerunt e Syria Judaei quidam, qui maledicta in eum conjicientes, quaeque ab illo dicebantur oppugnantes, turbam contra ipsum excitaverunt, criminantes nihil veri ab eo dici: sed quem ipse Jesum Christum fuisse diceret, eum fallacem quemdam hominem, et Deo ipsi contrarium fuisse, legem, prophetas et sabbati observantiam reprobantem. Iidem et Barnabae interficiendi opportunitatem observabant. Sanctus vero Christi Apostolus Barnabas, cum omnes fratres congregasset: « Vos, inquit, scitis, quomodo una vobiscum omni tempore versatus fuerim, unum quemque admonens et hortans, ut in gratia et Domini nostri Jesu Christi fide constanter permaneatis, et ejus praecepta observetis, et ab omni pravo opere mentem et manus cohibeatis. Namque *oportet omnes nos sisti ante tribùnal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis sui*, quae fecerit, sive bona, sive mala: *praeterit enim figura mundi hujus* (2. *Cor*. v), et Dominus venturus est de coelo judicare vivos et mortuos. Nolite igitur negligentes esse, scientes, quod qua horâ non putatis, Dominus noster veniet. Aerumnas et labores libenter perferatis, corda vestra spe confirmantes, quod adventus Domini prope sit. Recordemini quae vobis saepe dixi, praesentis vitae res, sive prosperae, sive adversae illae sint, breves et caducas esse, omniaque haec celeriter praeterire: futuri vero illius seculi bona semper in eodem statu permanere, aeterna et finem nullum habentia. Neque enim regnum coelorum aliquando praeterire poterit: neque judicium

illud finem habebit, sed semper erit, his, qui peccando vitam transegerunt, immortalem poenam afferens, et finem nullum habituram. Date igitur operam, ut sine culpa et labe in die illo extremo inveniamini, ne in gehennam sempiternam decidatis. Memoriâ repetite, quot signa et prodigia per me servum suum Deus ipse apud vos effecerit, et pro me Deum orate. Ego enim jamjam immolandus sum, et tempus illud prope est, quo ab hoc corpore dissolvendus sum, sicut Dominus noster Jesus Christus mihi significavit.»

§ **16**. Haec cum dixisset, una cum omnibus Deum oravit: multusque fletus hominum fuit, eo quod Apostolus ille dixerat, tempus prope esse, quo a corpore dissolvendus foret. Barnabas vero cum panem et calicem sumpsisset, et divini ministerii ordinem totum complevisset, una cum fratribus participes factus est Eucharistiae mysteriorum. Quo facto, Marcum secum habens secessit, et ipsi seorsum dixit: Hodie infidelium Judaeorum manibus me consummari oportet: tu vero extra civitatem Occidentem versus egredere, et corpus meum invenies: quod cum sepelieris, exi e Cypro, et ad Paulum proficiscere, et esto cum illo, quoad Dominus res tuas disposuerit: futurum enim est, ut nomen meum per totum orbem terrarum divulgetur.

§ **17**. Post haec ingressus est Barnabas in Synagogam, et Judaeos ipsos docebat, illis persuadere studens, Dominum Jesum esse Christum viventis Dei filium. Illi vero Judaei, qui e Syria illuc venerant, furore perciti, e Synagoga surrexerunt, et manibus in eum conjectis, in obscuram quamdam Synagogae illius cellam usque ad multam noctem custodierunt. Cumque illum eduxissent, et multis cruciatibus affecissent, postremo nefarii homines eumdem lapidaverunt, et accenso rogo quodam magno, beatum Barnabae corpus in eum conjecerunt, ut nullae ipsius reliquiae superessent. Divina vero providentiâ factum est, ut Apostoli corpus integrum permaneret, neque ab igne ipso laederetur, Marcus igitur, ut Barnabas praeceperat, extra urbem egressus Occidentem versus cum quibusdam fratribus, reliquias sancti Barnabae clam abstulit, et in spelunca quadam, stadiis fere quinque ab urbe distante, sepelivit. Mox in urbem reversi, planctu eum prosecuti sunt.

§ **18**. Illo autem tempore contra Salaminae urbis Ecclesiam persecutio magna commota est, omnesque alii alio dispersi sunt. Itaque sancti Apostoli Barnabae sepulcrum deinde ignotum erat. Proinde Marcus cum e Cypro navigasset, ad Paulum venit, qui erat Ephesi, eumque de Barnabae martyrio certiorem fecit. Id cum ille audivisset, lacrymavit, et Marcum secum tenuit. Postea vero cum Petrus Apostolus divina revelatione jussus esset Romam proficisci, secum duxit et Marcum, quem quodammodo sibi filium genuerat. Illi cum essent in urbe Roma, Evangelium

Marcus * conscripsit: quod Petrus Apostolus legit, et divino Spiritu scriptum cognovit, atque approbavit. Itaque Marcum ipsum per manuum impositionem ordinavit, et ut maxime idoneum in urbem Aegypti Alexandriam, Lybiam et Pentapolim misit. Quo cum Marcus venisset, Domini Jesu Christi Evangelium illis regionibus praedicavit, ita ut multi ad Christi fidem conversi fuerint. Cum vero novem annos Dei fidem Marcus in ea regione docuisset, martyrio in urbe Alexandria functus est.

§ **19**. Multo autem tempore postea, cum Christiana fides latius fusa esset, et Imperatores Christiani Romanorum imperio potirentur, miracula quaedam magna Deus ipse in eo loco edebat, ubi reliquiae sancti Apostoli et generosi martyris Barnabae repositae fuerant. Nam cum multi homines impuros spiritus habentes, per locum illum transirent, spiritus ipsi voce magna clamantes egrediebantur. Multi etiam paralytici, et claudi, variisque morbis et cruciatibus vexati, ad eum locum profecti pernoctabant: qui omnes curabantur: ob idque Salamina civitas gaudio magno perfundebatur. Quod vero divina quaedam potentia in eo loco miracula efficeret, id quidem omnes cognoscebant: quaenam tamen esset causa gratiae illius tam copiosae, id nequaquam intelligere poterant. Regionem autem illam sanitatis locum indigenae appellabant.

§ **20**. Cum vero beatus Martianus obiisset, sanctae memoriae Leo Imperio successit. Huic erat gener Zeno Isaurus genere, qui post Leonem et ipse Imperator fuit. Tempore autem illo in religioso Acoemetensium monasterio extitit monachus quidam, qui, ut Judas inter Apostolos, diaboli mores imitabatur. Illi nomen erat Petrus,** qui fullonis artem exercebat, sanctam vero Synodum in urbe Chalcedone celebratam aversabatur, et dogmatis Eutychiani erat propugnator. Ejusmodi hominem, ut corruptorem et pestilentem, atque Apostolicorum dogmatum hostem acerrimum, ejus loci homines e monasterio expulerunt. Qui cum illinc expulsus fuisset, Constantinopolim profectus est, et assentatorum vitam imitatus, modo hanc, modo illam domum obibat, ventri et gulae serviens: cumque execrabilis suae haeresis participes homines quosdam honore praeditos invenisset, illis adhaerere coepit, per quos etiam in ejus notitiam venit, qui erat gener Imperatoris, patritius et excubitorum Comes: sic enim appellabatur, qui excubiis praesidebat. Itaque Petrus ille cum religionis specie quadam se induisset, erat quidem assidue cum Zenone Imperatoris genero, non audebat tamen propriam impietatem aperire. Eundem autem Zenonem ad Orientis partes proficiscentem secutus est fullo ille usque ad urbem Antiochiam: ubi cum multos Apollinaris

* Sed tutius Card. Baronii adhaerendum sententiae est, qui *plane constare* putat *ex temporum, locorum ac rerum diversitate, eosdem* (nempe Marcum consobrinum Barnabae et Marcum Evangelistam) *inter se esse distinctos.*

** Nota historiam Schismatis PETRI FULLONIS.

sectatores invenisset, una cum illis contra Patriarcham temeritatem exercuit, adversus eum seditiosissimum quemque hominem concitans, et Chalcedonensem synodum convicians, ac Patriarcham ipsum Nestorianum appellans.

§ 21. Cum igitur Antiochena civitas multa seditione et tumultu perturbaretur, Petrus ille Comitem Zenonem dolo aggressus: Nisi, inquit, hujus civitatis Episcopus permutetur, fieri non potest, ut populus quiete vivat. Quinetiam multam auri vim ei proposuit, si ab eo impetraret quod petebat: patefecit enim illi consilium suum, quod antea occultaverat. Tunc infames quosdam et improbos homines, qui eadem quae ipse sentiebant, persuasionibus suis secum duxit, et gravissima quaedam scelera contra Patriarcham falso conficta, ad Imperatorem detulit. Sed ejus malitia nihil profecit cum Imperator Apostolicorum dogmatum esset propugnator. Postea vero, quam Leo ipse terrestre Imperium dereliquit, et ad immortale illud regnum translatus est, Imperio successit Zeno. Antiocheni vero, quos supra diximus, Imperatori supplicationem obtulerunt, petentes fullonem illum Petrum sibi Episcopum creari. Id quod factum est, auro ipso omnibus, qui erant in aula regia, persuadente, ut Petri fullonis patrocinium susciperent. Statim igitur ut Petrus ille ordinatus est Episcopus, sanctam Chalcedonensem synodum anathemate fuit detestatus. Cumque Apollinaris sectatoribus placere studeret, qui Theopaschiani appellabantur, eo quod Deum ipsum passum fuisse dicebant, novitatem quamdam pessimam excogitavit, ut hymno illi, qui Trisagion appellatur, hoc etiam in fine adderet: Qui crucifixus est propter nos. Haec cum sancti Episcopi et patres nostri audivissent, ad pravam illius opinionem refrenandam alacri et prompto animo aggressi sunt: et primum quidem literis eum ab impietatis voragine revocare conati sunt. Sed cum eumdem repugnantem majore audaciâ et temeritate contra fidem orthodoxam efferri vidissent, omnes, qui sunt in orbe terrarum, Episcopi, sententiâ pronunciata, sub anathemate illum expulerunt.

§ 22. In hac orationis parte libenter eos, qui ex nostris hominibus non vitio, sed quadam mentis levitate, novitatem hanc temere amplexati sunt, his verbis compellarem: Quaenam causa vos, fratres, adduxit, ut recte sentientem patrum nostrorum doctrinam relinqueretis, et novitatem ab haereticis nuper excogitatam sequeremini? Animadvertendum vobis erat, quemadmodum sancti Patres nostri non fictas fabulas secuti, nobis hunc hymnum canendum tradiderunt, sed divina quadam revelatione docti quae non uni aut alteri, neque in aliquo terrae angulo, sed meridie ipso in luce clarissima universo Constantinopolitanae urbis populo Christi amantissimo facta est, quo tempore beatissimus pater Episcopus et magister cum primis probatus Proclus Constantinopolitanae sedi praesidebat. Quicquid autem divina

gratiâ suggerente divinitus nobis revelatum est, illud nulla ex parte mancum, sed omnino perfectum est, et ad salutem idoneum, non indigens humanarum argumentationum inventis, neque additamento, vel subtractione aliqua, ut divinae literae docent, cum dicunt: Verbum, quod ego praecipio tibi hodie, vide ut illud valde observes, neque quicquam addas, neque ab eo aliquid imminuas, cum re vera divinis eloquiis aliquid addere, vel detrahere, periculosum sit, et perniciem iis, qui haec faciunt, magnam afferat: non enim ii sumus, qui Christum corrigere possimus, sed qui Christo subjici et obedire debeamus. Haec, et multa alia licet de hac re dicere nostris hominibus ita sentientibus, quos doceri cupimus, extremae inscitiae esse, haeretici hominis novitatem admittere. Desinant igitur cum haeretico homine deinceps sentire.

§ **23**. Itaque cum Petrus ille ab omnibus Episcopis sub anathemate (ut diximus) damnatus esset, et Zeno propter invasionem Basilisci ab Imperio aufugisset, ipse quoque fugiens ad ignota quaedam loca se contulit. Postea vero quam Zeno ad Imperium reversus est, Petrum fullonem requisivit, et Antiochenae Ecclesiae Episcopum restituit, cum nondum anathemate liberatus esset: beatum vero Calendionem Patriarcham in Oaxim exulem relegavit, fullone illo Antiochenae sedis Episcopatum vi capiente. Qui ut impius, et nullam spem reliquam habens, tyrannidem ipsam impune, vel scelerate potius, exercebat, interficiens, proscribens, et omnes eos fugans, qui nolebant cum ejus impietate communicare. Sed haec quidem missa faciam, cum multa sint, et propriam historiam requirant. Conferet autem se oratio nostra ad id, quod magis urget, ut sancti Apostoli Barnabae gratiam omnibus notam faciamus, et quanta patriam suam curâ et benignitate prosequatur, declaremus.

§ **24**. Cum nondum contentus esset Petrus fullo innumerabilibus illis malis, quibus Orientis partes affecit, in provincias etiam illas quae nihil ad eum pertinebant, manus injecit. Cum enim Imperatoris, et eorum qui erant apud Imperatorem gratiosi, lenitatem auro sibi comparasset, ipsius etiam Dei legem deinceps contempsit, et Cyprios homines Dei et fidei amatores, ac recta sentientes, omnibus modis vexare cogitavit, quoniam ejus insulae habitatores pietatem a patribus suis traditam servantes, recusabant cum ejus impietate communicare. Itaque Cypri sedem sanctissimam, et a principio inde usque ab Apostolorum tempore liberam, ipse arripere et sibi subjicere aggressus est, idque ad Imperatorem retulit, falsum deferens ac dicens: Quoniam verbum Dei ab urbe Antiochia ad Cyprum insulam manavit, ob id Cypri Ecclesiam sub Antiochenae sedis Patriarcha esse oportet, quandoquidem Apostolica et Patriarchica sedes est.

§ **25**. Haec illi rectae fidei et sententiae desertor contendebat,

cum tamen non ignoraret ea quae in urbe Epheso sancta illa Synodus, Cyrillo praesidente, definierat, a se violari atque corrumpi. Sed pietatis praeco, et sanctissimus Apostolus Barnabas patriae suae opportuno tempore subveniens, illius Petri stultitiam vel malitiam potius redarguit. Cum enim Episcopus Salaminae jussus fuisset ad regiam urbem se conferre, et adversus Antiochenos coram Patriarcha causam dicere, prae timore torpescebat, Fullonis illius insidias suspectas habens. Erat tunc Salaminae urbis Episcopus Anthemius, vir cum primis admirabilis, quod ad rectam fidem et vitae innocentiam pertineret, sed ad disputationem cum adversariis sustinendam, parum valebat. Cum igitur ancipiti cogitatione fluctuaret, neque certum haberet, quid ageret, num videlicet Constantinopolim proficisci deberet, necne: nocte in somnis astitit illi quidam, divinam quamdam speciem prae se ferens, et luminis splendore multo effulgens, lucidaque veste indutus, ac sacro habitu decorus, qui et haec dixit: Cur ita tristis es nunc, Episcope? Quomodo tantus iste torpor te corripuit? Cur vultus tuus ita concidit? Nihil mali ab adversariis tuis patièris. Haec cum dixisset, ab Anthemio discessit: qui experrectus, et timore perterritus Episcopus, in faciem se prostravit, et multis lacrymis Deum ita precatus est: Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, adjuva Ecclesiam hanc. Scio autem, quod illam àdjuvas. Si visio haec a te profecta est, fac, quaeso, ut eadem iterum, ac tertio mihi ostendatur, ut te mecum esse certo scire possim.

§ **26**. Interea Episcopus ille divinis precibus attentius vacabat, ab omnium hominum congressione remotus. Nocte autem quae deinceps consecuta est, cum astitisset idem ille vir eadem formâ et habitu, quo antea visus fuerat: Jam, inquit, tibi dixi, nihil mali te passurum ex iis quae tibi adversarii minantur. Nihil igitur suspicans, prompto animo ad urbem Constantinopolim venias. Haec cum dixisset, discessit. Episcopus vero rursus Domino gratias egit, neque quicquam alicui dixit, sed expectabat tamen revelationem tertiam. Nocte igitur consequente idem vir apparuit, qui gravius eum increpans: Quousque, inquit, non vis credere verbis meis quae diebus his complenda sunt? Proficiscere in urbem regiam prompto et àlacri animo: illinc enim cum gloria revertèris, neque quicquam mali ab adversariis passus fueris, cum Deum ipsum propter me servum suum tui propugnatorem habeas. Tunc Episcopus: Quaeso, inquit, Domine mi, dic: Quis es tu qui haec mecum lòqueris? Tum ille ait: Ego sum Barnabas, discipulus Domini nostri Jesu Christi, segregatus a Spiritu Sancto, ut una cum Paulo Apostolo electionis vase munus Apostolicum inter gentes exercerem. Hujus rei signum hoc habeas: Egredere extra urbem Occidentem versus stadiis quinque, in eam regionem quae Sanitatis locus appellatur (per me enim Deus

ipse in loco illo miracula efficit), et sub arbore Siliqua effodias: speluncam enim atque arcam invenies, quoniam illic totum corpus meum conditum est, et Evangelium manu propria scriptum, quod a sancto Apostolo et Evangelista Matthaeo excepi. Quoniam vero adversarii tui sursum et deorsum miscentes omnia, et jura quaedam objicientes, tecum disceptant, Antiochiae sedem Apostolicam esse contendentes, et tu contra jus tuum illis opponas: Et mea, inquiens, Sedes Apostolica est: nam et Apostolum habeo in patria mea. His dictis, Barnabas discessit.

§ **27**. Episcopus vero experrectus, Deum adoravit, totoque clero et populo Christi amantissimò congregato, exiit in eum locum, quem per revelationem didicerat, multo apparatu, et cruce ipsa praelata. Cumque preces ad Deum misisset, jussit locum effodi: quem postquam paulum fodissent, invenerunt speluncam lapidibus obstructam *. Illis autem sublatis, apparuit arca illa: qua detecta, invenerunt venerandas sancti et venerabilis Apostoli Barnabae reliquias, suavem gratiae spiritualis odorem spirantes, invenerunt etiam Evangelium supra Barnabae pectus impositum. Illam vero arcam plumbeo sigillo munierunt. Cumque Deum precati essent et adorassent, discesserunt, viris religiosis in loco illo ab ipso Episcopo constitutis, qui vespertinis et matutinis hymnis Deum collaudarent. Ille igitur insigniores Episcopos secum habens, venit in urbem regiam Constantinopolim, et ad Patriarchae domum deductus est. De cujus adventu cum Imperator audivisset, Patriarchae ipsi mandavit, ut cum Synodo quae illuc convenerat, omnium partium controversiam audiret, et quod illi videretur decerneret. Coacto igitur Concilio, cum causa illa tractaretur, adversarii afferebant sua jura, ut sibi videbantur, quod Antiochena Sedes Apostolica et Patriarchica Sedes esset: ob idque contendebant et alias provincias sibi subjectas esse debere.

§ **28**. Haec cum assererent, iis, qui praesentes erant, rationi consentanea dicere videbantur. Beatus vero Anthemius paulum moratus, contra objiciens: Et mea, inquit, Sedes Apostolica fuit, inde usque a principio et libertate honorata, qui et Apostolum habeo in patria mea integro corpore constantem, beatissimum inquam illum Barnabam, sanctarum laudum praeconiis celeberrimum. Hoc cum Anthemius opposuisset, nihil loci adversariis relictum est, cum Episcopi, qui praesentes erant, silentio Anthemii orationem confirmassent. Adversarii vero ipsi rubòre perfusi, muti remanserunt, responso illo tam justo perculsi. Haec cum Imperator audivisset, Episcopum Cypri ad se accersiri jussit, et de revelatione sancti Apostoli Barnabae diligenter ab eo quaesivit. Ille nihil ex his quae vera cognoverat, occultavit, sed ordine rem omnem Imperatori narravit. Ille haec audiens, valde gavisus

* S. Barnabae juxta allatam § praeced. revelationem venerabile depositum reperitur.

est, divinae gratiae divitias admirans, quod Imperii sui temporibus tantum miraculum a Deo factum cognosceret.

§ 29. Tunc Antiochenae urbis Episcopum illinc expulit, et jussit, ut in posterum Cypri Episcopo, quod ad eam causam pertinebat, nihil omnino molestus esset. Beatum vero Anthemium Episcopum ita rogavit: « Quoniam sancti Pontificatus tui temporibus Domino nostro Jesu Christo placuit, sanctum suum Apostolum Barnabam revelare, jube, quaeso, celeriter Evangelium illud, quod inventum est, nobis afferri. Id si feceris, mihi filio tuo gratissimum erit: habebis enim et meipsum posthac tibi, pater, in omnibus obtemperantem.» Assensus est ejus petitioni Episcopus, et quemdam ex iis, quos secum habebat, una cum fidelissimo Imperatoris ministro Episcopum misit: qui Evangelium illud in urbem Constantinopolim attulerunt. Erant autem libri tabellae thyinis lignis compositae. Evangelium illud Imperator in manus sumpsit, et deosculatus est, auroque multo exornatum in palatio suo reposuit, ubi ad hodiernum usque diem servatur, et in magna quinta Paschae feria quotannis in palatii oratorio Evangelium ex eo libro recitatur. Episcopum vero Anthemium magnis honoribus prosecutus, pecuniis multis donatum, ad insulam Cyprum remisit, eique mandavit, ut sancto Apostolo Barnabae templum in eo loco erigeret, ubi venerandae ipsius reliquiae inventae fuerant. Multi autem ex optimatium numero pro illius templi aedificatione pecuniam contulerunt.

§ 30. Ille igitur in Cyprum reversus, multos artifices atque operarios collegit, et aedificationi non mediocrem operam dedit, et Apostolo Barnabae templum valde magnum tum aedificio tum multo et vario ornatu insigne construxit. Ad eam vero templi partem quae ad Lybiam spectat, aulam quamdam composuit, quatuor porticus habentem, et cellas hinc atque illinc e regione sibi oppositas in aula construxit, ut qui divina officia in templo illo Monachi celebrarent, in illis cellis habitare possent. Quin etiam e longinqua regione aquaeductum derivari fecit, et in medio atrio concham quamdam pulcherrimam construxit, in quam aqua illa deflueret, ut tam qui eo in loco habitabant, quam qui peregre venissent, abunde aquis illis frui possent. Multa etiam alia hospitia illic aedificavit, in quibus peregrini et hospites recreari possent, ita ut qui locum illum vidisset, parvae alicujus et jucundae urbis figuram videre sibi visus esset. Dein arcam illam, in qua Barnabae Apostoli reliquiae conditae erant, in dextera sacrae arae parte collocavit, qui locus multo argento et marmoreis columnis ornatus erat. Diem vero festum, quo beati Apostoli et generosi martyris Barnabae memoria celebraretur, Patres agi per singulos annos constituerunt, tertio Idus Junii, ut Romani numerant: ut vero Cyprii Constantienses, die undecimo ejus mensis, qui ab illis dicitur Mesores, et decimus numeratur: ut autem

Asiani homines, vel Paphii numerant, decimonono mensis, qui Phthipatus dicitur, et nonus, numeratur. Hoc igitur anni tempore in eum locum, quem supra diximus, gentes plurimae conveniunt, et divina officia concelebrant in gloriam Patris, Filii et Spiritus Sancti, cui debetur gloria in secula seculorum, Amen.

§ **31**. Reliquiarum sancti Apostoli Barnabae revelatio ita se habuit, ut diximus. Quae vero miracula quotidie a sanctissimo ipsius sepulcro abunde proficiscuntur, ea si quis conscribere velit, ne multis quidem voluminibus (ut opinor) illa complecti poterit. Nos igitur ad eorum quae supra diximus, memoriam redeuntes, virum hunc pietatis causâ omnibus certaminibus egregie functum, ob idque coelesti coronâ donatum, hymnis divinis prosequamur, et eumdem beatum praedicantes, laudum praeconiis celebremus. Hic enim, tanquam oliva quaedam fructifera, in domo Dei plantatus, quotidie fructus suavem odorem spirantes Deo ipsi offert. Hic Imperatorum gloria, sacerdotum jucunditas, populorum exultatio, eorum, qui angustiis premuntur, consolatio, afflictorum profugium ac recreatio, desperatorum spes atque adjutor, peregrinorum requies, aegrotantium medicina, sanorum custos, spiritualium gratiarum fons, Ecclesiae murus, Orthodoxorum firmamentum, fidelium hominum propugnatio, totius orbis terrarum decus. Caeterum tot et tantae sunt, beatissime Apostole Jesu Christi Barnaba, laudes tuae, ut omnium hominum mentem atque orationem superent. Nihilominus tamen nostri sermonis paupertatem, exiguam illam quidem, sed promptam certe, acceptam habens, pro nobis, apud eum quem dilexisti, Christum unigenitum Dei Filium et Verbum, intercedere non graveris, ut ille a praesenti et laborioso hoc seculo nos eripiat, nobisque concedat, ut remissionem peccatorum, clementiam et misericordiam multam assequamur in illo die terribili, cum venerit judicare vivos et mortuos (*a*).

(*a*) Cum usque ad annum CCCCLXXVIII S. Barnabae corpus latuisset, nulla eousque, et ultra, Ecclesia (Cypriâ excepta) cultum S. Apostolo exhibuit. Sub saeculo autem VIII illius revelationis (vide § 27) famâ percrebrescente, coepere Ecclesiae tam Occidentales quam Orientales sacris honoribus Apostolum martyrem decorare; coeteras probabiliter Mediolanensis praecessit; cum primo in Anglia festum S. Barnabae ageretur, Ven. Beda Sermonem de eo habuit.

Data, Papebrochius docet, Ecclesiae pace a Constantino Magno, quaesierunt obtinueruntque Mediolanenses de sacris hujus Apostoli cineribus (non quidem corporis intacti divinitus servati, sed rogi in quem conjectus a Judaeis fuerat) qui religiose a fidelibus collecti fuerant et repositi. Saeculo autem VII cum innotuisset ubique Corporis Inventio, missi a Mediolanensibus civibus Legati Salaminam sunt qui sancti Ecclesiae suae conditoris saltem Caput impetrarent. Certe tam cineres praedicti tum Caput S. Barnabae Mediolani religiose asservantur, eorumque Translationem celebravit solemni pompa S. Carolus Borromaeus anno MDLXXI. Quid vero de reliquo corpore factum sit, occupantibus ab anno DCLXX Cyprum insulam Saracenis, non liquido constat. Reliquiae plus minusve insignes huc illuc dispersae feruntur. Capitis modicissimam partem Mediolano probabiliter allatam possidet Tholosae ecclesia S. Saturnini.

VITA B. PARISII BONONIENSIS

EX LIBRIS JACOBI DE VARAGINE SUMMATIM EXCERPTA
A DOCTISS. VIRO CAROLO SIGONIO.

Anno ob. 1267 — Annos natus circa 116 — Italus.

§ 1. Beatus Parisius Bononiae in Italia natus est circa annum salutis millesimum centesimum quinquagesimum. Is cum jam inde a primis annis magna singularis et insolitae cujusdam in illa aetate probitatis ac sanctitatis argumenta dedisset, postquam sese corroboravit, eodem illo religionis studio sic exarsit, ut seculo relicto, Camaldulensibus ascribi se coenobitis voluerit. Ibi vero cum per annos aliquot ita vixisset, ut non dubiam omnibus summae temperantiae, eximiae castitatis, omnisque demum monasticae moderationis opinionem attulisset, visus est coenobii praefectis idoneus, qui sacerdotis' officio, quem Capellanum appellant, monachas S. Christinae Tarvisii gubernaret. Quam curam libenter ille obedientiae Christianae causâ suscepit, ac munus illud plurimos annos maxima cum sui laude administravit, vitâ assidue in jejuniis, vigiliis, divinis precationibus, corporis afflictionibus, et manuum operibus sine ulla omnino hominum obtrectatione, aut virginum ipsarum querela traducta.

§ 2. Quin etiam in eo officio jam effoetis corporis viribus, ut qui annos circiter centum sexdecim ageret, expiravit, cum annus salutis ageretur millesimus ducentesimus sexagesimus septimus, tertio Idus Junias. Caeterum cum et vivens et mortuus, aliquot miraculis editis, hominum in se oculos convertisset, Albertus Episcopus Tarvisinus, homo gravissimus, faciendum sibi esse putavit, ut vitam ejus, certis adhibitis de more Ecclesiae testibus, exploraret: atque constanti eorum testimonio cognitum est, superiorem omnem longissimae illius vitae consuetudinem morti sanctissime obitae, et multis signis illustratae, facillime respondisse.

—

VITA S. HONUFRII EREMITAE

ET ALIORUM PATRUM

QUOS EGO PAPHNUTIUS ANACHORETA, DEI PROVIDENTIA, UT COGNOSCEREM DIGNUS FUI HABITUS, ET QUORUM AUDEO PIIS AC RELIGIOSIS FRATRIBUS NARRARE HISTORIAM. — HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE.

Flor. Saec. IV.

§ 1. Quodam die studium adhibui, ut in interiorem venirem solitudinem, et viderem an esset ullus alius frater monachus, qui interius meo serviret Domino. Cumque surrexissem, profectus sum iter quatuor dierum in interiorem solitudinem; licet nec panem interim comedissem, neque vinum aut aquam bibissem. Quarto autem die, cum pervenissem ad antrum venerabile, mansi horâ una pulsans ostium, sperans fore, ut pro more egrederetur aliquis ex fratribus, et me ipse salutaret. Cum vero pulsassem, et nemo respondisset, aperui ostium, et ingressus sum clamans, Benedic. Cumque vidissem quemdam sedentem, tetigi ejus humerum: fuitque tanquam lanùgo. Cumque reliquum corporis contrectassem, inveni eum jam longo tempore mortuum. Vidi vero pendens quoque colobium. Cumque ego id tetigissem, evasit non secus ac pulvis in manu mea, adeo ut ego statim me veste propria exuerim, et mortui corpus contexerim, promptoque et alacri animo propriis manibus effossa terrâ arenosa, ejus deposuerim reliquias cum precibus et multis lacrymis.

§ 2. Illinc autem egressus, profectus sum ad interiores partes solitudinis. Invenio autem in altera spelunca veluti vestigia hominis. Cumque cognovissem aliquem in ea habitare, fui parum animo commotus. Cum autem pulsassem, et nullam vocem audiissem, ingressus sum in eamdem speluncam. Cumque nullum invenissem, sum egressus, reputans servum Dei illic solitum se exercere. Cum autem invenissem propriam ejus cellam, in qua similiter nullus erat, perseveravi manere toto die, cupiens salutare hominem, et citra ullam intermissionem dicens ex psalterio. Cum ille autem dies finiretur, vidi gregem bubalorum venientem, et fratrem ambulantem in medio eorum. Cum vero ii prope me venissent, illum quidem vidi virum veste nudum, pilis autem tectum corpore. Qui cum pervenisset in eum locum in quo stabam, et me putasset esse spiritum, mansit orans. Multi enim spiritus in iis locis eum tentarant, quemadmodum ipse postremo

mihi narravit. Dixi autem ei: « Cur times, serve Jesu Christi Dei nostri? Contemplare et vide gressus meos, ut scias, quod sum homo sicut tu: palpa me, ut videas, quod caro et sanguis ego sum. » Ipse autem cum me esset contemplatus, et gratias egisset, dixit, Amen. Ego vero rogavi eum, et persuasi ut me in suam speluncam deduceret. Ille autem ex me quaesivit, quomodo eo accessissem. Ego vero ei audacter scopum meum et institutum exposui, nempe quod cum vellem cognoscere Christi servos, qui sunt in solitudine, illuc accessi, nec Deus eo me fraudavit desiderio. Tunc ex eo sciscitatus sum, dicens: Quomodo huc venisti? et quanto tempore habitasti in hac solitudine? et quamobrem nudus incèdis, nulla re tectus? Is autem haec mihi dixit:

§ 3. « Ego fui nuper monachus, degens in coenobio Thebaidis, magnoque et fidenti animo operans. Statui autem egredi ex illo coenobio, et solus quiete habitare in monasterio, studens majorem invenire mercedem. Hanc cogitationem cum lubenter suscepissem, aedificavi parvam cellulam, et solus in ea habitavi, artem exercens meis manibus. Quo factum est, ut multi quoque ad me accederent, jubentes mihi opus, quod meis facerem manibus. Neque vero mihi parvi fructus ex iis redibant, ex quibus pauperibus et egentibus et hospitibus suppeditabam. Inimicus autem, qui est omnino bonis infestus, illo mihi tempore invidens, et meum erga Deum vehementer scopum et institutum impedire cupiens, cum subiisset mentem cujusdam Monachae, quae apud me fuerat, jubens parvum aliquod opus, effecit, ut ea ad me rediret. Quo factum est, ut libere inter nos locuti, simul quoque habitaverimus, et postremo (quod est gravissimum) iniquitatem pepererimus, et sex menses in peccato manserimus. Postea autem cum mihi in mentem venisset meae vitae finis, et aeternum ac magnum judicium, et tenebrae exteriores, et ignis qui extingui non potest, conflagratio et vermis, qui non potest sopiri, corrosio, dixi apud me: Hei mihi, o anima, melius est mihi surgere, et abire in solitudinem, et fugere a peccato. Relictisque rebus omnibus et illa muliere, veni in hanc solitudinem, et inveni fontem, et hanc speluncam, et hanc palmam. Ea autem mihi victum suppeditat. Haec enim palma generat quotannis duodecim spatas, nempe singulis mensibus unam. Una autem spatha sufficit mihi triginta dies. Et postea venit alia spatha. Nihil autem aliud habeo cibi in hac spelunca, neque alium potum. Quin etiam vestes meae longo temporis spatio interierunt, et capillis capitis mei totum corpus tegitur. Jam enim tempore triginta annorum habito in hac solitudine, nec unquam cessavit aër mihi salubrem dare temperiem, neque panem omnino gustavi. »

§ 4. Postquam ex illo justo haec audiissem, eum interrogavi, dicens: In principio quando huc venisti, laborastine valde, an non? Ipse autem respondens mihi, dixit: « Primum quidem valde

laborabam, o frater, adeo ut dolore cruciatus, me in terram projicerem, ut qui in ventre maximam sentirem molestiam, nec possem caput erigere: ob idque cogebar meam synaxim peragere volutatus, Deum, qui in omnibus est misericors, rogans, tam propter eum, qui me tunc affligebat, dolorem, quam pro redemptione meorum peccatorum. Cum vero multos labores sustinuissem, quodam die dum sederem, et gravi dolore ventris vexarer intrinsecus, vidi virum insignem coram me stantem, qui me est allocutus, dicens: Quid habes, et quidnam tibi dolet? Statim autem, postquam hoc ex eo audiissem, confirmavi vires, et ei dixi: Domine, dolet mihi jecur. Is vero dixit: Ostende mihi locum in quo sentis dolorem. Cum ego autem ei jecur ostendissem, ipse manu extensa, et mihi imposita, et conjunctis digitis, perinde ac gladio scidit latus, et meum jecur eduxit, meo maximo cum dolore, et ostendit mihi plagas quas in eo habebam. Illud vero manus sua erasit, et ei pannum mundum injecit, et jecur meum in locum suum restituit. Cumque totum corpus meum contrectasset benedictis suis manibus, lateris mei vulnus conglutinavit et dixit: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat: sed servi Domino nunc, et usque in secula. Ecce autem ab illo die curata sunt omnia mea interiora, cessavitque dolor mei jècoris. Ex illo ergo tempore maneo sine dolore, Deo benedicens, et ipsum glorificans propter suam in me misericordiam. »

§ 5. Mihi autem ostendit vir ille insignis pannum amomi, quem meo lateri imposuit. Quando vero mihi Paphnutio narravit haec omnia, rogavi eum, ut cum ipso manerem in spelunca. Ipse autem mihi respondit, dicens: Non poteris, frater mi, ferre insultus daemonum. Postea vero rogavi eum, ut mihi nomen suum significaret. Is vero mihi dixit: Nomen est mihi Timotheus. Memento mei, et roga pro me, frater dilecte, ut Deus in me perficiat bonum, quo sum dignatus. Ego autem Paphnutius pròcidi ad ejus pedes, preces ab eo postulans. Ipse autem respondens mihi, dixit: Dominus noster Jesus Christus benedicet te, et defendet te ab omni laqueo diaboli, et praebebit tibi vias rectas ad hoc, ut pergas ad sanctos ejus in secula. Benedictionem autem ejus consecutus, prompto et alacri animo cum gaudio sum egressus, Deum laudans propter egregios sermones, quos audivi a sancto illo Timotheo. Inter ambulandum vero apud me considerabam, et animo valde anxius, dicebam: Quidnam est mea vita, aut quodnam meum institutum? Mansi autem non paucos dies haec apud me cogitans, et hujus justi viri Deo grata opera sequi cupiens. Cum vero clementis Dei mihi illuxisset providentia, non abjeci curam meae vitae, sed excitatus, rursus profectus sum in interiorem solitudinem in via àvia, ubi est genus eorum qui dicuntur Mazici. Omne enim studium a me in eo ponebatur,

ut scirem, an esset alius Anachoreta, in interioribus partibus solitudinis Deo serviens, ut ego quoque dignus haberer, qui id consequerer.

§ 6. Hoc autem iter cum coepissem ingredi, tuli mecum paucos panes, et aquae modicum. Quae quidem mihi suffecerunt usque ad quatuor dies. Cum ii autem praeteriissent, et expletum esset quod manducarem, affligebar adductus in magnas de victu angustias. Statim vero sumptis viribus, et mortem habens ante oculos, ea curâ dimissa, alios quatuor dies et noctes sum profectus, cum nec panem aut aquam gustassem adeo ut rursus cum mihi deesset, cibus, valde laborarem, et me humi abjiciens, mortem expectarem. Tunc vidi virum insignem venientem, et manum suam labris meis imponentem, non secus atque medicus scalpellum oculo, et protinus rursus sumpsi vires, adeo ut neque famem, neque sitim sentirem. Cum magnam autem et terribilem vidissem visionem, surgens rursus prompto et alacri animo, profectus sum in interiorem solitudinem alios quatuor dies et noctes. Defessus vero et extensis in coelum manibus, Deum oravi. Cumque rursus virum illum vidissem ad me venientem, accepi ab eo magnas vires. Cumque septendecim dierum itineri finem (ut semel dicam) imposuissem, vidi procul virum venientem aspectu admodum terribilem, hirsùtum pilis, eisque tectum toto corpore, non secus ac feram terribilem. Erat enim veste nudus, lumbosque cinctos habebat foliis herbarum. Cum is autem prope me accessisset, territus ascendi supra cacùmen montis valde excelsum. Timui enim, existimans esse homicidam. Ipse vero cum venisset ad radices illius montis, abjecit se in umbram. Affligebatur enim propter angustias senectutis et nutrimenti, ardoremque et laborem, quem sustinebat in illa solitudine. Cumque suspexisset et me vidisset, clamavit dicens: Descende ad me vir sanctissime. Nam ego quoque homo sum, habitans in hac solitudine. Ego autem his auditis, protinus descendens, me humi abjeci ad illius pedes. Is vero dixit mihi: Surge, fili mi: nam tu quoque es servus Dei, et amicus sanctorum. Surgensque dignus sum habitus, qui sederem ex adverso ejus.

§ 7. Saepe autem rogavi, ut mihi diceret nomen suum. Is vero mihi dixit: «Est mihi nomen Honofrius. Sexagesimus jam annus agitur, ex quo habito in hac solitudine ambulans in montibus hujus solitudinis: quo tempore nullum omnino hominem vidi, qui in carne cognosceretur, te solo excepto. Habitavi autem antea in sancto monasterio, quod nomine appellatur Eriti Hemepolitani Thebanorum regionis, quod e fratribus impletur numero centum, qui ejusdem sunt fidei et animi: et omnes communiter còmedunt in charitate et multitudine pacis Domini nostri Jesu Christi, et in magno silentio quieteque se exercent, et glorificant ejus bonitatem. Cum ergo in juvenili aetate illic dègerem et

erudirer, Deique amorem a sanctis patribus, puramque ac sinceram fidem docerer et regulam pietatis, audivi sanctos patres dicentes de admirabili pioque et religioso patre nostro Elia, quemadmodum ei fuerunt vires a Deo confirmatae per tolerantiam et patientiam eorum quae sustinuit in deserto: et rursus de Joanne Baptista et praecursore, cui nullus par fuit ex hominibus, et de iis quae passus est in solitudine usque ad diem, quo revelatus est Israëli.

§ 8. « Rogavi autem sanctos patres, dicens: Quid ergo? qui habitant in solitudine, sunt vobis majores apud Deum? Ipsi vero respondentes mihi dixerunt: Sunt nobis majores, fili. Nam nos quidem alter alterum videmus quotidie, et nostras synaxes communiter celebramus cum gaudio, et quando esurimus, cibum paratum invenimus. Similiter etiam si sitierimus, habemus aquam: et si contigerit aliquem .nostrum esse imbecillum, alii eum consolantur, propterea quod vivamus communiter. Quod si etiam esculentum aliquod desideraverimus, hoc inter nos communicamus propter Dei charitatem. Qui autem habitant in solitudine, sunt remoti ab his omnibus. Undenam enim haec eis suppeterent? Quod si eos aliquando invaserit afflictio, vel bellum ex laqueo adversarii, ubi invenient hominem, qui mutare possit mentem, aut consolari? Quin etiam si desit eis cibus, non est facile eum consequi. Similiter si invadat sitis, eis aqua non adest. Ibi autem, o frater, máxime laborant, qui sunt hujusmodi, quando statuunt solitudinem occupare ád habitandum, et magis amplectuntur servitutem in Deum, et se tradunt exercitationi, famem et sitim parati sustinere, et occulta bella ejus qui est bonis infestus contendentes vincere, et omnem viam arctam in Domino persequentes, ut nequaquam superentur ab insania adversarii. Is enim semper studet, impedimentum afferre iis qui talia desiderant, et eos tentare, ut bonum scopum retardet, ne permaneant in exercitatione, et consequantur Dei munificentiam, quando excedunt e corpore: quandoquidem ad eos, qui sustinent in exercitatione, pervenit bona Domini nostri misericordia, ad ea remuneranda quae propter eum sustinuerunt. His vero ab ejus sanctis Angelis, qui ad ipsos mittuntur, nutrimentum suppeditatur, et aqua ex petra, sicut docet Isaias Propheta, quod qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas, sicut aquilae: current, et non laborabunt: ambulabunt, et non deficient. Et rursus dicit: Si sitierint, afferte eis aquam ex petra. Fiuntque eis herbae quae sunt in solitudine, dulce in ore plus quam mel. Quod si eis quoque laborem exoriri contigerit, aut bellum adversarii, dum surgunt ea horâ qua extendentes manus accedunt ad Dominum, statim eis desuper ab ipso mittitur auxilium: disperguntur que ab eis omnes tentationes propter ipsorum in eum rectitudinem et cor purum. Non audita sunt a te, o fili, ea quae feruntur in Scriptura, nempe quod Deus non

derelinquit pauperem in seculum? *Patientia pauperum non peribit in finem* (*Psalm.* 9)? Et rursus dicit: Exaudiet eos Dominus et liberabit eos ab afflictione ipsorum. Dat enim Dominus unicuique secundum laborem, quem propter ipsum sustinuit. Beatus est ergo qui facit Dei voluntatem super terram. Angeli ministrant ei, et faciunt eum exultare, et ei vires addunt singulis horis, dum est in carne.

§ **9**. « Cum autem a sanctis patribus, qui erant in monasterio, haec didicissem ego minimus Honofrius, tanquam melle suavissimo et animâ et corde repletus, magnam in me sensi correctionem, adeo ut ab iis quae audivi, perinde ac si fuissem in alio mundo, mea mutata sit cogitatio, promptoque et àlacri animo noctu surgens, accepi paucos panes, qui mihi satis erant ad alimentum usque ad quatuor dies. Studebam enim cognoscere, deductus a Dei providentia, ubinam me vellet habitare. E monasterio autem egrediens illa nocte, veni in viam montis, volens ingredi in solitudinem. Animadverti vero lucem quae erat ante me. Cumque eam vidissem, valde sum perterritus, adeo ut consilium ceperim de revertendo ad locum in quo eram prius, et de in eo habitando, ut prius. Sed hoc mihi fuit argumentum majoris profectus in Domino. Ecce enim cum ego fuissem territus, insignis ille, quicumque is esset, id sciens, est ad me conversus, et mihi appropinquans, dixit: Ne timeas, ego sum Angelus, qui tecum ambulo a tua ineunte aetate. Hoc enim consilium et haec dispensatio, propter quam voluit Deus me tecum habitare, nunc tibi perficitur.

§ **10**. « Cum haec autem mihi dixisset, mecum ambulavit, et venit in solitudinem circa sex vel septem milliaria. Cum vero speluncam vidissem venerabilem, accessi prope eam, volens scire, an homo in ea habitaret. Cumque pervenissem ad ostium, clamavi : Benedic, Domine : id dicens pro more fratrum Christi amantium. Vidi autem senem virum sanctissimum, formâ vero admodum speciosum, et vultu magna plenum gratiâ. Cum eum autem vidissem, me ad ejus pedes statim projeci in terram, et eum sum veneratus. Ipse vero me manu èrigens : Tu es, inquit, frater Honofrius, qui es meus in Domino cooperator. Ingredere, fili : Deus tibi opem feret, perseveresque, ut es vocatus, bona implens opera in ejus timore. Ingressus autem sedi cum eo paucos dies, studens ex eo discere sanctum opus, quod etiam accidit. Me enim docuit instituta vitae Eremitarum. Cum ipse autem cognovisset illuminatum esse meum spiritum ad discendum opus Domini nostri Jesu Christi, et resistendum occultis bellis adversarii, et metum quem habet solitudo, dicit mihi : Surge, fili, ut abducam te in alteram speluncam in interiori solitudine, et tu in ea solus habites, et laborem sustineas. Ideo enim te misit Dominus et hoc consilio, ut tu in interiori habites solitudine. Cum haec autem

mihi consuluisset, mecum in interiorem profectus est solitudinem, quatuor dies et totidem noctes. Postea vero devenimus in quoddam parvum tugurium, ubi prope erat palma. Tunc autem mihi dixit vir sanctissimus: Hic est locus, qui Dei providentiâ est tibi paratus ad habitandum. In eo ergo mansit mecum triginta dies, me pulchra docens opera. Et post triginta dies vale dicens, recessit a me, et ex illo tempore semel tantum singulis annis conveniebamus, usque ad illum diem quo excessit e corpore. Cum eum autem mortuum offendissem, deposui ejus reliquias prope meam habitationem. »

§ **11**. Postquam haec omnia mihi narravit, rogavi eum quoque ego minimus Paphnutius, dicens: Bone pater, multum ne laborem sustinuisti, quando primum venisti in hanc solitudinem? Dicit autem mihi beatus senex: « Crede, dilecte frater, tantum laborem sustinui, ut mei saepe spem omnem abjicerem usque ad mortem, fame et siti mihi imminentibus, et simul etiam igne solis in die, et frigore aëris noctu, madefactaque fuit mihi caro a rore coeli. Cum vero bonus Deus vidisset haec me sustinuisse, et certamen jejunii, et quod dedissem animam meam exercitationi, jussit sanctum suum Angelum mihi providere, et ad me afferre alimentum quotidianum, et modicum aquae ad meum corpus confirmandum: et haec palma mihi quotannis producit duodecim spathas, adeo ut sit una singulis mensibus. His ego cum vescerer cum herbis solitudinis, fuerunt mihi per Dei providentiam, melle dulciora. Scriptum est enim: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod proficiscitur ex ore Dei*. Si ergo, o frater Paphnuti, feceris voluntatem Domini nostri, ab eo tibi providebitur. Dicit enim in sancto suo Evangelio: *Nolite esse soliciti, quid comedatis aut bibatis, Dominus enim et pater vester, qui est in coelis, novit quonam opus habeatis. Petite ergo primum regnum ejus et justitiam, et haec omnia adjicientur vobis* » (*Ex Matth.* VI).

§ **12**. Haec cum mihi exposuisset sanctissimus pater Honofrius sub cacumine montis, ubi ei factus sum obviam, repletus omni gaudio, oblitus sum omnium laborum, qui mihi acciderant in itinere, dum ambularem in montibus solitudinis, famem et sitim nihil omnino apud me reputans. Cumque vires sumpsissem et spiritu et corpore, et essem exultatione repletus, ei dixi: Sum beatus, qui dignus sum habitus, ut te viderem, Pater sanctissime, et audirem tuos pulchros et jucundissimos sermones, qui me nullo non affecere beneficio. Ipse autem respondens mihi dixit: Surge modo, o frater, et simul recedamus. Non cessabam autem, tanquam rem novam et inauditam, admirari gratiam sancti patris Honofrii. Deinde cum processissemus duo aut tria milliaria, pervenimus ad tugurium maxime venerandum, prope quod stabat palma. Ipse vero cum ad locum accessisset, mecum est

precatus. Impletis autem precibus, dixit, Amen. Postea vero sedentes mansimus èxponentes inter nos invicem bona Domini. Cum autem occidente jam sole dies desineret, haec vidi in medio tugurii, jacentem panem, et parum aquae. Dixit vero mihi vir ille beatus: « Surge fili, sume parum panis et aquae, qui sunt ante te. Video enim te adductum esse in periculum ex fame et siti, et labore itineris.» Ego autem dixi ei: « Vivit Salvator meus Dominus, non còmedam nec bibam, nisi manus nostras relaxemus, et edamus communiter. » Eum ergo valde rogavi, et vix potui persuadere, ut manum immitteret, et pane fracto mecum vesceretur, donec esset satiatus. Ex illo autem pane nobis superfuit. Mansimus vero tota illa nocte orantes.

§ **13**. Dum esset autem mane, vidi ipsum post matutinas preces mutasse faciei aspectum et colorem, et fui conterritus. Ipse autem cum hoc cognovisset, me est allocutus, dicens: « Ne timeas, frater Paphnuti. Deus enim, qui est in omnibus misericors, te ad me misit, ut curam geras sepulturae mearum reliquiarum. Ecce enim hodierno die perficio meam administrationem, et abeo in requiem meam usque in seculum. » Erat autem dies sextus quidem decimus Paven, nonus autem Junii mensis apud Romanos. Mihi autem hoc quoque praecepit: « Si in Aegyptum exieris, frater Paphnuti annuncia mei memoriam, ad thymiama ei praebendum in medio fratrum, et omnium Christianorum. Si quis nostrum oblatione in nomine meo, et in mei memoriam obtulerit Domino Deo nostro in omni loco, feret ipsum Dominus in primam horam annorum meorum. Haec est enim petitio mea, quam ab ipso petivi. Et si quis fratrem pauperem nutrierit in nomine meo, meminero ejus, ut dignum eum censeat Dominus, qui veniat in primam horam meorum annorum. » Respondi vero ei, et dixi: « Si quis autem sit pauper, qui non possit offerre aliquid, aut nutrire pauperem in tui memoriam, non veniet is in primam horam annorum tuorum?» Is autem dixit: « Modicum thymiàmatis in nomine meo in odorem suavitatis si Domino obtulerit, dignus habebitur simili laetitiâ.» Ausus sum autem hoc quoque ei dicere: « Si quis autem non invenerit thymiàma, sicut tu degens in solitudine, aut ei nequaquam suppetierit ad offerendum, non feretur in primam horam mille annorum? an potius, o pater, ad nos pervenient preces tuae justitiae? Si quid enim a Domino petieris, dabit tibi: neque tua tardius veniet petitio, propter tuam impigram servitutem, quam sexaginta annos sustinuisti, quibus fuisti in hac solitudine expectans Dominum.» Ipse autem respondens, dixit mihi: « Si quis est pauper habitans in solitudine, et non potest offerre oblationem, aut mittere thymiama, is vero surgens dixerit, Pater noster qui es in coelis, et reliqua usque ad Amen in nomine meo Domino obtulerit, rogabo eum, ut dignus habeatur, qui in prima hora mille annorum cum omnibus justis

mercedem consequatur.» Ego autem rursus ei dixi: «Bone pater, si sum dignus, cupio habitare in hoc loco, postquam tu e corpore excesseris.» Is vero dixit mihi: «Fili, non venisti ad hanc administrationem: sed Deus te misit, ut recrees suos sanctos, qui habitant in solitudine, et annuncies bonum odorem eorum vitae in medio fratrum. Abi ergo, fili, in Aegyptum, et persevera in bonis operibus Domini nostri Jesu Christi, praedicans omnibus ea quae vidisti in solitudine.»

§ **14**. Haec cum dixisset venerandus senex Honofrius, humi pròcidi ad ejus pedes, dicens: «Benedic igitur mihi pater, ut inveniam coram Deo misericordiam, et sicuti dignum me censuit in hoc mundo Salvator noster, ut te venerarer, rursus quoque jubeat, ut in futurum seculum eo dignus habear.» Ipse autem mihi dixit: «Fili Paphnuti, quod attinet ad ea quae petis, Dominus nequaquam te afficiet molestià: tibi vero benedicet, et tuam confirmabit charitatem, et illuminabit tuos oculos ad ejus divinitatem, et te liberabit ab omni casu et vinculis adversarii, et in te perficiet opus, quod es aggressus. Protegent te oculi ejus, et custodient ab insidiis inimici, nihilque invenient, in quo te possint accusare in hora terribili, in qua es apud Deum sistendus, et causam tuam defensurus.» Post haec autem surgens, oravit Deum cum lacrymis et multis gemitibus: et paulo post cum ea ipsa horâ se humi dejecisset, consummatus est in Domino, in ejus manus tràdito spiritu cum laetitia. Statim vero audivi vocem Angelorum, Deum magna voce laudantium ante animam beati et sanctissimi Honofrii: eratque magnum gaudium ea horâ qua is ad Deum venit. Ego autem cum me exuissem eo, quod gestabam, lebitonario, et ejus transversa solvissem, ea in duo divisi: et cum dimidio quidem ejus corpus involvissem, pro more justorum, quae mortuis peraguntur, contexi. Alterum autem gestavi dimidium, ne ego manerem nudus. Et cum petram invenissem concavam, tanquam in cisterna corpus ejus illic deposui, multisque collectis lapidibus contexi reliquias. Surgens autem, oravi ut illic manerem. Statim vero vidi collapsum tugurium, et palmam, qua nutriebatur, ipsam quoque cecidisse similiter. Quod cum vidissem tam cito accidisse, et ex eo cognovissem non esse Dei voluntatem, ut in illo loco habitarem, comèdi panis quod superfuit, et aquam bibi similiter.

§ **15**. Rursus autem extensis in coelos manibus oravi, et vidi virum illum ad me venientem eo modo, quo vidi ambulans in solitudine. Qui mihi vires addens, ambulabat ante me. Cum illinc autem essem egressus, et affligerer propter beatum patrem Honofrium, rursus animo meo exortum est gaudium, quod dignus sim habitus, qui ejus sancto ore benedicerer. Cumque quatuor dierum spatio ambulassem, accessi ad quamdam cellam quae in alto fuerat aedificata. Quam ingressus, neminem inveni. Sedi autem parumper, cogitans et dicens apud me: Estne aliquis

habitans in hac spelunca, in quam me deduxit Deus? Haec cum apud me cogitarem, ingressus est vir sanctus canis plenus, specie admirandus et decorus, ex palmis contexto indumento vestitus, et suum corpus contegens. Ipse autem cum me vidisset, statim est allocutus, dicens : « Tu es frater Paphnutius, qui contexisti corpus sancti patris Honofrii. » Cum ergo cognovissem, eum in visiòne didicisse quod factum fuerat, statim ei pròcidi ad pedes. Ipse vero me consolatus dixit mihi : « Surge frater, Deus te dignum censuit, ut esses amicus sanctorum ejusque famulorum. Jam enim didici ab ejus providentia tuum futurum hodie ad me adventum. Tibi autem aperiam, frater dilecte, quod sexaginta annos habitavi in hac solitudine : Non vidi hominem qui ad me venerit, nisi eos solos fratres, qui hic mecum habitant. » Interim autem dum nos loqueremur, ingressi sunt tres alii, tanquam sancti, senes patres in illam cellam. Qui me alloquentes, statim dixerunt : « Benedic frater : Tu es frater Paphnutius, noster in Domino cooperator. Tu es, qui texisti corpus sancti Honofrii. Gaude frater ; es enim dignatus magnam virtutem cognoscere. Videns autem Dominus, nobis significavit, fore ut hodie ad nos venias : jussitque ut esses nobiscum unum diem. Jam enim sexaginta annos habitamus in hac solitudine, neque vidimus hominem praeter te solum. » Cum vero nos colloqueremur de patre Honofrio et aliis sanctis, post duas horas dixerunt mihi: « Surge frater, vescere modico pane, et confirma cor tuum, quandoquidem venisti e longinquo, et cupis nobiscum collaetari. »

§ **16**. Postquam ergo me fecerunt surgere, unanimes Deum precati sumus, et ecce vidimus ante nos quinque panes leves, et admodum pulchros et delicatos, tantummodo coctos. Ipsi quoque attulerunt aliquid aliud esculentum, quod quidem sumpsimus cum panibus, omnesque sedimus et simul comedimus. Ipsi autem rursus mihi dixerunt : « Ecce, ut jam tibi diximus antea, cum sexaginta annis habitaverimus in hac solitudine, quatuor panes Dei jussu ad nos e coelo quotidie deferuntur : nunc autem cum tu ad nos veneris, ecce panum numerus pro te quoque est ad nos missus: neque scimus undenam afferantur, sed quotidie speluncam ingredientes, invenimus eos per se paratos. » Postquam vero nos simul gustavimus, tota illa nocte fecimus orationes : et magnam synaxim celebravimus. Erat enim sanctus dies Dominicae. Cum esset autem mane, rogavi ipsos, ut manerem cum eis in spelunca usque ad diem ultimum. Ipsi vero respondentes mihi dixerunt : « Non est voluntas Dei, ut tu habites in hac solitudine: sed surge, et vade in Aegyptum, et narra fratribus Christi amantibus omnia quaecumque vidisti ad nostri memoriam, et ad lucrum et utilitatem eorum qui audiunt. » Cum ii haec dixissent, eos valde rogavi, ut sua nomina mihi significarent. Ipsi autem non sunt passi hoc mihi dicere. Saepe ergo hoc ab eis vehementer

petii. Cumque vehementer laborassem, non potui hoc eis persuadere: sed respondentes mihi dixerunt: « Is scit, qui omnium novit nomina. Memento autem nostri, frater, ut digni simus, qui nos invicem videamus in domo Dei. Stude ergo, dilecte fili, fugere mundi tentationes, ne ab eis illudaris, quando quidem multos sunt ludificatae. » Cum haec autem ex eis audivissem, pròcidi ad eorum pedes. Qui cum mihi benedixissent, ab eis abii in pace Dei. Praedixerunt autem mihi quaedam alia, quae mihi acciderunt.

§ **17**. Cum autem ab eis abiissem, ambulavi uno die per interiorem solitudinem. Cumque venissem ad speluncam fontis aquae, illic sedi, ut parumper requiescerem a labore itineris. Erat autem locus ad id aptus, ut qui circa illum fontem multas haberet arbores plenas fructibus. Cum vero parum quievissem, et surrexissem, circuivi in medio arborum, admirans ipsorum fructuum multitudinem, et cogitans apud me, quisnam esset is qui illo loco plantaverat. Erant autem fructus illarum arborum multae palmae, citri, punica, sycamina, zizipha, et vites, aliae quoque amoenae arbores et frugiferae, quarum gustus est melle dulcior. His accedebant myrti quoque, et aliae variae arbores in medio earum, quae illic sitae erant, suavem odorem emittentes. Ille quoque fons ex se scatens, et omnes illas arbores irrigans, adeo ut existimarem eum esse Dei paradisum. Cum ergo illud admirarer spectaculum, vidi quatuor adolescentes hilares et valde speciosos ad me procul venientes, succinctos pellibus ovium. Qui cum appropinquassent, dixerunt: Salve frater Paphnuti. Ego autem protinus humi cècidi in faciem, et eos veneratus sum. Qui cum me erexissent, mecum sederunt, ed locuti sumus inter nos. Erant vero tanta gloriâ insignes, ut ego existimarem eos esse Angelos, et descendisse de coelo. Mecum autem magna sunt affecti laetitiâ, el collectos fructus ex illis arboribus mihi dederunt ad vescendum, et laetatum est cor meum, eo quod ego ab eis diligerer. Mansique apud illos septem dies, vescens fructibus illarum arborum.

§ **18**. Rogavi autem eos: « Quomodo huc venistis, et unde estis?» Ipsi vero respondentes mihi dixerunt: « Frater, quandoquidem Deus te misit ad nos, omnem nostram tibi vitam narrabimus. Nos sumus ex civitate quae dicitur Oxyrrynchos: nostri vero parentes, sunt senatores illius civitatis. Cum autem in illorum literis ab eis institueremur, uni scholae tràditi, literas quidem pedestrès didicimus. Cum vero etiam superiorem inchoassemus doctrinam, in unam convenimus sententiam, Deo nobis opem ferente ad id quod est melius, et statuimus ejus quoque discere sapientiam. Ex illo ergo tempore nos quotidie mutuo excitantes ad animi alacritatem, et bonum scopum habentes in nostris cordibus, studentesque locum invenire, et paucos dies quiescere, donec sciremus Dei de nobis providentiam, acceptis nobiscum paucis

panibus, et modico aquae ad nostrum cibum et potum usque ad septem dies, recessimus. Cum vero pervenissemus intra solitudinem, fuimus in ecstasi, et vidimus ante nos virum gloriâ insignem, qui nos apprehensos manibus deduxit in hunc locum, et nos tradidit viro valde provectae aetatis, qui Deo serviebat. Ecce autem hic jam habitavimus sex annos, mansimus vero cum eo usque ad unum annum, ab illo docti quemadmodum Domino serviremus. Impleto autem illo anno, consummatus est hic pater, et ex illo tempore hic soli sumus. Ecce autem, frater dilecte, nos tibi confitemur. Spatio sex annorum, ut diximus, in hoc loco degimus. Panem non gustavimus, nec alium cibum sumpsimus, nisi solummodo de fructibus harum arborum. Singulis vero hebdomadis semel tantum nos videmus invicem. In hoc enim loco invenimur, et nobis invicem occurrimus sabbato et sancta Dominica. Post hos autem duos dies unusquisque nostrum venit in locum proprium, et apud se degit.» Ipsi vero rursus fructus attulerunt, et communiter cibum sumpsimus. Cumque postea egressi fuissemus, simul processimus circiter quinque milliaria per solitudinem. Cum autem eis vale dicerem, rogavi eos ut dicerent mihi sua nomina. Et primus quidem dixit, Joannes: secundus autem, Andreas: tertius vero, Heraclambon: quartus, Theophilus: praecipientes mihi dicere nomina sua fratribus ad sui memoriam. Ego vero eos rogavi, ut mei meminissent.

§ **19**. Cum autem ab eis discessissem, et non viderem eos amplius, ambulavi tristis, recordans et ea admirans, quae vidi meis oculis. Rursus vero apud me magnam capiebam laetitiam, admirans et recordans earum, quas consecutus fui, benedictionum a sanctis Eremitis et sancto Angelo. Cum autem venissem in Aegyptum itinere trium dierum, inter ambulandum inveni duos fratres Deum timentes. Apud ipsos autem quievi ad decem dies, annuncians eis illa quae vidi, et ea quae mihi acciderunt. Ipsi vero mihi respondentes, dixerunt cum omni gaudio: «Vere, frater Paphnuti, magnam gratiam es consecutus, qui dignus es habitus, ut videres magnos et perfectos Dei servos.» Ipsi autem fratres benigni et clementes, diligebant Deum ex tota anima. Nominatur autem locus eorum Scites. Cum vero audivissent ea quae ego illis narravi, ea diligenter conscripserunt, et celeriter currentes, obierunt totam Scitem *, ferentes librum, quem conscripserunt ex mea narratione. Et postquam ea legissent sanctis patribus, acceperunt eum in ecclesiàm, quem quidem illic reliquerunt ad lucrum et laetitiam iis qui credunt et ea audiunt. Nam qua horâ voluerint haec meditari, magis benedicunt Deum et sanctos ejus, pleni laetitiâ et exultatione, cum hi sermones sint pleni contemplatione, quam ego minimus servus Paphnutius, Dei providentiâ dignatus sum assequi.

* Sive *Scetim*; de ea in Vol. I, p. 69.

MARTYRIUM S. AQUILINAE VIRG.

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE

Passa an. 293, annos nata 12 — Phoenix.

§ 1. Posteaquam Salvator noster Jesus Christus e coelo descendit, et homo factus est, et pro peccantium hominum salute in terris apparuit ejusque miraculis abunde mundus ipse illustratus fuit, atque his quae ultro passus est, diaboli, qui hominem circumvenerat, imperium exinanitum fuit, divinaque gratia per gloriosam ipsius resurrectionem in mundum redundans, humanum genus ad fidem convertit, denique posteaquam e terra in coelum ipse ascendit, et ad Patris dexteram sedit, Apostoli, acceptis ab eo mandatis, fidem ipsius per totum orbem terrarum praedicarunt. Cumque multi per Apostolicam praedicationem instituerentur, et Dei ope adjuvante, omnes illi a sancto Spiritu illuminarentur, fides ipsa per totum orbem terrarum vigebat. Apostoli vero, cum suum munus complevissent, ad coelestem Dominum ascenderunt. Sed illorum tamen praedicatio faciebat, ut per universam terram multi Deum timerent.

§ 2. Itaque in urbe quadam Palaestinae regionis, quae Biblos (*a*) dicebatur, erant Christiani homines, qui ab Apostolis ipsis pietatis doctrinâ instructi fuerant, e quibus unus, Eutolmius nomine, in urbe illa uxorem duxit: qui cum una sancte viverent, Deus ipse fructum et progeniem Aquilinam, illis dedit, quae nefaria tyranni decreta exinanivit. Haec cum paulo grandior facta esset, et aetatem adhuc tenellam ageret, iniquorum Imperatorum de idolorum cultu servando constitutiones evertit: Cum enim puella ipsa quadrimestrem aetatem ageret, ejus mater ad Euthalium Episcopum illam tulit, quam in nomine Domini nostri Jesu Christi Episcopus ille signavit, et catechumenam fecit. Post duos vero menses cum eamdem ad Euthalium ipsum mater portasset, puella Christi baptismo illuminata est. Quae cum annum ageret, ejus pater Eutolmius ex humana vita ad Christum migravit: mater vero puellam educabat. Itaque cum septem annos haec ageret, a matre sua omnem institutionem mulieribus congruentem edocebatur, quae quo aetate magis crescebat, eo magis Spiritu Sancto implebatur, et Christi gratiâ decorabatur.

§ 3. Cum vero decimum annum ageret, nunquam desinebat Deum ipsum invocare. Quo tempore, Diocletiani Imperatoris anno septimo instante, Volusianus quidam homo tam nefarius, ut diaboli

(*a*) Biblus inter Tripolim et Berythum urbs Phoeniciae maritima erat, vetustissima et olim episcopalis.

progenies dici posset, provinciae Palaestinae administrationem accepit: qui cum Deùm ipsum non cognosceret, coepit divinae pietatis cultores insectari. Cum igitur Christi victoriâ multi coronarentur, et Domini Jesu athletae certamina maxima recte sustinerent, diabolus ipse videns consilia sua a victoribus Christi militibus destrui, omnem insaniam ac furorem effundebat. Quae cum ita fierent, beata et honesta virgo Aquilina multam Dei notitiam habens, aequalesque suas conveniens, et quotidie cum illis colloquens: « Quaenam, inquit, utilitas vobis est ab idolis istis, quae vos colitis? An ignoratis, quod qui fidem in istis collocarunt, vanam expectationem, inanem, nugacem, animarum corruptricem et daemoniacam spem habent? istorum enim omnis invocatio inutilissima est, quique istis diis sacrificium offerunt, ut eos propitios sibi faciant, inanem operam consumunt. Nam qui mortui sunt, et loquendi facultatem sibi dare non possunt, quomodo illi poterunt aliis benefacere? »

§ 4. Haec cum Aquilina diceret, mulieres omnes quae cum ea loquebantur: « Quoniam, inquiunt, deos ipsos negas, et eos evertere vidèris, age dic: Quemnam Deum tu colis? » Respondit Aquilina: « Ego Deum illum colo, qui coelum, terram, et mare creavit, quique ab omnibus seculis iis omnibus benefecit, qui fidem et spem in ipso habuerunt, et adhuc potest benefacere in perpetuum iis, a quibus invocatur.» Tum mulieres illae: « Et quomodo, inquiunt, nos audivimus, a Judaeis interfectum fuisse istum, quem tu Deum dicis?» At Aquilina: « Omnes, qui a morte absorpti fuerant, Deus meus redemit, mors enim ipsi non dominatur. Hic igitur cum opera manuum suarum, hoc est, homines ipsos in multo errore vagantes vidisset, hominem se facere voluit, ut mundi errorem extingueret, et gratiam cum justitia conjunctam nobis afferret.» Dixerunt foeminae illae: « Et quisnam est, quem Crucifixum dicunt? » — « Ille ipse, inquit Aquilina, est omnium Salvator, qui propter suam in homines charitatem, cum vellet omnibus hominibus per aquam et spiritum novam generationem afferre, Crucem subire et perpeti voluit, ut non solum iis qui in terris sunt, salutem conferret, sed eos etiam qui apud inferos tenebantur liberaret: omnibusque, eo quod ipse tertio die a mortuis resurrexit, futurum, ostendit, ut et ipsi omnes suo tempore a mortuis resurgerent.» Tunc illae: « Si haec beneficia in orbem terrarum, ut tu dicis, iste contulit, quare Judaei, ex quibus et ipse erat, non ut Deum colunt?» Ad haec Aquilina: « Semper, inquit, Judaeorum natio veritatis viam aversata est, cumque cervice dura et animo obstinato sint, quae justa et vera sunt, rejiciunt: quamòbrem et eum, qui multis modis in ipsos pie se gesserat, negaverunt, Pilato tradentes, et ut eum in Crucem tolleret, ab ipso flagitantes. Ipse tamen Jesus sponte Crucem illam subiit. »

§ 5. Dum Aquilina cum illis foeminis haec loquebatur, Nicodemus quidam ex illorum numero qui erant cum Proconsule, audivit quae Aquilina dicebat, et statim ad Volusianum Proconsulem cucurrit, et ait: « En, Proconsul, Imperatores ipsi deorum beneficia profitentes, per omnes urbes edicta miserunt, ut quicumque diis ipsis non sacrificant, pessimis modis interficiantur. Est in urbe hac puella, quae diis aversatur, et edictis religiosorum Imperatorum non obèdit, sed totam spem suam in homine illo Crucifixo collocavit: quin etiam mulieres alias docet, et ipsas Deorum stabilem et compositam religionem denegare. Adde, quod et deos ipsos daemones vocat.» Haec cum audisset Proconsul, misit quosdam ex cohorte sua, qui eam comprehenderent. Quam cum tenuissent, ad tribunal duxerunt. Tum in eam Proconsul intuens: « Tu ne, inquit, es, quae Imperatorum edictis repugnas, et foeminas alias falsis sermonibus instruis, ne amplius diis ipsis obediant, sed Crucifixum hominem colant? An ignoras, Imperatores ipsos isti Crucifixo iratos esse, quippe qui jusserunt, poenis quibusdam inevitabilibus et summis cruciatibus illos interfici, qui Jesum colunt? Quamobrem et tu ab illius doctrina discedas, et invictis diis nostris congruentes victimas afferre studeas, ne aliquo modo nos cogamur cruciatibus te subjicere, eo quod diis ipsis obtrectes.» Ad haec Aquilina: « Cum, inquit, cruciatibus a te Proconsule subjecta fuero, tunc immortalitatis coronam a Salvatore meo me accepturam expecto, eo quod illum non negem. Quapropter sine mora quaevis tormenta in meipsam excogites, ut cognoscas me fide armatam tibi assistere, neque minas tuas extimescere. »

§ 6. Tunc dixit Volusianus: «Video te ad tribunal meum assistere aetate admodum juvenili, specie vero et pulchritudine valde honesta: itaque tui rationem habeo: nam si tormentis te subjiciam, tenera membra tua quamprimum gladiis destruentur. Quod si carnificibus meis jussero te cruciare, nullam tui rationem habebunt: tu vero aetate valde tenera suppliciis male consumpta, vitam finies, neque quicquam tibi prodesse poterit Christianorum Deus, quem colis.» Erat beata Aquilina duodecimum aetatis annum tunc agens, cum Proconsuli assistebat: quae respondens: « Nolo, inquit, ego, ut misericordiâ me prosequaris: putans enim te misericordem in me esse, majori damno me afficis: sed a te peto, ut ferociorem te ostendas, quo ex patientia mea cognoscas, eos, qui spem suam in Christo Domino posuerunt, invictos permanere.»

§ 7. Haec cum Volusianus puellam dicentem audivisset, jussit carnifices ad eam accedere, et constanter colaphis illam percutere, et addidit: «Vide, Aquilina, num istae tormentorum primitiae tibi suaves et jucundae videantur.» Ad haec Aquilina: « Tu quidem, Tyranne, non veritus es jubere colaphis eam caedi,

quae ad imaginem Dei facta est: itaque nec Deus meus tibi parcet in die Judicii.» Tum Volusianus: «Ego, inquit, existimo, maximos nostros deos terrarum orbis salutem in manu sua tenere, et in illo altero seculo omnium salutem in sua potestate habituros.» Idque cum dixisset, jussit puellam exui, et subligaculo cinctam, a duobus carnificibus distentam acriter verberari, haec verba addens: «Nonne tu, Aquilina, dixisti futurum, ut Deus tuus in die Judicii mihi non parcat? Et ubinam ille nunc est, qui mihi non parcit? Veniat, et liberet te de manibus meis. Sed admoneo te, ut vanam istam Christianorum haeresim fugias.»

§ 8. Tunc jussit carnifices verbera intermittere, et ad Aquilinam conversus: «Age, inquit, dic mihi, misera: Et quem aliquando cognovisti, aut audivisti spem habuisse in homine Crucifixo, qui manus meas effugere potuerit? Et quemnam eorum, qui ejus fidem secuti sunt, Imperatores vivum reliquerunt? Age igitur, audi me, et ab insania ista te removeas.» Ad haec Aquilina: «Num, o Tyranne ferocissime, tormenta haec putas me sensisse? Illud velim scias, quotcumque machinas pater tuus diabolus tibi contra meipsam suggerit, totidem, et longe iis, plura, subsidia mihi a Deo suppeditari.» Tunc Volusianus: «Nos, inquit, edocti sumus a sapientibus iis qui ante nos fuerunt, diis ipsis immolare itaque tibi dies aliquot praescribi jubeo, ut interea consilium ineas, num meliorem mentem capiens, diis cultum offerre, et vitam a nobis, maximosque honores ab Imperatoribus nostris assequi velis.» Ad haec Aquilina: «Quotnam dies mihi praescribis, quibus deliberem?» — «Tot, inquit Volusianus, quot ipsa voles, et a me petes.» Aquilina autem dixit: «Hoc a te peto, ut nullos mihi dies praescribas, quod ad hujus rei consultationem attinet. Ego enim ab ineunte aetate hoc semper cogitans nullum alium Deum inveni, qui possit mihi benefacere, et ad quem confugere oporteat, nisi coelestem illum Deum.» Tunc Volusianus: «Vana est, ut video, admonitio mea, et frustra laboravi, cum te admonui.» — «Nequaquam, inquit Aquilina, hanc in re tibi obtempero, itaque ne frustra labores, sed quicquid excogitari potest, adversus me inutilem Dei servam adhibeas, ut rursus te victum esse ostendam, quemadmodum et superioribus tormentis victus es.»

§ 9. Tunc Volusianus dixit: «Accendantur subulae, ita ut ignitae sint, et per ejus aures transmittantur.» Cum fecissent carnifices, quod jussi fuerant, et subulas ardentes in aures puellae eo usque transmisissent, quoad vel solus ignis vapor ejus cerebrum combureret, et per nares effunderet, cumque ipsius cerebrum incenderetur, puella Deum sic precata est: «Tu Domine Jesu Christe, qui aluisti me ab adolescentia mea, qui potentiâ tua me fortem reddidisti, ut contra hostem et adversarium diabolum pugnarem, perfice cursum certaminis mei, et virginitatis meae lampadem inextinctam serva, ut et ego una cum quinque illis virginibus ad

purissimum thalamum tuum introire, ac teipsum celebrare possim, qui petitiones meas mihi concessisti. »

§ **10**. Haec cum precata esset, et diutius ferreis et ardentibus subulis combureretur, semimortua facta est, ita ut Proconsul Volusianus illam mortuam esse crediderit. Itaque jussit illinc eam absportari, et extra urbem projici quippe quae deos ipsos negaverat, et Imperatores contempserat: ob idque dicebat sepulturae mandari non debere, sed canibus ipsis escam projici. Cum vero Aquilina totum diem in via projecta jacuisset, circa medium noctis tempus descendit Angelus Domini, et Aquilinam cum tetigisset: «Surge, inquit, et esto sana, Volusianumque Proconsulem redarguas, quod ipse nihil, et ejus consilia vana sint.» Statim Aquilina incolumis surrexit, et Deum laudans dicebat: « Gratias ago tibi vitae meae auctori, qui sanitatem affers, tu enim es, Domine, qui ante secula fuisti, et in secula permansurus es, nec praeter te alius est Deus. Illud vero a te supplex peto, ut cum patientiae bravìo consummata fuero, coronâ tua caput meum circumdes, ut certissimis promissis tuis fruens, una cum choro sanctorum tuorum, qui propter te martyrium compleverunt, hymnos tibi concinam. » Tunc illi Dominus respondit: «Vade, fiat tibi, sicut tu dixisti.» Quo audito, Aquilina valde laetata est. Tunc ab Angelo ducta, venit ad portam urbis: qua statim patefactâ, in urbem ipsam est ingressa.

§ **11**. Fuit autem illi dux Angelus, donec ad Volusiani praetorium eam duxit. Qui cum a somno excitatus, illam ante oculos suos stantem vidisset, stupore perculsus est: et statim quosdam vocavit ex iis qui in ejus praetorio morabantur, dicens: « Videte, quaenam haec sit quae ante oculos meos consistit.» Cumque allatis luminibus, illam vidissent, dixerunt: « Profecto haec Aquilina est, quam tu canibus escam projici jussisti.» Haec cum audisset Proconsul, jussit illam servari usque ad sequentis diei tempus. Quod cum venisset, jussit illam duci ante tribunal. Eam vero affatus: « Tune, inquit, es Aquilina?» Tum illa respondit: « Scelestissime homo, et si cordis tui lumen excaecatum est a patre tuo diabolo, an et corporeis oculis non vides? Ego sum Aquilina quae tibi nunc assisto. » Tum Proconsul manu sua oculos terens, et prae stupore cum paulisper obmutisset, secum dicebat: Si ipsius cerebrum combustum est, et morti subjecta non fuit, nullum igitur deinde aliud tormentum ipsam attingere poterit *.

§ **12**. Haec cum dixisset, sententiam, ut securi perculeretur, talem pronunciavit: «Aquilinam pessimae Christianorum sectae propugnatricem, natu quidem minorem, sed veneficiis tamen grandem, Imperatorum edictis religiosissimis aversantem deprehendimus, neque diis obedientem, neque Imperatoribus assentientem: quam cum multis admonitionibus conati simus ab insania

* Pluribus Metaphrastes more suo inventis hanc historiam exornavit.

hominis Crucifixi ad invictorum deorum verissimam cognitionem traducere, non potuimus. Haec multa tormenta experta quidem fuit, sed veneficiis tamen suis fecit, ut nullis tormentis perturbari posset. Reliquum igitur mihi visum est, ne deorum sacrificia irrideantur, ut hanc extra urbem eductam capitali poenâ plecti jubeamus.» Cum igitur Aquilina educeretur, et carnifex praeiret, venit ad eum locum, in quo illam gladio percuti difinitum fuerat. Ibi unius horae tempus petiit, ut Deum oraret. Cumque precata esset, beata Christi martyr perfecte mortem obiit. Carnifex vero, licet illa spiritum reddidisset, tamen, ejus caput abscìdit. Christiani autem homines cum praesto essent, ejus reliquias gemmis praestantiores sustulerunt, et pretiosis unguentis ac linteis novis involutas, in monumento apud urbem Biblon sepelierunt.

§ **13**. Martyrio autem consummata est beata Aquilina, Imperatore Diocletiano, et Volusiano Proconsule, tertiodecimo die mensis Junii. Est autem ejus *martyrii* locus * in urbe Biblo, ubi usque ad hodiernum diem multae curationes hominibus afferuntur, in Christo Jesu Domino nostro: Cui gloria in secula seculorum, Amen.

VITA B. GERARDI MONACHI

FRATRIS D. BERNARDI ABBATIS CLARAVALLENSIS

PERINSIGNIS PIETATE, SUAVITATE, ELEGANTIA AC CHRISTIANA SAPIENTIA, FUNEBRIS ORATIO.

PER EUMDEM SCRIPTA, SERM. XXVI *in Cantica Canticorum.*

Obiit anno 1138 — E Burgundia.

§ **1**. Quousque dissimulo, et ignis, quem intra meipsum abscondo, triste pectus adùrit, interiora depascitur? Clausus latius serpit, saevit acrius. Quid mihi et cantico huic, qui in amaritudine sum? Vis doloris abducit intentionem, et indignatio Domini èbibit spiritum meum. Subtracto siquidem illo per quem mea in Domino studia utcumque libera esse solebant, simul et cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac dissimulavi usque huc, ne affectus fidem vincere videretur. Deniqûe plorantibus aliis, ego (ut advertere potuistis) siccis oculis secutus sum invisum funus, siccis oculis steti ad tumulum quousque cuncta peracta sunt exequiarum solemnia. Indutus sacerdotalibus, solitas in eum orationes proprio ore complevi, terram meis manibus ex more jeci super

* Ecclesia, scilicet, sacellum, monumentum vel crypta, latinis communiter *Confessio* ubi Reliquiae quiescunt, aut memoria saltem S. Martyris honore peculiariter honoratur. *Martyrium* tamen veri nominis, ut hic intelligendum, locus est quo Christi Confessor supplicia et caedem subiit.

dilecti corpus, terram mox futurum. Qui me intuebantur, flebant, et mirabantur quod non flerem ipse: cum non illum quidem, sed me potius qui illum amisissem, omnes miserarentur. Cujus enim vel ferreum pectus super me ibi non moveretur, quem videret Gerardo superstitem? Commune damnum: sed prae meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel invitus non moveri frustra addictione naturae, universitatis debito, conditionis usu, potentis jussu judicio justi, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro hujusmodi semper extunc et deinceps exegi a memetipso non indulgere multo fletui, multum tamen turbatus et moestus. Nec potui imperare tristitiae, qui potuit lacrymae: sed ut scriptum est, *Turbatus sum, et non sum locutus* (*Ps.* 76). At suppressus dolor altius introrsum radicavit, eo (ut sentio) acerbior factus, quod non est exire permissus. Fateor, victus sum. Exeat necesse est foras, quod intus patior. Exeat sane ad oculos filiorum, qui scientes incommodum, planctum humanius aestiment, dulcius consolentur.

§ 2. Scitis, o filii, quam justus sit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe quam fidus comes deseruit me in via hac qua ambulabam, quam vigil ad curam, quam non segnis ad opus, quam suavis ad mores. Quis ita mihi pernecessarius? cui aeque dilectus ego? Frater erat genere, sed religione germanior. Dolete, quaeso, vicem meam vos, quibus haec nota sunt. Infirmus corpore eram, et ille portabat me. Pusillus corde eram, et confortabat me. Piger et negligens, et excitabat me. Improvidus et obliviosus, et commonebat me. Quo mihi avulsus es? Quo mihi raptus e manibus homo unanimis, homo secundum cor meum? Amavimus nos in vita, quomodo in morte sumus separati? Amarissima separatio, et quam non posset omnino efficere nisi mors. Quando enim me vivus vivum desereres? Omnino opus mortis, horrendum divortium. Quis enim tam suavi vinculo mutui nostri non pepercisset amoris, nisi totius suavitatis inimica mors? Bene mors quae unum rapiendo, duos furiosa perèmit. An non mors etiam mihi? Immo plus mihi, cui utique omni morte infelicior vita servata est. Vivo, ut vivens moriar: et hoc dixerim vitam? Quia mitius me privares, o austera mors, vitae usu quam fructu. Nam vita sine fructu gravior mors. Denique duplex malum ligno paratur infructuoso, securis, et ignis. Ergo meis laboribus invidens, elongasti a me amicum, et proximum: per cujus maxime studium erant (si quando erant) fructuosi *.

§ 3. Satius proinde mihi fuisset periclitari vitâ, quam tua, Gerarde, praesentiâ, qui meorum in Domino studiorum eras solicitus incitator, fidelis adjùtor, cautus examinator. Cur, quaeso aut

*** Quam humiliter de se sentiens venerabilem germanum laudat, quamque suaviter lacrymabilem de ejus obitu questum exprimit S. Clarevallensis Abbas et Doctor, eleganti usus in illum et in mortem apostrophe!**

amavimus aut amisimus nos? Dura conditio, sed mea miseranda fortuna, non et illius. Nam tu chare frater, si charos amisisti, chariores utique recepisti. Me vero quaenam jam miserum consolatio manet post te unicum solatium meum? Placita fuit pariter utrique societas corporum pro morum concordia: sed solum me divisio vulneravit. Commune, quod libuit: quod triste et lugubre, meum. In me transierunt irae, in me confirmatus furor est. Erat ambobus alterutrum grata praesentia, dulce consortium, suave colloquium. Sed tantas utriusque delicias ego perdidi, tu mutasti. Et quidem immutatis illis retributio multa. Quanto foenore gaudiorum, ac benedictionum cumulo cares hodie, nobis frater charissime, tanto habes certe pro me tantillo repositam tibi Christi praesentiam. Nec dispendium sentis absentiae a nobis tuae, angelorum admixtus choris. Non est igitur, quod causeris tu de nostra quasi subtracta tibi praesentia, cui affatim sui suorumque copiam Dominus majestatis indulsit.

§ 4. At ego pro te quid? Quam vellem scire quidnam sentias nunc de me illo unico tuo, mediis nutante curis et poenis, destituto te, baculo imbecillitatis meae. Si tamen licet adhuc cogitare de miseris, ingresso abyssum luminis, atque illo pelago aeternae felicitatis absorpto. Forte enim etsi nosti nos secundum carnem, sed nunc jam non nosti: Et quoniam introisti in potentias Domini, memoraris justitiae ejus solius, immemor nostri. Caeterum *qui adhaeret Deo, unus spiritus est* (1. *Cor* VI, 17), et in divinum quemdam totus immutatur affectum: nec potest jam sentire aut sapere nisi Deum, et quod sentit et sapit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est, et quanto quis conjunctior Deo, tanto plenior charitate. Porro impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper et parcere. Ergo et te necesse est misericordem esse, qui inhaeres misericordi, quamvis jam minime miser sis: et qui non pàteris, compateris tamen: affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus: nec quoniam Deum induisti, nostri curâ te exuisti: et ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est, abjecisti, sed non quod pium. *Charitas* denique *nunquam excidit*. Non obliviscèris me in finem. Videor mihi quasi audire fratrem meum dicentem: *Numquid mater oblivisci poterit filii uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (*ex Is.* XLIX). Non expedit prorsus. Scis ubi verser, ubi jaceam, ubi reliqueris me. Non est qui porrigat manum. Ad omne quod emerserit, respicio ad Gerardum, ut consueveram, et non est. Heu tunc ingemisco miser, sicut homo sine adjutorio. Quem consulam in ambiguis, cui in adversis fidam, quis portabit onera, quis pericula propulsabit? Nonne ubique gressus meos Gerardi oculi anteibant? Nonne tuum Gerarde pectus curae meae notius quam meum ipsius habebant? familiarius incursabant, acrius urgebant? Nonne in lingua tua illa placabili et potenti, meam a

sermonibus seculi frequentissime vendicabas, et amico reddebas silentio? Dominus dederat illi linguam eruditam, ut sciret quando deberet proferre sermonem.

§ 5. Ita denique in prudentia responsorum suorum, et in gratia data sibi dèsuper, et domesticis satisfaciebat, et exteris, ut pene me nemo requireret, cui prior forte Gerardus occurrisset. Occurrebat autem adventantibus, opponens se, ne subito meum otium incursarent. Si quibus sane per se satisfacere non quibat, hos perducebat ad me, caeteros emittebat .O virum industrium, o amicum fidelem, et amico gerebat morem, et officiis charitatis non deerat. Quis vacua ab eo recessit manu? Si dives, consilium: si pauper, subsidium reportabat. Nec quaerebat quae sua sunt, qui se mediis ingerebat curis, ut ego vacarem. Sperabat enim (sicut erat humillimus) majorem de nostra quiete fructu, quam si vacaret ipse. Interdum tamen postulabat absolvi, et alteri cedere, quasi qui melius provideret. Sed ubi ille inveniretur? Nec petulanti aliquo (ut assolet) in eo officii detinebatur affectu, sed solo intuitò charitatis. Siquidem plus omnibus laborabat, et minus omnibus accipiebat: ita ut saepe cum aliis necessaria ministraret, egeret ipse in pluribus (verbi causâ) cibo, aut veste.

§ 6. Denique cum se sentiret decessui propinquare: Deus, inquit, tu scis, quod quantum in me fuit, semper optavi quietem: mihi intendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor tuus, et voluntas fratrum, et studium obediendi, super omnia Abbatis pariter et fratris germana dilectio. Ita est. Gratias tibi, frater, de omni fructu meorum (si quis est) in Domino studiorum. Tibi debeo, si profeci, si profui. Tu intricabaris, et ego tuo beneficio feriatus sedebam mihi, aut certe divinis obsequiis sanctius occupabar, aut doctrinae filiorum utilius intendebam. Cur enim securus intus non essem, cum te scirem agentem foris manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum et linguam meam? Et quidem indefessa manus, oculus simplex, pectus consilii, lingua loquens judicium, sicut scriptum est: os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

§ 7. Sed quid dixi foris agentem illum, quasi interna Gerardus nesciret, ac spiritualium expers esset donorum? Norunt qui illum noverunt spirituales, quam verba ejus spiritum redolèrent. Norunt contubernales, quam mores ejus et studia non carnem saperent, sed fervèrent spiritu. Quis illo rigidior in custodia disciplinae, quis in castigando corpus suum districtior, suspensior, vel sublimior in contemplando, subtilior in disserendo? Quoties cum eo disserens ea didici quae nesciebam, et qui docturus adveneram, doctus magis abscessi? Nec mirum de me, cum magni ac sapientes viri idipsum nihilominus ex illo sibi accidisse testentur. Non cognovit literaturam, sed habuit literarum inventorem sensum, habuit et illuminantem spiritum. Nec in maximis tantum, sed et in

minimis maximus erat. Quid (verbi causâ) in aedificiis, in agris, hortis, aquis, cunctis denique artibus seu operibus rusticorum, quid, inquam, vel in hoc rerum genere Gerardi subterfugit peritiam? Caementariis, fabris, agricolis, hortulanis, sutoribus, atque textoribus facile magister erat. Cumque omnium judicio omnibus esset sapientior, solis in suis oculis non erat sapiens. Utinam multos, etsi minus sapientes, non plus tangeret illa maledictio: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris* (*Is.* v, 21). Scientibus ista loquor, et adhuc plura his de illo, et majora compertis. Parco tamen, quia caro mea et frater est. Hoc tamen securus addo, mihi utilis in omnibus et prae omnibus fuit. Utilis in parvis et magnis, in privatis et publicis, foris et intus.

§ 8. Merito ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat. Solum pene reliquerat mihi provisoris honorem et nomen: nam opus ipse faciebat. Ego vocitabar Abbas, sed ille praeerat in solicitudine. Merito requievit in illo spiritus meus, per quem licebat delectari in Domino, in omnibus praedicare liberius, orare securius. Per te, inquam, mihi, frater mi, mens sobria, et grata quies, sermo efficacior, pinguior oratio, frequentior lectio, et ferventior affectus. Heu sublatus es, et haec omnia simul. Tecum omnes pariter abiere deliciae et laetitiae meae. Jam curae irruunt, jam molestiae hinc inde pulsant, et angustiae undique solum me repererunt, solae mihi te abeunte remanserunt, solus sub sarcina gemo. Aut ponere aut opprimi necesse est, quia tu tuos humeros subduxisti. Quis mihi tribuat cito mori post te? Nam pro te nolim, nec te tua fraudare gloriâ. Porro supervivere tibi, labor et dolor. Vivam quoad vivam in amaritudine, vivam in moerore, et haec sit mihi consolatio, ut moerendo affligar. Non parcam, et juvabo manum Domini. Etenim manus Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit et percussit, non illum, quem vocavit ad requiem. Me occìdit, cum succìdit illum. Numquid enim occisum quis dixerit, quem plantavit in vita? At quod illi vitae janua fuit, mihi plane est mors: meque illa morte mortuum dixerim, non hunc qui obdormivit in Domino.

§ 9. Exìte, exìte lacrymae jampridem cupientes: exìte, quia is qui vobis meatum obstruxerat, commeavit. Aperiantur cataractae miseri capitis, et erumpant fontes aquarum, si forte sufficiant sordes diluere culparum, quibus iram merui. Cum consolatus fuerit super me Dominus, tunc fortassis et ego merear consolari, si tamen non pepercero a moerore. Nam qui lugent, ipsi consolabuntur. Propterea condescendat mihi omnis sanctus, et in spiritu lenitatis, qui spiritualis est, sustineat lamentantem *. Luctus meus humano, quaeso, pensetur affectu, non usu. Videmus nempe mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum multum, et fructum nullum. Non culpamus affectum nisi cum

* Hominum saeculi, in amissione charorum, luctus Christiano moerore dissimilis.

excedit modum, sed causam. Ille nimirum naturae est, et ejus turbatio poena peccati: haec vanitas et peccatum. Et enim ibi sola (nisi fallor) plorantur damna gloriae carnis, vitae praesentis incommoda. Et plorandi, qui ita plorant. Numquid ego sic? Similis mihi affectus, sed altera causa, dissimilisque intentio. Nulla mihi sane querela de omnibus quae sunt mundi. In his profecto quae sunt Dei, ademptum doleo fidele auxilium, salutare consilium. Gerardum lugeo. Gerardus est in causa, frater carne, sed proximus spiritu, socius proposito. Adhaesit anima mea animae illius: et unam fecit de duabus, non consanguinitas, sed unanimitas. Carnis quidem necessitudo non defuit: sed plus junxit societas spiritus, consensus animorum, morum conformitas. Cum ergo essemus cor unum et anima una, hanc meam pariter atque ipsius animam pertransivit gladius, et scindens mediam partem locavit in coelo, partem in coeno deseruit. Ego, ego illa portio misera in luto jacens, truncata parte sui, et parte potiori: et dicitur mihi, ne fleveris? Avulsa sunt viscera mea a me, et dicitur mihi, ne senseris? Sentio, sentio vel invitus, quia nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea aenea est: sentio prorsus et doleo, et dolor meus in conspectu meo semper. Non sane nos poterit duritiae et insensibilitatis arguere ille qui verberat, quomodo illos de quibus Jeremias ait: *Percussi eos, et non doluerunt*. Affectum meum confessus sum, et non negavi. Carnalem quis dixerit, ego humanum non nego, sicut nec me hominem. Si ne hoc sufficit, nec carnalem negaverim. Nam et ego carnalis sum, venundatus sub peccato, addictus morti, poenis, et aerumnis obnoxius. Non sum (fateor) insensibilis ad poenas, mortem horreo meam et meorum. Meus Gerardus erat, meus plane. An non meus, qui frater sanguine fuit, professione filius, solicitudine pater, consors spiritu, intimus affectu? Is recessit a me, sentio: laesus sum, et graviter.

§ **10**. Ignoscite filii: immo si filii, vicem dolete paternam. *Misеremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, qui certe consideratis quam gravia pro peccatis recepi de manu Domini. In virga indignationis suae percussit me, digne pro meritis, dure pro viribus. An leve quis dixerit, vivere me absque Gerardo, nisi qui ignorat quid mihi cum Gerardo? Nec tamen contradico sermonibus Sancti: Nec reprehendo judicium quo recepit quisque quo dignus est: Ille coronam quam meruit, ego quam debui poenam. Numquid quia sentio poenam, reprehendo sententiam? Humanum est illud, hoc impium. Humanum, inquam, et necesse affici erga charos, sive delectabiliter cum praesto sunt, sive, cum absunt, moleste. Non erit otiosa socialis conversatio, praesertim inter amicos: et quid effecerit mutuus amor in sibi praesentibus, horror indicat separationis, et dolor de invicem in separatis. Doleo super te, Gerarde charissime, non quia dolendus,

sed quia ablatus. Et ideo fortassis dolendum mihi potius super me, qui bibo calicem amaritudinis. Et solus dolendus, quia solus bibo. Non enim et tu. Solus ego patior, quod solent pariter pati, qui se diligunt, cum se amittunt. Utinam non te amiserim, sed praemiserim. Utinam vel tarde aliquando sequar te, quocumque ìeris.

§ **11.** Non enim dubium, quin ad illos ìeris quos circa medium extremae noctis tuae invitabas ad laudem, cum in vultu et voce exultationis subito erupisti in illud Davidicum, stupentibus qui assistebant: *Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis.* Jam tibi, frater mi, nocte adhuc mèdia diescebat, et nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accìtus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, et insultantem morti. *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* Jam non stimulus, sed jubilus. In cantando moritur homo, et moriendo cantat. Usurparis ad laetitiam, mater moeroris: usurparis ad gloriam, gloriae inimica: usurparis ad introitum regni, porta inferi, et fovea perditionis ad inventionem salutis, idque ab homine peccatore. Juste nimirum, quia tu inique in hominem innocentem et justum potestatem temerariam usurpasti. Mortua es, o mors, et perforata hamo quem incauta glutiisti, cujus illa vox est in Propheta: *O mors, ero mors tua: morsus tuus ero inferne* (*Oseae* XIII). Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum laetumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formìdat larvalis effìgies. Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modo securus, sed et laetabundus et laudans.

§ **12.** Cum ergo supervenissem, et extrema jam psalmi, me audiente, clara voce complesset, suspiciens in coelum, ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et repetens eumdem sermonem, ac frequenter ingeminans, Pater, pater, conversus ad me, exhilarata quidem facie: Quanta, inquit, dignatio Dei, patrem hominum esse: quanta hominum gloria, Dei filios esse et haeredes? *Nam si filii, et haeredes.* Sic cantabat, quem nos lugemus. In quo et meum (fateor) luctum pene in cantum convertit, dum intentus gloriae ejus, propriae fere miseriae obliviscor. Sed rèvocat me ad me pungens dolor, facileque a sereno illo intuitu tanquam a levi excitat somno perstringens anxietas.

§ **13.** Plangam igitur, sed super me, quia super illum jam vetat ratio. Puto enim, si opportunitas daretur, modo diceret nobis: *Nolite flere super me, sed super vosipsos flete.* Planxit merito David super parricida filio, cui perpetuo sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Merito super Saul et super Jonatham: quibus aeque absorptis semel, emersio jam non sperabatur. Et quidem resùrgent, sed non ad vitam. Immo ad vitam, ut vivi in morte infelicius moriantur. Quamquam de Jonatha,

possit non immerito haerere sententia. At mihi etsi non ista suppetit plangendi ratio, non tamen nulla. Plango primum super mea ipsius plaga, atque hujus jactura domus. Plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus pater erat. Plango certe et super universo statu nostri Ordinis, nostrae professionis, qui de tuo Gerarde zelo, consilio et exemplo robur non mediocre capiebat. Plango postremo etsi non super te, propter te tamen. Hinc prorsus, hinc afficior graviter, quia vehementer amo. Et nemo mihi molestus sit, dicens non debere sic affici: cum benignus Samuel super reprobo rege, et pius David super parricida filio satisfecerint affectioni, et non ad injuriam fidei, non in superni sugillationem judicii, Absalon fili mi (ait sanctus David) fili mi Absalon: Et ecce plus quam Absalon hic. Salvator quoque videns civitatem Jerusalem, et praevidens ruituram, flevit super eam. Et ego propriam, et quae in praesenti est, desolationem non sentiam? Plagam meam recentem, et gravem non doleam? Ille flevit compatiendo, et ego patiendo non audeam? Et certe ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec a fletu prohibuit, insuper et flevit cum flentibus. Et lacrymatus est, inquit, Jesus. Fuerunt lacrymae illae testes profecto naturae, non indices diffidentiae. Denique et prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuo putes fidei praejudicium dolentis affectum.

§ **14**. Sic nec fletus utique noster infidelitatis est signum, sed conditionis indicium. Nec quia percussus ploro, arguo ferientem: sed provoco pietatem, severitatem flectere sàtago. Unde et verba mea dolore sunt plena, non tamen et murmure. Numquid non plenum justitiae protuli, quod unius sententiae complemento et punitus est qui debuit, et coronatus qui meruit? Et adhuc dico: Bene utrumque fecit dulcis et rectus Dominus. Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine. Cantet tibi misericordia quam fecisti cum servo tuo Gerardo, cantet et judicium quod nos portamus. In altero bonus, in altero justus laudaberis. An solius laus bonitatis? Est et justitiae. *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.* Gerardum tu dedisti, Gerardum tu abstulisti: etsi dolemus ablatum, non tamen obliviscimur quod datus fuit, et gratias agimus quod habere illum meruimus quo carere intantum non volumus, inquantum non expedit. Recordor Domine pacti mei, et miserationis tuae, ut magis *justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.*

§ **15**. Cum pro causa Ecclesiae anno praeterito Viterbii essemus, aegrotavit ille: et invalescente languore, cum jam proxima videretur vocatio, ego aegerrime ferens comitem peregrinationis, et illum comitem in terra relinquere aliena, nec resignare his qui mihi eum commiserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis valde: conversus ad orationem cum fletu et gemitu, Expecta, inquam, Domine usque ad reditum. Restitutum

amicis, tolle jam eum si vis, et non causabor. Exaudisti me Deus: convaluit, opus perfecimus quod injunxeras, redivimus cum exultatione reportantes manipulos pacis. Porro ego oblitus pene sum meae conventionis, sed non tu. Pudet singultuum horum, qui praevaricationis me arguunt. Quid plura? Repetiisti commendatum, repetiisti tuum. Finem verborum indicunt lacrymae. Tu illis, Domine, finem modumque indixeris.

VITA S. ANTONII ULYSSIPONENSIS

ORDINIS MINORUM

QUEM VULGO DE PADUA VOCANT

A QUODAM P. FRANCISCANO GRAVITER ET FIDELITER SCRIPTA.
DICTIONEM TAMEN IN GRATIAM LECTORIS MUTAVIT SURIUS
OMISSIS PLERISQUE PARUM AD HISTORIAM FACIENTIBUS.

Anno migravit 1231 — Natione Lusitanus.

§ **1**. Est in Lusitaniae regno ad plagam Occidentalem, in extremis orbis finibus urbs quaedam, quam incolae Ulysbonam (*a*) vocant, quod ab Ulysse, ut ajunt, bene sit condita. In ea templum mirae magnitudinis extructum est in honorem Matris Dei et perpetuae virginis Mariae, in quo beati Vincentii martyris sacrum corpus honorifice asservatur. Ad ejus templi partem occiduam felices beati Antonii parentes honestum habuere domicilium, ipsis templi foribus valde propinquum. Ex illis in ipso juventutis flore procreatus beatus Antonius, cum sacri baptismatis salutaribus expiaretur undis, Fernandi nomen accepit. Qui deinde ab ipsis prope incunabilis multa fuit morum probitate et integritate, nec sicut tenera puerorum solet aetas, mundi lasciviam et vanitatem complexus est, sed bonorum parentum sedulus imitator, ecclesiarum et monasteriorum crebro terebat limina, manusque suas libenter extendebat ad pauperes, ut illorum inopiam sublevaret, ut posset in illum quoque competere, quod de se B. Job ait: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio* (*Job* XXXI).

(*a*) Ulyssipo, Olissipo, Olyssibona (*Lisbona*) Lusitaniae seu Portugalliae caput, in extrema occidentali Europa, qua Tagus, regale flumen, late diffusus, in Oceanum se immittens, magnum patet in portum, urbs est ob amplitudinem et dignitatem notissima, ac religiosis fastis non minus quam civilibus celebranda. Metropolitanâ a labente XIV saeculo, Patriarchali 2.i ordinis Sede ab anno MDCCXVI, jam erat, saeculo V, sacro Antistite sub Emeritensi (*Merida*) Archipraesule, decorata. Ingenti Clero, coenobiorum utriusque sexus copiâ, opibus, civium regumque pietate, cultus divini splendore, Sanctis quos genuit viris, maxime excelluit. Quae adeo prospera omnia simul cum antiqua Lusitani Principatus gloriâ evanuere!

Pater ejus vir nobilis fuit, miles Alphonsi regis, Martinus nomine. Mater ejus Maria, non infimo genere fuit.

§ 2. Cum autem puer esset rationis capax, a parentibus literis traditus est imbuendus, simul et educandus a ministris Christi, cujus erat praeco futurus. Ita pueritiae aetatem instar patriarchae Jacob domi simpliciter exegit. Cum autem accedentibus annis sentiret improbos corporis motus, de carnis corruptione nascentes, nequaquam cessit petulantis ancillae pravis cupiditatibus, nec fraena libidini laxavit: sed strinxit habènas, corpusque in servitutem spiritus redigere nitebatur. Vilescebat ei in dies mundus iste, et ne pulvis terrenae felicitatis pedibus adhaereret, animoque in via Domini currenti offendiculo foret, retraxit eos, cum necdum tortos illos in ipso mundi primo aditu posuisset. Est autem extra urbis Ulysbonae muros monasterium Augustinianorum, in quo viri spectatae religionis degunt, quos Canonicos Regulares vocant. Ad quos vir Dei, spretis mundi oblectamentis, se contulit, et illorum habitum induit humiliter ac devote. Sed cum biennio illo, quo apud eos mansit, amicorum crebra visitatione, quae solet piis mentibus non parum importuna videri, interpellatus fuisset, ut omnes ejusmodi occasiones sibi praecideret, natale solum deserere decrevit, ut apud exteros Domino tranquillius et liberius vacare posset. Impetrata igitur, sed aegre, recedendi copiâ a superiori, non vitae institutum, sed locum mutavit, ad monasterium S. Crucis de Conimbria, ferventi spiritu commigrans, idque zelo severioris disciplinae et studio majoris quietis.

§ 3. Quam autem ille non locum, sed morum mutationem et expetiisset et fecisset, satis declarabat vita ejus solito ferventior. Et quoniam, teste D. Hieronymo, non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse, laudandum est: talem se moribus exhibuit, ut omnibus perspicuum esset, loci opportunitatem majorem idcirco illum appetiisse, ut ad vitae perfectionem facilius posset pertingere. Neque vero mediocri studio semper excolebat ingenium, nec diebus nec noctibus pro temporis ratione a lectione divina cessans, animumque sanctis cogitationibus et meditationibus exercens. Solebat autem legendo historicae veritatis textum, allegorica comparatione confirmare fidem, et rursus ipsis Scripturae verbis conformare mores et affectum inflammare. Scrutabatur religiosa curiositate profunda sermonum Dei, et contra errorum foveas divinae scripturae sententiis intellectum communiebat: simul etiam sanctorum Patrum monumenta sedula lectione evolvens. Denique lecta tenaci memoriâ complectens, praeter omnium expectationem, magnam scripturae divinae est cognitionem adeptus.

§ 4. Cum autem Reliquias sanctorum Martyrum, quinque Fratrum Ordinis sancti Francisci *, Petrus Infans, serenissimi

* De quibus in Surio, XVI jan., p. 366.

Lusitaniae Regis filius primogenitus, a Marochio adduxisset, et se illorum meritis a magnis periculis liberatum per omnes Hispaniae provincias divulgasset: Christi servus Fernandus audiens mira quae per illos fiebant, multo coepit flagrare desiderio instar illorum pro Christo hauriendi martyrii calicem, factusque seipso robustior, humano calcato timore, divinae gratiae validissimo protectus clypeo, dicebat apud se: Utinam coronae martyrum suorum participem me facere dignetur Deus. Utinam liceat pro Christi nomine flexo poplite carnificis ictum excipere. Interim nocte ac die rogabat attentissime Dominum, ut menti ipsius adspiraret, quod et illius voluntati gratius, et suae saluti conducibilius, et proximorum utilitati atque aedificationi opportunius esset.

§ **5**. Erat per id tempus haud procul a Conimbria eo in loco, qui S. Antonius dicitur, ubi fratres erant instituto Franciscani, literas quidem nescientes, sed vim atque virtutem literae vitâ et virtutibus exprimentes: qui ex praescripto regulae et professionis suae eleemosynam petituri, ad monasterium viri Dei saepe venire solebant. Ad quos pro suo more die quodam visitandi gratiâ clam accedens, inter caetera ait ad illos: « Ordinis vestri habitum, fratres charissimi, ardenti animo cupio accipere, modo id mihi polliceri velitis, simulatque illum induero missuros me vos ad regiones Saracenorum, ut cum sanctis martyribus merear ego quoque sanguinem fundere, et esse coronae illorum particeps. » Illi his auditis, non mediocriter tanti viri sermonibus exhilarati, diem crastinum ejus explendo desiderio designant. Mox beatus Antonius Abbatem suum pro obtinenda abeundi facultate precibus pulsat, eàque vix extorta, fratres Franciscani non immemores pollicitationis suae, mane redeunt, habitum suae professionis illi tradunt. Quo cum ille indutus esset, quidam ex Canonicis monasterii ejus, acerbo animo, dixit ad eum: Eas, eas: forsitan sanctus eris. Ad quem ille conversus, humili voce dixit: « Cum me in sanctos relatum audieris, profecto Deum laudabis. » Possumus ex his colligere, quam gratus ille fratribus suis fuerit, cui nec Praelatus nisi admodum difficulter discedendi voluit facere potestatem, nec fratres hac in re suo eum fovere consilio, nec ille, quem diximus, frater ejus absentiam aequo potuit animo perferre. Puto equidem non absque multo dolore et lacrymis talem a se virum illos dimisisse, quem sui monasterii idoneum sese praefectum brevi habituros sperarent. Porro autem fratres Franciscani cum novo socio suo domum pròperant, eumque amanter accipiunt. Sed quia formidabat vir Dei, ne parentes aliquam ipsi molestiam facesserent, ut ipsorum inquirentium curam eluderet, mutato nomine, Antonium se dici voluit.

§ **6**. Paulatim autem crescebat in eo sitis martyrii, et zelus fidei magis ac magis eum extimulabat, nec eum quiescere patiebatur. Itaque quemadmodum se facturos receperant, fratres

Franciscani fecerunt ei copiam ad Saracenos proficiscendi. Nec ille sibi moras nectendas putans, celeriter abiit. Sed Deus hac in re illius propositum plane retardavit, totius hyemis spatio gravi eum morbo affligens. Qua re compulsus ille, ad natale solum ob corporis curandam valetudinem se recepit: sed cum navigando ad Hispaniae littora nautas appulsuros speraret, ad Siciliam ventorum impulsu delatum se sensit. Habuit ergo pro Christo moriendi et desiderium et conatum vir omnium ore merito celebrandus, sed divina providentia, ut post ipsa res docuit, plurimorum saluti eum servavit, quos ille in diversis regionibus e faecibus peccatorum revocavit ad salutares poenitentiae fructus.

§ 7. Non longe tum aberat dies, in quem indictus erat Fratrum conventus apud Assisium, quem Capitulum generale vocant. Id ubi Messanae ex fratribus vir Dei rescivit, seipsum confirmans, eo, licet debilis et affecta valetudine, profectus est. Eo autem conventu soluto, cum ille, quem Ministrum vocant, commissos ipsi fratres ad sua loca remitteret, solus Antonius a nemine expetebatur quippe qui ut ignotus, ita parum utilis aut idoneus existimaretur: atque ita solus in Ministri generalis manibus relictus est. Accìto autem fratre Gratiano, qui tum in Aemilia fratrum Minister erat, secreto eum rogavit servus Dei, ut a Ministro generali ipsum acceptum in Aemiliam perduceret, disciplinis regularibus illic erudiendum. Nullam vero literaturae mentionem faciens, nihil ecclesiasticam exercitationem jactitans, sed intellectum et scientiam omnem captivans in obsequium Christi, illum solum Crucifixum se sitire, se nosse, se complecti velle proclamabat. Frater autem Gratianus miram ejus devotionem exosculans, votis ejus assensit, secumque in Aemiliam abduxit: ubi veniâ impetrata, ad erèmum Montis Pauli * secessit, quietem animi et conscientiae captare volens. Cum autem in ea eremo aliquandiu moraretur, frater quidam cellulam precationi aptam in quadam crypta sibi condidit, ut illic liberius Deo vacaret. Eam ut vidit vir beatus, a fratre illo sibi ejus copiam fieri precibus contendit. Non negavit ille, et vir Dei persoluto quotidie nocturnarum precum officio, ad eam cellam secedebat, sumptàque secum exigua panis particulâ et in vase aquâ, cogebat carnem parère spiritui, solitariamque illic, quantum licuit, vitam ducens, sanctis cogitationibus et meditationibus spiritum adversus tentationes communiebat, et divino amore se confirmabat. Perstabat illic solus nocturnis horis in precibus, totumque se divinae moderationi permittens et commendans, in coelestibus spei suae ancoram solidissime defigebat. Nec deerant illi crebrae infestationes daemonum, volentium eum in sanctae orationis studio perturbare. Tanta autem se inediâ maceravit, ut quemadmodum testantur ii qui id viderunt, horâ refectionis ad fratres rediturus, nutante prae nimia imbecillitate

* Eremitorium *Montis Pauli* apud Bononiam

gressu, seipsum interdum sustentare non posset. Sic igitur vir ille plenus sapientiâ, non brevi tempore simplex vixit apud simplices, et omnem arrogantiam humili corde devitans, sub indocti persona gratiae lumen abscondit.

§ 8. Sed non est passus Deus semper latère eum, voluitque aliquando illum innotescere. Cum enim multum jam temporis fluxisset, fratres pro sacris accipiendis Ordinibus ad Forum Livii quae est Aemiliae civitas, confluxerunt: inter quos adfuit etiam Antonius et quidam Fratres S. Dominici. Instante autem collationis horâ, fratribus ex more congregatis, Minister loci illius fratres Dominicanos rogavit, ut sitientibus verbum salutis proponerent. Illis recusantibus, quod nihil se praeparassent, instigante eum fortiter spiritu Dei, Minister ad Antonium, de cujus eruditione nihil comperti habebat, se convertens, jubet, ut apud Fratres dicat, quicquid ipsi suggereret spiritus Dei. Non putabat eum quicquam scire de scripturis divinis, aut legisse aliquid nisi forte quae ad ecclesiasticum officium pertinerent. Spem tamen nonnullam ei adferebat, quod audierat illum necessitate cogente, idque perraro, aliquid literate dixisse. Et certe cum tantus ille esset, ut memoriâ pro codicibus uteretur, et mystici eloquii gratiâ mire afflueret, peritior tamen apud Fratres habebatur abluendorum culinae utensilium, quam scripturae sanctae mysteria explicandi. Praefectum enim suum, quem Guardianum dicunt, supplex rogarat, ut magni beneficii loco ipsi permittère vellet eluere coquinae vasa, et verrere quotidie fratrum domicilia, nulli alii rei aptum et utilem se confitens, cum esset revera vas electum et Sancti Spiritus gratià multivaria ornatum. Mundabat ergo quotidie humili ac devoto corde culinae res et fratrum domicilia, eximiae cujusdam humilitatis et contemptus sui de se exempla praebens. Non ita agunt plerique alii, qui ante, quam sint discipuli, magistri esse volunt, seseque in cathedram importune ingerere non verentur. Contra Antonius jam perfectus in scripturis divinis, inter idiotas et rudes laicos haberi maluit quam sciolus aut magister videri, potiusque laboribus occupari culinariis, quam magisterii cathedram occupare.

§ 9. Verum enim vero licet totis viribus in id incumberet, ut a Ministro impositum munus liceret subterfugere, non potuit tamen voto potiri suo. Tandem ergo cedens tum illius voluntati, tum omnium precibus, cum timore Domini primo orsus est simpliciter ad eos dicere: sed cum vellet Dominus lucernam hactenus sub modio positam, in omnium conspectum proferri, in orationis progressu tanto verborum splendore, tanta mysticarum sententiarum altitudine usus est, ut omnes in summam admirationem adducerentur, maxime quod praeter omnium opinionem id eveniret: simul etiam eximia ejus charitate non mediocriter aedificarentur, nec affirmare dubitarent, ejusmodi sermonem nunquam se antehac

audivisse. Ita deinceps, non minima affecti consolatione, venerabantur in illo divinitus detectam supernae sapientiae claritatem, cum tam insigni humilitate conjunctam.

§ **10**. Non diu post ad aures Ministri generalis hujus rei famâ perlata, illius voluntate compulsus est, rupto diuturno silentio, prodire in publicum, demandataque illi concionandi provinciâ, cultor erèmi missus est ad praedicandum verbum Dei: dignus quidem tali ministerio, quod ipse, licet divina pollens sapientiâ, sibi impudenter non usurpasset, sed in collegio pauperum, vere pauperem spiritu se declarasset, et non nisi vocatus ad concionandum accessisset *. Fuisse autem divinitus vocatum, et vita illius et obitus perspicue docuere: e quibus priorem, nempe vitam, abjectio sui voluntaria, simplex innocentia, et disciplinae monasticae studium commendat: posteriorem vero, id est, doctrinam, cum zelo conjuncta charitas, veritas et modestia approbarunt. Quae cum non possint omnia singulatim referri, paucis dicemus, quemadmodum veritatem indiscriminatim omnibus annunciarit. Fecit nimirum instar Isaiae, cui dictum est: *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum* (*Is.* LVIII): mittentisque Dei auctoritate fretus, ex eremi cultore, ubi sibi uni intenderat, factus praeco Dei, non segniter fungens officio suo, ad proximorum conciliandam salutem totum se contulit: in concionibus suis eam adhibens justitiae aequitatem, ut sive magnis, sive parvis loqueretur veritatis jaculis indifferenter omnes feriret. Arguebat incredulos, obsecrabat pios, impios objurgabat, ut copiosissime, ita ferventissime singulis accommoda et convenientia salutaris doctrinae monita depròmens. Qui enim jam ante, ut supra dictum est, passionis calicem tantopere concupierat, nullius magnitudini, etiamsi mortis impenderet discrimen, pro veritate cedebat, sed mirabili strenuitate etiam potentium tyrannidi sese opponebat. Nulla prorsus flectebatur personarum acceptione, nulla adulatione molliebatur, non popularis transversum rapiebat favor et opinio: sed juxta Prophetae vocem, quasi plaustrum tritùrans, habens rostra serrantia, montes comminuit, et colles quasi pulverem posuit.

§ **11**. Videbatur quasi alter quidam prodiisse Elias, zelo Dei fervens, inflammatusque igne Spiritus Sancti, ignitis sermonibus accendebat et urebat auditorum tepida, torpentia, frigida et obscura corda. Personas quasdam sublimes reprehensione dignas, tanta nonnunquam severitate objurgavit, ut plerique alii celebres concionatores illum audientes, ad intrepidam illius constantiam trepidarent, vultusque suos quodam pusillanimitatis rubòre perfusi obtegerent. Circumibat per vicos, castra, urbes et agros, et vitae semina ubique largissime spargebat. Cumque ob zelum

* Tunc ajunt a S. Institutore Ordinis Francisco missum Antonium fuisse Vercellas in Subalpinis, ibi per Abbatem illius percelebris Monasterii S. Benedicti Theologica scientiâ erudiendum.

animarum passim discurreret, omnemque requiem sibi prorsus vellet interdictam, contigit eum Dei nutu Ariminum pervenire : ubi cum multos cerneret haeresi correptos, mox totius oppidi convocato populo, ferventi spiritu ad eos concionari coepit, versùtaque haereticorum dogmata luculenter confutavit. Eas autem in auditorum pectoribus efficax sermo et doctrina salutaris fixit radices, ut profligatis tetris erroribus, non pauci ad fidei integritatem sint reducti. In quibus etiam Bonivillum haeresiarcham, quem triginta annis errorum tenebrae obcaecaverant, ad sanitatem revocavit, effecitque ut usque ad mortem Ecclesiae mandatis devotus steterit.

§ **12**. Postea vero, privato quodam negotio urgente, a Ministro Ordinis Romam missus est : ubi tantam principum Ecclesiae erga se benevolentiam expertus est, ut et ab ipso Pontifice Maximo et caeteris omnibus concio illius incredibili studio ac devotione auscultata sit. Tam enim sublimiter facundo ore Scripturae mysteria depromebat, ut Pontifex Maximus singulari quadam praerogativâ eum *arcam Testamenti* appellaret. Habebat hoc vir Dei, ut sermo ejus, pro rerum diversa ratione, semper in gratia sale discretionis esset condìtus : noveratque pariter et placidum et severum se exhibere : qua re fiebat ut sermo ejus et amore et timore afficeret auditores. Mirabantur in illo viri literati tantum ingenii acùmen, tantamque eloquentiam, mirabantur illum erga omnes miro quodam prudentiae et discretionis pondere sua verba librantem. Majores non sine admiratione attendebant, spiritualibus spiritualia comparantem : minores stupebant vitiorum causas et occasiones sapienter resecantem, et virtutes ac bonos mores cum multa cautione inserentem. Denique omnes omnium aetatum, ordinum, conditionum mortales accommodatas sibi doctrinas et institutiones ex illo se suscipere laetabantur. Nec immerito illi tributum fuit a Pontifice, ut arca Testamenti diceretur. Ita enim utriusque Testamenti paginas memoriae plane affixas habebat, ut instar Esdrae potuerit, si sic res postulasset, omnes scripturas divinas in integrum de sua memoria, etiam codicibus omnibus prorsus abolitis, restituere. Testantur hoc, qui ejus quotidiano convictu et familiari consuetudine diu usi fuere. Nec ei defuisset facultas, si res poposcisset, omnia scripta divina luculenter et multiplici ratione exponendi et interpretandi.

§ **13**. Multa vero insignia Ordinis sui monasteria praelegendo, disputando, concionando illustravit et ornavit, idque tum zelo fidei et fervore Christo animas adducendi, tum studio fratres instituendi, tum quoque desiderio cohonestandi institutum sive Ordinem suum, qui per id tempus propter imperitiam apud plerosque in contemptu erat. Et certe fuit primus ille praelector in Ordine suo, consentiente beatissimo patre Francisco, institutus Bononiae, ut praeesset suis in theologica facultate. In Cismontana

enim regione tum temporis potissimum florebant studia literarum, placuitque fratribus Antonium, tanquam prae caeteris magis idoneum, illic praelectorem constituere. Idem autem ipse etiam in Aemiliae provincia per multis annis fratrum Minister cum laude fuit. Etsi vero doctrinâ et verbo in Italia vix quemquam parem haberet, at nihilo minus in sua praefectura vel Ministri functione mire commodum et humanum se praebebat.

§ **14**. Cum autem in civitate Podiensi * Guardiani ministerio fungeretur, erat illic notarius quidam omnino lubricus, carni et mundo totus addictus. Eum quoties praeteriret vir Dei, nudato capite coram illo genu flectebat. Ille vero existimans id in sui irrisionem et contumeliam fieri, animo perturbabatur, dabatque modis omnibus operam, ne illum unquam obvium haberet. Sed cum die quodam ab insperato eum transiret vir sanctus, et ita, ut diximus, erga illum se gereret, exacerbatus homo, dixit: Nisi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quod ita me ridiculum facis. Quid sibi vult isthuc, quod coram me poplitem flectis? Respondit vir beatus: « Ego me libens Deo martyrem obtulissem, sed illi non placuit. De te autem ille mihi revelavit, praeclarum te martyrem fore. Oro itaque, ut ubi ad martyrii agonem perveneris, mei memor esse velis. » Hoc ille audiens, risit. At non multo post tempore Episcopus Podiensis cum multis aliis profectus est Jerosolymam, ut Saracenis Christum praedicaret. Et ecce divinitus permotus notarius ille, venditis suis rebus omnibus, cum illo iter ingressus est. Cum autem pervenissent ad Saracenos, et Episcopus sic satis frigide haberet conciones, semel quidem et iterum et tertio notarius dissimulavit. At tandem instar beati Vincentii increpat antistitem, quod ita frigide fidem Christi et praedicet et propugnet: divinoque afflatus spiritu, cum multo fervore coepit docere Saracenos, Christum esse verum Deum et Dei filium, Mahometem autem filium esse satanae et perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, et per triduum diris eum suppliciis excruciant. Cumque jam ad mortem duceretur, exposuit fratribus Antonium id praedixisse, quod ipse martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reverentiâ beatum Antonium prosequendi.

§ **15**. Fratribus quandoque (Arelate, *Arles*) in Provincia ad Capitulum congregatis, vir sanctus de titulo Crucis et dulcissimi Salvatoris passione praeclaram habuit concionem. Eo autem concionante, sanctissimus pater Franciscus, qui tum procul aberat in alia regione, filiis suis in aëre mirabili quodam modo apparuit. Visus enim est uni ex illis, tanquam brachiis ad crucem extensis, velut approbando sermonem Antonii, indicare quid Fratres imitandum suscipere deberent, illisque benedicens, Crucis super eos signum exprimere.

* Gall. *Puy-en-Velais* (ex antiqua *Vellavorum* colonia) in Gallia Aquitanica.

§ **16**. E Provincia trajiciens secundo in Italiam; in Siciliam venit, ubi Cephalùdi et in Leontinis Coenobia sui Ordinis fundavit. In urbe vero Pactarum (textum Anonymi liceat hic eximii Waddingi narratiunculâ interpolare), obtigit ei illud miraculum, quod cum quidam odio haberet sanctum virum: doleretque in pretio haberi ab Episcopo, stravit insidias ejus honori. Invitavit eum ut secum pranderet die Veneris; recumbenti autem altilem apposuit caponem, dicens, Evangelicum esse praeceptum: *Manducate quae apponuntur vobis*; nec id licere Antonio transgredi, ac proinde illum quantumvis sexta feriâ debere carnibus vesci. Ille explicato Evangelii textu, propter infirmi corporis debilitatem, avem comèdit. Clam hospes statim cum suis coepit murmurare, et ad Episcopum perrexit, ipsius caponis ossibus fidem facturus, non adeo sanctum esse hominem velut populus cogitabat; versisque autem statim ossibus in spinas piscium, homo obstupuit, veniamque poposcit.

§ **17**. In illo generali Capitulo, quo sacratissimae beatissimi patris nostri Francisci reliquiae, ad eum locum, in quo nunc, cum ea qua par est, veneratione asservantur, translatae sunt (anno MCCXXX), qui fuit annus proximus ante obitum ejus, ab omni fratrum regimine prorsus absolutus est beatus Antonius, factaque ei est generalis potestas verbum Dei ubicumque vellet praedicandi(*a*). Cum igitur eo tempore, quo conciones suas, quas de Tempore vocant, conscripsit, Paduae moratus fuisset, multamque erga se civium fidem et benevolentiam esset expertus, mira erga eos devotione affectus, primo libertatis suae cursu ad eos se conferre decrevit. Cumque eo pervenisset, Ostiensis Episcopus eum hortatus est, ut conciones de Sanctis quoque conficeret. Itaque illi morem gesturus, Paduae voluit in illud opus incumbere *. Sed sacro Quadragesimae adventante tempore, videns vir Dei adesse tempus acceptabile et dies salutis, illud opus intermisit, totumque se ad docendum pro concione populum, ejus sermones mirifice sitientem, applicuit, illisque quadraginta diebus quotidie concionatus est, non sine multorum admiratione. Erat enim naturâ corpulentus, et ea causâ perpetuo laborabat incommoda valetudine: at tamen prae infatigabili animarum zelo, praedicando, docendo, confessiones auscultando, saepissime usque ad solis occubitum jejunus permanebat.

§ **18**. Vidit hoc et invidit malignus daemon, perpetuus bonorum studiorum hostis, et ut virum sanctum a suo proposito deterrèret, nocturnis illusionibus infestus ei fuit. Rem non commentitiam refero, quam ipse vir Dei cum adhuc viveret, cuidam fratri

(*a*) Tunc Antonius paupertatis humilitatisque zelator, coram Summo Pontifice aperte in faciem restiterat Eliae, nupero ab obitu S. Francisci Ministro Generali, Ordinem Minorum contra beatissimi Assisiatis spiritum et instituta subvertenti. Male admodum ergo Sanctus de Padua a quibusdam atrata *Conventualium* veste amictus effingitur.

* De ejus scriptis vide Notam in calce *Vitae*.

narravit. Nocte quadam sacrae Quadragesimae, in exordio earum quas diximus virum Dei tunc suscepisse occupationum, fessa laboribus membra somni beneficio nonnihil recreare volebat. Ecce autem impurus satan adest, et hominis Dei guttur tanta vi comprimit, ut nisi divinitus retardatus esset, haud dubio eum praefocaturus fuerit. At ille beatissimae Matris Dei nomen invocans, et fronti suae vivificae Crucis signum imprimens, simulque depromens hymnum illum, O gloriosa Domina, in fugam compulit nequissimum spiritum, et repente se sensit liberatum. Cumque fugientem illum videre cuperet, oculos aperiens, totam illam, in qua cubabat, cellulam superni luminis splendoribus perfusam conspexit.

§ **19**. Pergens deinde in suscepto per Quadragesimam concionandi labore ac studio, populum habuit audiendi ipsum cupidissimum, ita ut certatim cunctis ad eum confluentibus oportuerit quotidianas in ecclesiis stationes indici. Sed cum nimiam auditorum frequentiam ecclesiarum ambitus non caperet, compulsus est ad patentes sese campos transferre, atque ita salutaris doctrinae pluviâ de spiritus abundantia irrigare sitibundos. Confluxit autem eo ex vicinis urbibus, castris, pagis, innumera prope hominum multitudo, salutem suam in illius doctrina spe non dubia collocans. Surgebant intempesta nocte, et alii alios nitebantur antevertere, accensisque luminaribus ad locum, ubi erat facturus verbum vir Dei, summa contentione properabant. Cernere illic erat milites, matronas nobiles mediis noctis tenebris accurrere, et qui in multam lucem prius stertere consueverant, absque ullo taedio vel molestiâ concionaturum vigiles expectare. Deponebant autem omnes cultiorem habitum, et quae ad ornatum spectare videbantur, utebanturque vestibus religiosis. Ipse quoque Antistes Paduanus cum Clero suo virum Dei devote sequens, formaque gregi suo factus ex animo, omnes suo egregiae humilitatis exemplo ad accurate auscultandum incitavit. Itaque viro Dei loquente, tanto ab omnibus studio attendebatur, ut in triginta vel eo amplius hominum millibus vix murmur aliquod aut strepitus sentiretur. Tabernas suas mercatores non volebant patère cuiquam ad emendas merces, nisi prius sancti viri concione absoluta: adeo fervebant illius audiendi desiderio. Foeminae ex pietate et devotione praecidebant forficibus particulas e tunica ejus, pro reliquiis eas habiturae: et cui dabatur contingere fimbriam vestimenti ejus, is beatum se arbitrabatur. Concione peracta, ab hominum irruentium vi defendi vix potuit, nisi fortium virorum septus praesidiis, vel fugae opportunitatem callide exploraret, vel turbis tandem recedentibus, citra molestiam ipsi quoque abire liceret.

§ **20**. O quot ille tum odia inexpiabilia et implacabiles inimicitias ad pacem et concordiam revocavit, quam multos diuturna

captivitate miseros libertati restituit, quot ille res, per usuras et nefariam vim aliis ereptas, restituendas curavit. Reddebantur pignora, remittebantur debita, in variis negotiis consilia a viro Dei expetebantur, et promittebant omnes se staturos arbitrio illius. Compescebantur scorta a flagitioso concubitu, fures et insignes praedones retrahebantur a contrectatione rei alienae. Atque hunc in modum dies illos quadraginta felicissime exigens, gratam Domino messem solicitus adduxit. In tanta autem undique concurrentium turba id fuit admiratione dignum, quod nullus sese comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur dissolutio, risus nullus, nullae voces percipiebantur, nulli infantium vagitus, quibus vel parum ejus conciones interpellarentur. Stabant omnes arrectis auribus, intentissimis perpetuo in virum Dei oculis, sine ullo taedio cum multa devotione eum sustinentes, perinde ac si non homo, sed angelus lapsus e summo coelo, ad illos concionaretur. Neque id mirum, quandòquidem tanta illum Dominus gratiâ perfuderat, ut linguâ facundissima, voce clarissima, sua verba instar tubae cujusdam expròmens, ab omnibus et audiretur et intelligeretur. Nec id admiratione vacat, cum in longinqua regione natus et educatus multo tempore fuisset, quod Italico idiomate adeo polite potuit, quae voluit pronunciare, ac si extra Italiam nunquam posuisset pedem.

§ 21. Tantam vero utriusque sexus multitudinem ad confitenda peccata sua remisit, ut nec Fratres, nec alii sacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis sufficerent. Dicebant autem, qui ad agendam poenitentiam veniebant, divino jussu admonitos et ad Antonium transmissos, id se in mandatis habere, ut per omnia ejus consiliis parèrent. Nonnulli, post ejus decessum e vita, quibusdam Fratribus secretius dixerunt, beatum Antonium ipsis dormientibus apparuisse, et nomina fratrum, ad quos illos mittebat, indicasse. Die quodam sancti viri concione adeo quidam mente compunctus fuit, ut cum ad confitendum peccata sua ex ejus consilio se compararet, prae suspiriis et singultibus nec unum posset verbum proferre. Cumque vir sanctus ei diceret, ut peccata sua in scripta redigeret, eaque ipsi legenda offerret, fecit ille ut erat jussus. Sed cum chartulam vir Dei acciperet, ita scripturam omnem abolitam et prorsus obliteratam invenit, ac si prorsus nihil scriptum fuisset. Coeperunt tum primum homines catervatim sese verberando, et pia cantica devote depromendo procedere. Atque ea laudabilis consuetudo, a tanto auctore profecta, deinceps suis est aucta incrementis, ita ut in omnibus fere Italiae locis accuratissime hodieque observetur *.

§ 22. Fuit autem viri Dei id praecipuum semper studium et

* Mira ubique audiendorum Sermonum Antonii cupiditas — Ingens Concionum ejus efficacia, uberrimique fructus — Vide infra et superatam haereticorum pervicaciam; sed et nota magnifice patratum per S. Eucharistiam prodigium.

conatus perpetuus, ut perniciosissimas vulpeculas, quae demoliuntur vineam Domini Sabaoth, nempe haereticos pestilentes et falsas eorum doctrinas, pro viribus oppugnaret, funditus destrueret, ac radicitus extirparet. Haeresiarchas quosdam in publicis disputationibus Arimini, Tolosae et Mediolani palam convicit, et errores eorum coram omnibus confutavit. Adeo enim instructus erat et efficacibus scripturae divinae sententiis, et solidis ac perspicuis rationibus, ut qui nefanda essent haeresi imbuti, coram illo consistere, aut os aperire non auderent, ita ut ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promisit discipulis suis: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non pòterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri* (*Lucae* XXI). Detegebat mirum in modum haereticorum fraudes et versutias, conatus retardabat, errores abominandos cum multa vituperatione traducebat. Nec facile quemquam ea tempestate uspiam invenire licuisset, quod ipse quoque publice fatebatur, qui tam acriter et perpetuo illos insectaretur, tamque continuam persecutionis procellam illis excitaret. Unde factum est, ut passim ab omnibus indefessus *haereticorum malleus* diceretur. Nec sine fructu fuit labor viri Dei, plerisque haereticis cum ipsorum fautoribus ad veritatem et obedientiam sanctae matris Ecclesiae revertentibus. Quod ut magis perspicuum fiat, praeter illum, quem Arimini conversum diximus, Bonovillum nòmine, alium quemdam hic commemorabimus haeresiarcham insigniter perfidiosum quem vir Dei stupendo miraculo ad sanitatem reduxit.

§ **23**. In partibus Tolosanis quandoque incidit in disputationem acerrimam cum perfidissimo quodam haeresis architecto de salutifero sacramento Eucharistiae. Jam pene vicerat hominem, parumque aberat, quin ille Catholicae veritati accederet, cum post multa et varia, per quae èlabi nitebatur, argumenta, in haec ille verba prorùpit: Missa faciamus verba, et ad res veniamus: Si tu miraculo testatum efficere potueris, in Eucharistia verum haberi corpus Christi, omni perfidiâ abjurata, mox cervices meas Catholicae fidei jugo submittam. Respondit vir Dei cum multa fiducia: « Confido in Christo Salvatore, me pro tui et aliorum conversione id, quod postulas, ab ejus misericordia impetraturum.» Tum surgens haereticus, et manu silentium indìcens, ait: Ego jumentum quoddam triduana inediâ macerabo: post triduum vero producam illud in populi conspectum, et paratas escas ostendam illi: tuque stabis ex adverso cum tuo illo, ut dicis, Corpore Domini: Si jumentum posthabito pàbulo suo, properaverit ad adorandum Deum suum, Ecclesiasticae fidei totus accedam. Assensit iis vir Dei absque mora. Jam dies praefixus aderat, et in plateam latissimam undique fiebat hominum concursus. Adest etiam vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequentiâ stipatus: nec abest haereticus cum nequissima suorum caterva. Prope

aderat sacellum, in quod vir sanctus ingressus, cum multa devotione obtulit Missae sacrificium. Eo peracto, egreditur ad populum, cum summa reverentia gestans corpus Domini. Producitur e conclavi mulus bene famelicus, congruumque illi pàbulum offertur. Tum imperato silentio, vir Dei cum multa fiducia bruto illi animanti ita dixit: «In virtute et nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, re vera teneo, tibi praecipio, ut confestim humiliter huc accedas, et eam, quam par est, illi praestes reverentiam, ut hinc perspicue intelligat perversitas haereticorum, omnem creaturam suo subdi Creatori, quem dignitas sacerdotalis in altari contrectat.» Necdum Christi servus dicendi finem fecerat, et ecce jumentum illud, neglecto pabulo, usque ad poplites submisso capite accessit, et coram illo vivifico Corporis Christi sacramento genu curvavit. Mox immenso gaudio exultant catholici, haeretici dolore animi contrahuntur. Laudatur et benedicitur omnipotens Deus, fides catholica extollitur, haeretica pravitas pudore afficitur et opprobrio sempiterno. Haeresiarcha autem ille coram omnibus abjurata perfidiâ, sanctae Ecclesiae mandatis deinceps paruit.

§ **24**. Quodam tempore Romam innumera diversarum gentium multitudo venerat, condonationes sive indulgentias Paschales promeritura. Erat tum in urbe vir Dei Antonius propter negotia quaedam, voluitque summus Pontifex, ut ad peregrinos illos haberet concionem. Renovatum illic cernere licebat praeclarum illud miraculum, quo olim in Pentecoste Apostolos illustravit Christus. Nam beati viri linguam ita instruxit gratia Spiritus Sancti, ut singuli et aperte audirent, et plane intelligerent idioma regionis suae, in quo et nati et educati fuerant, quemadmodum multi ex iis postea pro certo affirmarunt.

§ **25**. Eo tempore, quo apud Montem Pessulanum (*Montpellier*) vir sanctus praelegebat, quodam solemni die concionabatur, omni et Clero et populo auscultante. Sermone inchoato occurrit animo, se officium quoddam sibi injunctum, alteri non demandasse. Moris illic erat, ut in praecipuis Dei solemnitatibus duo insignes fratres sub summo sacrificio Alleluja canerent: quod officium tum incumbebat viro Dei. Itaque magno quodam moerore affectus, in pulpitum, caput cucullo operiens, sese reclinabat, et coram omni illa auditorum frequentia sic aliquandiu permansit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit, quemadmodum olim sanctus Ambrosius legitur beatissimi Martini funus. licet procul corpore abesset, curasse, et sanctus Franciscus, ut supra annotavimus, fratribus suis in Arelatensi conventu sive Capitulo apparuisse. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad se rediit vir Dei, et sermonem inchoatum egregie prosecutus est.

§ **26**. Ejusdem modi quippiam etiam apud Lemovicenses

(*Limoges*) illi contigisse ferunt. Ubi cum in nocte Nativitatis Christi in summa aede concionandum ei esset, et eodem tempore nona in nocturno officio lectio apud Fratres in suo monasterio recitanda: cum utrumque simul praestare non posset, rogavit Dominum, ut is sua virtute suppleret, quod humana ope fieri nequiret. Et ita eodem tempore et lectionem illam in fratrum Choro visus est legere, et in primario templo concionem habuit.

§ **27**. Alio tempore cum a praedicatione rediens, et per solitudinem iter habens, populi applausus declinaret, mulier quaedam viae compendia captans, et virum Dei per dèvia quaerens, filium suum brachiis et cruribus a primo ortu contractum ad ejus pedes abjecit, cum multis lacrymis rògitans, ut Crucis signum in illum exprimeret, nihil dubitans hoc facto ilico filium sanatum iri. Sed cum vir sanctus prae multa modestia et humilitate id recusaret, illa flens largius, et preces multiplicans, clamare coepit: Domine pater Antoni, miserere mei. Tandem vir pius et matris afflictione et filii calamitate permotus, tum etiam flexus precibus socii sui fratris Lucae, ejus perpetui comitis, scientiâ et sanctitate praeclari, Crucis signum in Christi nomine in aegrum puerum edidit, et ille eodem temporis puncto sanus et incolumis surrexit. Porro vir Dei non hoc suis meritis, sed mulieris fidei ascribens, rogavit eam, ut dum ipse esset in vivis, nulli id propalaret.

§ **28**. Puella quaedam annorum quatuor, pedum officio carens, insuper morbo caduco laborans, crebro volutabatur spumans, et ad terram se miserandum in modum allìdens. Contigit autem, ut pater ejus Petrus nomine, cum illam gestaret in ulnis, ab insperato obvium haberet patrem Antonium a concione revertentem. Itaque obnixe eum rogat, ut signum vitalis Crucis edat in puellam. Ille cernens hominis sinceram fidem, a capite usque ad pedes Cruce eam consignat, et derepente fit sana. Matrona quaedam nobilis virum Dei cum ingenti populi multitudine extra oppidum sequens, ut in agro concionaturum audiret, in angusta quadam platea in densissimum lutum dècidit, novis iisque non parvi pretii vestibus induta. In ipso autem casu se Deo et sancto viro commendans, ex luto ita surrexit munda, ut omnes in admirationem versi, Deum et fidelem servum ejus mirifice praedicarent.

§ **29**. Alia quaedam pia foemina in Francia, virum Dei pro habenda concione extra urbem exeuntem sequi desiderans, a marito male valente non permittebatur. Fuit hoc illi molestissimum, et cum concioni interesse non liceret, ascendit in solarium domus suae, et ex fenestra ad locum concioni destinatum cupida respexit, ut vel sic nonnihil suo desiderio satisfaceret. Accidit tum res admiratione digna. Cum enim ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri Dei praedicantis audivit. Cujus suavitate delectata, haesit diutius ad fenestram, quam vir ejus ferre posset: qui etiam

eo nomine objurgavit eam, sed illa se respondit patrem Antonium audire concionantem. Quod ille audiens, irrisit eam, delirare illam existimans. Illa contra asserente se optime audire eum, ascendit vir ad fenestram eamdem, et etiam ipsi viri Dei vocem meritis fidelis conjugis percepit, atque ab eo die nunquam ex illius concione abesse voluerunt.

§ **30**. Cum beatus vir ex Tolosano Lectore et Podiensi Guardiano factus esset Custos Lemovicensis, et per regnum Franciae proficiscens concionaretur, tandem ad Bituricensem (*Bourges*) urbem pervenit. Ubi cum die quodam praedicaret populo, tam frequens habuit auditorium, ut nullus intra oppidum locus esset tantae multitudinis capax. Canonici igitur cum populo instituta processione in agrum latissimum exierunt, erat aestivum tempus. Sub ipsa autem concione immanis orta tempestas, fulguribus et tonitruis existentibus, omnes imminentem pluviam fugere compulit. Sed vir Dei cernens illos fugam meditantes, alta voce dixit: Sitis bono animo, nec vos loco moveatis. Ne gutta quidem pluviae quemquam vestrum continget. Tum illi verbis ejus fidentes, nihil se moverunt. Interim pluvia et grando crassissima praeceps e coelo proruens, omnes illos prorsus intactos reliquit, ne locum quidem, in quo stabant, madefaciens, cum tamen eum undique instar muri ambivisset. Ad tam insigne miraculum omnes gratias egerunt Deo, et virum Dei deinceps in multa reverentia habuere.

§ **31**. Concionante quandoque viro Dei ad sex miliaria extra urbem Podiensem, absoluto sermone quidam viri fideles vinum et alia quaedam ei miserunt. Quod vinum gustans matrona quaedam, cum ejus palato non sederet, festina domum abiit, melius vinum allatura. Qua in re tam fuit solicita, ut vasis epistomium apertum relinqueret, manuque ferens vertibulum sive partem illam qua epistomium obturatur, ad hominem Dei properaret. Ad quem ut accessit, vidit in manu sua instrumentum illud, sensitque se non clausisse epistomium: moxque domum reversa, totum cellarium vidit vino perfusum. Confidens autem meritis sancti viri, in epistomio reposuit vertibulum, statimque dolium adeo est vino repletum, ut exundarit.

§ **32**. In usurarii cujusdam exequiis vir Dei concionaturus, thèmatis loco accepit illud ex Evangelio: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. Sub concione autem inter caetera: *Mortuus est hic dives, et sepultus est in inferno* (*Matth*. VI). Ite ad thesaurum ejus, et in illius medio invenietis cor ejus, corpore jam humato. Abierunt hominis parentes et amici, et cor adhuc calidum in medio nummorum ejus invenerunt. Quodam solemni die vir sanctus concionabatur, et quaedam nobilis domina avide auscultabat. Cernens hoc impurus satan, ut fructum concionis ab ea excluderet, cursoris speciem prae se ferens, ad eam cum literis venit, aitque

filium ejus ab hostibus captum et interfectum. Eas maligni hostis versutias spiritu cognoscens vir Dei (nam corporeis auribus nihil hujus perceperat), coram omnibus dixit: Nihil timeas Domina: filius tuus et vivit, et recte valet: cursor autem iste, diabolus est. Ad quas voces instar fumi ille egregius cursor evanuit.

§ 33. Cum Paduae degeret vir Dei, Ulysbonae duo cives inexpiabili odio se mutuo prosequebantur: e quibus alter juxta aedes parentum beati viri manebat, et cum horâ vespertina filium hostis sui in platea invenisset, per summam crudelitatem jugulavit, et intempesta nocte in horto parentum viri Dei, factâ foveâ, eum sepelivit. Cum autem nobilis esset is cujus filius caesus erat, inquisitum est diligenter, et repertum ejus filium illac transisse, ubi ejus inimicus morabatur. Itaque ejus domo et horto lustrato, nihil compertum est. Itum est ad vicinas aedes, et in horto illarum pueri cadaver inventum est. Itaque pater sancti viri cum tota familia conjectus est in vincula, tanquam reus caedis illius. Id vero ut per spiritum Paduae cognovit vir Dei, vesperi a Guardiano petiit copiam exeundi quae illi negata non est. Eadem nocte magno miraculo Ulysbonam perductus est, et proxima luce ad Judicem se contulit, rogans ut insontes e vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante, petiit, cadaver perempti pueri ad se adferri. Quo allato, jussit surgere puerum et dicere, num a parentibus ipsius occisus esset. Ille surgens, dixit ejus caedis illos prorsus conscios non esse, atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto illo die cum parentibus suis vir beatus, et mane, angelico ministerio, Paduam reductus est.

§ 34. Quando ad populum concionabatur eximius praeco Christi, sermo ex illius ore tanquam ex ardenti camino proficiscens, mirabiliter solebat movere auditores, ipsasque animorum penetrare medullas, et multam in iis devotionem et compunctionem, vitiorumque odium et detestationem excitare, ita ut plerumque alter alteri diceret cum multo gemitu: Heu me miserum, qui nunquam antehac isthuc putarim esse peccatum: quod si scivissem, certe nunquam illud admisissem: mutuoque se hortabantur ad faciendam confessionem, ad suscipiendas peregrinationes religionis ergo, ad jejunia certis diebus amplectenda in honorem Matris Dei, aut similia pietatis studia sectanda. Quis vero possit dicendo consequi quae illic fusae sint lacrymae, quae ab imo pectore ducta suspiria, quae pectorum tunsiones in obstinatis peccatoribus conspectae? Adeo enim Dominus mirificavit sanctum suum, ut non solum usitatis quotidie coruscaret miraculis, sed etiam inaudita ab eo signa ederentur. Sicut enim beatus Nicolaus fertur per visum apparuisse Constantino Magno, ejusque Praefecto, minasque intentasse, ni dimitterent homines innoxios in carcerem conjectos: ita hic vir beatus, quos per peccatum

cernebat a maligno daemone vinctos detineri, et ad mortem tendere sempiternam, iis liberandis praecipuam navabat operam. Et solebant nonnulli venire ad Fratres, cum adhuc viveret vir Dei, et pro certo affirmare, ipsis in lecto jacentibus apparuisse eum, et dixisse: Surge Martine, surge Agnes: abi ad illum Fratrem, et hoc sive illud peccatum ei confitere, quot tali in loco perpetrasti, cujus nemo praeter Deum conscius erat. Qua ratione peccata prorsus occulta expiata fuere.

§ **35**. Paduanus quidam viro Dei confitens peccata sua, inter alia exposuit ei, quod matrem suam tanta vi trusisset pede, ut illa compulsa fuerit càdere. Id audiens vir sanctus, omnis malitiae hostis capitalis, cum quodam spiritus fervore dixit: Pes, quo pater aut mater percutitur, merito quamprimum deberet amputari. Quod ille homo simplex perperam accipiens, ilico domum abit, et pedem amputat. Mox per omnium ora volitat crudele facinus, et ad virum Dei refertur. Qui absque mora adit hominem, et post oblatas Deo preces, Crucis signo expresso, jungit pedem tibiae, et aliquandiu linit sacris manibus suis. Confestim surgit homo incolumis, ambulans et exiliens, et laudans Deum, et ingentes agens gratias servo ejus fideli Antonio.

§ **36**. Tyrannidem apud Veronenses occupante immanissimo illo Ecelino Romano *, cum didicisset beatus Antonius multam eum hominum caedem per summam crudelitatem Veronae fecisse, intrepidus illum accessit, atque his verbis compellavit: « Imminet cervicibus tuis tyranne saevissime et rabide canis horrenda sententia Dei. Quousque non temperabis tibi a fundendo insontium hominum sanguine? » Pluraque his similia voce liberrima in faciem ei dixit. Qui vero aderant, nihil expectabant aliud, nisi illum more suo jussurum, ut trucidaretur: sed secus evenit. Nam omni posita feritate, instar ovis, ad collum suspensa zonâ, coram viro Dei humi prostratus, culpam suam humiliter edixit, omnemque pro illius arbitrio promisit emendationem: adjecitque: Viri commilitones, non vobis isthuc mirum videatur. Nam revera divinum quemdam vidi fulgorem ex hujus vultu vibrari, qui adeo me perterruit, ut me repente in tartarum demersum iri verèrer. Ex illo tempore multa erga hominem Dei devotione fuit, et quoad vixit, a multis malis quae alioqui, sicut ipse fatebatur, fecisset, illo retrahente, abstinuit.

§ **37**. Potest de beato viro non absurde dici, quod de filio suo Jacob dixit Isaac patriarcha: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Adeo enim coelestis benedictionis gratiâ perfusus erat, et virtutum odoriferis floribus mirifice ornatus, ut esset humilitate praecipuus, sapientià clarissimus,

* Minimo Romanus Eccelinus (*Ezzelino*) dicendus est; in Marchia Tarvisiana (apud Tarvisium, *Treviso* apud Venetos) ortus, Germaniâ oriundus erat. — Nota mire dòmitam a sancto viro tyranni ferociam.

eloquentiâ mellitissimus, charitate ferventissimus, paupertate insignis, omni morum elegantiâ illustrissimus, honestate praecelsus, sermone placidus, conversatione humanissimus, denique in omnibus et Deo et hominibus gratus. Moderatione autem sive discretione quae est virtutum omnium parens, sine qua virtutes abeunt in vitia, praeclare inprimis usus est in concionibus, in dandis consiliis, in recipiendis confessionibus, denique in dictis, factis et rebus omnibus, ut nihil in eo posset animadverti hujus virtutis sale non conditum. Solebat sine personarum acceptione omnibus fidelem navare operam, ut e peccatis extraherentur, et quibuslibet poscentibus opitulari nunquam desiit vivens in terris, uti nec hodieque cessat post obitum suum, ut res ipsa testatur.

§ **38**. Et ipsum quidem obitum suum longe ante praescivit: sed ne fratres moerore afficerentur, illis indicare noluit. Decimoquinto fere ante mortem suam die, cum e quodam colle contemplaretur amoenam Paduae planitiem, exultans spiritu, situm urbis ejus miris vehebat laudibus. Versus deinde ad Fratrem itineris sui comitem, multo honore civitatem illam brevi affectam iri praedixit, non tamen exprimens, cujusmodi ille honor futurus esset. Sed ab illius obitu usque in praesens gratulatur urbs illa felici rerum experimento, quando propter viri Dei praeclara merita innumerabilium hominum frequentiâ visitatur, egregiis praeconiis et eximiis muneribus cohonestatur, dum thesaurum illum miraculorum signis inclytum obtinet, rei prope incomparabilis titulo gaudet, in suo Antonio tot miseris opitulatur.

§ **39**. Cum jam messis instaret, et vir Dei sciret colligendis frugibus populum occupatum iri, statuit ad tempus concionibus supersedère. Pertaesus vero crebri cum secularibus hominibus congressus, extra oppidum ad locum quemdam solitarium, quem S. Petri campum vocant, secessit, Deo et sibi vacaturus. Nec vero mediocriter ejus adventu exhilaratus Tiso vir nobilis, in cujus ditione erat locus Fratrum, multa humanitatis officia propensissimo animo illi praestitit. Habebat is locum quemdam nemoribus consitum, haud procul a domo fratrum: in quo erat arbor pròcera, ex cujus trunco sex rami emerserant, coronae speciem referentes. Eam vir Dei conspicatus, Cellulam sibi super eam extrui voluit, quod solitudini et quieti opportunus ille locus videretur. Id ubi Tiso ex fratribus cognovit, ipse suis manibus viro Dei et duobus sociis ejus tres Cellulas cum multa devotione confecit. In ea igitur Cellula vir Dei vitam degens solitariam, instar apis sedulae lectioni scripturae sacrae et contemplationi vacabat. Atque haec inter mortales illius extrema fuit habitatio.

§ **40**. Jam igitur separatus ab hominum turbis, vivebat sibi, sanctis meditationibus et ferventibus precibus intentus, ut spiritum ab omni rerum terrenarum contagióne repurgaret, et si qui pulveres ex hominum secularium convictu et consuetudine, ut

assolet, illi aliqua ex parte inhaesissent, eos lacrymis compunctionis et capillis sanctae contemplationis abstergeret, coelestis patriae propèdiem civibus felicissime conjungendus. Cum autem die quadam e sua cellula prandii horâ descendisset, cum fratribus pro more discubuit. Facta vero est illic super eum manus Domini, coepitque repente totius corporis viribus destitui. Morbo autem magis ac magis invalescente, fratrum manibus sustentatus, a mensa surrexit: sed cum fatiscentes artus sustinere non posset, in cujusdam lectuli stramenta se praeceps inclinavit. Sentiens itaque corporis dissolutionem imminere, accìto ad se socio suo fratre Rogerio, dixit ei: « Si tibi consultum videtur, frater, ob vitandum horum fratrum gravàmen, Paduam me conferam ad beatae Mariae locum. » Quod cum fratri illi placeret, in currum imponitur vir Dei, fratribus quidem loci illius, ne ipsos desereret, obnixe contendentibus. Qui tamen ut viderunt ejus animum flecti non posse, passi sunt, licet inviti, eum abire. Jam vero ad urbem propius accedenti alius quidam frater obviam venit, qui illum invisere constituerat. Is ut vidit eum in vehiculo valde affecta valetudine, hortabatur ne propter civium importunitatem in urbem ingrederetur ad fratres de S. Maria, sed diverteret potius ad Cellam fratrum, juxta monasterium pauperum Dominarum * commorantium, et eis divina ministrantium. Assensit vir beatus, seque eo perduci curavit. Paulatim autem increscente aegritudine, ad extrema festinavit: cumque nonnihil quievisset, facta confessione, hymnum illum de beata Maria, O gloriosa Domina, canere coepit. Deinde sublatis oculis, aliquandiu sursum diligentissime intentos eos tenuit. Cum autem interrogaretur, ecquidnam ita aspiceret, respondit: Video Dominum meum. Cernentes igitur fratres qui aderant, felicem ejus exitum adesse e proximo, sacram unctionem ei impendere voluerunt. Ut autem vidit sanctus vir fratrem ex more sacrum oleum apportantem, intuens in eum, ait illi: Hanc unctionem ego habeo intra me: etsi autem necesse non est ut hanc mihi extrinsecus adhibeas, at placet tamen et utilis est. Suscepit igitur sacram unctionem, extensisque manibus et palmis inunctis, psalmos, quos poenitentiales vocant, cum fratribus perlegit. Inde quasi dimidia elapsa horâ, inter manus astantium dormienti similis leniter expiravit, et anima illa sanctissima, carnis ergastulo absoluta, in abyssum claritatis absorpta est. Corpus plane dormire videbatur, manibus in candorem et colorem pristinum mutatis, et membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus. Agebatur tum a Christi incarnatione annus MCCXXXI et dies Junii 13.

§ **41**. Eodem autem die celeberrimus ille Abbas Vercellensis, sacrae lectioni et divinis meditationibus intentus, solus erat in

* Monialium *Arcellae veteris*, extra Paduae mœnia, ad portam *Caudae longae*. *Pauperes Dominae* appellabantur.

cubiculo. Eum vir Dei, cum esset in corpore, praecipue charum habuit, maxime quod olim in Theologia illum instituisset, et vicissim ab illo ex libris Dionysii de rebus altissimis instructus fuisset. Et ille quidem Abbas in conventu Fratrum suorum hoc viro Dei perhibuit testimonium: Frater, inquit, Antonius Ordinis illorum Fratrum, de pura Theologia sensu mystico hausit plenissime, divini radii gratiâ illustratus. Porro in Abbatis ejus cubiculum vir Dei subito ingressus, post mutuam salutationem ait illi: Ecce domine Abba, relicto asello apud Paduam, festinus ad patriam proficiscor. Laborabat tum Abbas graviter ex gutture: sed vir Dei leniter eum attingens, totum illud incommodum repente depulit et disparuit. At ille putans eum ad natale solum iter intendere, ignarus prorsus obitus illius, surgit, et ex famulis monasterii perquirit, ubi sit frater Antonius. Stupefacti illi, respondent se nescire. Abbate asserente se pro certo eum vidisse, et ex suo cubiculo quamprimum eum exiisse, missus est quidam ad fratres, ut ex illis cognosceretur, num quid de Antonii adventu comperissent. Ubi ille reversus, fratres dixit nihil ejus nosse, Abbas tandem ad se rediens, certissime cognovit Antonium migrasse ad coelos: tempusque annotans, postea didicit, eodem die et horâ eum decessisse, quo in cubiculo apparuerat, sicut ipse fratribus non sine lacrymis narravit.

§ 12. Cum jam abiisset a vita beatus vir, noluerunt Fratres ad hominum notitiam ilico id perferri, ne populus subito ad ipsos accurreret: sed latère non potuit. Pueri enim nemine quicquam sciente de ejus morte, per urbem catervatim incedentes, clamabant: Mortuus est pater sanctus: mortuus est Antonius. Mox in omnes urbis angulos rumor ille pervadit, et populus certatim neglectis laboribus, quibus se suosque alebant, instar apum advolat ad domum fratrum, eamque circumdat undique. Inprimis vero cives, ad pontis * caput habitantes, cum armata juventute accurrunt ocyus impedituri ne quis beati corpus rapiat. Omnium ibi lamentabiles voces et gemitus audiuntur, lugentium orbitatem suam. Maxime vero plorabant se tanto patre destitutas Sorores, quas pauperes Dominas vocant, quae etiam multum egerunt apud primarios ejus civitatis viros, ut liceret ipsis apud se retinere corpus sancti viri. Sed repetebant illud fratres, ad S. Mariam degentes, apud quos etiam sepeliri voluit vir Dei, idque adeo, ut sub mortem fratri cuidam ipsi assistenti praeceperit, modis omnibus daret operam, ut corpus ejus ad S. Mariae ecclesiam deportaretur. Itaque instabant Fratres isti, et sacrum corpus absportare volebant: sed cives de pontis capite illis resistebant, et nec attingere quidem permittebant corpus. Interim etiam augent armatorum numerum, qui noctes et dies advigilent, ne inde auferatur. Tum Fratres nescii quid facerent, adeunt civitatis Episcopum,

* Athesi (*Adice*) fluvio superimpositi.

eique rem totam permittunt. Episcopus Canonicis convocatis, singulorum super hac re sententiam inquirit. Multi videbantur in eam ire sententiam, ut pauperibus Dominabus corpus sancti viri relinqueretur. Tandem Episcopus non negligendas putans preces fratrum rationi consentaneas, magistratui urbis praecipit, ut Fratribus in deportando corpore pro viribus adjumento sit.

§ 43. Interea dum haec geruntur, pars civium de pontis capite valde inflammantur desiderio humandi sacri corporis, neglectoque magistratu in vètitum majori contentione nituntur, invitantque seniores et amicos, ut ipsis auxilio sint. Denique inter se unanimiter statuunt, se suaque omnia in praesens mortis et excidii discrimen conjicere potius, quam sinant ex eo loco tolli corpus viri Dei. Et quod mirum videri queat, adeo in hac re fervèbant, ut quidam eorum odium inveteratum et bella intestina, quibus inter se multo tempore saevierant, plane ex animis abjecisse viderentur, tantum ut illud sacrum pignus retinerent. Et ne cujusquam fraude aut machinis illo fortassis privarentur, communicato inter se consilio, illud rapere moliebantur. Sed quod praesens non esset Minister provincialis, ad cujus nutum Fratrum controversia pendebat, seniores quosdam e civibus rogabant fratres, ut ad illius adventum paulisper a suo proposito desisterent, ejusque arbitrio omnia permitterentur. Placuit hoc civibus, et omnes illi sententiae accedebant. Nocte incumbente, fratres emissis turbis, claudunt ostia domorum, et diligenter vectibus et seris ea obfirmant. Et ecce media nocte clamor ingens existit, et importuno desiderio turbae inhiant ad videndum corpus sancti viri. Itaque ostia perfringunt: sed cum jam tertio id fecissent, nulla ratione in domum ingredi potuerunt, stabantque, ut ipsimet fassi sunt, apertis ostiis stupefacti: et cum domus plena esset luminibus, aditum videre non potuerunt. Mane facto, permulti ex urbe, castris, pagis et locis vicinis accurrunt, et quibus datur vel semel utcumque contingere sacrum corpus, beatum se credit. Qui autem prae turba tangere non poterant, zonas, annulos, monilia, claves et caetera ornamenta per fenestras et ostia passim porrigebant, ut contactu sanctissimi corporis sanctificata reciperent *.

§ 44. Pendente interim propter Ministri absentiam negotio, fratres propter aestivum calorem corporibus infestum, in capsa lignea sacrum corpus conditum, in foveam deponunt, leviter illud homo operientes. Mox rumor exit in populum, raptum esse sacrum corpus. Advolant igitur omnes furibundi in domum Fratrum cum fustibus et gladiis, sepes et ostia evertunt, pròperant ad locum in quo erat corpus, nec cessant a suo conatu, donec capsam illam invenirent. Sed nec sic credunt in ea haberi corpus,

* Nota in hoc et seqq. §§ singularem et magnificum in paupere et humili religioso viro Sanctitatis triumphum.

licet Fratres id asseverarent. Tandem advenit Minister, ad cujus reditum tota urbs suspensa haerebat. Ab eo igitur cives de pontis capite corpus sancti viri petunt instanter, addunt etiam minas, ut terroribus frangant Fratres, affirmantque se nullius periculi causâ a sententia discessuros. Videns Minister temeritate illos duci, cum multa cautione et modestia dicit ad eos: « Nihil quidem jure hic reposcere potestis charissimi: sed si de indulgentia agitur, de fratrum consilio faciemus, quod Dominus inspirabit. Interim ne aliquam possitis suspicari fraudem, vobis permitto custodire locum, in quo beati patris corpus quiescit.» Mane alterius diei Minister adit Magistratum, et convocato senatù, humiliter opem et consilium implorat. Magistratus de communi omnium sententia custodes adhibet loco sacri corporis, et sub poena centum librarum cavet, ne quis vim afferat Fratribus aut armatus ad eum locum accedat, donec Episcopus et Clerus quid fieri oporteret, statuerent. Altera luce Episcopus in eam curam et cogitationem diligenter incubuit, et audita utraque parte, tandem voluit, ut omnia ex Ministri voluntate fierent: jussitque ut et Clerus et populus omnis die crastino ad efferendum sacrum corpus summo mane convenirent: Magistratui quoque praecepit, ut Fratribus, ne quid paterentur molestiae, sua ope adessent. Magistratus libenter jussa capessit, et ex adverso fluminis, quod Cellam fratrum ambit, ex navibus et lignis celeriter curat pontem confici, ne cives de pontis capite animis commoverentur, si cernerent corpus per suos fines deferri. At illi nihilo minus versi in seditionem, pontem illum dissipant. Ea res totius civitatis animos concitavit, quod tanta temeritas ad omnium injuriam redundaret. Itaque armis muniti, omnes proficiscuntur contra illos pontis eversores, et hi non minus fidenter ad arma se parant, omni periculo contempto.

§ **15**. Videntes autem Fratres tantum urbis totius discrimen, magno timóre correpti sunt: nec minus terrebantur pauperes Dominae, sua culpâ eas turbas concitatas asserentes. Tum vero Magistratus illum populi tumultum non ferens, omnes voce praeconis ad palatium convocat, et pontis eversoribus interdicit, ne ea die ausi sint redire ad aedes suas. Amotis ergo illis seditionis auctoribus, Episcopus cum Clero, Magistratus cum militibus et innumera populi multitudine, institutis usque ad sacri corporis locum processionibus, cum hymnis et canticis spiritalibus per medium capitis pontis ad ecclesiam sanctissimae Matris Dei idem beatissimi viri corpus mira omnium exultatione transferunt. Supponebant autem feretro humeros suos primarii viri civitatis et magistratus, beatos se existimantes, qui loculum vel leviter attingere mererentur. Quotquot autem cereos habere potuerunt, eos accensos manibus ferebant: quorum tanta erat copia, ut eorum lumine quasi tota urbs inflammata videretur. Ubi ad

perpetuae Virginis templum ventum est, Episcopus sacrificium fecit: eo peracto, et exequiis celebratis, quinto ab obitu ejus die terrae mandatum est sanctissimum corpus.

§ **46**. Eodem ipso die, tempestate illa in tranquillitatem redacta, coeperunt miraculorum coruscare signa, ita ut quovis affecti morbo, ad contactum tumbae viri Dei mox revalescerent: qui vero prae turba propius accedere non poterant, coram omnibus etiam in platea sani evaderent. Ibi revera oculi caecorum aperiebantur, aures surdorum patebant, claudus sicut cervus saliebat: ibi soluta mutorum lingua, velociter et plane Deo laudes promebat: denique omne genus aegritudinum depellebatur, et optata divinitus beneficia impetrabantur. Porro cives illi de capite Pontis, qui pontem destruxerant, lacrymis infusi et detractis calceamentis, Clero cum Crucibus et vexillo praecedente, cum tanta reverentia et humilitate coram tumulo se prostraturi venérunt, ut poenitentiâ sua animos intuentium ad multam commiserationem permovèrent. Erant illi milites, delicatum hominum genus: quos etiam matronae nobiles, prae teneritudine vix se ferentes, nudatis pedibus sequebantur. Nec ii dumtaxat, sed cives omnes in partes distributi, statis diebus cum simili processione, abjectis a pedibus calceis, ad sacrum beati viri tumulum accedebant. Veniebant itidem religiosi, ac postremo Episcopus cum toto Clero, praeceptores cum multa studiosorum caterva; Magistratus cum militum et potentium frequentia, aliique diversarum artium professores, singulatim ordinatis processionibus, certis diebus et horis, cereos habentes in manibus, positis calceis, decentissime advenerunt. Erant autem cerei, qui ante singulos adventantium caetus portabantur, ea longitudine, ut non nisi aliqua praecisa parte, intra aedem beatissimae Matris Dei inferri possent, multa etiam formarum inter se varietate artificiose distincti. Quidam etiam prae suo pondere humeris portabantur, nonnulli curribus vehebantur. Cum non possent autem prae nimia multitudine ad ecclesiae valvas accedere, cereos in platea circa templi ostia statuebant. Nec deerant, qui super muros lumina collocarent, et in plateis excubias perpetim agerent: iique nec aestivis ardoribus, nec hybernis algoribus ab ejusmodi pietatis studiis arceri se patiebantur. Jungebantur cum noctibus dies, et aliis post alios succedentibus sine ulla intermissione Deo laudes gratesque agebantur. Laetabatur Padua (alii Patavium vocant) tantis ornata luminibus, tantis illustrata fulgoribus, nec ullas noctium sensit caligines. Accurrunt Veneti, properant Cenòmani *, adsunt Vicentini, Longobardi, Sclavi, Aquilejenses, Germani, Hungari, Hispani, Galli: suisque oculis cernentes divinitus celeberrima declarari miracula, in laudes omnipotentis Dei suà ora laxabant, et corde compuncti, peccata sua Fratribus, tantae turbae vix sufficientibus,

* Brixienses Cenomanorum Colonia e Gallia.

confitebantur. Si qui vero curationis causâ venissent nec sua vellent peccata confiteri, illi nihil obtinebant: facta autem confessione, et correctius vivendi concepto proposito, cunctis videntibus mox misericordiam experiebantur,

§ 17. Interim exaltabatur catholica fides, pudefiebat caeca perfidia, mordaces haereticorum dentes conterebantur, Christi Sponsam calumniis exagitare conantium, caligo incredulitatis miraculorum splendoribus profligabatur. Fuit vero totius Cleri et populi ea concors sententia, ut quamprimum apud Romanum Pontificem de viri beati nomine sanctorum catalogo ascribendo ageretur, cum ab ejus obitu necdum mensis fluxisset. Et est accurate sane jussu Pontificis Gregorii Noni in ejus miracula inquisitum, et multa adhibita cura, ut omnia rite fierent. Tandem cum essent a Pontifice convocati Cardinales et Praelati omnes, qui tum Pontifici aderant, inter caetera ab illis dictum est: Indignum valde est, nos, quod absit, beatissimi patris Antonii meritis venerationem debitam in terris subtrahere, quem Dominus majestatis dignatus est gloriâ et honore coronare in coelis. Sicut enim veritati miraculorum cognitae fidem non adhibere, perfidia est: sic meritis Sanctorum laudem negare, genus invidentiae est. Itaque Pontifex, qui tum Spoleti erat, Pontificatus sui anno sexto, ipso sacratissimo Pentecostes die, beatum Virum in Sanctis deinceps numerandum cum ingenti celebritate decrevit, cum necdum ab ejus e vita decessu annus expletus esset (*a*).

§ 18. Eo autem die, quo in sanctos relatus est vir Dei, res stupenda accidit Ulysbonae. Nam et viri et foeminae extra domos in plateis cantabant et tripudiabant, et campanae omnes totius civitatis, nullo eas movente, concrepabant egregie, nec poterant homines se cohibere, quin se laetitiae et tripudiis darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diu post supervenere ex Italia Fratres, quorum relatu didicerunt, eodem ipso die inusitatae laetitiae suae, virum beatum in sanctorum albo inscriptum fuisse.

(*a*) Admirabili Thaumaturgo suo et Patri, *Sancto* apud eam antonomastice dicto, Patavina urbs, illius deposito innumeris glorioso portentis honestando, augustam Basilicam in eàque magnificentissimum Sacellum excitavit. Anno MCCLXIII, jussu S. Bonaventurae Card: et Ord. Min. Generalis Ministri celebrata fuit Translatio sacrorum S. Antonii ossium in novam capsam elatiorem in locum collocandam. Tunc, reliquâ corporis carne absumptâ, reperta ejus lingua est integra, rubea, vivida, quam praedictus B. Bonaventura in manibus reverenter accipiens, " O lingua benedicta, ait, quae Dominum semper benedixisti, et aliis benedicere fecisti, nunc manifeste apparet quanti meriti extitisti apud Deum; " cumque eam, in lacrymas effusus, osculatus esset, in thecam sejunctim reponendam mandavit. De Antonii Patavini celebritate mirabilia praedicat Orbis pene universus.

Sermonum ejus, numero 278, qui inscribuntur *Expositio in Psalmos*, suntque mira eruditione sacra referti, Codex autographus asservabatur apud Minores Conventuales Bononiae; edidit notis exornatum anno MDCCLVI P. Azzo Guidi. Scripsit etiam latine S. Antonius 23 Sermones Dominicales, ac 3 in laudem Virg. Deiparae.

IN S. PROPHETAM ELISEUM LAUDATIO

BASILII SELEUCIAE EPISC.

HABETUR IN SIM. METAPHRASTE

Saeculo ante Chr. XXV.

§ **1**. Ex prophetarum numero alii sermone Christum pronunciarunt, alii opere ac factis ejus res indicarunt, alii divinae dispensationis figuram et rerum futurarum imaginem, tanquam adumbratione quadam praemonstrarunt. Sermone Christum praenunciarunt Isaias, Jeremias, Ezèchiel, et una cum illis duodecim alii prophetae. Factis illum indicarunt Elia Thesbìtes et Eliseus ejus discipulus. Figura ipsius sepulturae fuit Jonas Propheta. *Sicut enim*, inquit ipse Dominus in Evangelio, *fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII).

§ **2**. Sed interea Jonae et Eliae, aliorumque narrationem in aliud tempus differamus, Eliseum vero in medium proferentes, primum quaeramus, quare Sunamitidis filium non oratione, ut Petrus Apostolus Dorcadem illam, a mortuis excitavit (*Act.* IX), sed supra mortuum illius pueri corpus seipsum expandit: pueri enim ori, sui oris superficiem, nares naribus, fronti frontem, pedibus pedes accommodavit, pectus pectori et oculis oculos adhibuit, et, ut summatim dicam, singula pueri membra suis membris Propheta contingens, vitam ipsi largìtus est. Quae igitur fuit causa, ut mortuum puerum oratione non excitaverit, sed seipsum ejus corpori adjunxerit? Haec illis quidem in figura contigerunt et ad nostram doctrinam scripta sunt, ad quos fines seculorum devenerunt. Narremus igitur, cujus rei figura fuit Eliseus, et cujus filius Sunamitidis mulieris, qui mortuus fuerat, imaginem praemonstrabat *.

§ **3**. Eliseus Christi figuram praeferebat, Sunamitidis vero filius gentium populum figurabat: hic enim a peccato ipso morti subjectus fuerat. Venit igitur spiritualis Eliseus et ejus membra omnia, os, oculos, manus ipsas, pedes, totum denique corpus mortuum deprehendit. Os videlicet mortuum erat, quod non ad Dei gloriam celebrandam linguam exercebat, sed *ligno dicebat. Pater meus es tu: et lapidi, Tu me genuisti* (*Jerem.* II, 27). Ejusdem oculi mortui erant, quippe qui non ad universarum rerum opificem Deum erigebantur, sed, relicto Creatore, his rebus serviebant quae a Deo ipso creatae fuerant. Mortuae erant et manus

* Narrationis biblicae de Sunamitidis filio per Eliseum ad vitam revocato (*4. Reg.* IV) mysticus sensus explicatur.

quae daemonibus ipsis sacrificia offerebant. Mortui et pedes, quippe qui ad diaboli adorationem flectebantur. Totum denique ejus corpus putidum erat, et potente illo medico indigebat: non quovis, inquam, medico, sed eo, qui posset mortuis etiam hominibus vitam restituere. Venit igitur medicus ille qui requirebatur, spiritalis Eliseus Dominus noster Jesus Christus, qui cum humanum corpus totum mortuum comperisset, seipsum totum toti mortuo corpori accommodavit.

§ 4. Dicet aliquis: Quidnam hoc est, quod dicis? Tota, inquam, et plena divinitatis perfectio totam nostram humanam naturam in se gestavit: hominem scilicet ipsum, *in quo habitavit* (ut inquit Apostolus) *tota plenitudo divinitatis corporaliter*. Oculos habuit ut homines, similiter et manus et pedes, non specie aliqua, sed re vera. *Non enim rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed exinanivit seipsum, formam servi accipiens*. Itaque vita ipsa mortis indumentum gestavit, ut mortalem illam conditionem ad propriam immortalitatem traduceret: cumque divinitas ad humanum corpus descendisset, omnia deinceps hominis membra sancta sunt effecta, et ad meliorem usum conversa. Ita igitur os ipsum didicit tandem illud dicere: *Domine, labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam*. Oculi vero ipsi ad Dei gloriam intenti esse didicerunt, ut de ipsis dici possit: *Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno* (*Ps.* 144). Manus ad Deum extensae, Domino suo benedicunt, ut de illis dicatur: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Domino*: item illud: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Jam vero et pedes ipsi in Ecclesiis consistentes, et totum hoc Deo acceptum referentes: Stantes, inquiunt, jam sunt pedes nostri in sanctis locis. Item illud: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*. Vidisti quae sit in membris exterioribus divinae gloriae celebratio. Quid igitur? Num et interiora hominis membra, divini ministerii sunt expertia? Minime, inquam, sed anima ipsa cum interioribus membris clamans et Deum invocans, ait: *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus*.

§ 5. Omittamus igitur Sunamitidem illam viduam cum miraculis ab Eliseo Propheta effectis, et Christi ad nos venientis umbram quamdam prae se ferentem, et ad novae gratiae miracula orationem nostram conferentes, de hac ipsa re latius disseramus, et primum consideremus, quemadmodum unigenitus Dei Filius a solo Patre ante omnia secula genitus, idem in extremis diebus, et ex Virgine matre sola sine semine aliquo natus, unicum viduae cujusdam filium mortuum, misericordiâ motus, ab inferis excitavit. Sed recurramus ad viduae illius lacrymas quae cum filium suum unicum mortuum deploraret, Dominum ipsum, qui nostrae salutis causâ in mundum venerat, ad misericordiam allexit. Illius enim viduae

lacrymae unigenitum Dei Filium ad unicum ejus filium a mortuis excitandum adduxerunt. Cum enim ille valde misericors eam foeminam dolore nimio affligi vidisset, sponte viduam adiit, et moeroris flammam suae benignitatis fonte totam extinxit: de ipso enim apud Prophetas scriptum legimus: Ros a te proficiscens, medicina ipsorum est. Fractum itaque ramum, ut bonus agricola, iterum inseruit. Cujusnam hominis cor dolor ille non vulnerasset? Quis viduae illius lacrymas sine lacrymis praeteriisset? Ejus, inquam, foeminae moeror toti civitati fletum excitavit. Viduae ipsae viduam illam, quae filiorum matres erant, mulierem liberis orbatam commiserabantur. Qui filios habebant, adolescentem mortuum lamentabantur. Adolescentes adolescentem illum lacrymis prosequebantur. Alii ut filium, alii ut fratrem deplorabant. Omnes denique moeror ille tetigerat: et matris vulnus eo magis in corde renovabatur. Filii enim memoria in ejus viscera tanquam telum aliquod recurrens, flammam accendebat, et doloris acerbitatem majorem efficiebat. Nihil enim ita matrem affligit, ut mortui filii recordatio.

§ 6. Cum igitur crines sine intermissione laceraret, et unguibus ipsis maxillas discerperet ac dedecoraret, lacrymarum fluvios effundebat, et miserabiles pro filio mortuo voces emittebat, quales scilicet par erat a moerore ipso in ejus mentem ac vocem suppeditari *. Cuinam, inquiebat, fili, viduam matrem et orbam dereliquisti? Quem, te adempto, adjutorem inveniam? Cuinam aetas mea grandis, tanquam baculo, innitetur? Quem posthac patronum inveniam, cujus vir prius excessit, cui filius nunc adimitur? Qui potero orbitatis meae angustias sufferre, et viduitatis tempestatem evadere? Hactenus onere illo, quod viduas consequitur, depressa fui, nunc et orbitatis caligo me oppressit. Duos illustres oculos possidebam, virum et filium, sed utrumque mors ipsa effodit. Ecquis igitur, fili, matrem tuam jam mortuam sepulcro mandabit? Quis justa persolvet? En illum, qui me lacrymis prosequi debebat, ipsa prius lacrymo: quem decebat sepulcrum mihi parare, eum ipsa nunc sepeliam. Non amplius tuis amplexibus fruar, non amplius tuis suavissimis osculis recreabor. Par erat matrem, priusquam filium a morte rapi: hic enim est naturae ordo, ut filii parentes praemittant. Sed quoniam ordinem pervertisti, saltem celeriter Deus hoc mihi largiatur, ut ad eos, qui mortui sunt, me quoque adjungat, satius enim mihi erit uno eodemque sepulcro condi, quam sine filio brevi hac luce frui: nam nulla vitae jucunditas mihi amplius reliqua est, cum non amplius supersit ille, cujus causâ vivere cupiebam. Quandiu filius supererat, sine dolore aerumnas meas ferebam: uterque enim alteri consolationem afferebamus: neque illum orbitas frangebat, neque viduitas ipsa, tantum illo vivo, me

* Viduae matris unicum natum extinctum deplorantis egregia prosopopoeja per apostrophen.

onerabat. Et viri quidem calamitatem, filii expectatio paulatim a memoria subtrahebat: sed consolationem meam hanc mors acerba statim conturbavit, et hilaritatem magnam in dolorem intolerabilem convertit. Quam diversa sunt eventa ipsa ab iis quae mihi proposueram! Quotidie ejus nuptias expectabam, sed pro thalamo nuptiali sepulcrum construxi. Quo tempore de nuru cogitabam, tunc monumentum paravi. Cum de nuptiali conditione tractabam, tunc testamentum ejus consignatum accepi: et filius matrem haeredem scripsit quae filium haeredem constituere debebam. Cum vestem nuptiis congruentem parare coepissem, tunc funebribus vittis et indumentis ejus cadaver astrinxi. Quam diversa sunt haec ab iis quae mihi proposueram! Non est dolor aliquis cum doloris mei acerbitate conferendus: nulla calamitas meae calamitati par est. Nemo ulcus meum sanare poterit: nemo vulnus curabit: nemo talis ac tantus medicus in urbe hac est: non est, inquam, non est. Sed num aliquem apud urbis portam invenero?

§ 7. Cum adhuc mulier loqueretur, Medicus, qui desiderabatur, praesto erat. Ille viduarum Patronus viduae occurrit: Pater orphanorum adolescentulum vocavit: vitae largitor mortuum in vitam restituit, et orbatae matris lacrymas misericordiarum amator Deus repressit. Cum enim ad civitatis Naim portam Dominus appropinquasset (ut dicit Evangelista), ecce efferebatur mortuus filius unicus matris suae (*vide Lucae* VII). Mortuus egrediens ingredienti vitae occurrit Cumque flentem matrem ipse Dominus vidisset, misericordiâ illius commotus est, eique dixit: Noli flere: mors enim quae te impugnavit, expugnatâ nunc est. Noli flere: nam inferna sedes coacta, filii tui animam a me repetitam restituet. Gaudebat quidem satanas, ut praedam devoraturus: sed ingemiscet, voti compos non factus. Et ut discas verum esse quod promitto, revera filium tuum resurgentem aspicies. Tum dixit: *Adolescens, tibi dico, surge. Et sedit, qui mortuus fuerat, et coepit loqui.* Adolescens, inquit, tibi dico, surge. Sed curnam addidit, *Tibi dico?* Simplicius enim dicere poterat: qui mortuus es, resurge. Ejus rei causam hanc esse arbitror, quod Salvatoris vox summam vim habens, et alios mortuos in vitam excitatura erat: propterea illud addidit, *Tibi dico*, ut gratiam suam hujus adolescentis resurrectione circumscriberet. Hoc idem fecit et in Lazaro: non enim dixit: Qui mortuus es, veni foras: sed nomine mortuum vocans: *Lazare, veni foras*. Itaque id fecit, ne vox illius, qui vitae auctor est, simpliciter pronunciata, multos mortuos excitaret. Sedit mortuus, et coepit loqui, illud nimirum: *Nisi Dominus adjuvisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* Item illud: *Dominus eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis: et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Ps.* 93 *et* 39).

DE GESTIS S. BASILII MAGNI

CAESAREAE IN CAPPADOCIA EPISCOPI ET ECCLESIAE DOCTORIS

PER AMPHILOCHIUM (*a*) ICONII EPISC. INTERPRETE URSO SUBD.

OB STYLI TUM BARBARIEM, TUM OBSCURITATEM QUO INTERPRES INCERTUS USUS EST, HIC PAULLO LATINIUS PLERAQUE OMNIA REDDIDIMUS, NIHIL DE INDUSTRIA MUTATA SENTENTIA, SED ADDITIS NON PAUCIS EX VETUSTIS MSS. LIBRIS QUAE IN EXCUSIS DESIDERANTUR.

Vitâ functus anno 379.

§ 1. Basilius (Caesareae in Cappad. natus) cum puer esset septennis, a parentibus adhibitus est studiis literarum: quibus quinquennium vacans, ingenii bonitate magnos in philosophia fecit progressus. Inde relicto paterno solo, Athenas se contulit, sermonum parentem: cumque esset castitate, continentiâ, multaque abstinentiâ ornatus, in disciplinam Eubùlo Graecae sapientiae magistro se tradidit. Atque ita ille se doctrinae dedit, ipsis etiam praeceptoribus admirandus. Condiscipulos autem habuit Gregorium Magnum, postea Nazianzi episcopum, qui etiam Constantinopolitanae sedis clavum tenuit, itemque Julianum a teneris annis Christianum, atque Libanium. Porro secum ipse constituit, vir omnium admiratione dignus, nihil neque panis neque vini sumere, donec divinitus id illi praestaretur, scire ut posset divinae sapientiae arcana.

§ 2. Versatus igitur in literis annos quindecim, Graecamque omnem philosophiam percurrens, ad extremum etiam Astronomiam, atque optima quaeque colligens, nec tamen per haec invenire valens omnium Conditorem, cum nocte quadam vigilaret, divinus quidam fidei splendor eum inflammavit, ut totius religionis scripturam pervestigaret. Surgens itaque, in Aegyptum profectus est: adiensque Archimandritam Porphyrium nomine, petiit ab eo sibi suppeditari sacros codices, e quibus divina posset dogmata capessere. Ea re impetrata, mansit illic, oblectans sese divinorum meditatione sermonum, et aquâ herbisque victitans. Annum autem ibi demoratus, verbumque veritatis fide considerans, in ejus perscrutatione permansit. Postea vero Jerosolymam

(*a*) Egregio viro et Basilii amico perperam (notat Baronius) *Vita* imputatur quam Surius alios secutus de D. Doctore proponit. Cujus sit opera latet; primus ex Graeco vertit Ursus Subdiac. Rom. saec. IX. Compluribus veris pauca minus sincera miscentur; sed pauca cum sint expungenda, *Vitam* alioquin pie et docte exaratam non rejicimus

orationis causâ se dimitti petiit, simul etiam ut ejus loci miracula videre liceret. At ille fusa super eum oratione, dimisit eum. Ut vero eo pervenit, ubi Graecae philosophiae erat disciplinis imbutus, coepit multis persuadere philosophis, turbisque gentilium, viamque eis salutis commonstrans, offerre illos Christo. Inquirebat autem praeceptorem suum Eubùlum, cujus erat ea in urbe existimatio celeberrima, cupiensque illi laboris rependere vicem, nitebatur eum immaculata fide imbuere, quippe qui ad eam capessendam non male tendere videretur : eumque caeteri omnes, qui se philosophiae addixerant, veluti magistrum sectabantur. Quaerens autem illum passim per cuncta auditoria, in suburbio illum offendit, cum caeteris philosophis sermonem conferentem. Hoc enim apud illos in more positum erat, vel dicere, vel audire aliquid novi. Disputantem ergo illum Basilius superveniens reprehendit. At illi quae cum eo erant, Quis te, inquiunt, o philosophe, reprehendit? Tum ille, Aut Deus, inquit, aut Basilius.

§ 3. Agnoscens igitur Basilium, dimissis qui apud ipsum erant, illi adhaesit, et triduo nihil accipientes cibi, inter se conquirebant. Sciscitabatur autem ex Basilio Eubùlus, quae sit philosophiae definitio. Respondit Basilius, primariam philosophiae definitionem eam esse, quod sit meditatio mortis. Admirans Eubùlus, porro percontatur, quis sit mundus. Ait ille: Qui est mundo superior. Nam tametsi suaves sunt mundi sermones, at tamen amarus valde mundus est illi qui eum vitiose complectitur. Alia est enim corporis voluptas, et alia substantiae incorporeae: nec quisquam simul utràque potest perfrui. *Nemo enim potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI). Verumtamen ut se virtus habet, frangimus esurientibus panem scientiae, et qui per malitiam sunt absque tecto, illos per virtutem ducimus sub tectum : si quem nudum cernimus, illum operìmus, nec carnem nostram despicimus *. Haec dicens, eumque locutione parabolica exacuens, commemorando Salvatoris erga nos poenitentes clementiam, haec tria menti proposuit in vestibulo cogitationis : superliminare quidem portarum, virtutem adducentem prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam: a sinistris vero suadèlam. Ex utraque autem ejus parte intemperantiam, libidinem, ebrietatem, impudicitiam, segnitiem, maledicentiam, garrulitatem, maleficia, et id genus vitiorum examen : eamque poenitentiam honeste consistentem, increpitantem et irridentem, levem, adversarios quidem objurgantem, sed proprios nullos habentem populos. Porro juxta illam abstinentiam, intelligentiam, lenitatem, reverentiam, timorem, clementiam, pluriumque bonorum frequentiam. Ipsius autem historiae textus, menti quidem divinis intentae adducit cautionem, auditoribus vero meliorum aemulationum occasionem.

* Christianae Philosophiae documenta.

§ 4. «Haec ergo ipse contemplatus, bene affectus sum, atque eo perductus o Eubùle. Sunt enim apud nos non figurae nec aenigmata, sed ipsa plane veritas, ducens ad salutem. Resurgemus enim omnes, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium et ignominiam sempiternam, astabimusque ad tribùnal Christi, uti docent nos vocales admodum prophetae, Isaias, Jeremias, Daniel, David rex, et divinus Paulus, atque post hos ipse etiam poenitentiae dator, et agonotheta sive praemiorum distributor, qui ovem quaesivit perditam, et desertorem filium e patris sinu pròfugum, multas opes et seipsum quoque prodige perdentem, et postea fame afflictum atque revertentem sincere amplexus est, et stolâ candida ornavit, pretiosoque induit annulo: atque etiam fratrem a peccatis immunem, sed indignabundum, hortatus est illi tanquam fratri veniam dare: quod cum ille, stimulante invidiâ, facere contemneret, Dominus benignitate vincens eum suscepit. Idem ipse autem etiam parem mercedem reddidit ad undecimam horam venientibus, nobisque poenitentibus, atque ex aqua et Spiritu Sancto renascentibus ea daturus est, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se.»

§ 5. His obstupefactus Eubùlus, ait: « O Basili, coelestis demonstrator Trinitatis, per te credo in unum Deum Patrem omnipotentem, deinceps usque expectans resurrectionem mortuorum et vitam futuri seculi, Amen. Fidem autem meam hac ego ratione tibi testatam reddo: res meas omnes tibi trado, et quod superest vitae, si sic Deo visum erit, apud te transigam, atque ex aqua sancta et Spiritu volo regenerari.» Ad quae Basilius: « Benedictus sit, inquit, Dominus Deus noster ex hoc nunc et usque in seculum, qui in tua mente Eubùle accendit lucem veram, et de multiplici èrrore transtulit te in cognitionem misericordiae suae. Quando vero,ut dicis, apud me permanere vis, indicabo tibi quemadmodum consulamus saluti nostrae, nexibus hujus vitae nos expedientes et explicantes. Vendamus facultates nostras omnes, et egènis distribuamus: ac deinde proficiscamur ad sanctam civitatem, visuri quae illic sunt miracula, atque apud Deum fiduciam nobis conciliemus.» Venditis igitur, distractisque et distributis rebus suis, comparatisque solummodo vestibus ad sanctum baptisma necessariis, ibant Jerosolymam, ingentem hominum gentilium turbam Christo lucrifacientes.

§ 6. Cum venissent autem Antiochìam, ducti sunt in diversorium quoddam. Porro caupònis filius, nomine Philoxenus, assidebat portae multum anxius: erat autem Libanii sophistae discipulus: a quo acceperat versus quosdam Homericos prosastice redditos, quibus non mediocriter discruciabatur. Viso illo, dicit ei Basilius: Quae hujus tui moeroris causa est, o adolescens? Cui ille, Ecquid vero, inquit, mihi contulerit, si id tibi dixero?

Insistente autem Basilio, et promittente quod non frustra diceret, indicavit ei et sophistam et versus, et quod haec sibi esset materia doloris. Tum Basilius ad se versus accipiens, eorum dixit interpretationem. Stupens autem adolescens, et hilaritate perfusus, rogavit scripto sibi ea, quae dixerat, digeri. Scripsit itaque eorum triplicem explanationem. Laetus puer cum illis abiit ad Libanium, offerens ei carminum expositionem. Iis acceptis attonitus Libanius, Per divinam, ait, providentiam, nemo hujus tempestatis sapientum ejusmodi potest adferre interpretationem. Quis igitur horum novus effector est? At puer: Peregrinus, inquit, quidam ad meam divertens cauponam, promptissime haec mihi interpretatus est. Nulla ergo morâ interjecta, cursu rapido Libanius diversorium petiit, vidensque Basilium et Eubùlum, eosque agnoscens, illorum nec opinato adventu exhilaratus, orabat ne dedignarentur ad ipsius aedes divertere. Ea re impetrata, rogabat eos sumere lautiores èpulas. At illi pro sua perpetua consuetudine parum panis et aquae capientes, gratias agebant bonorum omnium largitori Deo. Eo cognito, Libanius quaestiones eis movit, et rhètorum sermones pertexuit: illi contra, ei fidei sermonem injiciebant. Sentiens Libanius verborum vim, Hujus, inquit, rei necdum opportunum adest tempus: ubi Dei jusserit providentia, non erit qui obsistat: plurimum vero mihi contuleris. Basili, si haec adolescentibus, qui apud me sunt, dicere non gravèris.

§ 7. Celeriter igitur in unum coactis juvenibus, docebat eos servare animi munditiam, et corporis inconcussam integritatem, incessum sedatum, pronunciationem articulatim distinctam, sermonem bene compositum, cibum et potum minime perturbantem vel concitantem, erga seniores taciturnitatem, erga sapientiores auscultationem, erga illos, qui in dignitate sunt subjectionem, erga pares et inferiores charitatem non fictam: pauca dicere, capere plurima: verborum cavere temeritatem, fugere loquacitatem, non faciles esse in risum, studere verecundiae, cum foeminis procacibus non suscipere disputationem, oculos humi depressos, animum ad superna erectum habere, vitare contentiones, magisterii dignitatem nèutiquam usurpare, mundanos honores omnes pro nihilo ducere. Quod si quis vestrum, inquit, etiam aliis potest proficere, expectet mercedem a Deo, aeternorumque bonorum retributionem in Christo Jesu Domino nostro. Haec cum apud Libanii discipulos dixisset Basilius, illique omnes non sine admiratione audissent, cum Eubùlo coeptum carpebat iter.

§ 8. Ut autem pervenerunt Jerosolymam, omnia sacra loca fide et dilectione perquirentes, et in iis Deum qui est super omnia adorantes, Maximo ejus urbis Episcopo innotescunt: ad cujus se pedes abjicientes, rogabant divinum sibi conferri baptisma sive regenerationem in Jordanis flumine. Quos ubi ille sanctus Episcopus vidit, cum esset insigni humanitate praeditus, illorum

annuit precibus, venitque cum fidelibus viris ad Jordanem: ibi tum Basilius in ripa consistens, humi se prostravit, et cum clamore valido et lacrymis petebat a Deo aliquod suae fidei signum ostendi: surgensque cum tremore, suis se vestibus spoliat, unaque cum illis veterem exuit hominem: descendensque in aquas, orabat. Unâ autem etiam sacerdos descendit, eumque baptizavit. Et ecce coruscus ignis incidit super eos, atque ex eodem fulgure columba exiit in Jordanem, turbansque aquam, revolavit in coelum. Eo viso, qui astabant, timore correpti, glorificaverunt Deum: porro Basilius baptizatus, exivit ab aquis. Admirans vero Maximus episcopus Basilii in Deum amorem, orans induit eum resurrectionis Christi vestimentis. Baptizavit autem etiam Eubùlum, ungensque eos sacro chrismate, tradidit illis vivificam communionem: rogavitque Basilium idem Dei sacerdos, ut orans cibum caperet: quod et fecit, dicens: Domine Jesu Christe, Deus noster, credo verbis Evangelii tui, speroque in benignitate tua cibum potumque percipiens, adversus diabolum nobiscum confligentem, ad futuram nobis sancti Spiritus tui cooperationem. Stupens vero Dei sacerdos ad illius fidem, repetiit una cum illis sanctam civitatem: ubi cum annum unum fecissent, de communi sententia venerunt Antiochiam. Et Basilius quidem sub Meletio episcopo illic diaconus ordinatus est, parabolicosque sermones cum omnium admiratione edisseruit.

§ **9**. At non diu post cum Eubùlo venit in Cappàdocum regionem: ubi cum ingressuri essent Caesarèam, nocte per visum Eusebio ejus urbis Episcopo revelata fuit eorum praesentia, quodque Basilium esset successorem habiturus. Is itaque excitatus, reverendum ad se accersit archidiaconum, et quosdam venerabiles clericos: quibus cum visionem enarrasset, misit eos ad orientalem urbis portam. Illis vero abeuntibus, obviam facti sunt in urbem ingredientes: cumque ab illis conspecti et agniti essent, rogati sunt adire Episcopum. Qui ut illos vidit intrantes, obstupuit ad visionis similitudinem, et gratias egit Deo: simul etiam percontatus est ex illis, unde venirent et quo haberent iter, quive vocarentur. Iis cognitis, jussit ministros eis mensam apponere. Ducti sunt ergo in insignem quemdam locum, et apposita quae ad corporis curam pertinerent. Eadem autem horâ sanctissimus Episcopus civitatis clerum convocans, factam sibi a Deo revelationem illis exposuit, qui una voce dixerunt: Revera meruit hoc puritas vitae tuae, ut ex Dei voluntate indicaretur tibi, quis post te hierarchicam debeat ornare sedem. Nihil ergo haesitans, fac quod tibi visum est. Accìvit itaque ad se Basilium et Eubùlum, coepitque cum eis scrutari Scripturas: admiratusque pelagus inhaerentis eis sapientiae, habens eos dextrâ laevàque sustentatores, non multo post excessit e vivis.

§ **10**. Convenientes ergo Episcopi Sancto Spiritu id agente,

Basilium elegerunt Episcopum: qui accepta consecratione, regebat Ecclesiam divina fretus providentiâ. Elapso autem aliquanto tempore, rogavit divinitus sibi dari gratiam, sapientiam et intellectum, ut propriis sermonibus posset illi incruentum offerre sacrificium, et ut adveniret in ipsum Spiritus Sanctus. Post sex igitur horas velut in ecstasi factus, septima, adveniente in illum Spiritu Sancto, coepit ministrare Deo per singulos dies (sive Missam facere, vel sacrificare); atque aliquo interjecto temporis spatio, fide et oratione coepit propria manu ministerii (id est, Liturgiae, sic enim evidenter apparet in Graeco legi) mysteria scribere. Porro nocte quadam veniens ad eum Dominus in visione cum Apostolis, propositionem panis faciens in sancto altari, excitavit eum, dicens ei: Secundum petitionem tuam repleatur os tuum laude, ut propriis sermonibus offeras sacrificium incruentum. At ille non ferens oculis visionem, surrexit cum tremore, et accedens ad sanctum altare, coepit dicere, simul etiam scribere in charta: *Repleatur os meum laude*, ut hymnum dicat gloriae tuae Domine Deus, qui creasti nos, et adduxisti in vitam hanc: et caeteras orationes sanctae liturgiae, vel sancti ministerii. Et post finem orationum exaltavit panem, sine intermissione orans et dicens: « Respice Domine Jesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, et veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum Patre sedes, et hic invisibiliter nobiscum ades: dignare potenti manu tua trädere nobis, et per nos omni populo, sancta sanctis.» Populus respondit: «Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris, Amen.» Porro Eubùlus et primi e Clero astabant ad templi fores, videbantque, lucem intelligibilem in templo, et viros gloriosos et illustres candidis amictos vestibus: cumque audirent voces populi Deum glorificantis, et Basilium cernerent altari assistentem, stupefacti in visione, corruerunt in facies suas, glorificantes Deum. Exeunte autem Basilio, ad illius pedes se dejecerunt: illoque sciscitante, quid sibi vellet isthaec adoratio et illorum praesentia, indicaverunt ei visionem admirabilem, quam in templo vidissent. Tum ille gratias agens Deo sine intermissione, quod fecisset mirabilia, accersivit aurìfabrum, jussitque confici columbam ex auro puro, in qua reposuit S. Eucharistiam, suspendens eam supra mensam sanctam, in specie sanctae columbae illius, quae apparuit in Jordane Domino baptizato. Eo peracto, orationem consolatoriam coepit habere ad populum, convenitque in ecclesiam infinita multitudo, cui intererat etiam magnus ille Ephraem abbas, de quo postea referemus, quemadmodum demonstrante Deo viderit beatissimum patrem nostrum Basilium.

§ **11**. Quodam tempore divina illo celebrante mysteria, Judaeus quidam se ceu Christianus populo immiscuit, officii ministerium explorare volens, videtque in manibus Basilii in partes

dividi infantem: et cum omnes communicarent, accessit et ipse: dataque est ei hostia, vere Caro facta. Inde accepit et calicem Sanguine repletum, uti revera est: illius quoque particeps effectus, utriusque servavit reliquias, et abiens domum, ostendit uxori suae in dictorum confirmationem, narravitque quid suis ipse oculis conspexisset. Itaque credens, quemadmodum re vera est, tremendum esse mysterium Christianorum, altera luce venit ad Basilium, postulans sine dilatione se Christi signo consignari. Sanctus autem episcopus nihil procrastinans, sed consuetam Eucharistiam offerens ei, qui vult omnes homines salvos fieri, baptizavit eum cum omni domo sua credentem Domino.

§ **12**. Eundem quandoque sanctum virum muliercula adiit, et literas ab illo petiit ad regionis Praefectum, tanquam qui plurimum apud illum posset. Ille arrepta chartâ scripsit Praefecto in haec verba: Accessit ad me isthaec inops muliercula, dicens literas meas habere apud te pondus: Si sic est, id fac ostendas. Tradiditque mulieri chartulam, quam illa obtulit Praefecto. At ille cum legisset, sic rescripsit: Tua causâ, sancte pater, libens essem misertus mulierculae, sed non potui, eo quod tributis subjaceat. Cui rursus Basilius ita respondit: Si quidem voluntas prompta fuit, at defuit facultas, tolerabile est. Si autem potuisti quidem, sed noluisti, Christus te rèdiget in ordinem ìnopum, ut ubi volueris, non possis; quod etiam re ipsa ita evenit. Nam non multo post, Imperatoris irâ in illum concitata, in vincula conjectus est, poenas illis pendens, quos injuriâ affecerat. Tum vero preces offert Basilio, ut sua intercessione Imperatoris clementiam ipsi conciliet, idque sic factum est. Post sex namque dies ab Imperatore jussus est vinculis absolvi. Et ille quidem declaratam erga se clementiam intelligens, venit ad Basilium: et gratias illi agens, mulierculae accìtae de suis facultatibus duplicato restituit quod debebat *.

§ **13**. Post haec quidam gentilismi erroribus implicati, ad eum veniunt, quaerentes ut quae sint virtutes Dei eos efficiat certiores. Ille vero perpaucis sermonibus ostendit eis salutis viam, certioresque reddidit, et catechizans baptizavit. Denique adventante sacratissima Quadragesimâ, divinam illam operis sex dierum explanationem populo proposuit, non absque plurimorum tum Judaeorum, tum gentilium ad Christianismum traductione. Porro quidam ex Arrianis, accusarunt eum apud Valentem Imperatorem, quod *Homousii* fidem laudibus efferens, Arrianam haeresim respueret et abominaretur. Quibus inania sentientibus Valens fidem adhibens, misit qui eum Antiochiam adducerent. Cum ergo Anastasius defensor Caesaream venisset, et Basilio Imperatoris mandata indicaret, ait Basilius: « Et ego fili ante paucos dies comperi, Imperatorem nullo judicio praeditis viris fidem commendantem,

* Sequentia quaedam Capita enormi anachronismo laborantia expunximus.

tres confregisse calamos, dum mei vellet exilii sententiam scribere, et veritatem obscurare. At calami nullo sensu praediti, ejus inconstantem non tulere impetum, potiusque se confringi voluerunt, quam ejus inservire injustae sententiae. Veniens vero Antiochiam Basilius, sistitur judicio praesidis: quo percontante, cur Imperatoris non amplecteretur fidem, respondit: « Absit a me, ut veritatis viam deseram, et erraticam Arrianorum pravamque opinionem amplectar. *Homousii* quippe fidem a patribus accepi.» Et quia Praeses necem illi comminatus erat, dixit ei Basilius: Contingat mihi pro veritate hujus corporis expediri vinculis, id enim jampridem mihi in votis est. Vos igitur vestrae nolite promissioni deesse. Praefectus autem beati viri constantiam et immutabilem sententiam aperuit Imperatori, dicens virum minis esse superiorem, inflexibilemque atque ab adulatione alienam habere sapientiam.

§ **14**. Imperator igitur furore ardens, cogitabat qua illum morte afficeret. Et ecce filius ejus Galates morbo corripitur, et a medicis vita ejus desperatur. Mater autem Imperatori resistens, dixit: Male disposuisti ea quae a Deo sunt, et ecce puer moritur propter illatam sacerdoti Dei injuriam. Quibus auditis, Valens advocat Basilium, eique dicit: Si vera sunt Deoque grata tua dogmata, precibus tuis filii mei aegritudinem depelle. Cui Basilius: « Si amplexaris, inquit, Imperator, orthodoxam fidem, et Ecclesiae restituitur unitas et concordia, filius tuus vivet. » Imperatore id promittente, Basilius sine mora pueri morbum relevavit. At pravae sententiae Episcopi suam non ferentes ignominiam, si non victoriâ potirentur, persuaserunt Imperatori ne de sua opinione decederet, sed ipsorum religioni subscriberet, atque ita per ipsos puerum sanatum iri. Sed continuo in illorum manibus puer spiritum reddidit. Vidit haec defensor, et postea ad Valentem Imperatorem retulit de Basilii virtutibus: quas ille admirans, glorificabat Deum, per ipsum defensorem multam illi largiens pecuniam, in usus egenorum. Basilius autem Imperatoris magnifica dona recipiens, extruxit domos hospitales languentium sive nosocomìa, tum in urbe, tum in quaque provincia praefecturae, in refectionem aegrotorum: in iisque condidit grandem virorum, mulierum, puerorum multitudinem, curam illorum gerens, et tribuens quae ad illos reficiendos pertinerent. Iis vero cognitis, Imperator multa contulit ad illorum sustentationem, Christi sacerdotem haud secus atque parentem colens.

§ **15**. Helladius autem, qui illum sanctissimae memoriae virum vidit, et administer factus est miraculorum ab illo perpetratorum, atque etiam sedis successor post obitum ejusdem Apostolicae memoriae Basilii, vir admirandus et omni virtute instructus, commemoravit quod jam dicturus sum, apud me: Senator quidam (inquit) fidelis, nomine Proterius, loca sancta et venerabilia adiit,

ut filiam suam illic consecraret, et in monasterio collocatam, Deo offerret. Sed diabolus, qui ab initio homicida fuit, invidens huic sancto proposito, unum ex servis illius in amorem puellae inflammavit. Sed cum se sciret pro conditione indignum, qui aliquid ejusmodi attentaret, execrabilem quemdam magum aggreditur, multam ei vim auri pollicens, si ejus operâ posset ea puellâ potiri. At ille se id efficere posse negavit: sed si vis, inquit, mittam te ad dominum meum diabolum, qui te faciet voti compotem. Respondit ille: Quicquid dixeris, faciam. Et magus, Abrenuncias, inquit, Christo in scripto? Ait illi: Etiam, abrenuncio. Tum ille iniquus: Si isthuc, ait, facere non detrectas, ero tibi adjutor. Ego vero, inquit, facere paratus sum, tantum ut meo fruar desiderio.

§ **16**. Scripsit ergo iniquitatis administer literas ad diabolum, misitque illi in hanc sententiam: Quandoquidem, mi domine, non cunctanter in eam curam incumbendum mihi est, ut a Christiana religione homines abstraham, et tuae adjungam voluntati, quo tua pars fiat auctior: en mitto ad te hunc, qui praesentes perfert literas, puellae cupiditate inflammatum, petoque ut liceat ei adipisci quod appetit, ut et in illo glorier, et cum multa alacritate congregem, alios, qui placeat tibi. Tradensque ei epistolam, ait: Abi, et tali noctis horâ consiste super hominis ethnici monumentum, chartamque in aëra sustolle: aderuntque qui te perducant ad diabolum. Ille hilariter jussa capessens, sublata misera voce, imploravit daemonis opem. Mox vero adsunt principes potestatis tenebrarum, spiritalis nequitiae, et laetabundi apprehensum misere errantem, ad diaboli conspectum perducunt, monstrantque eum illi in sublimi throno sedentem, vallatum undique turbis malignorum spirituum. Accipiens autem ille literas a mago missas, dixit ad miserum: Credis in me? At ille, Credo, inquit. Et abnegas Christum tuum? Respondit: Abnego. Tum diabolus, Perfidi, ait, estis, vos Christiani: qui cum mea indigetis operâ, venitis ad me: ubi autem, quod vultis, assecuti estis, abnegatis me, et redîtis ad Christum vestrum, qui cum sit benignus et clementissimus, recipit vos. Sed manu tua scriptas mihi exhibe literas, quibus Christo tuo et baptismati ultro renuncies, meque sponte in aeternum profitearis, et quod in die judicii praeparatas poenas sempiternas mecum libens sis subiturus: et ita confestim efficiam te rei optatae compotem. Scripsit ille propria manu, ut erat postulatus. Nec mora, animarum corruptor draco tortuosus, misit fornicationis daemones, ut puellae animum juvenis amore accenderent. Illa corruens in terram, coepit his vocibus compellare patrem: Miserere, miserere mei pater, quia dire crucior illius servi amore. Miserere viscerum tuorum, declara in me unicam filiam tuam paternum amorem, et junge me puero cujus amore ardeo. Quod si id facere nolis, videbis me post paululum acerba

morte exanimatam, et in die judicii Christo pro me rationem reddes.

§ 17. Pater haec audiens, cum lacrymis dixit: Heu me miserum, quid accidit infelici filiae meae? Quis meum thesaurum furatus est? Quis meam filiam contaminavit? Quis dulce lumen meorum extinxit oculorum? Ego coelesti te volebam sponso conjungere, concivem angelorum efficere, ut psalmos, hymnos, cantica spiritalia Deo caneres, denique per te salvum me fore sperabam, et tu lascivos insaniens meditaris amores. Sed sine me, filia, sicut constitui, desponsare te Christo: non deducas senectutem meam cum dolore ad inferos, neque parentum tuorum nobilitati, ignominiae notam inùras. Illa vero patris monita ducens pro nihilo, instanter vociferabatur: Pater mi, aut meum comple desiderium, aut paulo post extinctam me videbis. Pater itaque prae nimio deficiens animi dolore, et immenso moerore absorptus, amicorum quoque cedens consiliis, hortantium ut ejus morem gereret voluntati, ne seipsam perderet, jussit fieri quod illa petebat, ne sibi ipsi exitium adferret. Adduxit ergo servum ad filiam, trandensque eis omnem substantiam suam; dixit filiae: Vade filia vere misera, multum quandoque lugebis, cum te olim hujus facti poenitebit, nec tamen medèri poteris.

§ 18. Inito igitur iniquo matrimonio, et eo mali daemonis facinore perpetrato, cum non multum intercessisset temporis, animadversum est a quibusdam, servum illum non ingredi in ecclesiam, neque accedere ad immortalia et vivifica mysteria, dictumque est infelici conjugi illius: Nostin, virum tuum, quem tibi delegisti, non esse Christianum, sed a religione extorrem et alienum? Quod illa audiens, caligine ac moerore perfusa, humi se prosternit, suis sese unguibus lacerat, pectus tundit et clamitat: Nemo parentibus non obediens, salvus unquam fuit. Quis patri meo annunciabit ignominiam meam? Heu me miseram, in quantam me perditionis voraginem demersi? Cur in lucem edita sum, aut nata cur non continuo rapta sum? Ita eam plorantem cum cognovisset vir ejus totus errabundus, accurrit ad eam, persuaderque illi voluit, rem se sic minime habere. Illa vero ex ejus verbis ad persuadendum compositis aliqua accepta consolatione, ait ad eum: Si vis mihi et miserae animae meae satisfaccre, cras mecum pariter accedas ad ecclesiam, me praesente immaculata sumas mysteria: ita mihi erit satisfactum. Tum ille compulsus, dixit ei totius rei summam. At illa mox foemineam abjiciens imbecillitatem, optimumque illi adhibens consilium, propere abit ad Episcopum, Christique sectatorem Basilium, clamansque adversus impietatem, ait: Miserere, miserere mei sancte Dei: miserere mei sectator Domini quae cum daemonibus commercium habui: Miserere, miserere mei quae proprio parenti nequaquam obedivi: remque ut gesta erat per ordinem enarravit.

§ **19**. Sanctus autem Dei vocans ad se illius maritum, sciscitabatur num se res ita haberet. At ille cum lacrymis: Etiam sancte Dei, inquit: quod si ego silere velim, facta mea clamabunt: coepitque etiam ipse a principio ad finem usque pravas diaboli machinationes exponere. Ait autem ad illum sanctus Episcopus: Visne reverti ad Dominum Deum nostrum? Et ille: Utique volo, inquit, Domine, sed non valeo. Cur ita, ait Basilius? Scripto, inquit ille, abnegavi Christum, et professus sum diabolo. At Basilius, Non sit, ait, tibi curae. Benignus est Deus noster, et suscipiet te poenitentem. Condolet enim ille iniquitatibus nostris. Conjux autem ejus jactans se ad pedes sancti viri, Evangelicis verbis eum deprecata est dicens: Sectator Christi Dei nostri, si quid potes, adjuva nos. Dicit vir sanctus ad ejus maritum: Credis te posse salvum fieri? At ille, *Credo*, ait, *Domine: àdjuva incredulitatem meam.* Et continuo apprehensa manu illius, Christique signum illi imprimens, et orans, in quodam loco interioris periboli sive ambitus eum inclusit, praescripsitque ei quid ageret, et cum eo pariter etiam ipse laborem suscepit per tres dies. Quibus exactis, invisit eum, aitque illi: Ut habes fili? At ille: Multa, inquit, me Domine tenet defectio et angustia, nec ferre possum eorum clamores, terrores et ictus lapidum. Tenentes enim manibus chirographum meum. incusant me his verbis: Tu venisti ad nos, non nos ad te. Et Basilius ad illum: Ne timeas, inquit, fili: tantum crede: praebensque illi pauxillum escae, consignansque eum Christi signo, et orans, inclusit eum: rursusque post dies paucos visitavit eum, et ait: Quomodo habes fili? At ille, Pater sancte, inquit, procul audio clamores eorum et minas, sed illos non video. Iterumque dans ei cibum, fusa prece claudens ostium, abscessit. Inde die quadragesimo reversus, dicit: Ut tecum agitur frater? Et ille: Bene, inquit, habeo sancte Dei. Vidi enim te hodie in visu pugnantem pro me, et vincentem diabolum. Mox ergo vir sanctus more solito preces fundens, eduxit eum, adduxitque in cubiculum suum.

§ **20**. Mane facto, convocat sacrum clerum et monasticae vitae cultores, omnemque Christo amabilem populum, aitque ad illos: Filioli mei dilectissimi, omnes gratias agatis Deo: ecce enim ovem perditam debet pastor bonus reportare in humeris, et reddere sanctae Ecclesiae. Decet igitur etiam nos hac nocte vigiles permanere, et poscere ejus clementiam, ne etiam in hoc opere victor evadat ille animarum perditor. Itaque populo alacriter congregato, per totam noctem cum pastore bono Deum deprecati sunt, cum lacrymis clamantes pro eo, Kyrie eleison: et mature cum omni populi frequentia accepit eum vir sanctus, tenensque ejus manum dexteram, ducebat in sanctam ecclesiam cum psalmis et hymnis. Et ecce diabolus hominum perturbator, omni sua stipatus pestifera virtute accurrit, et invisibiliter apprehendens illum,

nitebatur e sancti viri manibus abripere. At ille clamare coepit et dicere: Sancte Dei, àdjuva me, tantaque instantiâ malignus ille aggressus est eum, ut etiam sanctum virum impelleret, trahens hominem. Conversus autem vir sanctus ad diabolum, ait: Improbissime, animarum corruptor, pater tenebrarum et perditionis, non tibi tua sufficit perditio, qua te tibique subditos affecisti, nisi etiam Dei mei tentes plasma? At diabolus ad eum: Praejudicas mihi, inquit, Basili: quas daemonum voces plurimi ex nobis, audierunt, clamante populo, Kyrie eleison. Porro vir sanctus respondit: Increpet te Dominus, satan. Et rursus ille: Praejudicas mihi, ait, Basili. Non ego illum adii, sed ille venit ad me: Christoque abnegato, mihi professus est. Et ecce teneo chirographum ejus, et in die judicii ad communem omnium judicem eum adducam. Tum vero Basilius: Benedictus, inquit, Dominus Deus meus: non deponet hic populus supplices in coelum manus, donec reddas chirographum; conversusque ad populum, Sustollite, inquit, in coelum manus vestras, clamantes cum lacrymis, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

§ **21**. Itaque sic permanente populo in horam multam sursum erectis manibus, en chirographum hominis illius per aëra delatum, cunctis cernentibus, lapsum est in manus sancti patris et pastoris nostri. Suscipiens autem illud vir sanctus, et gratias agens Deo, gavisus est valde, et coram omni populo dixit ad hominem: Agnoscis frater hasce literas? At ille: Immo, inquit, sancte Dei, meis manibus scriptae sunt. Porro Basilius illas discerpens, duxit eum ad Ecclesiam, dignumque fecit sancto ministerio, et communione mysteriorum et munerum Christi: excipiensque omnem populum, refocillavit. Deinde cum hominem illum instruxisset, sive vivendi congruum canonem illi tradidisset, reddidit eum conjugi suae, incessabili voce glorificantem et laudantem Deum.

§ **22**. Jam porro, fratres mei, quippiam referre volo de celeberrimo patre Basilio et Ephraem Syro *, qui per visum didicit, qualis esset apud Deum Basilius: quod equidem ex homine sancto et minime vano atque fallaci audivi. Est autem ejusmodi: Ephraem vir memorabilis cum esset erèmi cultor, quodam Sancti Spiritus edoctus lumine, vidit hominem Basilii amantem, eumque percontatus, cognovit ex illo admiranda illius sancti viri opera. Itaque sine intermissione petiit sibi a Deo revelari, cujusmodi esset Magnus Basilius. Vidit ergo in ecstasi columnam ignis, cujus vertex attingebat coelum, vocemque superne allatam audivit: Ephraem, Ephraem, columna ignis, quam vidisti, Magnus Basilius est. Mox igitur adhibito sibi interprete (nesciebat enim Graece), venit ad magnam ecclesiam celeberrimae urbis Caesareae, ipsa sanctae Theophaniae sacra solemnitate, et ingressus clanculo,

* Vide I. febr.

conspexit Magnum Basilium in ecclesiam procedentem, aitque socio suo: Frustra nos, opinor, mi frater, laborem hunc suscepimus. Hic namque cum tali sit ordine constitutus, non est quemadmodum per visum didici. Cernebat enim eum indutum stolâ candida, clerumque sacrum, qui juxta illum erat, candidis amictum vestibus. Basilio autem procedente, ille stans in loco templi secreto, desperabat visionis ipsi ostensae veritatem, ita secum dicens: Nos qui portavimus pondus diei et aestus, nihil consecuti sumus: et hic tantis stipatus turbis, tantaque praeditus dignitate, ignis columna est? id mihi quidem prodigiosum videtur. Eo igitur talia secum agitante, sanctus Episcopus mittit ad eum suum archidiaconum, dicens illi: Abi ad portam, quae respicit Occidentem, et illic in angulo templi invenies abbatem opertum cucullo, et cum eo alium quemdam barbatulum, staturâ humili: et caetera addidit quae ad ejus vultum pertinerent: dicesque ei: Velis ingredi in presbyterium: vocat enim te pater tuus Archiepiscopus. Beatus Ephraem ut per interpretem cognovit quae dicebantur, respondit: Erras, frater: nos enim peregrini sumus. Abiens ergo archidiaconus, retulit haec ad virum sanctum.

§ **23**. Interea illo legente sacros codices, vidit sanctus Ephraem linguam igneam loquentem per os ejus. Rursusque vir beatus dicit Archidiacono: Vade, et dic ei: Domine Ephraem, velis te intro recipere in sanctum presbyterium. Obstupescens autem sanctus Ephraem ad visionem, dedit gloriam Deo, et flexo poplite, ait: Vere magnus Basilius, vere columna ignis Basilius, revera Spiritus Sanctus loquitur per os ejus. Petiit autem ab Archidiacono, ut ipsum excusaret: liceretque potius, expleto ministerio, in secretario eum salutare. Peracto igitur ministerio, sanctus Basilius intravit in secretarium, et accito ad se sancto Ephraem, reddidit salutationem in Domino, dicens: Gratus nobis advenisti, o pater eremicolarum, qui Christi sectatores in deserto multiplicasti, et daemones in Christo profligasti. Sed quorsum, Abba, hunc tibi laborem sumpsisti? venisti videre hominem peccatorem: sed Dominus laborem tuum justa mercede compenset. Respondit autem illi reverendissimus Ephraem, et cum didicisset omnia quae in illius corde suspicienda erant, una cum Abbate socio ex sanctis manibus ejus communionem accepit: cumque eos Basilius convivio excepisset, ait ad illum sanctus Ephraem: Pater reverendissime, unam abs te gratiam peto: fac, oro, ut ea mihi donetur. Cui Basilius: Dic, inquit, quid tibi velis: plurimum enim me tibi debere fateor, praecipue quod ad meam usque praesentiam accedere voluisti. Et reverendissimus Ephraem: Scio, inquit, pater te facile impetraturum a Deo, quicquid ab illo petieris: oroque ut precèris eum, praestet mihi Graece ut possim loqui. Ad quod Basilius ita respondit: Rem postulasti, quae meas excedat vires: sed quia cum bona fiducia petiisti, veni Abba colendissime

et eremi magister, precemur una Dominum, potest enim is facere quod optes, sicut scriptum est: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos* (*Ps.* 144).

§ **24**. Simulque prolixe orantes, cum tandem surrexissent, dixit Magnus Basilius: Cur, domine Ephraem, non te pàteris ordinari presbyterum, cum sis dignus et idoneus? Respondit ille per interpretem: Quia peccator sum. At Basilius: Utinam, inquit, talis ego peccator essem: addiditque: Flectamus genua; et cum essent humi prostrati manus suas Magnus Basilius sancto Ephraem imposuit, eumque diaconum ordinavit: aitque illi: Jube nos surgere. Soluta igitur linguâ ejus, dicit sanctus Ephraem Graeco sermone: Suscipe, salva, miserere, et custodi nos Deus gratiâ tua. Tunc nimirum impletum est illud Isaiae: *Tunc saliet sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum*. Eo igitur horâ eadem Graece loquente, Deum glorificarunt omnipotentem, preces orantium et timentium se exaudientem. Porro tribus diebus spiritali jucunditate transactis, cum Basilius sanctus sacerdos interpretem quidem diaconum, Ephraem vero presbyterum ordinasset, dimisit eos in pace, glorificantes Deum in omnibus quae audierant et viderant, sicut locutus est ad eos.

§ **25**. Postea quam a nobis discesserat Deo invisus Valens Imperator, petentem illum praeclaram Constantinopolim, iterque facientem per Niceam, adierunt Arrianae haeresis hexarchi sive duces et principes, petieruntque ab eo copiam orthodoxum Dei populum ejiciendi ex ecclesia doctrinae Catholicae et apostolicae, eamque tradendi Arrianis. Itaque tyrannus ille, indignus purpurâ, quod abominandae haeresis patronus esset, illorum precibus assensit: missaque militari manu, expulit fidelem populum, et dedit ecclesiam Arrianis. Multum igitur anxii pii omnes, noctuque diuque Deum deprecabantur, ne sineret ecclesiam suam cedere in jus haereticorum. Accessit autem ad eam urbem, puta Niceam, communis Ecclesiarum defensor et advocatus Basilius, veneruntque ad eum Catholici omnes, clamantes et annunciantes ei illatam ipsis ab Imperatore injuriam. Quibus ille ait: « Cessate a lacrymis filii charissimi: neque enim ad extremum permittet Deus, ut ita fiat, estote igitur longanimes, et Dei misericordiam sustinete. » Abiens autem Constantinopolim vir sanctus, ut vidit Imperatorem Valentem, ait ad illum: Scriptum est, o Imperator: *Honor regis judicium diligit*, ex Ps. 98, et Sapientia dicit: *Judicium regis justitia*. Quare igitur tuum imperium voluit ejicere orthodoxos ex illorum ecclesia, et construere in ea homines depravatae sententiae? Cui Valens: Iterum, inquit, ad contumelias reverteris Basili? isthuc minime te decet. At Basilius: Me vero, inquit, pro justitia decet etiam mortem oppetere. Cumque inter se verba conferrent, ecce Demosthenes, epularum Imperatoris familiaris praefectus, haereticis dum vult patrocinari,

blasphemias vomens, committit barbarismum. Et Basilius: Etiam Demosthenem, inquit, vidimus sine literis. Sed cum ille adhuc instaret: Tuum est, ait Basilius, de pulmentariis cogitare, non dogmata divina coquere. Et ille pudefactus, ilico obmutuit.

§ **26**. Ait autem Basilio Imperator: Abi, et judicis inter eos fungere officio: non ita tamen, ut immodico populi tui amore ducaris, neque enim id par est. Et Basilius: Si jure, inquit, poteris meum culpare judicium, et me jubeto ire in exilium, et orthodoxos ejice, et ecclesiam da victoribus. Acceptis ergo a Valente literis, profectus est Niceam, accitisque Arrianis, dixit: Imperator vult, ut negotii, quod vobis est cum orthodoxis ratione ecclesiae quam rapuistis, ego judex sim. Tum illi: Judica, inquiunt, sed ex sententia Imperatoris. Quibus Basilius: Claudatur, ait, ecclesia, et tam vos quam Catholici obsignate eam: primique vos tres dies atque noctes expendite in precibus, et deinde si vobis ad ecclesiam euntibus illa patuerit, sit perpetuo vestri juris. Sin minus, nos unam vigilabimus noctem, et psallentes cum litania ibimus ad ecclesiam: et si nobis aperta fuerit, nos aeternum eam obtinebimus. Quod si reserata nobis non erit, sit vestra, vosque eam occupate.

§ **27**. Placuit is sermo Arrianis: at orthodoxi contradicebant, affirmantes eum non aequam ferre sententiam, sed extortam metu Imperatoris. At vero multo studio clausa est ecclesia, utriusque partis hominibus postulantibus, ut accuratissime et cautissime obseraretur. Orantibus igitur ex decreto Basilii Arrianis tres noctes atque dies, ac deinde venientibus ad sanctam Dei ecclesiam, et haerentibus ibi ab hora matutina usque ad sextam, clamantibusque Kyrie eleison, non sunt reclusae fores, at tandem delassati, inanes discesserunt. Ad quos sanctus Basilius: Fecistis, inquit, ut eratis jussi: sed ut audio, non sunt vobis apertae fores. Jam igitur etiam nos nocte una agemus vigilias, et cum litania ibimus ad ecclesiam: quae si nobis quoque reserata non fuerit, vos eam ex mea sententia vobis usurpate. Tollens ergo vir sanctus orthodoxum populum cum mulieribus et pueris, exiit extra oppidum ad sancti martyris Diomedis aedem: factisque ibi vigiliis et matutinis precibus, produxit populum, cantans: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, miserere nobis: ingrediensque in vestibulum templi, uti etiam prius fecerant Arriani, dicit populo: Erigite sublimes manus in coelum ad Dominum, et prolixe clamate Kyrie eleison. Quod cum faceret plebs, sanctus Episcopus illos consignans, jussit silentium fieri, terque signans fores templi, dixit: Benedictus Deus Christianorum in secula seculorum. Amen: populo autem pariter dicente, Amen, vi orationis contriti sunt vectes, deciderunt claves cum pessulis, ostia tanquam valido concussa vento patuerunt, et cum impetu quodam ferebantur ad parietes. Tum insignis ille Dei contemplator

ita praecinuit (*Psal.* 23): *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* Ingressusque in sanctum Dei templum cum omni orthodoxo populo, divinum fecit ministerium, ac deinde dimisit populum, cum gaudio et pace glorificantem Deum, qui non despicit in se confidentes.

§ **28**. Innumerabiles autem Arriani, eo comperto miraculo, renunciarunt pravae opinioni, nostramque sunt complexi Catholicam fidem. Imperator vero ut rem gestam cognovit, respuit quidem Arrianorum prave sentientium voluntatem: neque enim poterat Dei et divini patris nostri Basilii judicium reprehendere: at tamen cordis oculis obtenebratis, instar multorum permansit obstinatus et inflexibilis, neque se ad Dominum voluit convertere: atque tandem infeliciter pugnans, in bello reddidit spiritum, palearum flammis concrematus in Thraciae partibus, inde missus in poenas ignis aeterni.

§ **29**. Foemina quaedam generis nobilitate et divitiis pollens, caeterisque hujus vitae vanitatibus excellens, cum quasi viduam se exhiberet, turpiter se dedidit ventris ingluviei, rerum suarum admodum prodiga: nihil vero illi inerat ex his quae placent Deo, sed instar porcorum in voluptatis coeno volutabatur. Tandem autem quandoque, Deo ita disponente, ad mentem rediens, immensitatem facinorum suorum divinitus illuminata, secum tacita considerabat, illorumque multitudine compuncta, cum lacrymis ingemuit, dicens: Heu me vilissimam, nimiumque prodigam peccatricem: qua tandem ratione excusare potero facta et flagitia mea? Templum Sancti Spiritus violavi, et animam in corpore degentem pollui. Heu me omnium abjectissimam: putasne ulli me potero superiorum temporum meretrici, aut publicano comparare? Sed nemo sic peccavit ut ego, maxime a percepto sacro baptismate. Qui igitur certa esse potero, quod me poenitentem suscipiet Deus? Haec autem illa cogitante, qui omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, hanc illi mentem aspiravit, ut a primis aetatis initiis usque ad senectutem admissa peccata omnia in charta describeret: quod cum fecisset, extremo loco scripsit quoddam gravissimum facinus, chartamque plumbo obsignavit. Deinde observans tempus opportunum, quando sanctus Episcopus ad solitas preces iret in templum, clam accurrit, chartamque ad pedes ejus projiciens, atque pronam se humi prosternens, ita clamabat: Miserere mei sancte Dei, quae sum omnium maxima peccatrix. Substitit autem vir Dei, et tanti causam doloris ab ea inquisivit. At illa: Ecce Domine, inquit, omnia peccata et scelera mea scripsi in hac charta, eamque obsignavi. Tu autem sancte Dei illam, quaeso, ne resignes, sed tantum precibus tuis dilue quae in ea scripta sunt. Qui enim hanc mihi inspiravit cogitationem, omnino exaudiet te pro me deprecantem.

§ **30**. Magnus autem Basilius tollens chartam, et suspiciens

in coelum, ait: « Domine, tu solus hoc praestare potes. Qui enim totius mundi aufers peccata, etiam hujus unius animae haud difficulter potes abolere peccata. Omnes enim iniquitates nostrae apud te numeratae sunt: misericordia autem tua neque dinumerari, neque pervestigari potest: » atque his dictis, intrat in templum, tenens manu chartam, eàque juxta altare deposita, prosternit se, manens in prece pervigil, die quoque sequenti per omne sanctum ministerium, sive totam sacram liturgiam, Deum deprecans. Deinde sacrosanctis completis mysteriis, vocat secreto ad se foeminam, paucis astantibus e clero, illique chartam ostendens, ait: Audistine mulier, neminem posse peccata dimittere, nisi solum Deum? Et illa, Audivi, inquit, o senior, et propterea oravi te, ut pro me apud misericordissimum Deum intercederes. Et his dictis, aperuit chartam, et inventa sunt prorsus deleta omnia, praeter unum illud immane flagitium. Quod illa cernens, consternata est, et verberans pectus suum manibus, ad pedes ejus collapsa, clamabat: Miserere mei serve Dei altissimi: et ut pro caeteris omnibus iniquitatibus meis laborasti, et exauditus es: sic etiam pro hac deprecare, et prorsus abolebitur. Lacrymatus est autem sanctus Archiepiscopus prae commiseratione, dixitque illi: Surge mulier; nam et ego peccator sum, et mihi quoque opus est veniâ: qui peccata tua, ea quae voluit, obliteravit, potest isthuc quoque tollere, qui mundi aufert peccata, modo deinceps serves te immunem a vitiis, et ambules in viis Domini: quod si feceris, non tantum venia tibi dabitur, sed etiam coelesti gloriâ digna eris. Perge autem ad eremum, et invenies illic virum sanctum, maximeque celebrem, nomine Ephraem. Illi da chartam, et orans conciliabit tibi Dominum.

§ **31**. Illa surgens, celeriter profecta est in desertum, et longa viarum spatia emetiens, ad indicatum ipsi locum magni eremitae pervenit: pulsansque ejus fores, clamitabat: Miserere mei sancte Dei. At ille jam divinitus edoctus erat, qua causâ adesset, dixitque illi: Discede a me mulier, quia etiam ego homo peccator sum, auxilii indigus. Illa vero projecit chartam, dicens: Archiepiscopus Basilius misit me ad te, ut deprecans Dominum, deleas quae in hac charta scripta sunt: caetera namque ipse suis precibus expunxit. Tu igitur noli detrectare unius expiandi laborem, ad te enim missa sum. At ille: Nequaquam, inquit, filia: sed qui in multis potuit placare Dominum, etiam in hoc uno plus poterit, atque ego. Abi itaque sine mora, ut possis eum invenire superstitem. Pròpere igitur mulier redit Caesaream: sed dum in oppidum ingreditur, obvium habuit funus sancti viri. Coepit ergo clamare misere, et se humi volutare, querimoniamque habere de sancto: Heu me, inquiens, heu me miseram sancte Dei. Idcone ad erèmum me misisti, ut liberatus hac molestiâ, hinc decederes? En nihil consecuta, domum redii, tam longo itinere frustra

confecto. Videat Dominus, et judicet inter te et me: quia cum tu posses propitium mihi illum reddere, alio me ablegasti: sicque clamitans, jactavit chartam super feretrum, circumspecte admodum indicans causam omni populo. Unus autem e clero scire cupiens, quale id esset flagitium, tulit chartam: eamque reserans, invenit omni scripturâ vacuam, magnaque voce dixit mulieri: Nihil hic scriptum est,* mulier: quid ita te discrucias, nesciens te consecutam misericordiam? Porro omnis populi frequentia ut vidit stupendum miraculum, glorificavit Deum, qui dedit potestatem in terra remittendi peccata: atque servis suis hanc contulit gratiam, ut etiam post mortem possint sanare morbos omnes, et peccata quoque cum fide accedentium condonare.

§ **32**. Joseph quidam Hebraeus erat egregius, medendi peritissimus, et in ea arte insignis, adeo ut ex contactu arteriae ante tres vel quinque dies praedicere posset decessum hominis. Hunc non sine multorum medicorum invidia, divinus pater noster Basilius, quod ex Dei illuminatione praesciret illum sacrum baptisma consecuturum, valde charum habuit, assidueque ad suum colloquium accivit, docens eum regiam salutis et veritatis amplecti viam, pollutamque Judaeorum abjicere religionem, et per baptismum Christum induere. Sed ille non acquiescens, dicebat: In qua fide natus sum, in ea etiam mori volo. Cui vir sanctus: « Crede mihi, inquit, Joseph, neque ego, neque tu ex hoc rerum tumultu migrabimus, nisi te prius renovato per aquam et spiritum, nam sine his fieri non potest, ut cuiquam pateat aditus ad regna coelorum *. An non etiam patres tui baptizati fuere in nube et in mari, et biberunt ex spiritali consequente eos petra? petra autem erat Christus: qui in novissimis diebus ex Virgine carnem assumens, et propter nostram salutem homo factus, et mirifica agens opera, passus et a Majoribus tuis crucifixus et sepultus, et tertia resurgens die, in coelum ascendit, sedetque ad Patris dexteram, inde venturus cum multa majestate et multitudine angelorum, judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua. Ut ergo dictum est, impossibile est ut quispiam intret in regnum Dei, nisi per aquam et Spiritum Sanctum, et participationem vivificorum et immaculatorum mysteriorum Corporis et Sanguinis Christi.» Et ejusmode quidem admonitionibus agebat apud eum probatus ille Dei administer, sed nihil proficiebat. Sed tandem cum visum esset Deo, qui eum segregavit ex utero matris suae, ut perciperet Sancti Spiritus gratiam, imminente jam tempore, quo ex his mundi perturbationibus tollendus erat vir Dei, sub praetextu capiendae medicinae vocavit illum ad se, dixitque ei: Quid sentis de his quae circa me sunt? Tum ille ex venae attrectatione sentiens mortem illi impendère, dixit ad domesticos illius, ut funeri necessaria indumenta praepararent.

* Sacramentorum Christi, praesertim Baptismi necessitas.

Hic enim jam plane moritur, inquit. Ad quem Basilius, Nescis, ait, quid loquaris. At contra Joseph Hebraeus: Crede mihi, inquit, domine: sol cum sole hodie occumbet. Et Basilius: Quid, ait, dicturus es, si usque in tempus matutinum supervixero? Dicit Judaeus: Id quidem, mi domine, fieri nulla ratione potest; nam vix horâ dimidia vitam producturus es. Itaque dispone jam de Ecclesia tua et de rebus tuis, non enim ad occidentem usque solem superstes eris. At Basilius: Quid facturus es, inquit, si in crastinum ad sextam usque horam vivus permansero? Ego profecto moriar, ait ille. Et vir sanctus: Etiam moriaris, inquit, peccato, vivas autem Christo. Scio quid dicas, ait Hebraeus, et faciam sàne quod vis, si eousque vixeris: terribilibusque se sacramentis obligabat, quod prorsus Sancti Spiritus perciperet gratiam, si vir sanctus ad eam usque horam superesset. Itaque S. pater noster orabat Dominum ut adderet aliquod vitae suae spatium quo posset illum salvum facere.

§ **33**. Facto mane, accersivit, Judaeum ad se. Ille vero jam plane extinctum eum arbitratus, diffidenter advènit; cernens autem illum vivere, plane obstupefactus, corruit ad ejus pedes, aitque: « Toto pectore loquor, non est Deus magnus sicut Deus Christianorum, nec est alius extra illum Deus. Itaque abjuro jam, Christo invisam, Judaeorum religionem, et fideliter accedo veritati. Jube ergo sine dilatione conferri Christi signum, sacrumque baptisma et mihi et universae familiae meae.» Ait illi vir sanctus: « Ego meis manibus et te et omnem familiam tuam baptizabo.» Accedens autem propius, denuo illius dexteram manum contrectavit Judaeus, dixitque: « Delassatae sunt vires tuae, Domine, et natura succumbit. » At Basilius: « Habemus, inquit, naturae auctorem, vires nobis suppeditantem; » surgensque venit in ecclesiam, et sub aspectu totius populi baptizavit eum cum omni domo illius, vocavitque illum Joannem; porrectisque illi vitalibus sacramentis, assumpsit eum et adduxit in cubiculum suum, praebens ei escam, et instituens illum de iis quae ad aeternam vitam pertinent, adjiciensque suo ovili novum Christi tyronem cum mulieribus et liberis illius. Hebraeus autem ille insequentibus diebus, per domos hospitales distribuebat pecuniam ex arte medicâ conflatam, et quod supererat pauperibus elargiebatur. Porro circa horam nonam Basilius ad Missae ministerium stetit in templo cum electis clericis et Praefectis civitatis; iterumque cum eis panem sumens, dimisit eos bene instructos, adjuncto etiam osculo sancto; commendavitque Domino tum novum Christi tyronem, tum caeteros omnes; atque tertiam illam communionis portionem a Domino ipsi datam cum quâ sepulturae tradi voluit, assùmens, et in lecto recumbens, prolixe gratias egit Deo tum pro suâ e corpore migratione, tum pro medici Hebraei conversione. Et cum

gratiarum actiones adhuc ejus ore promerentur, reddidit Domino spiritum.

§ 31. Cumque Hebraeus ille ad fidem traductus, cerneret, ita ut praedixerat, magnum illum principem Sacerdotum obdormisse in Domino, procumbens in pectus illius, cum lacrymis dicebat: « Revera, serve Dei, Basili, si non voluisses neque modo mortuus esses. » Postero die congregata est multitudo, duxeruntque venerabile corpus ejus cum aromatibus et thymiàmate sepulturae mandandum; et cum hymnis et canticis et honore congruo gloriosam magni sacerdotis memoriam celebrarunt. Simul autem etiam duodecim eo confluentibus Episcopis, et urbis multitudine, deposuerunt sacrum corpus in sarcòphagum marmoreum in aede sancti et illustris martyris Hesychii, ubi etiam Leontius ejus decessor Episcopus cum caeteris quiescit. Obiit autem Magnus Basilius, angelicam in terris vitam degens, mensis Januarii Die I, quinto anno imperii Valentiniani II et Gratiani, scilicet CCCLXXIX.

MARTYRIUM

S. TATIANI DULAE

JUXTA ZEPHYRIUM CILICIAE

EX CODICE GRAECO INCERTI AUCTORIS. INTERPRETE QUOQUE INCERTO.*

Tertio Saeculo exeunte.

§ 1. Quo tempore Satanas ab iis colebatur qui eo digni erant, et idolorum superstitio et error vigebat, cum Maximus Ciliciae praesideret, delatus est Tatianus cognomento Dulas, vir justus et timens Deum, qui totius gentis testimonio pietatem et in omni re justitiam servare probabatur. Hinc, inquam, delatus fuit apud Praesidem quod Christi fidem profiteretur. Quamòbrem in carcere detinebatur, scribâ ipso ita Praesidi referente: « Quemadmodum tu jussisti, satellitum principes regionem omnem usque ad Zephyritanam urbem pervestigantes, deprehenderunt quemdam impiae Christianorum religionis sectatorem, quem obtuli sincero et illustri tribunali tuo.» Haec ille dixit; cui Praeses Maximus: «Quo tempore urbes ipsas circumiero, omnes qui sunt in carcere ad me adduci jubebo.»

§ 2. Cum igitur in urbem praetorialem ingressus esset, et sederet in tribunali, jussit primum adduci ad se Dulam quem supra

* Vetustior certe Codex Metaphraste cui a compluribus haec historia attribuitur. Quare Surianam ex Lipomano acceptam praetitulationem nostrâ commutavimus.

diximus. Qui cum ad Praesidem ingrederetur, ita Deum oravit: « Christe, Fili Dei vivi, qui misericors es, tu dixisti per os David: *Dilata os tuum et implebo illud*. Tu et in Evangelio dixisti: *Ne solliciti sitis quomodo aut quid loquamini*. Nunc igitur, Domine, mitte Angelum tuum, et da mihi orationem os meum aperienti, ut, ad scelestissimum Maximum ingrediens, ejus impietatem redarguam. Quod vero ad plagas pertinet, cum te prae oculis habeam, hujus tormenta non timeo, meumque corpus Praesidi libenter proponam. Qualium secus bonorum coronas accipere potero? Quales Domino meo Jesu Christo cicatrices ostendam, quas ille videns, benignitate in me utatur et peccata mea remittat? » Haec cum dixisset, milites pallio eum exuerunt, et vinctum Praesidi obtulerunt.

§ **3**. Tum Maximus Praeses: « Age, inquit, dic paucis quo nomine appellèris. » Tunc Dulas: « Servus Christi ego sum. » Ad haec Maximus: « Cum nihil, inquit, utilitatis nomen istud tibi afferre possit, dicas naturale nomen tuum. » Respondit Dulas: « An non manifestum tibi nomen meum effeci? Vero quidem et certo nomine Christianus appellor: eo autem, quod mihi ab hominibus impositum fuit, Dulas: itaque sic appellatus, re vera servus Christi sum. » — « Nondum, inquit Maximus, judicii terrorem expertus es. Nunc igitur dicas, cujus nationis homo tu sis, cujus loci, aut generis. » Ad haec Dulas ait: « Ego sum natione Cilix, ex urbe Praetoriade, genere claro, et a puero Christianus. » Tum Maximus Praeses dixit: « Cum claro genere ortus sis, invictis Imperatoribus cedere velis, et deos adiens, aequo animo illis sacrifices, ut et a nobis honoreris, et apud Augustos Imperatores magnus atque illustris habeáris. » Respondit Dulas: « Honores tui et Augustorum gradus vobis sint, et omnibus iis qui Deum ignorant. A me vero Deus hoc avertat, ut alia in re proficiam, quam in fide Domini nostri Jesu Christi. »

§ **4**. Cum ita eum sentientem Maximus Praeses vidisset: « Extensum, inquit, istum virgis percutite, et admonete hominem, ut desinat insanire. » At Dulas, cum verberibus pulsaretur, dicebat: « Gratias ago tibi, Christe, quod dignus habitus sim, qui propter nominis tui confessionem haec pàterer. » Audiebat ista Maximus, et illi haec exprobrabat: « Quidnam tibi prodest nunc Christus tuus, cum totus sis vulneratus? An non adhuc sentis, stulte homo? » Cui Dulas: « Quid? Nonne beatus Apostolus Paulus dicit: Nemo coronatur, nisi legitime certaverit? » Tum Maximus: « Ergo, inquit, verberatus tu coronam assequèris? » Respondit Dulas: « Ego hodie contra patrem tuum diabolum certamen sustineo. Si ergo satanae praelium devicero, te, inquam, satanae ministrum, in coelis coronam accipiam. » — « Cur, inquit Maximus, sic erras, homini in Cruce suffixo fidem habens? » Ad haec Dulas: « Velim dicas, praestetne homini Crucifixo, hoc est, Deo viventi et vero, an

lapidibus et lignis, operibus manuum hominum, credere.»—«Scelestissime, inquit Maximus, num tibi humanum opus videtur magnus deus Apollo?» Dulas ait: «Vere Apollinem isto nomine appellasti, nam illi mentem adhibens, animam tuam perdidisti: non solum autem tuam, sed illorum etiam, quibus persuades, ut eum adorent. Illud autem scito, quod Deus ipse requiret e manibus tuis animas, quas cogens perdidisti. Caeterum Apollo impius, dicam tibi qualis fuit.

§ 5. « Erat ille, ut tu nunc es, incontinens: cumque Daphnes amore captus esset, et pecunias multas ei dedisset, promissa quae ab ipsa acceperat, assecutus non est. Quaeso, qualisnam deus iste est, qui amore vulneratus, eam quam adamabat assequi non potuit? Qui potes igitur sperare, te aliquid per eum assecuturum? Vere quae a vobis de illo canuntur, risu digna sunt, vel potius luctu. Quem enim mulier meretrix execrabilis, atque omnis impuritatis plena, pro nihilo habuit, Apollinem, inquam, tuum, in cujus faciem ipsa expuit, tune illum, ut Deum, adoras? Vides ut luctu digna sunt impia vestra facinora? » Haec audiens Maximus: «Versate, inquit, istum in alteram partem, et ventrem percutite.» Tum Athanasius Cornicularius dixit: «Obtempera Praesidi: nonne vides viscera tua exilire? »—« Age, inquit Dulas, tu, qui diaboli consiliarius es et minister, tibi et Praesidi tuo da consilium illud, quemadmodum Daphnae persuadere possitis, ut cum Deo vestro Apolline coire velit, ne amore consumptus pereat. Ego enim habeo consiliarium meum Dominum Jesum Christum. » Tum Maximus: «Afferte craticulam, et illam vehementer accendite, atque istum, ut diis maledicentem, in eam imponite.» At Dulas: « Gratias, inquit, tibi agit Apollo tuus in gehenna, quod ignem nunquam extinguendum ei provides: atque tibi gratiam referet, hanc scilicet, ut una cum ipso ad tenebras exteriores detrudaris. Tunc et ego te ridere potero, impie Apollinis patrone.»

§ 6. Cum autem totum fere Martyris corpus carnifices combussissent, nihil profecerunt: neque enim Dei servo persuaserunt, ut a fide Christi deficeret. Tunc jussit Maximus Praeses, ut milites ita combustum in carcere interiore hominem custodirent, neque curâ aliqua illum prosequerentur, haec addens: Ne quis ex impiis hominibus eum ob id beatum praedicet, quod impie in deos nostros se gerens, tormenta perpessus fuerit. Erat igitur Sanctus ille in vinculis, et sine intermissione Dei gloriam celebrabat, eumque precabatur, ut martyrii cursum perficeret. Post quinque dies Maximus in tribunali sedens, quaesivit an scelestus ille et impiae Christianorum religionis sectator adhuc viveret: quem et ad tribunal duci jussit. Athanasius Cornicularius respondit Praefecto: «Ita constans et ad defensionem paratus, et incolumis est homo ille, ut ne cicatricem quidem aliquam in corpore suo habeat.» Jussitque illum introduci. Quem cum Praeses totum sanum

vidisset, et vultu admodum hilari: «O scelestissima, inquit, cohors, nonne vobis praecepi, ut nulla curâ istum prosequeremini?» Ad haec Pegasius Commentariorum praefectus: «Per tuam amplitudinem in carcere interiore custoditus est, habens in collo Herculis' effigiem, trecentarum librarum pondere gravem. Quomodo vero sanus factus sit, nemo nostrum cognovit.»

§ 7. Tum Dulas: « O insipiens Praeses, en Christus meus sanum me fecit, et ad plagas tuas excipiendas corpus meum idoneum reddidit, ut cognoscas Deum esse nostrum medicum, qui homines, in eo spem suam collocantes, admirabili quodam modo curare solet; simul etiam, ut ego duplicem martyrii coronam accipiam, et tu sempiternas poenas duplices patiare. At si tu tales plagas pro nomine Apollinis tui sustinuisses, scilicet potuisset tibi sanitatem afferre Apollo iste, quem Deum tuum dicis, quemadmodum mihi Christus meus sanitatem attulit?» Tum Maximus: «Quoniam homo iste non desinit maledicta in deos nostros injicere, ungite oleo ejus caput, et carbones ardentes imponite.» Cui Dulas: « Licet, inquit, cerebrum meum combusseris, quid tum, impiae Praeses? Excogita alia tormenta. » At Praeses dixit: «Multa sinàpis grana in ejus nares immittite.»—« Derideo, inquit Dulas, omnes cruciatus tuos.» Praeses autem: «Lacerate constanter acuto ferro ejus terga, et acerbissimo aceto plagas perfundite: tum acutis testis terga conterite.»

§ 8. Haec cum fierent, sanctus martyr dicebat: « Jesu Christe, Adesto servo tuo: ecce enim supra dorsum meum fabricant peccatores, prolongantes iniquitatem suam. » Tunc dixit Maximus: «Saltem nunc persuasus sis, et deos esse confitearis.» Ad haec Dulas: «Scilicet dii tui adjuvant te et malitiam tuam, praesertim Venus et Diana. Dicam, si placet, et alias deas tuas et earum scelera.»—«Confringite, inquit Maximus, ejus maxillas, ne diis maledicat: ipsius etiam crura infringite, et talem reddite, qui ne verbum quidem ullum proferre possit.» Tum Dulas: «Mene, iniquissime Praeses, verberas, qui vera dico, quod Venus ipsa et reliquae deae tuae membra sua in libidinibus et stupris exercuerunt, et Paridem pastorem illum Judicem sibi constituerunt, cum periculum facere vellent, quaenam ipsarum magis peccaret? Cur iràsceris, cum de execrabilium dearum tuarum facinoribus redarguaris? Meus Deus verus est, qui et homo fieri voluit, qui etiam cum in Cruce fixus fuisset, et postea sepultus, tertio die resurrexit, et sedet ad dexteram Patris, venturusque est cum igne ad deos tuos perdendos.» Haec audiens Maximus dixit: «Videsne, sceleste, ut et tu duos deos habes?» Ad haec Dulas: «Ne pecces, inquit, et erres, dicens duos deos: Trinitas enim est, quam colimus.»—«Ergo, inquit Maximus, tres deos habes.»—«Trinitatem, inquit Dulas, confiteor et adoro, Credo in Patrem, confiteor Filium,

adoro Spiritum Sanctum. » Tum Praeses Maximus : « Persuadeas, inquit, mihi, quomodo in unum Deum credens, tres praedices. »

§ 9. Ad haec respondit Dulas : « *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei* (1. Cor. II). Eorum tamen causâ qui adsunt, dicam. Quemadmodum tu, qui homo es, habes sermonem : ita et Deus Pater omnipotens, habet Verbum ejusdem substantiae, et Spiritum suum sanctissimum. Qui Deus noster cum primum hominem formavit; et imagine sua illum honoravit, insufflavit ipsi spiritum vitae, quem et in paradiso constituit. Postea vero, quam satanas, qui nunc per te voluntatem suam exercet, studuit hominem ad divini praecepti violationem impellere, quemadmodum nunc etiam per te facit, hominem ipsum a divinis praeceptis exterminavit. Quamobrem Deus cum opus quod formaverat, et lapsum fuerat, erigere, idque, quod aberraverat, in viam reducere vellet, misit Filium suum, hoc est, Verbum. Itaque Verbum Dei in sancta illa Virgine habitavit, et ex ea genitum fuit, per quod Pater ipse mundo salutem dedit. » Tum Maximus dixit : « Verbum igitur aliquod virum gignit? » — « Minime, inquit Dulas, Dei mysterium intelligis : verum si omnipotentis Dei virtutem cognosceres, scire posses, quod qui e pulvere hominem fecit, qui firmavit terram super aquas, qui coelum consolidavit, qui universam naturam effecit, ille ipse Christus est. Cum enim hominis conditio divinitatem videre non posset, ille humani generis amator, propter suam in homines charitatem, homo factus est, et humanam humilitatem suscepit : ut sicut per unum hominem primo formatum mors ipsa in mundum ingressa est, ita et per unum hominem, Dominum nostrum Jesum Christum, resurrectio mortuorum induceretur. »

§ 10. Tum Praeses : « Quid ais? Est ne etiam resurrectio mortuorum? » — « Maxime, inquit Dulas. Quomodo enim Deus mundum judicabit, nisi mortui resurrexerint? » At ille : « Nolim artificiosos istos sermones mihi afferas : sed sinas, si mortui fuerimus, nos mortuos jacère. » — « Vera, inquit Dulas, dixisti vos mortuos esse : cum enim mortuis idòlis fidem habeatis, nunquam ad resurrectionem vitae pervenietis, sed ad dedecus et supplicium sempiternum. Oportet autem omnes homines assistere ante tribùnal Christi, et eorum quae fecerint, rationem reddere. » Tunc dixit Maximus : « Ligate hominem istum ferreis vinculis, et in carcere custodite. » Postridie vero mane Praeses jussit Dei servum Dulam introduci. Cui jam intromisso : « Quaenam, inquit, miserrime homo, tibi utilitas fuit in deos nostros impietatem exercenti? » Respondit Dulas : « Maximam utilitatem percipio apud Deum, cum eos, qui dii non sunt, reprobo. Te vero adhuc viventem Christus puniet. » Tunc ait Maximus : « Injicite in ejus os carnes victimarum, et vinum libaminum. » — « Licet, inquit Dulas, totam execrabilem aram tuam abluas, et in os meum infundas, nihil tamen ea re laedes

Christi servum. »—«En, inquit Maximus, ut e nostris altaribus carnes gustasti, scelestissime homo.» At Dulas: « Nihil mihi haec obsunt, execrabilis et stolide Praeses. Quid enim mihi profuisset superiores cruciatus perferre, si res ita se haberet, ut tu dicis? Sed, Deo juvante, ipse videris, quid facias. *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* » (*Philipp.* I, 21). Tunc Maximus jussit in ligno eum virum suspendi, et ejus carnes usque ad intestina lacerari, maxillas etiam cum mento divelli. Cui Dulas: « An, inquit, stolide, ignoras te a satana patre tuo jussum esse haec facere? »

§ **11**. Cum ejus viscera denudata essent, et maxillae ab ossibus dissolutae, Praeses jussit Dulam in carcere servari. Cumque ad Tarsum urbem Ciliciae reverteretur, jussit homines illos vinctos sequi. Cum vero ad vigesimum lapidem processissent, beatus Dulas Christi signo se muniens, animam Deo tradidit. Itaque cum essent satellites quatuordecim milliaribus longe a Tarso, Commentariorum magister nunciavit Praesidi, Dulam in deos impie se gerentem, mortuum fuisse, et ejus cadaver illucusque perlatum: quaerebat autem, quid fieri vellet. Tunc Praeses: «Projicite, inquit, illum in vallem aliquam, ut sepulturâ careat.» Satellites igitur cadaver martyris in torrentem dejecerunt, qui ad Zephyrium vergebat. Pastorum vero canes cum sancti martyris reliquias odorati essent, unus ex illis canibus venerandum illud corpus custodiebat, neque vòlucrem aliquam sinebat reliquias martyris attingere: alius vero canis pastoris pallium ore apprehensum, ad sanctum martyrem Dulam tegendum attulit. Hoc autem castello, quod illic erat, notum factum fuit. Venerunt igitur ejus castelli habitatores, et sanctas reliquias collegerunt, Deum laudantes, quod reliquiis illis venerandis privati non essent, sed unde corpus illud vivum exierat, illuc et martyrio functum rediisset. Illud ergo acceptum multa cum veneratione reposuerunt, Domini nostri Jesu Christi gloriam collaudantes in secula.

ILLUSTRE CERTAMEN

VITI SS. PUERI, MODESTI ET CRESCENTIAE

HABETUR IN MS. CODICE ANTIQUISSIME EXARATO.

STYLUM HINCINDE MODICE ELIMAVIT LAUR. SURIUS.*

Ineunte IV Saeculo — Siculi.

§ **1**. Tempore illo, quo Valerianus Praeses sub Diocletiano Imperatore in Christianos persecutionem exercuit, pervenit ad eum, beatum Vitum, nobilissimi viri Hylae filium, Christum

* Dubiâ quidem in pluribus fide haec sunt Acta, sed non penitus abjicienda. Saeculo VI videntur composita; Romae VIII saec. inventa sunt.

Jesum Deum nostrum colere et adorare. Itaque vocavit ad se patrem venerabilis pueri, dixitque ei: «Quid isthuc rei est, quod audio filium tuum colere Deum illum, quem Christiani adorant? Si ergo vis eum habere sanum et incolumem, da operam, ut ab hac stultitia revocetur.» His auditis, Hylas dixit Vito filio suo: «Fili dulcissime, audi patris tui utile et salutare consilium, et a cultus hujus stultitia, quem tu, nescio quem mortuum hominem venerando, inani labore sectaris, discede, ne princeps iratus, pro suae potestatis furore saeviat in te ad perniciem tui, et augmentum doloris mei.» Beatus Vitus puer respondit: «Utinam mi pater cognoscere velles, qualis et quantus ille sit, quem tu contemptim mortuum hominem appellas, nempe Christus filius Dei vivi, mihique in ejus cultu et veneratione assensum praeberes. Ipse est enim Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.» Hylas dixit: «Ego vero scio Christum hunc, quem tu Deum dicis, jussu Pilati in Judaea flagellis caesum et cruci adjudicatum, atque in ipsam crucem a Judaeis et Pilati ministris suffixum.» Sanctus Vitus ait: «Ut asseris, pater, ita est: sed hujus rei magnum est et admirabile sacrumque mysterium.» Hylas dixit: «Quantum ad ipsam rem attinet, supplicium rectius dixeris, quam mysterium.» S. Vitus ait: «Patienter audi pater, et veritatis suscipe rationem. Traditio et crucifixio Jesu Christi Domini nostri, redemptio et salus nostra est. A cujus charitate, quod te certissimum habere volo, nemo me unquam quacumque afflictione poterit separare.»

§ 2. Multi vero caeci per beatum Vitum divina gratiâ illuminabantur, multi sanabantur aegroti: sed et multa daemonia voce publica illius preclara merita fatebantur. Ubi haec rescivit Valerianus Praeses, sedens pro tribunali, patrem beati Viti his verbis coram omnibus compellat: «Jam certis ad me nunciis affertur, Hyla vir illustrissime, a filio tuo crucifixum illum, quem in Judaea passum, Christum ejus cultores nominant, tota animi devotione coli et adorari, deosque nostros contemni. Itaque dignum ducimus illum nostris conspectibus exhiberi.» Postquam ergo venerabilis puer Vitus ad tribunal Praesidis adductus est, dixit ad eum Valerianus: «Quare diis immortalibus non sacrificas? An nescis principes nostros jussisse, ut si quis repertus sit cultor illius Crucifixi, diversis poenis interficiantur?» Beatus Vitus, repletus Spiritu Sancto, nec quicquam trepidans, neque, ut est illi aetati familiare, ulla de se timoris indicia praebens, cum Christi filii Dei signum expressisset, ita respondit: «Ego daemonibus non assentior, neque sculptilibus ullam venerationem impendo. Habeo enim Dei Filium Deum vivum, cui fideliter servit anima mea.» Tunc Hylas pater ejus ejulans, magna voce dixit ad amicos suos: «Plangite quaeso mecum, quia video perire unicum filium meum.» S. Vitus dixit: «Non pereo sane, si in congregationem justorum liceat ingredi.» Valerianus ait: «Nobilitas generis tui et amicitia

patris tui hactenus me retinuerunt, ne in te jussa Principum, uti in sacrilegum, exèquerer. At nunc quia te obstinata mente video in tua sententia velle permanere, periculum faciam, num castigatione possis a proposito deduci.»

§ 3. Jussit ergo fustibus mactari beatum puerum: cumque diutius id factum esset, dixit ei Praeses: «Acquiesce nunc, et sacrifica diis.» Beatus Vitus respondit: «Semel dixi tibi Praeses: Christum adoro filium Dei.» Tunc iratus Valerianus, praecepit puerum catomo (*a*) (sic enim habent multi codices mss.) caedi. Ministri autem mox ut in eum manus injicere tentaverunt, brachia sua arefacta sensere, et Praesidis quoque manus exaruit. Tum ille exclamavit: Heu manum perdidi, et dolore torqueor. Advocans autem Hylam patrem pueri, dixit ei: «Ut video, filius tuus magus est.» S. Vitus ait: «Non sum ego magus, sed servus Christi Domini mei, qui me docuit mandata sua: cujus doctrinâ et opere repletus sum, qui excitavit mortuos, et pedibus super mare ambulavit, imperavitque ei, et cessavit a furore suo: Ejus, inquam, ego sum servus, et ejus virtute possum curare manum tuam.» Valerianus dixit: «Fac ut te non magum, sed veri Dei, ut asseris, famulum esse comprobem.» S. Vitus elevans ad coelum oculos, dixit: «Propter eos qui astant, Domine, ut videant et credant in Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, verum et omnipotentem Deum, in unitate Spiritus Sancti tecum regnantem, in ipsius Jesu Christi nomine sit nunc manus Praesidis sana.» Et statim restituta est manus illius.

§ 4. Tum ille sanctum puerum tradidit patri ejus, dicens: «Vade, et emenda hunc filium tuum, ut acquiescat et sacrificet diis, ne pereat.» Itaque pater ejus beatum Vitum suscipiens, introduxit eum in domum suam, multisque adhibitis illecebris et blandimentis suadebat ei: nec aberant cymbala et organa, quibus demulceretur; ancillae quoque coram illo saltare jubebantur, ut ea re delectaretur, et facilius persuaderetur recedere a cultu Dei sui. At beatus puer coelum incessanter suspiciens, dicebat intra se: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies*. Mandavit vero pater ejus cubiculum omnibus quibus poterat deliciis instrui, tapetis insterni et ornari gemmis, introduxitque in illud filium suum, et jussit occlùdi. Beatus autem puer flexis genibus precabatur Dominum, dicens: «Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus pater dilecti pueri tui Jesu Domini mei, respice in me et miserere mei, et confirma me virtute tua, ut non possit draco iste, malignitatis et iniquitatis suae voto potiri in me servo tuo, ne insultent gentes fidelibus tuis, et dicant, Ubi est Deus eorum?» Interim cubiculum illud inaestimabili claritate fulgebat, et

(*a*) *Catòmo* vel *Catòmis* verberare, non absone interpretandum, virgis percutere *ad humeros* ex κατά et ὦμος; idque non tantum cum *in humeros* patientis ictus infligerentur, sed maxime cum, ut pueris ad vereoundiam fieri solebat, *in humeros* alterius sublati ad nudatas nates caedebantur.

videbantur in eo quasi duodecim lapides, nimio fulgore radiantes: aspersusque in eo est odor suavissimus, ita ut pater sancti Viti omnisque familia cum ingenti admiratione clamarent: Papae, numquam nec in deorum templis tanta mirabilia vidimus. Attonitusque Hylas, dixit: Dii venerunt in domum meam ad filium meum; coepitque curiose attendere, per ostium respiciens in cubiculum: viditque angelos duodecim alatos instar aquilarum, inaestimabili pulchritudine et splendore radiantes, cantantesque, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Eo autem splendore ejus oculos perstringente, excaecatus est, didicitque secreta coelestia non nisi puro mentis cerni posse intuitu. At beatus puer Vitus, pietatis ductus affectu, pro patre suo enixe orabat. Pater autem ejus prae nimio dolore clamitans: Heu, inquit, perdidi lumen oculorum, et ingenti dolore atque angustiâ torqueor. Plangebat pariter dominum suum servorum et ancillarum plurima multitudo, quippe cruciatibus et ululatibus miserabiliter vexatum.

§ 5. Ad eum autem clamorem adeo commota est civitas, ut etiam Valerianus Praeses ad voces commoti populi ad Hylae domum pròpere accurreret: cumque eum vidisset inter manus servulorum luminibus orbatum, et ingenti stridore clamantem, solicite perquisivit, quinam id illi accidisset. Respondit ei Hylas: « In cubiculo manentem filium meum curiose contemplans, vidi deos, quorum oculi erant instar stellarum, et aspectus similis fulguri. Tantum autem splendorem ferre non valens, infelix nimis oculos amisi.» Valerianus ait: «Potentes, ut asseris, dii fuere.» Duxit autem illum cum servis ejus ad templum Jovis, ante cujus aram votum nuncupavit Hylas, dicens: « Jupiter invictissime deus, si mihi reddideris lumen oculorum, victimas innumeras offeram tibi: taurumque conflatilem cum cornibus aureis, et virgines sacras, o dea Vesta, tibi dicabo, cum vestro ero solatio potitus.» Sed cum nihil sentiret remedii, immo vero etiam acrioribus dolorum stimulis urgeretur, beatus puer Vitus genua flectens, Dominum sic orabat: « Qui Tobiam illuminasti Domine, fac misericordiam cum patre meo, si tibi consenserit.» Denique ad aras daemonum Hylas diutius inaniter clamans, tandem domum reducitur, ubi beatus Vitus sacrificium laudis Domino sedulus immolabat: prociditque ad genua beati pueri, et ait: «Fili, salvum me fac.» S. Vitus dixit: «Visne sanus fieri pater?» Respondit Hylas: «Volo fili, et summopere desidero.» Porro ipso etiam dolore voluntatem cogente, dixit ei beatus Vitus: «Si vis sanus fieri, renuncia Jovi, Herculi, Junoni, Minervae, Vestae et Apollini.» Hylas dixit: «Et qui tandem illis renunciabo?» B. Vitus ait: «Non deos illos, sed daemones esse dicas, et statuas, quas hactenus coluisti, nihil habere virtutis confitearis. Si id ex corde feceris, mox oculi tui patescent.» Hylas dixit: «Renuncio illis.» B. Vitus dixit: « Ex his verbis tuis colligo induratum cor tuum: sed propter eos qui

astant, ut credant et glorificent nomen Domini mei Jesu Christi, licet non merearis, declarabo in te misericordiam.» Imponensque manum super oculos ejus, oravit, dicens: « Domine Jesu Christe, qui caeco nato lumen, quod natura negaverat, tua potentiâ tribuisti, quamquam fides ejus non mereatur, tamen propter gloriam nominis tui, illumina oculos hujus patris mei, ut videant et confundantur inimici tui, laetenturque omnes, qui novèrunt te Domine.» Et ecce ceciderunt quasi squamae ab oculis Hylae, et curatus est: respiciensque vidit clare omnia: et exclamans voce magna, dixit: Gratias ago diis meis, qui me salvum fecerunt, non autem Deo tuo; coepitque miser totus in eam cogitationem incumbere, quibus poenis filium suum interficeret.

§ 6. Angelus autem Domini apparuit pappati (*paedagogo*) ejus, religioso viro Modesto nomine, dixitque ei: «Tolle puerum, et descende ad mare, ubi naviculam invenies, qua una cum illo transfretabis in regionem quam tibi ostendero.» Beatus Modestus dixit: « Domine, viam quam dicis, nescio, et quo ibo?» Angelus respondit: «Ego vos ducam.» Erat autem beatus Vitus annos natus circiter duodecim. Itaque Angelus Domini deducebat eos, et cum ad mare ventum esset, invenerunt naviculam a Christo Domino ipsis praeparatam. Dixit vero Angelus ad beatum puerum: «Ad quam regionem tenditis?» S. Vitus dixit: « Quo nos Dominus duxerit, prompti et hilares sequemur.» Dixit Angelus: «Et ubi est naulum tuum?» Respondit S. Vitus: «Ille, cujus nos servi sumus, mercedem tibi dependet.» Et ita ascendentes in naviculam, appulerunt ad locum quemdam, quem Allectorium * vocant, subitoque disparuit is, qui eos e navi deposuit. Venerunt autem ad Silerum fluvium **, et illic sub arbore quieverunt, ubi Dominus per beatum Vitum multas virtutes effecit. Cibus autem eis per aquilam adferebatur: cumque, famâ Domini virtutem divulgante, multus ad eos populi concursus fieret, clamabant daemonia: Quid nobis et tibi Vite: Venisti ante tempus perdere nos? Porro beatus Vitus instanter docebat populum praecepta Domini, et multi conversi baptizabantur. At sanctus puer Domino gratias agebat, et populo Dei clementiam et omnipotentem virtutem, cum multa animi devotione praedicabat.

§ 7. Interea filius(*a*) Diocletiani vexabatur a spiritu immundo, qui clamabat per os ejus: Ego hinc non exibo, nisi veniat Vitus Lucanus. Imperatore autem dicente, Et ubi possumus hunc hominem invenire? Daemon ait: Apud fluvium Silèrum. Misit ergo armatos milites Imperator, ut celeriter adducerent illum. Qui cum

* E graeco in *Gallinaceum* aeque verteretur; loci et nominis indicium disparuit.

** Vulgo *Silo* Picentes a Lucanis sèparat.

(*a*) *Filiam* mavult legere Ado, et Valeriam intelligit Galerio nuptam; nullam autem aliam nisi spuriam prolem e scortis suscepit Diocletianus. At nonne praestaret *Maximianum* legere quoties occurrit Diocletianus qui in Oriente degebat? Aut aliquem Romae Praefectum? Caeterum, circa requisitam a tyranno sancti pueri opem hujusmodi, quae de aliis similiter narratur, figmenti, ad rei aliquoties verissimae imitationem, hic vel alibi haud temere incidit suspicio.

venissent ad locum, quem daemone indicante didicerant, invenerunt Christi athletam juxta fluvium, Dominum exorantem, dixeruntque ei: «Tune es Vitus?» Respondit ille: «Ego sum.» Milites dixerunt: «Imperatori es necessarius.» S. Vitus ait: «Et ego tantillus homuncio qua in re possum Imperatori esse necessarius?» Milites responderunt: «Filius ejus a daemone arreptus est, et ea causâ te voluit ad illum perduci.» Sanctus Vitus ait: «Eamus in nomine Domini.» Ubi Romam venerunt, jussus est ad Diocletianum introduci. Erat vero forma vultus ejus cumprimis elegans, instar ignis splendens, et oculi tanquam solis radii: quippe qui plenus esset Christi gratiâ.

§ 8. Tunc repente daemon per os obsessi filii Imperatoris horrendum in modum exclamat: O Vite, cur ante tempus ita crudeliter me torques? Cum autem sanctus Vitus nihil illi responderet, Diocletianus dixit: «Potes sanare filium meum?» S. Vitus respondit: «Potest illi reddi sanitas, sed ego reddere eam non possum: Christus autem Dei filius, cujus ego servus sum, si vult, ab hoc hoste pessimo per me illum facilime liberare potest.» Cumque deprecante Diocletiano accessisset Vitus ad obsessum, manum imposuit capiti ejus, et ait: «Spiritus immunde, in nomine Domini nostri Jesu Christi, exi ab hac creatura Dei;» moxque recessit daemon, sed non sine strage multorum infidelium. Videns igitur Imperator filium suum sanum, et multos infideles, qui S. Vito illuserant, a daemone praefocatos, captus elegantiâ pueri, blande et comiter hortabatur eum, dicens: «Consenti mihi, Vite charissime, et diis sacrifica, daboque tibi maximam partem regni mei, cumulaboque te magnis opibus auri et argenti, et pretiosarum vestium omnigenaeque supellectilis, erisque mihi non immerito et charissimus, et cumprimis familiaris.» Respondit beatus puer: «Regnum tuum et vestes atque divitiae tuae mihi necessariae non sunt. Habeo enim Dominum Deum meum, qui, si illi fideliter perseveravero, induet me stolâ immortalitatis, quam tenebrae obscurare non possunt.» Diocletianus ait: «Non sic agas, Vite, sed consule vitae tuae, et sacrifica diis, ne diversis poenis affectus intereas.» Sanctus Vitus respondit: «Ego vero haec tormenta quae minaris, supra quam credi possit, expeto, ut ad illam possim palmam pertingere, quam Dominus dignatus est promittere electis suis.»

§ 9. Tunc Diocletianus jussit beatum Vitum cum Modesto in teterrimum carcerem retrudi, et singulos onerari ferro octoginta pondo, carceremque suo obsignari annulo, ne quis vel aquam illis posset porrigere. Sed cum inclusi essent, subito in carcere lux multa resplenduit, ita ut etiam custodes territi mirarentur. Tunc Diocletianus furore percitus, jussit arenarium praeparari, dicens: Bestiis ferocissimis tradam illos, ut videam, num Christus eorum possit eos liberare de manibus meis. Cumque Vitus

et Modestus adducti fuissent in amphitheatrum, sanctus Vitus admonuit Modestum ne expavesceret, ita dicens: «Fortis esto, pater: ne timeas gladium diaboli. Jam enim appropinquat corona nostra.» Aderant autem ad hoc spectaculum supra quinque millia virorum: puerorum vero et foeminarum multitudo inaestimabilis. Dixit autem ad sanctum Vitum Diocletianus: «Ubi jam te cernis Vite?» At beatus Vitus, sublatis ad coelum oculis, nihil illi respondit. Rursus autem dicenti Imperatori, Ubi te nunc conspicis Vite? puer sanctus respondit: «Video me in amphitheatro. Verum enimvero fac ocyus, quod facturus es.» Diocletianus dixit: «Consule vitae tuae, Vite, et sacrifica magnis diis.» S. Vitus ait: «Demiror frontem tuam, quod cum tantas cernas virtutes, non erubescis isthuc mihi velle persuadere. Ego vero Christum habeo, cui hactenus votum pectoris mei sacrificavi: nunc quod superest, meipsum sacrifico.»

§ **10**. Tunc prae nimio furore seipsum non capiens Imperator, jussit ministris parare clibanum, et in eo inflammari plumbum, resinam et picem. Fecerunt ita ministri, et deposuerunt in eo beatum Christi athletam Vitum: aitque Diocletianus: Videbimus jam, si Deus tuus possit te eripere ex manibus meis. Porro beatus Vitus, consignans se signo vivificae Crucis, jactatus est in medium clibani instar maris fervescentis. Mox autem adfuit Angelus Domini, et omnem clibani fervorem extinxit, sanctusque Vitus stans in medio clibani, hymnum dicebat Domino: vocansque Diocletianum Imperatorem, dixit ei: «Gratias tibi ago Diocletiane et ministris tuis, quod tam commodum mihi lavacrum apparastis.» Tunc populus universus voce sublata exclamavit: Tanta mirabilia nunquam vidimus. Revera verus et magnus est Deus pueri hujus. Exiliens autem beatus Vitus e clibano, nullam in corpore maculam habuit, immo vero caro ejus niveo candore nitebat. Itaque psallens dicebat: *Probasti me Domine quasi aurum, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas* (*Ex Ps.* 16). Porro Imperatorem objurgans, «Erubesce, inquit, cum patre tuo satana; dum aspicis, quantam virtutem declarat Dominus meus in me servum suum.»

§ **11**. Imperator igitur magis ac magis irâ inflammatus, jubet adduci leonem, cujus etiam rugitus hominibus prope esset intolerabilis. Adducto illo, ait ad S. Vitum: «Num etiam hic praevalebunt magicae artes tuae?» Sanctus Vitus respondit: «Insipiens, stulte, cur tandem non advertis adesse mihi Dominum meum Jesum Christum, cujus jussu me Angelus ejus de poenis omnibus et de tuis manibus jam potentissime liberavit?» Cumque dimissus esset leo, S. Vitus signum sanctae Crucis edidit in illum, corruitque leo ad pedes ejus, porrectaque linguâ lingebat plantas ejus. Dixit autem beatus puer ad Imperatorem: «En impiissime, bruta animalia reddunt honorem Deo, et tu non agnosces

Creatorem tuum? in quem si vel nunc credere volueris, polliceor tibi salvum te fore. » Imperator dixit: « Credas tu illi et omne genus tuum.» S. Vitus subridens, ait: «Bene dixisti Imperator. Ego enim et omne genus meum, quod ex Deo natum est per fidem qua et ego renatus sum, coronam sempiternam in coelis adipisci desideramus.» Illa horâ mille fere homines crediderunt in Christum. Ait ergo ad beatum Vitum Diocletianus: «Multi dum haec tua Vite gesta conspiciunt, credunt artibus tuis, quibus ferrum et ignem domas.» Sanctus Vitus respondit: « Ego non artibus ullis ferro et igni impero, sed creaturae cum sint, creatori suo Domino meo Jesu Christo honorem exhibent. Quod te multo etiam magis pudèfacit, quando res insensibiles et ferae belluae faciunt, quod tu, qui ratione praeditus es, facere non vis, ipsis proinde brutis deterior.» Tum Diocletianus jussit beatum Vitum cum sancto Modesto et Crescentia (*a*), quae praedicatione Viti in Christum crediderat, in catasta extendi. Dixit autem illi beatus puer: « Ridiculam et imbecillem declaras virtutem tuam, quando foeminam torqueri jubes.» Torquebantur vero sancti martyres in catasta valde atrociter, ita ut dissipatis ossibus, viscera apparerent. Clamavit igitur sanctus Vitus ad Dominum: *Deus, in nomine tuo* salvos nos *fac, et in virtute tua libera* nos. Statimque ingens extitit terraemotus et coruscationes terribiles, corrueruntque templa idolorum, et multi e populo extincti sunt. Ipse quoque Imperator territus, pròpere aufùgit, percutiens manu frontem suam, et cum ingenti clamore dicens: Vae mihi, qui a tantillo puero turpiter superatus sum.

§ **12**. Descendit autem Angelus Domini, et a catastâ eos absolvens, repente transtulit ad Silerum flumen: ubi sanctus Vitus cum aliis sub arbore quiescens, preces pro se et duobus beatissimis Sociis ad Dominum fudit; et cum complesset orationem, eorum animae feliciter coelum petierunt. Per triduum autem superno munere aquilae custodierunt corpora eorum; donec Floréntia quaedam, illustris foemina, dum secus locum gestaretùr ab equis in basterna (*b*) super ripam praedicti Sileri fluminis, exilientibus subito pavore iisdem equis, rapta in medium fluvii est; cumque coepisset mergi apparuit ei S. Vitus ambulans super aquas; ad quem Florentia dixit ingenti clamore: «Si Angelus Dei es libera me. » Cui B. puer: « Ego sum Vitus, a Domino missus ut eruam te, quo sepelias corpora nostra.» Ab impetu igitur fluminis erepta Florentia collegit corpora Sanctorum, et aromatibus condiens sepelivit in Mariano praedio. Passi sunt SS. Vitus puer duodennis, Modestus et Crescentia (*ejus educatores*) 17 Calend. Jun.

(*a*) Serius quam oportuerit et ex improviso apparet huc S. Crescentia quae Vito et Modesto socianda erat cum describeretur fuga e paterna domo et transfretatio e Sicilia in Lucaniam. Male autem dicitur *quae praedicatione Viti in Christum crediderat*, cum, ut alibi probabilius legitur, aeque ac Modestus imo efficacius, ut fidelis nutricis est, puerum et naturae et religionis lacte imbuerat.

(*b*) *Basterna*, vehiculum tectum, seu lectica, dorso duorum animalium gestanda.

DE S. VITI TRANSLATIONE

NARRATIO BREVIS

EXCERPTA EX LIBELLO, QUEM SCRIPSIT QUI PARTIM PRAESENS INTERFUIT SUB LUDOVICO PIO IMPERATORE, CUJUS NOMEN INSIGNIS MS. CODEX NON HABET. STYLUM ALIQUOT LOCIS MODICE EMENDAVIMUS.

§ 1. Quemadmodum vero et quo tempore pretiosissimi martyris Viti corpus in Saxoniam translatum sit, et in monasterio, quod Corbeja nova dicitur, collocatum, is qui de translatione ejus inscribitur libellus, indicat : cujus Auctor quaedam se praesente, caeterum omnia suis temporibus contigisse testatur. Anno Dominicae incarnationis, octingentesimo tricesimosexto, Imperatoris vero Ludovici anno Imperii vicesimotertio Warinus Abbas monasterii novi Corbejensis, petiit a viro religioso Hildewino Abbate monasterii S. Dionysii Parisiensis ut de sanctorum martyrum corporibus, quae apud ipsum illo loco asservabantur, quippiam sibi impartiretur ad confirmandam fidem gentis suae (puta, Saxonicae), quam nuper industria gloriosissimi Imperatoris Caroli sub jugum Christi redegisset. Quibus Warini precibus libenter annuit Hildewinus, permittente etiam piissimo Imperatore Ludovico, consentiente Parisiensi Episcopo et caeteris nobilibus viris, in ea dioecesi commorantibus: eique beati pueri et martyris Christi Viti corpus in ecclesia S. Dionysii coram innumera tam monachorum quam Canonicorum, diversaeque conditionis et aetatis virorum ac mulierum frequentia, post peracta die Dominico Missarum solemnia, decimoquarto Calendas Aprilis summo cum honore tradidit.

§ 2. A temporibus enim Pipini regis Francorum usque ad illam diem, pretiosissimum martyris Viti corpus eo in loco multis semper insigne miraculis permanserat, postquam Folradus Abbas S. Dionysii consensu regis profectus Romam, ex eo loco, ubi conditum fuerat, in Franciam transtulit. Illud vero eo, quo dictum est, ordine acceptum, Warinus cum suis multa veneratione secum asportans, non paucis eum comitantibus, tandem Saxoniae finibus invexit, atque Idibus Junii in Corbejam novam * perveniens, spem salutemque patriae, totiusque Saxoniae specialem patronum cum inaestimabili populorum tripudio illic deposuit. Quantas vero et quot morborum curationes per ejus itineris stationes viginti clementia Salvatoris exhibuerit (quae quidem quadragenarium numerum excedunt) qui vult potest in libello memorato legere, nobis vero jam non vacat commemorare: praesertim

* *Corbeja* vetus, Gallica erat (de ea in Surio Vol. II, p. 524).

cum praesentia Christi miracula majorem iis reliquiis venerationem conciliare queant, quam literae. Ab eo vero tempore, ut in Gestis Saxonicis legitur, sub tanti defensione advocati res Saxonum crescere coeperunt, donec dilatate jam ipsa sua magnitudine laborant. Unde non solum in Saxoniae, sed in cunctis pene Europae finibus, ejus nomini permultis constructis et consecratis templis, illius fidele patrocinium imploratur ab omnibus, quantique apud Deum sit, miraculis declaratur.

§ 3. O clarissimum Christi puerum, ante secula cum electis omnibus praedestinatum, generali cunctorum sanctitate fulgentem, specialiter, pene singulorum virtute, specialissime vero martyrii constantiâ coruscantem: qui rabidorum insaniam hostium interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit. O gloriosum, o sanctissimum Dei martyrem Vitum, fornacis igne probatum, victorem tormentorum, inter flagella, bestias et catastam semper intrepidum, et semper invictum, praepotentem precibus, Christi semper amore incredibili ferventem, Dei compellatione vocatum ad coelos, et cum triumpho Angelis comitantibus eo proficiscentem. Te nunc communiter laudamus, benedicimus et glorificamus Christe Deus, qui nos in odore unguentorum tuorum corde saucio currentes, tam bellicoso voluisti duce corrigi, tam praepotente patrono fulciri, qui non solum contra potestates aëreas victoriae semper vexilla praeferat, verum omnes terrenae altitudinis fasces nobis infestos, ut luce clarius constat, semper pudefaciat, quosdam quidem ad poenitentiam, alios vero ad poenam.

E Cracoviensi Missali hanc in laudem S. Martyris *Sequentiam*, ob lusum verborum lectu dignam, exhibent Bollandiani:

Vito plaudat omnis aetas — et pro Vito laudes laetas — Christo solvant omnia. = Hic a vita vera Vitus.— nullos mortis agens ritus — Puer pueritiâ, = More, gestu trascendebat — cum pro Christo quem colebat — mundi sprevit gaudia = Dulces patris sprevit sinus, laudes, jocos, nihil minus (!) — Vana censens omnia..... Pater ejus hoc audito — hunc subduci cursu cito — jubet ad flagitia. = Post flagella blandimentis — hic tentatur, sed tormentis — pueri constantia = Plus elegit contorqueri — quam iniqua persuaderi — patris ab astutia. = ... Cogit poenis Rex iratus — suadet pater desolatus — tota cum familia = Sed nec Vitum perterrebat Regis ira, nec movebat — mente pater anxia = Cum in poenis victor staret, — et pro Christo vitam daret — viva factus hostia = O mirandum bellatorem — o stupendum hunc victorem — o mira victoria! = Vitus puer in aetate — Senes vicit gravitate — Fidei constantiâ = Ergo Vitum imploremus, etc.

VITA B. LANDELINI ABB. CRISPIN.

NON QUIDEM CERTO AUCTORE SED FIDE DIGNO, ET QUI EA SE SCRIPSISSE TESTETUR, QUAE VERIDICORUM HOMINUM NARRATIONE COMPERERIT. STYLUM AUTEM, UBI VISUM EST, CORREXIT L. SURIUS.

Obiit anno 686 — Nat. Francus.

§ 1. Benignitas Salvatoris nostri semper adest parata ad promovendam salutem eorum quos praedestinavit ad capessenda praemia futurae vitae, et sicut ipse dicit in Evangelio, quosdam prima, alios tertia, alios sexta et nona, plerosque etiam undecima horâ vocat ad colendam vineam suam: id est, alios in pueritia, alios in adolescentia et juventute, nonnullos etiam in senectute perducit ad spiritalis sationis laborem. Nec difficile est illi inveteratos scelerum mores corrigere, qui etiam Leviathan illius ore absorptos, armilla suae misericordiae revocare novit ad vitam, et ad concipiendam erga ipsius bonitatem fiduciam, eos ipsos, quos ab ejus ore extraxit, sublimiter in coelis coronavit. Ex iis fuere prophetae, et vel maxime ille judex Apostolorum chorus, item triumphalis martyrum exercitus, confessorum insignis numerus et monachorum admirabilis decor. Constat vero ad horum collegium pertinere etiam S. Landelinum, de cujus vita ego ingenii inops non sine multo timore aliqua dicere tentabo. Potest autem Deus os meum aperire ad promendas servi sui res praeclare gestas, qui os asinae quondam docuit disertis verbis increpare prophetam. Dicam vero illa, quae hominum veridicorum narratione comperi.

§ 2. Itaque gloriosus et Deo cumprimis charus Landelinus, ex nobilissimo Francorum genere, in villa quam Vallem vocant, civitate Cameracensi, temporibus Dagoberti inclyti regis ortus est. Cumque bonae indolis puer adolesceret, parentes ejus beato Autberto antistiti, qui eum de sacro fonte susceperat, literis imbuendum illum commendarunt. Postquam vero aetate nonnihil progressus est, idem Episcopus voluit eum Clerici tonsuram accipere. Sed ubi id quibusdam cognatis ejus innotuit, ab amore rerum coelestium conati sunt eum suis persuasionibus revocare, dicebant enim: En quantus juventutis decor eo invitatur, ut mundo nuncium remittat. Sed noli frater assentiri. Si enim feceris, nec tibi nec parentibus ulli usui eris. Praestat igitur, ut nobis obtemperans, relinquas monasterium, et fruaris mundi hujus oblectamentis, potius quam hic instar mortui cujusdam otiosus desideas. Si nobiscum abire volueris, suppeditabimus omnia quae libita erunt animo tuo, efficiemusque ut divitiis et honoribus

abundes. His et id genus aliis blandis sermonibus persuaserunt ei quod volebant, ita ut a sancto Autberto aufugiens, illisque se jungens, deinceps rapinis et caedibus deditus esset, instar praedònum. Ea causâ pius pater Autbertus multo moerore affectus, haud secus atque mortuum eum lugebat: et erat revera mortuus, qui jam diabolo serviret. Orabat nihilo minus sanctus pontifex Deum continenter pro illo, ut libertatem restitueret captivo et vitam mortuo, faceretque medicinam satanico vulnere sauciato. Quid plura? Malesana mens, quod improbe coeperat, prosequi constituit, nomenque suum mutans, Maurosum se deinceps vult appellari, scilicet ne nomen quandoque proderet eum, qui se in perditionis làtebras abdiderat.

§ 3. Interea dies multos in tam nefario operè perdùrans, serviebat diabolo, a Christo profugus: sed tandem divina potentia non deseruit preces sancti pontificis, et pro solita clementia filium errabundum restituit sanctae matri Ecclesiae. Volebat is, cum suis sociis, divitis cujusdam domum diripere. Ea autem nocte quae huic flagitio destinata erat, quidam ex complicibus ejus excessit e vita. Cujus morte ille vehementer afflictus, dedit membra sopori, viditque miseri illius animam in tartarum abduci. Cumque non sine ingenti tremore id aspiceret, astitit Angelus Domini, et voce terribili dixit ei: Cerne jam Landeline praemia laboris tui: vide ut anima socii tui ad inferorum aeterna supplicia pertrahatur: simulque considera, utrum tibi praestabilius sit ita protrùdi in bàrathrum aestuantis gehennae, an nobiscum potius perfrui gaudiis sempiternis. Missa igitur fac opera satanae, et amplectere Christi militiam. Abjice obscurati pectoris caecitatem, ut possis intuèri clarissimam Christi lucem. Excute jam jam a cervicibus tuis jugum diabolicae servitutis, ut post brevis hujus vitae curricula possis aeternum regnare cum Christo. Audi beatum Autbertum antistitem, et agnosce spiritualem patrem tuum. Suscipe libens ab ore ejus monita coelestis doctrinae. Haec et alia multa cum Angelus ei dixisset, coelos petiit. Landelinus autem eo visu non mediocriter terrefactus, relictis sociis et rebus suis omnibus, pedes Cameràcum (*Cambrai*) festinat, et S. Autberti pedibus se advolvens, orat pro admissis criminibus poenitentiae mulctam sibi irrogari. Ille vero pius pater, ejus gratulans conversione et desiderio, suscepit poenitentem, quem diu fleverat a se profugum, sinumque ei divinae misericordiae aperiens, reddidit eum sanctae matri Ecclesiae.

§ 4. Itaque sub seculari habitu degens in monasterio, agebat poenitentiam, macerans corpus jejuniis, quod mundi illecebris contaminaverat. Atque tandem diuturna excoctus poenitentiâ, statuit mundi a se negotia omnino rejicere, ut posset liberius coelestia cogitare. Rogat igitur beatum Autbertum, ut se tondeat, et militiae coelestis chlamydem induat. Laetatur sanctissimus

praesul, comam capitis ejus secat, a quo jampridem cordis maculas deterserat. Ille vero hanc dignitatem adeptus, constituit Romam proficisci, ut post mundi rejectam pompam, etiam peregrinationis labore se maceraret. Accepta ergo beatissimi antistitis benedictione, difficile emensus iter, tandem Romam pervenit, ubi noverat quiescere judices mundi, atque illic praedulcia sanctorum Apostolorum liminibus oscula affigens, rogabat ad purum condonari sibi peccata et facinora sua, deinde cum desiderio suo fecisset satis, celeriter in Gallias rediit, nolens diu abesse a patrono suo. Cernens autem beatus Autbertus virtute et sanctitate praeditum, Diaconum eum ordinavit: in quo ministerio ita praeclare se gessit, ut nulli esset ambiguum, Dei gratiâ eum ad id muneris esse accitum. Erat enim animo benignus, simplex, humilis, devotus, pius, omnibus promptam exhibens obedientiam, omnes sincero amore complectens. Praestitit vero illi Deus tantum ardorem et compunctionem cordis, ut bonorum coenobitarum vitâ minime contentus, magis ac magis se extenderet in divinum famulatum, et cum gemitibus et lacrymis crebro se vigiliis, jejuniis, orationibus affligens, vitam sanctorum aemularetur, nec ullam suo corpori requiem indulgeret, inediâ, nuditate, frigore, siti, multisque rebus duris et molestis se afficiens.

§ **5**. Non multi interea dies intercesserant, cum ille secundo Romam petiit, expletisque pro voto quae illic facere constituerat, redit ad beatum Autbertum, et ab eo presbyterii honore afficitur. Tum vero, ad eum evectus honoris gradum, quantum sanctitate excreverit, verbis explicari non potest. Volens autem sibiipsi cumulare labores, licet jam defesso esset corpore, tertio se Romano dat itineri cum discipulis duobus, Adelino et Domitiano, qui ei jam dudum in verbi Dei praedicatione adhaeserant: adoratisque Apostolorum liminibus, feliciter redit ad sua: petitaque et impetrata copiâ et benedictione a beato Autberto, ad pagum Haynavum (*Hainaut*) locum adit, fluvio Sambrae adjacentem, qui a rivulo in hunc ipsum fluvium decurrente, Laubacus (*Lobes*) vocatur, atque illic sibi et discipulis monastica domicilia construxit. Quod vero ille tunc, Deo auxiliante, feliciter orsus est, a successoribus ejus, quos ille eo in loco congregaverat, praeclare est consummatum. Aliud quoque monasterium aedificavit in pago, quem Alnam (*Aune*) dicunt, qui a Laubaco tribus abest milliaribus, quod monasterium principis Apostolorum sacra ornant pignora, et praeclarae ejus virtutes communiunt. Tertium quoque condidit monasterium in Templutensi pago, quem Guaflarim (*Waster*) vocant, quique octo distat milliaribus a Laubaco primo suo monasterio, idque, sicut et superiora, in S. Petri coelestis clavigeri honorem consecrandum curavit. Et haec quidem duo postrema monasteria egregie ditavit: Laubias vero regiis auxit muneribus, et villarum atque servorum magna copiâ extulit.

Quicquid enim superiorum regum liberalitate et munificentiâ passim per Francorum regna obtinuerat, Laubiensi coenobio contulit, ut veneranda fratrum illic Deo servientium congregatio non egeret iis rebus quae monachis congruere feruntur. Constructum autem idem monasterium ab ipsis fundamentis sub juniore Clodoveo, tanto florebat augustius, quanto erat regiis opibus et munificentiâ copiosius locupletatum.

§ 6. His ita gestis, locisque supradictis honorifice extructis, fratribusque illic Christo militantibus, rebus ad victum necessariis affatim instructis, Dei omnipotentis, ut credimus, instinctu et providentiâ ad alium commigravit locum, qui est juxta Hon fluvium, cui adjacet sylva, Ambliagis dicta: ibique cum supra memoratis duobus discipulis extirpare coepit virgulta, et parare locum construendo monasterio. Cum essent autem in hoc opus intenti, posuissentque cucullos suos ad truncum arboris, dominus illius locis supervenit. Qui ut vidit eos extirpare sylvam suam, cucullos eorum tulit, et abscessit. Sed invocata a servis Christi clementia praepotentis Dei, mox adfuit, hominemque illum in membris omnibus cruciavit, ita ut mortuo similis videretur, disceretque ex poenis suis, non recte se gessisse erga famulos Dei. Provolutus ergo pedibus eorum, rogat sibi veniam dari, cucullosque suos ut recipiant, magnis vocibus postulat, simulque mediam sylvae partem se per manus sancti viri Deo oblaturum pollicetur, si pius Dominus culpam temerè admissam, ipsi condonaret. Orante autem B. Landelino, miro modo repente curatus est, et beati viri praedicatione institutus, cum pace ad sua reversus est. Vir autem Domini gratias agens, quod ubique divina ipsi adesset misericordia, oratorium illic construxit in honorem sacratissimae Virginis Mariae, ubi cum duobus discipulis suis hymnis et orationibus vacans, divinae pietatis viscera quotidie implorabat.

§ 7. Quodam autem die omnia circumcirca perlustrans, comperit ibi fontem non haberi, unde fratres suis usibus aquam necessariam haurirent. Fusis igitur ad Deum precibus, scipione suo semel percussit terram, statimque fons mire altus et dulcis erùpit, undis crispantibus largiter manans. Quae res nomen loco dedit, viro sancto illum Crispinium (*Crepin*) appellante. Jam vero a beato Martino Romano Pontifice ordinatus, divinae praedicationis vòmere Crispinium excolebat. Itaque nonnulli, ejus audita sanctitate, e diversis partibus ad eum confluxere, adunataque est hominum non parva multitudo in eodem loco. At vir Deo plenus multitudini admisceri nolens, solitudinemque omnibus mundi rebus anteponens, ne multorum ad ipsum accessus, mentis ejus aciem hebetaret, et a statu rectitudinis detorqueret, haud ita procul ab eo loco recedens, solitarium sibi delegit habitaculum. In illo itaque loco, ubi fons Crispinii in flumen influit, in honorem

S. Petri Apostolorum principis condens ecclesiam, inter ipsos, ut ita dicam, supernos Angelorum choros, etsi necdum corpore, mentis tamen contemplatione versabatur, ita ut posset ipse quoque dicere cum Apostolo : Nostra autem conversatio in coelis est.

§ 8. Visum autem est operae pretium beato viro, ut discipulos suos Adelinum et Domitianum a se ad separata a se invicem loca ablegaret, ut ipsi quoque ministerio verbi Dei Domino animas lucrifacerent, et ad se invitarent quotidie: porro ipse divinae philosophiae avidissimus, coelestium contemplationi liberius vacaret. Itaque S. Adelinum a suo monasterio ad unum milliare prope fluvium Hon, Domitianum vero ad duo plus minus milliaria juxta fluvium Hagnaum manere voluit. His ita peractis, sancta et immaculata Christo hostia, multiplici contusione et ignis examinatione instar holocausti praeparatus, Deo dignus sacerdos Landelinus, ipsi jam coelesti arae propinquabat. Cum enim omnipotens Deus pro laboribus, quos pro nomine ejus quotidie perferebat, jam remunerari illum vellet, membra senilia, diuturno labore confecta, lenis quaedam febricula corripuit. Tum ille accersitis undique fratribus, indicat se e corporis ergastulo abiturum. Mox fratres omnes lugubri voce dicunt: Quod domine pater erit nobis deinceps auxilium, si tu pastor oves Christo acquisitas, lupi tartarei dentibus lacerandas relinquis? His auditis, vir Dei lacrymabundus dixit: «Ne, quaeso vos charissimi fratres, decessus meus moerore afficiat. Plane non deerit vobis pastor aeternus, Dominus omnium Jesus Christus, si ejus amori inhaerere studueritis. Servite ergo ei in timore, et exultate ei cum tremore. Nulla vobis nocere poterit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.» His atque ejus generis aliis sermonibus adhortatus fratres, in cinere et cilicio jacens, astantibus, quos undequaque ad Christum adduxerat, charissimis filiis, animam, bonorum operum floribus redimitam, Christo reddidit, beatis angelorum spiritibus sociandam. Discipuli autem venerabile corpus ejus honorifice in eodem monasterio condiderunt, ubi ejus meritis et intercessione multa ac stupenda fiunt miracula: Praestante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in saec.

—

VITA

S. BERNARDI MENTHONENSIS

AUGUSTAE PRAETORIAE IN PEDEMONTIO ARCHIDIAC. ET PRAECLARI IN MONTE JOVIS HOSPITII QUOD MAGNUS S. BERNARDUS DICITUR

FUNDATORIS

AUCTORE RICHARDO AUGUST. CANON. EJUS FAMILIARISS. ET SUCCESSORE, EXPOLITIORI STYLO PER HUJUS SURIANAE EDITIONIS CURATOREM CONTRACTA, ET ANNOTATIS DANIELIS PAPEBROCHII APUD BOLLANDIANOS CASTIGATA.

Ortus anno 922, obiit 1008 — Allobrox.

§ 1. Menthonae, quod erat Genabensis (gall. *Genève*) Dioecesis, Annesii urbi in Allobrogis proximum castrum, strenuo et illustri Barone Richardo et nobilissima Bernolina de Olivariis genitus, magnum ab ipsis incunabulis ediscendi et fandi quae Dei sunt desiderium miris infantilibus actis indicare visus est; cui ad sacra et divina propensioni vix ut per sexennem aetatem licuit indulgere, ecclesiastico cantu, altaribus ministrando, piis libris perlegendis, psalmos et preces memoriter recitando, in deliciis habuit. Audiens dein grandiusculus prodigio a S. Nicolao Mirensi Episcopo patrata quoad idòla quibus regio illa abundabat, praesertim nefandae Dignae (videbis in S. Nicolai Episc. historia in Surio VI Dec.) penitus profligata, probe jam noscens in proximis ad Italiae fines Alpium faucibus daemoni cultum per Jovis statuam ab antiquis Salassis positam adhuc vigere, praedictum B. Mirensem Antistitem peculiarem, Patronum delegit, Deum supplex exorans ut per ejus intercessionem sibi aliquando daretur illius exemplo sacrilegam superstitionem qua Jupiter illic execrando simulacro divinos honores usurpabat, invecta veri Dei religione penitus abolere. Studiis interea addictus, acri cum polleret ingenio, et quarumdam liberalium artium peritiam et utriusque Juris doctoratum est assecutus; sed et clam sacris literis impense incubuit, non eadem enim quae patris sui erant Bernardo vitae instituti capessendi consilia.

§ 2. Studiis emensis Menthonam reversus, parentum suasionibus et blandimentis, nobilium amicorum instantiâ et lenociniis, illicere ad mundana conantibus, circumseptus atque exagitatus, ad ineundas nuptias impellebatur, ac demum ne ullum per interpositas a reluctante moras effugium superesset, omnia

ex improviso jam in crastinum ad ducendam praenobilem speciosissimamque puellam fuerant praestituta et parata. At sponsam carnalem respuenti Bernardo, qui animo totum se jampridem sponsae Christi Ecclesiae se devovere constituerat, quid agendum? Consilium et opem a Deo et sancto suo tutelari Nicolao ferventissime expostulat; lumen coelitus immissum nil haesitans sequitur. Nam in cubiculum se recipiens ut nocturnae quieti indulgeret, somnolentiâ pressus, S. Nicolaum per visum sibi adstare conspicit, eum sic alloquentem: Eja fidelis adolescens, Deus, in se sperantes numquam dèserens, te vocat ad salutem, omnia disperdens quae saeculi vanitas contra vocationem tuam ordiri praesumpsit; domo confestim te subducens, pròpera ad Augustanum Archidiaconum, qui sapienter ad perficienda vota tua sancta te diriget. Tunc Bernardus expergiscens, gratiis Deo et sancto Nicolao persolutis, divinis mandatis incunctanter obtemperaturus, arripiens calamum schedulam exaravit in haec verba: « Parentes dulcissimi, Bernardus vester vos dèserit ut Christum sequatur; ne discessum meum doleatis; gaudeatis potius, me quae ad salutem conferunt amplexatum fuisse, neque me amplius perquiratis; pro terrena sponsa et mundanis opibus, ad coelestem festino Jerusalem, aeterna gaudia consecuturus. Valete. » Qua scripturâ in cubiculi sui apparentiori loco apposita, cunctis in palatio soporantibus, Bernardus e fenestra caute se proripuit, et faventibus tenebris, per devia concito cursu Augustam (*Aosta*) versus, ductante procul dubio Numine, tetendit. Mane autem facto, dum servi Dei parentes, omnibus ad celebrandas solemniter nuptias opportune dispositis, Bernardum perquirerent, chartam perlegerunt ejus fugam testantem; in luctum ergo gaudia vertuntur, moestique de re puellam (Margaritam e Comitibus Miolans) certiorem faciunt; quae his auditis, prudens virgo Sanctimonialium coetui Gratianopoli (*Grenoble*) nomen dedit, in quo religiose sancteque dies suos clausit. Pater vero et mater Bernardi per Sabaudiam illum diu et anxie sed frustra perquisierunt *.

§ 3. Venerabilis Archidiaconus Petrus qui praecedenti nocte per visionem somnii a S. Nicolao de adventu eximii adolescentis commonitus fuerat, eumque opperiebatur, ipsum jucunde et perquam comiter excepit, atque in Ecclesiae suae Augustanae Clerum cooptavit; cumque ejus singulares virtutes pietatemque perspectas haberet, ac Theologicis abunde instructum disciplinis conspexisset, ad Ordines promovit; Sacerdotio necne insignitus Bernardus fuerit, dubios nos facit imago qua pingere eum veteres consueverunt, brevi cum linea veste rochetum nuncupata et stolâ transversa ab humero sinistro subtus dextrum more Diaconorum

* Bernardi tamen pater Richardus cum de filio certior factus esset Hospitium magnanimo ausu apud montem Jovis instituente, conspicuam auri vim eo aedificando contulit, idque S. Archidiaconi patruus Comes Bellifortis donationibus locupletavit.

pendente. Quidquid sit, ministerium evangelii ei creditum mira eruditione, parique zelo et verborum efficaciâ, vitae exemplis roborata, annos multos executus est. Petro autem e vivis excedente, ut venerabilis senex curaverat, vel saltem fore praedixerat, in Archidiaconatus dignitatem omnium suffragiis Bernardus est evectus, cui constanter a se repulsatae tandem suscipiendae acquievit, cum illi quidam votorum beati viri conscius dixit S. Nicolaum Archidiaconatu equidem fungente in idololatriam depellendam feliciter insudasse.

§ 4. Tempus aderat ut quod in votis a prima adolescentia solemnius ad gloriam Dei habuerat, diaboli scilicet imperium in horridis rupibus Augustanam inter vallem et Helvetica juga prosternere, effectu compleret. Tunc se huc ductum divina providentiâ noverat, ut locorum vicinitas rei opportunitatem praeberet: praetergredientium insuper hinc inde e Gallia, Italia, Germania, corpora erant in illa viarum asperitate et summo vitae periculo tutanda. Multorum ergo ut in posterum prospiceret saluti volvebat animo Bernardus pios habitatores intra desertas illas rupes, ac hospitale tectum ad viatorum subsidium constituere, tramitem humanis gressibus pervium per praeruptissima sternere, et Jovis simulacro a quo mons inter Penninas et Grajas Alpes, e sublimioribus, nomen acceperat, dejiciendo, Crucis Christi Dei vivi qui vincit, regnat, imperat, subrogare. Decem ergo adhibitis bonae voluntatis sociis, quos Gallos fuisse peregrinos tradunt, montium asperrima ascendit usque ad *columnam Jovis ;* sive *Jovis oculum* ex carbùnculo dictum statuae inserto, duodeviginti ferme Romanae mensurae milliaribus Augustâ ad septemtrionem distantem. Nivibus ergo, glacie, ventis, saxis, ruinarum in praeceps imminentibus assidue periculis, per angustas, abruptas atque incertas semitas paucorum vestigiis tritas, toties turbinibus delètas, strenue superatis, duce ad victoriam Bernardo, exiguum numero sed heroicum animo agmen cum illuc pervenisset, divina implorata ad tantum facinus ope, in Jovis lapideam statuam sancto furore irruunt, et confractam praecipitem in profunda conjecère, et sacrosanctum Redemptionis vexillum ibidem ad coërcendas tenebrarum potestates extulerunt.

§ 5. Xenodochium deinde cum ecclesia excitat in angusto montium sinu quo iter in Helvetios panditur, viatoribus defessis et vel inediâ vel frigore vel aëris saevissima intemperie interimendis, vel teterrima nocte occupatis perfugium, ad haec usque tempora Catholicae humanitatis monumentum in Orbe maximum et jure celeberrimum (*a*). Ibi cum usque ad aedificii complementum

(*a*) Aliquantulam, cum bona Lectoris venia, medii quod vocant aevi rusticitate insignem descriptionem loci et Hospitii *Magni S. Bernardi* e Bodecensi MS. exhibemus :

Domum fecit (*Bernardus*) charitatis, ubi data dantur gratis, nec quaeruntur praemia — Ubi panis, vinum, ligna numquam crescunt, sed maligna sunt ibi contraria. — Nix et algor, via dura, fumus, nubes et obscura sunt ibi perennia. — A Bernardo facta domo, illam adit, quisquis homo, habet necessaria. — Illa domus semper patet, Procurator numquam latet, propinans, cibaria... etc.

moratus Bernardus cum iisdem peregrinationis sociis esset, Canonicos coenobitas sub regula S. Augustini instituit Hospitii cultores, et in Augustam Praetoriam descendit Archidiaconatus officia resumpturus *. Quibus in obeundis, quoad Vicarii Generalis officium interdiu gestum licuit, praecipuam adhibuit curam ut peccatores ad poenitentiam vocaret, ad fidem ethnicos adduceret, cunctis fieret veritatis magister, superstitionis ritus, haereticam pravitatem, corruptos mores extirparet; annis quadraginta duobus indefessus Evangelii praeco, pingui apud Deum de lucrifactis animabus foenore, Apostolatum diversos apud populos gessit; ejus namque vocis sonus Augustanae Ecclesiae fines excedens, non Sedunenses modo (*Sion*), Gebennenses, Tarentasienses in Penninis et Grajis Alpibus, sed et cum e Romana peregrinatione remearet, Insubres et Subalpinos excitavit. Novariae tandem, quam praedicatione et miraculis sibi peculiariter devinxit, habito Feriâ VI post Festum Ss. Trinitatis praeclaro quodam sermone, senio et laboribus fractus, anno Domini MVIII, animam placidissime angelicis manibus commisit beatorum choris sociandam. Sepultum honorifice corpus est in ecclesia Monasterii S. Laurentii Presb. M. extra muros apud quam obierat, ubi religiose in proprio altari asservatum est usque ad annum MDLV; diruta enim per caesareos ministros illa aede, translatum est in majus urbis templum. Caput vero inclyti fundatoris Hospitii montis Jovis, paucis elapsis post ejus mortem annis, illuc delatum fuit. Cultus liturgici honoribus gaudebat B. Bernardus jam saeculo XII; auctus autem est apud plures Ecclesias saeculo XVI. Venerabilis Carolus a Basilica Petri (*Bascapè*) Episc. Novar. de illo in Novariensis Eccl. Hist. lib. I agens: « Sanctitas hujus B. Archidiaconi, *inquit*, inter Alpes et in regionibus quae Alpibus citra et ultra adjacent, longe lateque incredibili veneratione celebratur. In Dioecesi certe Novariensi vix vicus est in quo vel aedem ejus nomini dicatam, vel altare vel votum universi populi non reperias. » Et merito: ibi enim praeter multa ad ejus sepulcrum vel ejus invocatione accepta coelitus beneficia, illud memorabile quod vivens patravit signum; cum enim Novariense agrum maxima locustarum multitudo vastaret, indicto tridui jejunio, praedia Bernardus et homines precibus suis penitus ea infestatione liberavit.

* Aliud quoque in occiduae Augustanae vallis extremis finibus Hospitium fertur excitasse ubi eadem fere itinerantium necessitas deposcebat, quod *Parvus S. Bernardus* appellatum est; sunt tamen qui hujus auctorem dicant, saeculo posteriorem, S. Petrum Tarentas. Episcopum, de quo in Surio, mense Majo, pp. 215 et 221.

VITA S. ABRAHAE ABBATIS

AUCTORE S. GREGORIO TURON. EPISC. *Lib. Patrum, cap. 3.*

Floruit Saec. V — Nat. Syrus.

§ 1. Nulli catholicorum esse occultum reor, quod Dominus ait in Evangelio: Amen dico vobis, si habueritis fidem integram, et non haesitaveritis, si dixeritis huic monti, Transfer te: transferet se: et omnia quaecumque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, et venient vobis. Ergo non est dubium, quin sancti obtinere possint a Domino quod petierint: quia in eis fides, fundamine posito, nullis haesitationum fluctibus vacillat. Pro qua fide non solum intra patriae terminum propriae, dum coelestem vitam agere cupiunt, exules facti sunt: sed etiam transmarina ac peregrina petierunt loca, ut ei, cui se devoverant, plus placerent: sicut nunc beatus Abraham Abbas, qui post multas tentationes seculi, fines est territorii ingressus Arverni: qui non immerito Abrahae illi comparatur seni pro magnitudine fidei, cui quondam dixerat Deus: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et vade in terram, quam monstravero tibi: reliquit autem hic non solum terram propriam, sed etiam illam veteris hominis actionem, et induit novum hominem, qui secundum Deum formatus est in justitia, sanctitate et veritate. Ideoque cum se perfectum in Dei opere cerneret, non fuit dubius in fide petere, quod per vitam sanctam confisus est obtinere. Per quem opifex coeli, maris ac terrae, parva quidem numero, sed admiranda miracula operari dignatus est.

§ 2. Igitur Abraham iste super Euphratis fluvii litus exortus est: ubi in Dei opere proficiens, ad visitandos eremitas adire Aegypti solitudines concupivit. Eo autem dum tenderet, a paganis comprehensus, et multis pro Christi nomine affectus verberibus, in vincula conjicitur: in quibus per quinque annos exultans, tandem Angelo solvente laxatur. Occidentalem quoque plagam visitare cupiens, Arvernos advenit, ibique ad basilicam S. Cyrici monasterium collocavit. Erat autem mirae virtutis, fugator daemonum, illuminatorque caecorum, aliorum quoque morborum potentissimus curator. Igitur cum festivitas supradictae basilicae advenisset, Praepositum vocat, ut vasa vino plena ad reficiendum populum, qui solemnitati aderat, in atrio ex more componeret. Causatur monachus, dicens: Ecce Episcopum cum duce et civibus invitasti, et vix nobis supersunt quatuor vini amphorae. Unde omnia ista complebis? At ille: Aperite, inquit, mihi penum. Quo

aperto, ingressus est, et fundens orationem, quasi novus Elias *, elevatis ad coelum manibus, ac infusis fletu luminibus, ait: Ne deficiat, quaeso, Domine, de hoc vasculo vinum, donec cunctis ministretur in abundantia. Et irruente in se Spiritu Sancto, ait: Haec dicit Dominus: Non deficiet vinum de vase, sed omnibus petentibus affatim tribuetur, et abundabit. Quo dicto, vinum ad verbum et hilaritatem dispensationis illius cuncto populo in abundantia ministratum est, et superfuit. Sed quia strenuitas Praepositi prius mensuraverat vasculum quinquagenarium, et repererat quatuor palmorum mensuram, cernens quae acta fuerant, in crastino iterum mensurans, tantum reperiit in vase, quantum in eo praecedente reliquerat die. Ex hoc sancti virtus in populis declarata est. In ipso vero monasterio plenus dierum obiit, ibique cum honore sepultus est. Erat autem eo tempore sanctus Sidonius Episcopus, et Victorius Dux, qui super septem civitates principatum, Eoricho Gotthorum Rege indulgente, susceperat. Hujus vero sancti Epitaphium beatus Sidonius scripsit, in quo aliqua de his, quae locutus sum, est praefatus. Ad hujus autem beati Abrahae sepulcrum plerumque frigoritici decubantes, medicinae coelestis praesidio sublevantur.

MARTYRIUM SS. QUIRICI ET JULITTAE

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE:

NEC EST QUOD LECTOR SUSPICETUR HANC EAM ESSE HISTORIAM, QUAM GELASIUS PONTIFEX INTER APOCRYPHAS NUMERAT.

Circa annum 305 — Ex Asia Min.

§ 1. Quemadmodum non est necesse Domino salutem dare Judaeo aut Graeco, servo aut libero (in his enim omnibus fides et mores animae, non autem genus proprietatem tribuit, ut ex ea re salutem quis vel interitum ferat), sic neque masculo aut foeminae, neque ei, qui corporis staturâ est perfectus, aut imperfectus, qui vocatus sit ad perfectionem sanctificationis. Rectum autem esse corde, et habere bonum animum, et ad imitationem Dei accommodatum, omnino necesse est eum, qui futurus est dignus vera salute. Non enim naturae, aut generis, aut fortunae consequentiâ sanctis acquiritur sanctificatio, sed conciliatur Dei Spiritus operatione: neque virtute corporis confirmatur, sed in Dei virtute perficitur et stabilitur: non in quibuslibet, sed in iis qui sunt rectis moribus, et quos constat esse bonos.

* Vide in 3 Reg. XVII.

§ 2. Dirigamus ergo cor nostrum ad eum, qui est rectus. Bonam reddamus mentem in eum, qui est bonus. Omnem obliquam et perversam cogitationem, omne vitium a nostris animis auferamus et abjiciamus: ut sanctus Dei spiritus, qui est bonus, rectus et principalis, in bono nostro principali et recto, tamquam simile simili collocatus, et renovatus, eum sua sanctitate et divinitate repleat. Et licet simus staturâ corporis imbecilla, cor rectum et bonum adepti, nihilominus operabitur in nobis virtus Spiritus: ut nos quidem in ipso beneficio afficiamur, dum perficimur et divini reddimur: glorificetur autem et extollatur Christus in nobis.

§ 3. Sic multi corpore infantes et imperfecti, maxima virtute restiterunt impiis, et cum eos mentis rectitudine evertissent per Christi potentiam, digni sunt habiti, qui perfectissimo praeconio renunciarentur victores. Sic etiam mulieres animâ rectae et honestae, cum manus conseruissent cum saevis Tyrannis, et quorum tolerari non poterat potentia, adversus eos praeclarissimum in Christo erexere trophaeum. Sic Quiricus scitus Deo, sacerque et pulcherrimus puer: sic Julitta quoque, quae ipsum pulchre concepit et peperit, et ablactavit, cum statim donum quam pulcherrimum et gratissimum Deo dedicasset, ille quidem in admodum humili et infantili corpore, haec autem in foeminina et imbecilla natura, cum principe tenebrarum hujus seculi, et cum ejus validis congressi defensoribus, per mentis rectitudinem et fidei superarunt, et tandem everterunt, et prostraverunt suum adversarium.

§ 4. Sed quoniam Quirici et Julittae meminimus, pulchrum fuerit ab initio eorum repetita historiâ, divinum amorem, et pro Christo martyrium et perfectionem illorum laudare pro viribus: et per ea gloriam, honorem et laudem ei sacrificare, qui in horum vicit imbecillitate: et eorum, qui sunt martyrum amatores, animos pascere, et ad Christum aedificare. Hi horti quidem esse dicuntur ex Lycaonia, civitate autem Iconio, genere vero non obscuri, nec plebei, nec ignobiles: sed nobiles et magni nominis: si quis velit vocare nobilitatem, ortum esse ex sanguine regio, aut genus referre ad Reges: quae quidem qui parva intuentur, judicant tanquam maxima: sicut etiam terrenas facultates, felicitatem nominaverunt et divitias: verissimam, quae est ex virtute, nobilitatem, et veras divitias, eas, quae sunt ex donis spiritus, fortasse ignorantes, et rebus fluentibus tanquam stabilibus adhaerentes.

§ 5. Sed hi in terra quidem clari, ut dictum est, apud superos autem longe clariores, ut qui vitae suum institutum in coelis reponerent, ubi etiam eorum nomina per magnam Dei praescientiam omnia comprehendentem, et justissimam dignorum praedestinationem, vere digito Dei prius scripta sunt. Consequenter

autem terrenis facultatibus, atque adeo multo magis fide in Dominum nostrum Jesum Christum et pietatis florebant commodis, quibus antecellebant. Oportebat enim fortasse eos, qui in Deo erant evasuri postea clarissimi, humanis quoque, et quae ad corpus pertinent, commoditatibus superare vulgus ab initio, et spiritalem his, tanquam umbris,. prius describere splendorem et claritatem.

§ 6. Atque Julitta quidem beatissima et honestissima foeminarum, cum ei maritus matrimonio fuisset parvo tempore conjunctus, ostendit se firma ac stabili fide in Dominum nostrum Jesum Christum, et in eum dilectione. Totum enim animi amorem abducens a corporibus, et pie ac religiose traducens ad spiritum, in vita, in quam non cadebat reprehensio, puraque erat, immaculata et moderata, Domino serviebat. In unigenito autem filio sancto Quirico honestissima mulier spem collocans, cum eum quidem lacte secundum naturam suis àleret uberibus, ad sacrum autem et divinum baptismum produxisset, et eum Patri luminum mirandum in modum conciliasset, et Christo per Sanctum Spiritum consecrasset, sic ipsa in intemerata, et quae reprehendi non poterat, viduitate, pulcherrime, ut leges jubent, filium alens, vitam transigebat, omnium quidem, et quae studio sunt gentilibus, mysteriorum et morum actionem et participationem aversans, tanquam rem execrandam: quaecumque sunt autem apud Christianos veneranda et Apostolica mandata et traditiones, ut aequum est, amplectens, et in ea re orationibus confirmata.

§ 7. Postquam autem impium illud et daemoniacum ab eo, qui tunc Tyrannidem exercebat, prodiit edictum, non oportère Christum colere, aut mortis impendere supplicium (praeerat autem tunc Diocletianus imperio Romanorum) quo tempore qui decretum cum potestate ab eo acceperant, alii alibi per omnem regionem et civitatem excurrentes, et id in mediis foris proponentes, et eos qui Imperatorio non parebant edicto, suppliciis, quae dici non possunt, subjicientes, ita acerbe praesenti vita privabant: et quo Domitianus ille Comes Lycaoniae propterea missus a Tyranno, vir crudelissimus et inhumanissimus, ipsum Iconium et omnem finitimam populans et obsidens regionem, omnes, qui ibi comprehendebantur, Christianos gravissimis afficiebat suppliciis: tunc hanc sacram Dei foeminam, simul quidem mandatum divini Regis implentem, quod jubet non audacter insilire in tentationes, sed caute vitare: simul autem etiam humanam reverentem infirmitatem, simul hunc quoque venerandum infantem, qui ubera adhuc sugebat, tenentem, et de ejus salute, ut quae filium valde amaret, admodum anxiam fugere oportuit.

§ 8. Atque relinquis quidem, o mulier sanctissima, Iconium, relinquis et omnes tuas possessiones et facultates: procul autem a tuis consanguineis et cognatis pèregre profecta, fugiens venis

Seleuciam, omnibus opibus et carnis fomentis, omnique mundanae felicitati et deliciis, propter Christum peregrinationem, mendicitatemque et afflictionem lubenter praeferens. Sed neque Seleuciae diu erat habitatura. Nam cum Alexander, vir admodum improbus et malignus, sortitus esset administrationem illius provinciae, et recenter ad eam accessisset, omnes quidem viri, et omnes mulieres cum eorum liberis, quicumque assentiebantur Christi confessioni, post plurima genera suppliciorum, occidebantur immisericorditer.

§ **9**. Haec videns Julitta, et illarum pestium verita crudelitatem, ulnis tollens dilectum filium (erat autem tunc triennis Quiricus), cum duabus ancillis fugiens Seleuciâ, Tarsum pervenit. Non licuit autem nec in ea quidem diu latère. Quomodo enim magnum vas aureum, aut etiam argenteum jacens in mediis silicibus, aut in aliqua alia vili materia, non potest facile latère eos, qui aspiciunt, cum visus dirigatur ad id, quod est splendidius: ita fidelissimi homines Jesu, versantes in medio impiorum, non possunt occultari, virtute et divina vivendi ratione reddente eos evidentes et manifestos omnibus. Est autem utique Patris quoque voluntas, qui est in coelis, ut quomodo cognita uniuscujusque mente, praedestinavit perfectionem: ita in tempore vocet scilicet, et justificet, et glorificet. Quamobrem illi quidem id quod est humanum agentes aut patientes, studebant fugere persecutores.

§ **10**. Quoniam vero non erat aequum, ut in terrae aggere foderentur coelestes margaritae, neque ut similiter ac filii hominum subirent profundum oblivionis, propterea beatos illos fugitivos saevus ille Alexander pone sequitur. Tanquam enim divino quodam jussu impulsus, relicta protinus Seleuciâ, venit Tarsum, quae non longo ab ea distat intervallo. Ad eum autem ingredientem civitatem, statim defertur Julitta, et ejus filius Quiricus. Ille vero in delatos leoninum quemdam edens rugitum, et praesidens in alto tribunali, jubet eos quamprimum sisti. Ingreditur autem non sola: non enim occultavit unigenitum, neque tradens ancillis curavit ut fugeret. Neque enim beata illa aut vitae erat adeo cupida, aut filium suum tanto habebat odio, ut aut a ratione alienis mota misericordiae motibus, non posset videre filium interfici pro veritate, aut ei absolutam invideret consummationem, aut oblationem: sed ut quae esset re vera filia Abrahae, et illius imitaretur fidem et sacrificium, unigenitum et dilectum contendebat sacrificare ei, qui ipsum dederat: aut quomodo Anna Samuelem ablactatum, cum diploide obtulit arae: ita etiam veneranda mater venerandum filium propriis manibus tradidit ad holocaustum: et quod est majus iis quae dicta sunt; non filium solum, sed etiam seipsam tradidit praeclara mulier ad caedem, magna voce clamans se esse Christianam, et solum nosse Deum Christum

Jesum, et ejus Patrem, a Spiritu afflata, gloriose confitebatur: deos autem et daemones, ut qui neque essent, neque unquam fuissent, abdicabat, aspernans et nihil faciens. Et omnes quidem praesidis blanditias aut assentationes tanquam maligni escas repellebat et aversabatur: omnibus autem suppliciorum minis, et omnium tormentorum generibus se laetari affirmabat.

§ **11**. Quamòbrem crudelissimus ille Judex, qui cum Deo bellum gerebat, jubet quidem infantem auferri ab ejus ulnis, ipsam autem nudam flagellari boum nervis. Atque mater quidem, lictoribus in ea caedenda laborantibus, immaniter lacerabatur suppliciis: indignabatur vero, ut est consentaneum, et vociferabatur, et aegre ferebat filius. Quem quidem, ut qui esset elegans, et formâ speciosus, venustate delectatus Tyrannus, vi quidem avellit ab ulnis maternis: eum autem suis accepit manibus, eum tentans imponere genibus, et sensim palmis ejus caput demulcens, nec id solum, sed etiam impuris labris castissimum impurissimus exosculari aggrediens, verbis ad persuadendum accommodatis incantabat, ut putabat. Attende, dicens, fili mi suavissime, fili formosissime, attende mihi tuo patri. Audi, o scite et chare fili, et intellige: hanc autem veneficam et impiam, ut quae violenta sit morte peritura, et diis inimica, expellens, nobiscum suavissime vives et jucundissime. Ego autem te adoptans in filium, omnibus bonis benignissime prosequar, et omnium mearum possessionum te relinquam haeredem.

§ **12**. Quid vero Quiricus, qui corpore quidem erat imperfectus, perfectus autem spiritu: qui specie quidem erat infans, senex vero intelligentiâ? qui sermone quidem et linguâ balbutiebat, mente autem et corde intelligebat? num cessit Tyranni violentiae, aut puerili timore exhorruit, aut osculis et promissis est delinitus, aut victus a flagellis, quae in matrem intentabantur, diriguit timore resolutus, aut fortiter quidem decertavit, sed non prudenter? aut imperfecte quidem, non autem ut martyrem decuit laudabiliter? Nequaquam. Immo vero perfectione utens fidei, perfectione prudentiae. Erat enim spiritus Dei vere in eo perfectus: et ideo tota animâ, totis viribus et omnibus membris corporis una cum matre decertans, bellum pro Christo gerebat, et simul sustinebat. Nam corde quidem credidit nihilo secius, quam infantes aut lactentes, qui Jesum prius susceperunt, quando sedens super pullum, Jerusalem est ingressus, cum palmis et hymnis ab eis exceptus. Ore autem se esse Christianum praeclare est confessus, et divinum Christi nomen vere Christianus clarissimus Quiricus, convenienter suo nomini praedicabat: corde quidem ad justitiam, confessione autem ad salutem utens, ut divinus ait Apostolus.

§ **13**. His veluti ignitis telis divisit ipsam mediam Tyranni animam. Verum nec otiosae erant delicatae manus novi athletae,

neque teneri pedes poterant cessare ab opere : sed et pedibus et manibus resistens, et renitens luctator admirabilis, et pro viribus repugnans, inimici aversabatur oscula : ad matrem autem toto animi studio contendebat et prosiliebat. Tanquam vero in retibus et crudìvorae ferae manibus interceptus, aut potius ut canora avis laqueo implicatus, alas movebat beatus puer, et omnibus modis machinans evadere e laqueis venatoris, manibus quidem ejus vultum laniabat et lacerabat : pedibus autem execrando làteri insultans athleta brevissimus, sic amorem illum daemoniacum statim convertit ad iram caedem spirantem. Nam cum delicatum ejus pedem apprehendisset vir ad caedem propensissimus, crudeli autem animo, et spirante parricidium, et quid aliud, nisi digno anima diaboli? eum sublime sustulisset, ex alto tribunali manu sua jaciens in subjectos gradus lapideos, una cum sacro capite totum quoque athletae corpusculum adversis petrarum aculeis contrivit et confregit.

§ **14**. Sic corporis confracta compàge, victrix ejus anima liberata est, tanquam passer a venatore: manibus autem sanctorum Angelorum statim ad magnum adducta Pontificem, tanquam sacrificium maxime odoriferum oblata est Domino. Sic parvus ille Quiricus cum magnus evasisset decertatione, terram quidem sanctificavit per sanguinem qui in ipsa est effusus : aërem vero per Sanctum Spiritum, qui ad ipsum pervasit: et coelum quidem implevit exultatione quae non potest verbis exprimi. Cum majoris autem et divinioris Deì gloriae fuisset occasio, omnibus Christi Ecclesiis fuit diei festi argumentum, et spiritalis laudationis gaudiique suppeditator vel conciliator. Sic insignis martyr mater Deo prius peregit sacrificium, et cum tanquam turtur formosissima et castissima, quasi pulcherrimum et speciosissimum pullum Christo ad sacrificium filium praemisisset, cum gaudio et voce exultationis orabat, ut ipsa quoque citius liberaretur a carne, et nuda a coeni vestibus, nuda et sincera mente, super coelesti sponso Christo et dilecto filio contendebat conjungi.

§ **15**. Quamobrem magnis quidem gratiarum actionibus et laudationibus magnificabat eum qui ejus susceperat oblationem, et ut ipsa quam celerrime solveretur a corpore, et ad desideratum Christum assumeretur, supplicabat: validis autem verborum insultibus Tyrannum sauciabat: « Noli putare, dicens, me esse adeo timidi et pusilli animi, ut vincar a tuis suppliciis. Non enim me terrebit carnis laniatio, neque me membrorum conturbabit ruptura : sed neque qui deorsum fertur, torrens sanguinis, non nervorum sectiones, non ossium fractiones, non ignis minae, nec mortis denique quae éa consequitur, me separabit a charitate Christi. Nullius tui (ut semel dicam) tormenti rationem duco, o acerbe Tyranne. Sunt autem omnia mihi quam jucundissima quae vos ad me torquendum minitamini, et tanto magis, quanto

videntur violentiora. His enim spero me citius esse perventuram ad meum charissimum, et cum eo coronam justitiae a Christi dextera consecuturam. »

§ **16**. His verbis Judex magis irritatus, et furore percitus, in ligno quidem jussit suspendi egregiam victricem, ejus autem carnes valde laniari ac discerpi ferreis pectinibus: deinde picem ex lebète hauriri bullientem, et effundi in membra lacerata decertantis. Ea autem strenue et fortiter resistente omnibus tormentis, et deos quidem ac daemones aversante et aspernante, Christianam vero seipsam confitente, et solum Deum nosse Christum, et ejus Patrem, et Sanctum Spiritum affirmante, condemnatur postremo, ut ense moriatur.

§ **17**. Hoc est certamen Quirici et Julittae (*a*). Haec est verorum pietatis athletarum victoriae publica declaratio. Sic salva fuit mater per sacram liberorum procreationem. Sic filius accepit utilitatem ex materna educatione. Et talibus visceribus longe honestissima mulier suum infantem nutriit, et talibus alimentis remuneratus est parente venerandus filius: adeo ut hic quidem fieret, et vocaretur Dei filius, illa autem filia coelestis Jerusalem: et ambo Dei filii, et insignes Christi martyres, et vasa sancta et electa, et pretiosa divini illius spiritus. Nuncque licet videre, iis quibus datum est contemplari, matrem propter filium in coelis exultantem convenienter divinis eloquiis, matrem longe beatissimam, valde beato filio mirandum in modum conjunctam, et simul exultantem. Cum prophetis quidem, ut qui sint similem assecuti gratiam spiritus et virtutis. Cum Apostolis autem, ut qui fuerint socii parium pro pietate certaminum et laborum. Cum athletis vero et martyribus, ut qui aeque atque illi, aut etiam validius susceperint certamen confessionis, et cursum peregerint et fidem servaverint, et martyrii legis nihil omiserint. Quamobrem quae nunquam marcescent, justitiae coronis, cum iis qui sunt universorum sanctorum perfectissimi, a dextera Christi sunt redimiti. Quorum intercessionibus nostri quoque memento, o Deus, qui in sanctis tuis glorificaris, et magnificas eos qui te magnificant, et sanctificant sanctissimum nomen Patris, et Filii, et Spiritui Sancti: Quem decet omnis gloria, honor et potentia in secula seculorum, Amen.

(*a*) Postridie vero ambo Julittae ancillae sublata noctu cadavera, procul deposita, humo condiderunt. Ad Constantini autem tempora superstes ancillarum altera locum prodit; tum fideles sacris pignoribus certatim se locupletari curarunt. Ex his aliquid S. Amator Auxerrensis Episc. Asiatica rediens peregrinatione dicitur inde in Gallias detulisse; Reliquias ergo ex eo SS. Quiriaci seu Cyriaci (*S. Cyr*) et Julittae acceperunt quas religiosissime colunt Nivernenses qui S. Puerum M. Patronum elegere, Tolosates, Arelatenses, Claromontani, et alii.
Dies passionis horum SS. notatur in Graecis Actis sinceris XVII kal. Augusti.

MARTYRIUM

SS. FERREOLI PRESBYT. ET FERRUCIONIS DIAC.

AC SOCIORUM

UT HABETUR IN ANTIQUISSIMO MS. CODICE
CUI ADSTIPULANTUR ANTIQUISSIMA MARTYROLOGIA.

Circa 212 — Patriâ incerta.

§ 1. Eodem tempore quo summus sacerdos et martyr ecclesiae Lugdunensis sanctus Irenaeus Episcopus Christi, lumen aeternum et splendor justitiae, publice suam praedicationem in Galliis dederat, et assidue verbum Domini nostri Jesu Christi gentibus declarabat: sanctum Ferrèolum presbyterum et Ferrucionem diaconum ad Vesontionensem civitatem vere ut fundamentum fortissimum ad fundandam supra petram Christi Ecclesiam misit, et sicut angularis lapis Sponsi coelestis, et ut margaritae resplendentes fulgebant, per quos nomen aeternum et splendor gloriae gentibus quae in tenebris jacebant coruscaret, ut eorum praedicatione ad baptismatis gratiam convolarent, in quibus erat mira virtus Christi. In verbo enim et sapientia strenui, vultum angelicum et Domini servitutibus aptum manifeste populis demonstrabant. Augebatur Catholica fides, laetabantur de confuso et victo diabolo quotidie Christiani: qui derelinquentes idola, sequebantur Christi vestigia. Similiter sanctus Irenaeus, Felicem presbyterum, Fortunatum et Achilleum diaconos, ex suo làtere ante gloriosum martyrium suum Valentiam dirigit in urbem. Quibus ingressis, talem Dominus athletis suis contulit gratiam, ut illa paganorum multitudo quae in tenebris jacebat, eos plenissimo affectu diligeret. Erat itaque in eis mirabilis Christi gratia: quia vultu placidi, profusi in verbo, ut Dominum corporali consortio sequerentur homines docebant in terris. Sursum quoque corda suspensa angelico habitu sociati terris, splendebant in coelis. Dum ergo essent Spiritu Sancto repleti, spiritus immundos verbo purgabant, aegros, oppressos sanitati reddebant: nec narrare lingua sufficit, quantas virtutes, quantaque signa et prodigia per eos Dominus noster Jesus Christus gentibus demonstraverit.

§ 2. Tunc hi tres beatissimi martyres et confessores Christi extra civitatem Valentiam ad Orientem versum sibi tuguriunculum de lignis contextum, locum oratorii dedicaverunt, ubi die noctuque indesinenter Domino Jesu Christo gratias agentes, non cessabant

sacrificiis divinis coelum pulsare, eorumque praedicationibus multitudo gentium ad baptismatis gratiam convolabat. Dum haec aguntur, quodam tempore cum se sanctus Felix sopori dedisset, expergefactus fratribus narravit, dicens: « Fratres charissimi, vidi locum terribilem splendore munitum, diversis floribus adornatum, florum et aromatum suavitate miri odoris collocatum, tabernaculum auro gemmisque insignibus constructum: ubi quinque agni sine macula mundi candore splendidi, in eorum atriis lilia depascebant. Dum hanc mirabilem virtutem intuitus essem, audivi vocem terribilem mihi dicentem, Euge euge servi boni et fideles, quia super pauca fuistis fideles, supra multa vos constituam, intrate in gaudium Domini vestri. »

§ 3. Dum hanc praeclaram narrationem Felicis invicem sermocinarentur, repleti Spiritu Sancto Fortunatus et Achilleus dixerunt: « Gloria tibi Domine Jesu Christe lumen aeternum, splendor gratiae angelorum, totius coeli et terrae Dominus, quod nos per servum tuum Felicem beatificare dignatus es, et nobis indignis manifestare vis ut promissionem tuam possimus dignoscere. Nos ergo esse jubeas tui muneris gratiâ dignos, quos tui verbi annunciatores praecipuos esse fecisti. Nihil enim in nobis aliquid posse dignoscitur, nisi Domine tua benedictione et virtute muniti, contra hostis insidias et inimici jacula possimus resistere. » Ea completa oratione, ecce quidam e fratribus Ferreolo et Ferrucioni beatissimis viris hujusmodi protulit scripta legenda. Viris piissimis et in Christo fratribus Felici, Fortunato, Achilleo, Ferreolo et Ferrucio in Domino salutem. Qui moderatur secula et disponit totius mundi climata, ipse servis suis ad invitationem bonae confessionis arcana sui pectoris non negavit. Cum vigilata nocte me sopori dedissem, vidi revolutam coeli paginam, et quinque coronas nimio splendore auro gemmisque insignibus adornatas, sydereo fulgère nitore, et singulae angelorum manibus deportabantur, et signum crucis in medio portabatur. Quod cum admirarer, audivi vocem terribilem mihi dicentem: « Venite Irenaei discipuli, percipite promissum vobis patris regnum ut quia fecistis voluntatem Domini in terris, pariter percipiatis promissum patris in coelo. Viri sanctissimi fratres, quoniam nos Dominus ad martyrii coronam invitat, confortemur et oremus, vigilemus spiritu ferventes, ut non diabolus veniens furetur thesaurum nostrum. » Ad haec Felix, Ferreolo et Ferrucioni quae viderat adscripta narravit. Sicque factum est, ut diebus ac noctibus psalmis et hymnis indesinenter Dominum Jesum Christum aeternum laudarent. Nunc ergo ad eorum venerandam passionem veniamus.

§ 4. Eodem tempore quidam vir Claudius nomine ex civitate Vesontionensis (*Besançon*) ad Cornelium ducem exercitus Aureliani Imperatoris Valentiam veniens, cum audisset quod in sanctos Dei, id est, Felicem presbyterum, Fortunatum et Achilleum rabiem

suam taliter exercuerat, de Ferreolo et Ferrucione narrare coepit, dicens: «Sunt hujusmodi duae personae in civitate vestra, per quos jam medius populus nostrae religionis cultus aversus est, et colunt Deum qui ab hominibus crucifixus est, etiam et ancillam vestram conjugem meam, hujusmodi seducentes Christianam fecerunt, virginibusque suadent ne nubant. Deorum nostrorum despectio tam graviter sublevata est, ut nullus eos deos esse jam dicat, nec sacrificium quod est placabile diis nostris propter eos nullus offerre praesumat. Nec solum eos placari prohibent, sed et malleis eos confringere praesumunt.» Quo audito, Cornelius ait: «O invictissimi dii, ut quid virtutes vestrae ad nihilum rediguntur, ut jam nullus locus sit, ubi despectio vestra per hujus Christianitatis titulum non sublevetur? Quid frater Claudi agemus? Si patrum nostrorum diis non succurrimus, pene omnis terra se ad Christum tradere habet. Ut quid tam terribile est signum Christi crucifixi, ut ante eum dii nostri pavescant et nobis metum inferant? Sed nec lex Christianorum aliquando commisceri potest legibus deorum nostrorum. Sed accipe literas, et accede ad locum, et hujus legis doctores diversis poenis interfice, ut caeteri metum habeant.» Claudius respondens ait: «Quae dictis jubes, factis probabo.» Et acceptis literis nequissimi Cornelii, Vesontionensem urbem ingreditur, ac sanctum Ferreolum presbyterum et Ferrucionem diaconum corripi praecepit, qui in crypta parvula se fovebant, sed Christum publice populis praedicabant.

§ **5**. Quibus comprehensis, ait: «Sacratissimorum principum praecepta sanxerunt, ut aut sacrificetis diis, aut diversis vos interficiam poenis, ut caeteri metum habeant. Quod si sacrificare diis nostris volueritis, ex aerario publico remuneratos vos largissime incolumes abire dimittam.» Tunc Ferreolus et Ferrucio aspicientes in coelum, vexillo Crucis in fronte affixo, dixerunt: «Ejice nos, parati sumus, ideoque quod tibi diabolus pater tuus dictaverit fac, nos enim in nomine Domini nostri Jesu Christi semper speramus. Et licet nos diutinis poenis et cruciatibus afflixeris, ipsum Christum redemptorem et reparatorem vitae aeternae confitentes, et in illo credentes, cum ipso semper erimus. Nam pecunia tua tecum sit in perditionem, nobis sufficit unum Deum colere.» Tunc Claudius eos ad trochleas extendi et flagellis caedi jussit. Qui cum flagellarentur, nihil doloris sentiebant, sed qui semper protegit suos Deus hoc illis praestitit, ut angelico habitu et virtute terribili in vultibus resplenderent, dum carnali poenâ pati viderentur. Quod videntes populi mirabantur. Deinde reclusis eis in carcere, in crastino eos sibi praesentari jussit, et ait: «Sacrificatis diis, an non?» Ferreolus et Ferrucio dixerunt: «Non sacrificamus, sed nec a bona Christi confessione recedere optamus.» Tunc carnifex irâ et furore magno repletus, linguas eis amputari jussit.

§ 6. Illi ergo magis accipiebant organum spiritale ad confortandos fratres, et ad praedicandum verbum veritatis et vitae. Dicebant enim: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Et ad Claudium conversi dicebant: « Sic dii tui possunt facere sine linguis homines loqui, cum ipsi nec loqui possint nec audire? Sed respice in nos et convertere, et baptismi ablutione perfundere, et ex toto corde crede Christo, quia indulgentiam peccatorum tuorum mereberis. » Tunc Claudius irâ et magno furore repletus, acutissimas subulas, triginta uni et triginta alteri, tam in manibus quam in pedibus, sive in pectore, vel inter omnia internodia malleis ferreis in eos transfigi jussit, et in omnibus sicut ros de coelo descendens, magis eis refrigerium, quam dolorem praestabat, sed cum de dolore nihil sentirent, tunc Claudius eos gladio percuti jussit. Quibus percussis, tantus odor suavitatis et miri timoris locum illum exterruit, ut existimaret populus se divinitatis irâ obumbrari. Tunc Christiani nocte sublata corpora eorum in eadem crypta sepelierunt, ubi semper orationibus, psalmis et hymnis quotidie Domino gratias agebant.

VITA S. BENNONIS

MISNENSIS IN SAXONIA DECIMI EPISCOPI

SLAVORUM APOSTOLI ET MIRACULORUM GLORIA PRAECLARI

PER HIERON. EMSER SACRORUM CANONUM DOCTOREM CONSCRIPTA. PRAETER EA QUAE OMISIT SURIUS, NONNULLA AD HISTORIAE INTEGRITATEM MINUS PERTINENTIA, VITANDAE PROLIXITATIS ERGO, DELEVIMUS.

Floruit saeculo XI et initio seq.

Obiit annos natus 96 — Natione Germanus.

Praefatio. Beatissimi patris Bennonis Bennopolitani, insignis Ecclesiae Missnensis decimi quondam Episcopi vitam descripturus, operae pretium duxi ante omnia urbis ipsius Missnae (*Meissen*) situm, originem ac veteris ecclesiasticae disciplinae, in haec usque tempora servata vestigia, literis demandare: tum quod id a nemine prius attentatum: tum quod indignum sit, eam urbem apud exteros esse incognitam, quae caput et mater est populi Missnensis *, Germanorum omnium (quod cum pace tamen

* Pristino decidit splendore; clarissima nunc antiqui Missniensis Marchionatus urbs Lipsia (*Leipzig*).

aliorum dixerim) facile principis: nedum soli ubertate et bonorum omnium abundantia, verumetiam urbanitate, ac moribus nitidissimis. Est enim idem populus Missnensis peculiariter in superos pius, in hospites liberalis: domi splendidus, foris compositus: ager vero non solum Cerere et Baccho, sed et auro et argento luxuriat. Ex gemmis adamanta, beryllum, jaspida, amethysthum, topazion, ac uniones parturit. Stanno, ferro et universo fere metalli genere scaturit: marmor praeterea gignit, et omnium novissime repertum electrum ac succinum. Flumina colligit ratibus ac navibus pervia, Albim (*Elba*) Germaniae olim terminum, Muldam, Tschoppen, Ellestram, et alia quamplurima: torrentes vero ac rivulos pene innumeros. Nec desunt illi sylvae caeduae, et nèmora stabula alta ferarum: nec laeta pecoribus pascua, et florida prata. Aëris quoque tanta fruitur temperie, ut et crocum et nonnullos alios peregrinos frutices, non invite etiam nutriat. Huc ego tam mites ac placidos Missnensis populi mores, tamque formosa corpora referenda censeo. Siquidem Aristotele etiam teste, haud parum refert, hac vel illa coeli facie homines procreari. Domos hic aedificant, vel sectili lapide excisas, vel coctili compactas. Urbes quoque singulae proprium quid habent venerabile, et in quo caeteras antecellant. E quibus Missna caput, sede pontificali, et arce in summum usque verticem mire testudinata insignis est. Lipsia studio sapientiae clara, trinundinali etiam mercatorum conventu longe lateque celebratur. Dresda principum sedes, pontem trans Albim habet saxeum XXIIII. arcubus fornicatum: opus haud minoris pretii, quam veterum quascumque sive Pyramides sive Colossos. Civitates praeterea montanae quatuor, haud obscuri nominis, ex solis argentariis, sive argenti fodinis (ut vocant) non ita multo ante tempore conditae, et a singulis montibus cognominatae sunt. Cujus prima fundamenta posuit Henricus cognomento Auceps, primus et ipse apud Germanos Imperator augustus: vir insignis pietate ac modestiâ. Cui aucupis nomen idcirco fuit inditum, quod ii, qui eum, principum delectu, ad imperium capessendum accersirent, offenderint simpliciter avibus tendentem insidias. Ejus igitur imperii anno decimo, humanae salutis DCCCCXXX dum Albis ripam contra barbarorum insultus communiendo, oberraret: captus saltibus et amoenitate montis istius, quem adhuc Missna occupat, urbem ibidem felicibus aedificare coepit auspiciis. Cui a rivulo Missin, qui ad pedem montis ab Aquilone profluit, nomen imponens, tutum eam deinceps habuit contra hostes praesidium, eo quod mons ille ex altera parte Albim fluvium haberet permaximum: ex altera vero duobus aliis montibus totidemque convallibus, veluti fossis quibusdam, naturâ esset munitus. Est autem urbis Missnae idem fere, qui et totius patriae situs. Orientem enim Albis fluvius excipit: Meridiem Bohemia, Septentrionem Saxonia vendicat: Occidens

vero Thuringos respicit. Haec igitur urbis Missnae origo, hic situs est. Conditor ipsius, anno dehinc tertio, cum Hungaris, tunc paganis Saxoniam populantibus, bello congressus apud Merseborg Thuringorum, memorabili eos clade fudit: et tributum, quod illis hucusque pendi solitum erat, in pauperes, ac pios ecclesiarum usus elargitus est. Centum millia Hungarorum eo bello desiderati sunt, plures ducti captivi, plurimi fugâ elapsi. Imperator post tam insignem victoriam, secum animo conceperat, in urbe Missnensi, cujus tempore Hungarici belli opportune usus fuerat, pontificalem statuere sedem: verum post multa virtutis documenta immatura morte peremptus est, negotium filio suo Ottoni cognomento Magno perficiendum reliquit. Hic, ut vir erat omni pietate conspicuus, divinique cultus observantissimus, patris mandata haud segniter implens, Cathedralem quae adhuc extat, ponere coepit ecclesiam: Deo Opt. Max., D. Joanni Apostolo, et Donato Episcopo ac Christi martyri dicandam: in cujus meditullio corpus ejus, de quo agitur, venerandi scilicet patris Bennonis, omni auro ac gemmis pretiosius honorifice depositum supra CCCC modo annos, crebris in Christo virtutibus ac miraculis coruscat. Id quod pensiles illic tabellae votivaque munera affatim ostentant. Cujus nos vitam, et exantlatos pro Christo labores, conversamque ab eo magna ex parte Sclavorum gentem, et miracula tot retro seculis in hunc usque diem continuata, ad honorem summi Dei conscripturi, feliciter aggrediamur.

VITAE HIST. § 1. Inter claras Saxoniae civitates ea quae nunc vulgo *Hyldesheym*, olim Bennopolis dicta est, a Bennone quodam (ut ajunt) conditore Phrisio: hinc divo Bennoni nostro nomen *, hinc Bennopolitano cognomen est. In ea enim urbe a teneris annis educatus, et sacra veste indutus, in eum crevit virum qualem Deo propitio perscripturi sumus. Pater ipsius Comes fuit Saxoniae, non longe a Goslaria habitans: mater vero Bezela, dicta est. Hi ambo cum voluntatem facerent Altissimi, et in lege Dei sui fideles persisterent, duos illis Dominus dedit filios: Christophorum, qui patri in Comitatu postea successit: et Bennonem hunc nostrum, qui abdicato (ut dicemus) seculo, Christi quam mundi hujus Comes esse maluit. Editus igitur in hanc lucem Benno noster humanae salutis anno MX cum annum aetatis ageret quintum, puerulus adhuc, traditus est in obsequium sancti Bernwardi ** Bennopolitani Episcopi: qui etiam ipse ex illustri Comitum sanguine procreatus, Bennonis nostri consanguineus fuit et affinis. Quamobrem memor illius quod scriptum est, *Initium sapientiae timor Domini:* puerum ei traditum primum omnium timere fecit Deum: eique literario mox studio eruderando, praeceptorem dedit Wigerum Praepositum Monasterii sui S. Michaëlis, virum

* *Benno* idem quasi ac *Benedictus*.
** Qui *Bernardus* scriptus alicubi reperitur; recolitur in Rom. Martyrol. XXVI oct.

moribus ac literis apprime decoratum. Sub cujus disciplina brevi tantum profecit, ut optima puer indole ingentem de se spem polliceretur. Nam ut aetas illa erudita fuit, et humana colebat studia: id quod ex pluribus ejus temporis viris disertissimis et eorum monumentis videre licet: ita Wigerus noster puerum sibi commissum non passus est a politioribus abhorrere studiis: primoque in ducendis formandisque literarum apicibus antiquis, et his quae hodie per Venetos impressores in usum revocatae sunt, eum luculenter instituit: quemadmodum literae manu sua conscriptae, et apud Ecclesiam suam Missnensem in hodiernum usque diem servatae facile arguunt; deinde carminibus etiam eum exercuit, non tamen nisi divinis et omni verborum obscoenitate carentibus. Nec difficili puer Minervâ versu jam ludere et hymnos componere didicerat. Quare cum omnes, tum maxime patronum suum sanctum Bernwardum sibi plurimum devinxerat, eratque tam coelo, quam hominibus gratissimus.

§ 2. Sanctus vero Episcopus Bernwardus extrema jam vitae senectâ febribus correptus, adeo pertinaciter aegrotare coepit, ut toto decubaret quinquennio. Quo tempore unico illi solatio erat puer Benno, modo poëtando, modo legendo, modo disputando. Inprimis autem pergratum illi erat diligentissimum pueri obsequium, qui nec momento quidam a sene abiit. Cum vero jam finis instaret beatissimi patris Bernwardi, vocato puero una cum Wigero paedagogo suo, oratione ad eum usus est hujuscemodi: « Vides mi fili assidua me febre confectum, et sinistram hanc corporis valetudinem et quicquid adversi fuit ad finem usque constanter pertulisse. Neque enim ad Deum redire possumus, nisi tribulationum et adversitatis camino decocti. Quod si eos etiam qui recte vixerint conturbationes et dolores circumveniunt: quanto magis justo Dei judicio istos qui absque ullo Dei timore veluti pecora degunt, et hic infelicitas occupat, et in futurum miseria. Quare si sapis, aut si per aetatem sapere ipse nondum potes, saltem nostris acquiesce monitis, atque hunc mundum aerumnis et anxietatibus repletum, dolo, fraude, mendaciis, insidiis ac laqueis refertum, sanguine, scelere et iniquitatibus pollutum, ceu pestem aliquam contagiosam ac virulentam fuge, execrare, ac despice: Deoque soli adhaerere. Quod ut facilius possis consequi, et aetas tua, adhuc cerea in vitium flecti, nulla malorum hominum tabe depravetur, ab hujus praeceptoris tui làtere posthac nusquam discede, eique, si me amas, in omnibus patris loco obtemperes.» His dictis, manum pueri deosculatus Wigero Praeposito eum iterum atque iterum commendavit. Ipse vero rebus suis omnibus dispositis plenus dierum, dives bonorum operum, et securus paratae sibi aethereae mansionis, clausis subito oculis migravit ad Dominum anno MXXII, sepultus in Monasterio suo S. Michaëlis, ubi et miraculis claret.

§ 3. Vix dici queat, quanto beati hujus viri transitus cum civium suorum omnium, tum divi Bennonis nostri animum moerore ac luctu confecerit. Non quia gloriam illi inviderent, ad quam invitatus abierat : sed quia prae nimio ipsius amore, aut ipsum adhuc vivere, aut cum eo diem obiisse mallent extremum. Cum autem Wigerus (cui tutela pueri commissa fuerat) animadverteret eum ob immodicum animi dolorem, quem frequentes prodebant gemitus ac lacrymae, nimium macerari et contabescere, coepit blandis ipsum verbis modo consolari, modo castigare, et effrènes juvenilis animi impetus senili gravitatis freno cohibere, asserens communem hanc omnibus esse fati necessitatem, quam neque Christus (cum solus posset) evitare voluerit: nec flendam esse muliebriter consanguinei sui mortem, quam ipse tam constanter atque aequanimiter tulerit : praecipue cum tot in Christo virtutibus ac miraculis clarus, evidens suae beatitudinis signum post se reliquerit. Addebat homo admodum disertus, nil aliud esse mortem quam finem malorum hujus seculi, et initium vitae melioris. Cujus rei gratiâ Gaditanos olim templum Morti et aram consecrasse, divinosque exhibuisse honores, tanquam communi quieti et miseriarum omnium portui. Quibus verbis placatus Benno, et dolori suo aliquantisper moderatus est, et ex eo tempore vanam mortalium sortem perosus, apud se firmiter decrevit, ubi primum per parentes sibi liceret, sacrum suscipere habitum : et in eodem monasterio quantulumcumque vitae spatium fata concederent, Deo serviendo traducere : saluberrimo profecto vitae instituto.

§ 4. Magnae spei adolescens Benno, et tam corporis quam animi dotibus amabilis, praeceptoris sui monita, contra ejus aetatis morem ac consuetudinem, tum libenter audiebat, tum alacriter amplexabatur. Cumque jam sub ejus jugo ac disciplina ad pubescentes pervenisset annos, nulla unquam levitate notatus, nec alio quam communi fratrum cibo usus, nec minori quam illi inediâ ac labore fatigatus, ad omnem Christi militiam diligenter a magistro suo exercebatur. Nec gravis juveni haec virtutis palaestra : quin laetabatur magis, ubi intelligeret senioribus etiam abstinentiae ac tolerantiae se esse exemplo. Sed nec amicorum dehortantium et multis eum praeclarisque conditionibus ad seculum invitantium verbis blandiloquis, aut ulla suadendi arte ejus animus immutari poterat. Solidatus jam erat supra firmam petram. Neque animo exciderat sana beati Bernwardi doctrina et ultimum vale. Accidit autem ut eodem tempore genitor ipsius, qui eum propagandae stirpis gratiâ vehementius ad seculum invitaverat, ex humanis decederet: et ipse patria potestate solutus facile se speraret apud matrem, quam devotam ac religiosam noverat, intrandae religionis veniam consecuturum. Nec votis ipsius obstitit pia genitrix: quin eum vehementer inde collaudans

pollicita est, tenuem adhuc Monasterii statum, suis etiam opibus haud illiberaliter foturam. Erat enim spectatae religionis ac honestatis foemina, et ut uno absolvam verbo, tali digna filio.

§ 5. Exhilaratus Benno tam benigno piae matris assensu, cum jam virili togae esset proximus, doctus a Spiritu Sancto reprobare malum et eligere bonum, duodevigesimo aetatis suae anno sacrum suscepit habitum, et cum eo sanctarum incrementa virtutum: moxque professus in eo quod supra diximus monasterio Hyldesheymensi, puerilia studia et poëticas nugas postponens, sacrosancta Prophetarum volumina et utrumque Testamentum, ac Patrum desuper commentaria diu noctuque ruminabat. Orationibus, vigiliis ac jejuniis impensius multo, quam antea vacabat. Abstrusa quoque ac recondita Theologiae sensa, quae caeteris altius meditata explorataque habebat, non invitus reserabat. Qui (ut annales eorum docent) sacratissimo illius eloquio, in tristitia cujuslibet anxietatis consolati, et a laqueis antiqui hostis liberati, perpetuae vitae vias ingrediebantur.

6. Ferunt etiam nonnulli, Bennonem, priusquam religionem ingressus sit, in Francia Theologiae studio dedisse operam, atque in ea facultate doctoralibus insigniis fuisse decoratum. Qui honos tunc omnium fuit excellentissimus. Cui quidem opinioni non parum praestat fidei, tum titulus Magistri, quem inter monimenta Goslariensis Ecclesiae * (ut praediximus) adhuc hodie obtinet: tum quod plures ejusdem seculi nobiles viri ad idem Franciae regnum sacrarum literarum gratiâ se contulerunt: quas Caroli Magni ** operâ et impensâ, Parisiensi olim Gymnasio esse invectas sati constat. Quare nihil prohibet divum Bennonem etiam post professionem ab Abbate suo istuc studii gratiâ fuisse transmissum ne tamen incerta pro certis asserere videamur, nos ista in medio relinquimus.

§ 7. A tempore susceptae religionis Benno usque in quintum et vicesimum aetatis suae annum, in quo sacrum accepit Diaconatus ordinem, in oculis omnium sanctissime innocentissimeque conversatus est. Atque ab eo tempore usque ad trigesimum vitae annum semper magis ac magis in religione proficiens, humilitate et patientiâ omnibus praelucens, volente et jubente Abbate suo Adelberto, sacerdotio tandem initiatus est. Quod ille tanta cum reverentia ac dignitate adiit, tanta munditiâ et puritate gessit, ut fratribus etiam stupori ac admirationi fuerit. Abstinentiâ autem tanta se inde macerabat, ut raro coenam cum eis sumeret. In altari totus ardebat: nec unquam siccis rem divinam oculis perficere potuit. Accidit igitur, ut anno dehinc quarto defuncto Adelberto praedicto, pars Fratrum Bennonem hunc nostrum, pars vero Sigebertum quemdam, et ipsum quidem virum bonum, mitioris

* *Goslaria* urbs erat imperialis in Ducatu Brunswicensi.
** De *Carolo Magno* verba fecimus in hac *Illustratione* p. 106*.

tamen vitae, et secularibus negotiis magis deditum, eligerent. Cumque pluribus Benno suffragiis quam Sigebertus ipse niteretur, nihilominus illi libenter ac ultro cessit: supplicans electoribus suis, ne contemplativam ipsius vitam exterioribus curis ac actionibus impedirent: tribus tamen mensibus in officio stare coactus est, donec flentibus saepe oculis vacationem muneris obtinuit. Hinc est quod in catalogo Abbatum ejusdem Monasterii suo ordine ac loco ita scribitur: Benno frater ac pater noster, Abbas eligitur: sed parvo tempore stetit in regimine, tribus scilicet mensibus: postea Missnensis Episcopus factus, miraculis claret. Illic sepultus, ubi et in praesulem est unctus. Haec ibi.

§ 8. Deposita Ecclesiastica hac praefecturâ, Benno noster reliquam vitam in privato, et vel in oratione, vel lectione divina tantummodo transigendam decreverat: verum omnipotens et gloriosus in sanctis suis Deus, qui humiles corde sublimat, et superbos de sede deturbat: non passus est candelabrum hoc lucidissimum semper sub modio delitescere. Unde brevi postea contigit, ut piissimus Imperator Henricus rex III Ecclesiam Goslariensem (cujus fundamenta jam antea jecerat Conradus decessor ipsius sive pater, sive socer)* magnifico ac regio cultu absolutam dedicari faceret per manus beatissimi Pontificis Leonis IX praesentibus ibidem Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus, numero LXXIII. Quam quidem ecclesiam cum idem Imperator dignissimus specialem deinceps (ut suis utar verbis) Imperii Capellam, et Canonicos ipsius Capellanos regios passim haberi et nominari vellet: exactam dedit operam, ut viros tanto honore dignos, et tam literis quam sanctae conversationis moribus probatos eidem ecclesiae praeficeret, siquidem illic etiam Regni sedem constituerat. Lecti sunt igitur ex omni fere Germania viri cum doctissimi, tum religionis observantissimi: inter quos et venerabilis noster Benno maximis Imperatoris precibus, annuente et jubente praefato summo Pontifice, vix tandem monasterio suo extractus, ac dictae Goslariensi ecclesiae (quatenus novae congregationi spiritalis armaturae dux esset, et ecclesiasticae eam disciplinae tyrociniis erudiret) in Magistrum ac Canonicum praefectus est. Quam laudabilem vero ac sanctam olim vitam duxerit prima ea Goslariensium Canonicorum congregatio, documento esse potest, non solum id, quod plures ex eis divorum numero ascripti, plurimi beatorum appellatione (dum adhuc viverent) dignati sunt: verum illud etiam memoratu dignissimum, quod cum in potestate Imperatorum adhuc esset Episcoporum designatio, pauci aliunde quam ex eadem regia (ut dicebatur) Capella, tam sub praedicto Henrico III quam filio ipsius IIII et nepote V, aequivoci nominis regibus, ad quaecumque etiam Episcopia conscenderint.

* Hic est *Conradus Salicus* pater *Henrici III* cognom. *Nigri*.

§ 9. Decem et septem annos venerabilis Benno noster Goslariae conversatus est: quibus se in omni genere virtutum spectabilem praebuit, egitque Canonicum ac Magistrum omnibus numeris absolutum crebris vigiliis, frequenti inediâ, assiduis orationibus, tum largis patrimonii sui eleemosynis. Quamquam autem vir beatissimus Benno omnium eorum qui suo tempore secum in Ecclesia Goslariensi Deo militaverant, non vulgarem meruit gratiam eo quod esset rectus ac integer, fraternaeque pacis ac domesticae concordiae vehemens amator: praecipue tamen illi cum beato Annone Goslariensi tunc Praeposito, postea vero Coloniensi Archiepiscopo arctissima fuit consuetudo et mutuus in Christo amor. Siquidem unum erat illis velle ac nolle: velle scilicet bonum, et recedere a malo. Quapropter mirabile dictu est, quantum brevi simul apud Deum profecerint, et quam jucundam ac firmam amicitiam similes illis mores et idem coeli studium pepererit. Etenim vere tunc in eis completum fuit illud Psalmographi: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Ps.* 132). O legitimos Christi Sacerdotes *. Utinam atque utinam is nodus atque hoc vinculum, Christi scilicet charitas, et divinarum rerum studium, nostros quoque jungeret Sacerdotes et Ecclesiarum Praelatos. Sic enim sublatis e medio occultis eorum simultatibus ac odiis, per fraternae concordiae nexum tam suis essent honorabiliores, quam adversariis etiam formidabiliores: nec ita laederentur Ecclesiae, diriperentur earum bona, et omnis fere ecclesiastica deperiret auctoritas. Sed quorsum abii? Ad Orestem et Pyladem nostros Annonem et Bennonem scilicet revocandus est calamus. Quorum tantam inter se benevolentiam, nulla res adeo fovit, ac ea de qua modo dixeram fraterna Christi charitas, quod, ut inquit Apostolus, perfectionis est vinculum. Hac igitur duce de virtute in virtutem ambulantes, uterque a Deo exaltatus, et in modico fidelis supra multa constitutus est **.

§ 10. Anno salutis MLV beatissimus Anno per Henricum III praedictum, magno bonorum omnium assensu, Agrippinae urbis sedem adeptus est, vir qui tot Rerum publicarum turbationes et incendia, quot suo tempore in Imperio passim extitere, solus vel aequanimiter ferre, vel ab urbe sua singulari prudentiâ noverit arcere. Valedicens igitur charissimo amico suo Bennoni, «Macte virtute esto, inquit, frater, nec putes velim, me tui fore immemorem, quin coeptam inter nos necessitudinem, ubi praesentiâ nequimus, saltem literis fovebimus. Annonem igitur, ubicumque fuerit, tuum esse puta.» Nec id tamen humaniter pollicitus est, quam eventu postea explanavit. Mortuo enim paulo post Imperatore praefato, regnum filio suo Henrico IIII Aquisgrani, non ita multo prius inuncto, concessit. Qui cum adhuc puer esset,

* Quam optabilis concordia et charitas inter Sacerdotes et suos Praelatos.
** De S. Annone Colon. Ep. agit Surius IV Dec.

apud matrem Agnetem Imperatricem aliquandiu educatus est: brevique post tempore in tutelam venit praefati Annonis Coloniensis Antistitis, quibus ex causis, scriptores variant: neque huc pertinet. Certum tamen est, donec Rex pueriles absolveret annos, summam rerum, consensu omnium, apud Annonem resedisse.

§ **11**. Qui vacante sub id tempus Ecclesia Missnensi per obitum Crafft Goslariensis paulo ante Praepositi, facile effecit, ut eadem Ecclesia Missnensis veteri amico suo Bennoni, cujus vitae innocentiam et dignitatem dudum exploratam habebat, etiam nihil tale cogitanti committeretur: Renitetemque (amore fortassis contemplativae vitae) literis ut pusillanimum vehementer increpavit, et ad suscipiendum episcopium adhortatus est: asserens, satis, jam satis spectatam esse Goslariae virtutem suam. Neque sanctissimos Apostolos olim uno semper in loco consenuisse: sed modo huc, modo illuc per mare, per terras, divinae plantationis surculos circumtulisse. Cavèret igitur, ne talentum sibi traditum, quum Missnae modo propter vicinam et incredulam Sclavorum gentem duplicare posset, abscondere potius, et labores pro Christo fugere videretur, id quod magis ignavi animi quam religiosi esset indicium. Sic enim contemplationi vacandum esse, ut ab actione, in qua virtutis laus omnis consisteret, animus torpore non abhorresceret. Sicque amandam esse Rachelis pulchritudinem, ne Liae interim foecunditas haberetur despectui. Quemadmodum enim stellae a stellis differentes unam coeli faciem decentissime pingerent: ita Ecclesiae Christi uni et soli utramque tam activam, quam speculativam vitam, non solum ornamento ac decori, verumetiam quam maxime esse necessariam. Quibus verbis non tam persuasus quam veluti compulsus Benno, oblatam tandem suscepit provinciam. Non ignarus tamen (divino revelante Spiritu) quibus exagitandus fluctibus, quantasque in episcopatu tribulationes et adversitates toleraturus esset. Ad quae omnia voluntariam se Deo hostiam obtulit.

§ **12**. Humanae igitur reparationis anno MLXVI venerabilis Benno noster à Wernhero Magdeburgensi Archiepiscopo pontificali veste induitur, olei sacri liquore perfunditur, et inclitae nostrae Missnensis Ecclesiae praesul decimus a Burkhardo primo ejusdem pastore praeficitur. Benedictione igitur de more percepta, mox Missnam acceleranti totius urbis clerus ac populus gratulabundus venerabundusque occurrit: et in ecclesiam majorem festiviter adductum, in sede eum pontificali collocant magno omnium plausu et ingenti totius civitatis gaudio. Ipse vero intra se habitans, praesentique honore nihil elatus, illud semper in ore habuit, tacitoque sub pectore volvit: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* 113). Memor praeterea illius quod scriptum est: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona*

ac sacrificia pro peccatis (*Hebr* v). Primo omnium in conspectu totius populi sacra solemni more celebravit tanta devotione, tantoque lacrymarum fonte, ut siccis eum oculis hi quibus etiam saxea erant corda videre non possent. Sacris vero in medium deductis, ad plebem conversus, populari primo linguâ de Christianae fidei praestantia ac dignitate, de colendo summo ac vero Deo, beatorumque spirituum gaudiis, et malorum tormentis, graphice, magnaque admiratione omnium elocutus est.

§ **13**. Deinde ad Canonicos Clerumque sermonem dirigens, tali eos oratione affatus est: « Quando a Deo factum est, viri fratres, ac domini, ut neque cogitanti mihi neque ambienti hic locus (quod nobis felix utrinque faustumque maneat) destinatus sit: ego deinceps Ecclesiae huic vestrae dignissimae, ejusque commodis ac honori hanc animam, et quidquid in me est (quod novi quam sit exiguum) totum polliceor ac devoveo. Neque ullus mihi labor gravis erit, nec amara pericula quae nobis tamen charissimi fratres (nisi ex alto Deus averterit) et multa et magna imminent: dummodo vestram, hujusque mihi commissae Ecclesiae salutem, honorem ac commodum (ita ut bonum decet pastorem) omnibus modis, et pro virili promoveam. Pro quo neque potentium timebo minas, neque rerum admittendarum, aut hujus etiam corpusculi jacturam magnifaciam. Vos autem orationibus ac precibus vestris me adjuvabitis. Summopere enim mihi placet devotio vestra, et bene instituta religio: quae a decessoribus meis sanctissimis procul dubio viris tam decenter ordinata (Deum Opt. Max. oro ac obsecro) meo etiam tempore in pejus non labatur, sed pro laude ac gloria ipsius semper magis ac magis crescat in hoc loco: ut pro communi tandem labore et vitâ bene acta communem mereamur simul ingredi laetitiam, et optatae beatitudinis consequi mercedulam. » Sic fatus, et astantibus lacrymas excussit, et ipse etiam flentibus oculis ad perficienda sacra coepta reversus est.

§ **14**. Vetus proverbium est: Magistratus virum ostendit. Et profecto quanta fuerit prudentiâ beatissimus noster Benno, quam providus in consilio, quam justus in judicio, non ante apparuit, quam in tanto fastigio constitutus est. Neque enim a dextris, neque a sinistris recedens, omnia quaecumque verbo monuit, factis ipse adimplevit. Non pomposus, non elatus: sed opera sua multa erga pauperes pietate ornabat. Suum hoc solum esse ratus, quod nudus inopsque in hunc mundum venisset. Inprimis cum ecclesiasticarum rerum et divini cultus solicita illi cura fuit. Unde cum antiquorum more irregulatus adhuc esset in ecclesia Missnensi cantus (id quod aliis etiam in locis videre licet ex antiquissimis quibusdam Gradualibus et Antiphonariis [ut vocant] in quibus unica, aut etiam nulla interdum linea, paucisque ac indiscretis notulis contenta fuit antiquitas), Benno noster data operâ,

regularem ac legitimum canendi usum juxta Hyldesheymensis ecclesiae ritum ac consuetudinem, ad Missnam primus traduxit: fecitque ut concinne atque eleganter in hodiernum usque diem cantetur, quicquid ipse instituit. Quas enim novas et exoticas quasdam hodie canunt historias, neotericorum inventum est, musicae artis lege modoque carens. Sed haec et alia dignissimus pastor Benno circa cultum divinum in Ecclesia sua Missnensi prudenter ordinavit et constituit. Erat enim caeremoniarum omnium doctissimus, et circa rem divinam ab infantia versatus. Nec quicquam eum latebat quod ecclesiasticae interesset disciplinae.

§ **15**. Divinis recte se habentibus, mox animum adjecit beatissimus Pontifex ad visitandos singulos dioeceseos suae pagos et oppida, omnesque ecclesias et earum Rectores, id quod etiam quotannis in propria persona vicatim ostiatimque sedulo factitabat. Proinde circumspiciens utrinque animarum saluti modo in Presbyteris, ut et verbo docerent, et opere doctrinam suam comprobarent (ne forte aliis praedicantes, ipsi reprobi facti, auditoribus vilescerent): modo in subditis, ut dicto sacerdotum suorum obtemperantes, verbum salutis, et quicquid ad fidem attinet, diligenter ab eis discerent et observarent. Quod si quos eo modo se habere comperit, vehementer laudavit: sin secus, leniter corripiendo in melius immutavit. Tanta autem gratiâ praeditus erat, tantoque inter pauperes ac divites aequilibrio se partiebatur, ut passim eum omnes amarent: ejusque monitis obtemperantes, pacifice inter se viverent, et fraterno se invicem amore diligerent. Verbum Dei quoque ita luculenter, ita suaviter tractabat ac praedicabat, ut per multa etiam milliaria, ejus audiendi gratiâ confluerent.

§ **16**. Supra memoratum est, Sclavorum ingentem multitudinem gentili errore vagantem in dioecesi olim Missnensi tam ultra quam citra Albim fluvium desedisse. Quos et si Henricus Rex III piissimus epitheto perpetuo Imperator, non ita multo prius, quam episcopatum Benno susceperat, tributarios Imperio fecerat, et ad suscipiendam Christi fidem magna ex parte compulerat: plurimi tamen ex eis retrospicientes, pagano ritu, honorem quem Christo debebant, idolis reponentes, relicta pietate fidei, antiquis se erroribus denuo involverant. Ex quibus Radigast in magna apud eos veneratione erat. Inter omnia autem numina primatum tenebat Suanthewitz: quem Deum deorum esse profitentes, ex ipsius oraculis et responsis res cunctas gerebant. Est autem Suanthe Sclavica linguâ idem quod sanctum: Witz vero lumen interpretatur. Cumque magorum constans sit sententia, daemonia omnia sanguine invitari: Sacerdos tamen Suanthewitz suis persuadebat, hunc nisi Christiano cruore placari non posse. Unde quod abominabile etiam dictu est, illi quotannis hominem Christianum, quemcumque sors objecit, litare consueverant.

§ 17. Atrum enim daemonem, cui nomen Zeernebock, in cujus potestate mala esse credebant, devotius honorabant, noxia deprecantes. Zeerne enim nigrum, Bock vero sive Bohu Deum apud eos significat. His singulis singuli dicati erant Flamines, et varia sacrificiorum libamenta, tum multiplex religionis cultus. Quae tanquam superstitiosa et relatu indigna consulto praeterimus. Ingemiscens igitur pientissimus pater Benno, miserum populum daemonum praestigiis ita rapi praecipitem, officii ac debiti pastoralis esse ratus est, caecis lumen, aegris salutem, et errantibus viam ostendere. Cui quidem tam sancti operi cum se totum devovisset, et sapienter quidem primo lenia vulneribus fomenta adhibêns, plures indies comitate sermonis sui ad Christum reduceret: insidiator diabolus moleste ferens inauctoratam sibi plebem, mystica aspergi undâ, et a castris suis fieri transfugam (permittente Domino, quo virtus servi Dei humanae vitae fluctibus agitata magis inclaresceret), aliud illi negotium fecit, tantisque eum impulit tempestatibus et procellis, ut relicta Sclavorum curâ coactus sit vela ventis committere. Et quia summa ipsius virtus et constantia tunc potissimum spectata fuit (quandoquidem explorant adversa viros), idcirco non injucundum fore puto, si statum eorumdem temporum explicavero. Non enim parum refert (ut dici solet) in quae quisque tempora inciderit.

§ 18. Omnium primum tempestuosa ea reddidit tempora, famosissimum illud saxonicum bellum, quod cum Henrico IIII magna utrinque animi pertinaciâ gestum est. A quo licet Benno noster innoxias habuerit manus, vicini tamen incendii flammas evadere non potuit: vel ob hoc unum, quod, et ipse ex primario Saxonum sanguine, qui Regi penitus invisus erat: sive (quod magis credam) quia Deus vas suum ita voluit tribulationum camino excoquere, et velut aurum in igne probare. Permisit enim ut a praedicto Rege innocentissimus praesul, nullo suo delicto, caperetur, et in exilium mitteretur, ubi et caeteri servabantur principes, et plerique primores viri, quorum omnium propter implacabilem Regis iram, nulla erat salutis spes, nec alia quam vel citae mortis vel perpetui carceris expectatio. Benno vero neque de vita sua, neque de captivitate solicitus, solius Ecclesiae suae casum inconsolabiliter, et causas tantorum malorum tam verissime quam brevissime paululum hic deflebat: eo quod iratus Rex eam ipsam etiam per Burkhardum quemdam ferocem et militaris audaciae hominem misere vastaverat. Paulo enim ante id tempus diem obierat Dedo Marchio, relicto Henrico filio adhuc puero: quem Rex obsidem secum abduxit, et in aula regia educari fecit. Dictum vero Burkhardum praefectum Missniae constituit, ut Marchiam interim in fide sua contineret, donec infans adolesceret.

§ 19. Alterum ejus tempestatis exitium fuit ejusdem Henrici IIII cum Gregorio VII calamitosa seditio. Ex qua etiam sancto

viro Bennoni non parum succrevit laboris et periculi. Discordantibus enim inter se summis orbis cardinibus, facta est confusio elementorum, hoc est, Praelatorum inferiorum: et percusso pastore, dispersae sunt oves gregis. Nam ex omnibus Germaniae Episcopis perpauci inventi sunt, qui Romano Pontifici tunc integram servarent fidem. E quibus fuere Anno Coloniensis, Wecilo Magdeburgensis, Bucco et Burckhardus Halberstatensis, Wernherus Merseburgensis, et Benno noster Missnensis: caeteri fere omnes regias partes secuti sunt. Cujus tam perniciosae dissensionis causas breviter reponam. Defuncto Alexandro II suffectus est ei (anno MLXXIII) Gregorius praedictus, cui Hildebrando antea nomen fuit: et quia inconsulto Caesare, solis scilicet Romanis faventibus, ad Apostolatus apicem conscenderat, hinc primum contra eum accusationis caput sumptum est. Mos enim tunc erat: ne quis pro Romano Pontifice salutaretur, nisi quem Imperatoria destinasset probassetve auctoritas. Secundo invidiam etiam Pontifici peperit maximam quod duobus maximis Sacerdotum vitiis extirpandis, Simoniacae videlicet pravitati et lasciviae, tam constantem navabat operam, Concubinarios et Simoniacos omnes passim anathemate feriens.

§ **20**. Sed et Caesarem ipsum Gregorius ob easdem causas, ad synodalia responsa saepe frustra vocatum, tandem cum purgare se nollet, ab Ecclesia primum, Petri amputavit gladio: deinde regno etiam exauctoravit, adempta omni regia administratione, et absolutis fidelitatis sacramento subditis. Quare confusus Imperator, habito apud Wormatiam concilio secum sentientium Episcoporum, Pontificem vice versa deposuit. Dataeque sunt ad eum literae conviciis plenae: quibus ut seipsum Pontificatu, quem vi fraudeque rapuisset, ultro abdicaret, proterve mandatum est. Eo vesaniae Imperatorem induxerat caeca sacerdotum (qui tunc frequentes apud eum erant) libido. Timebant enim, si cum Pontifice in gratiam rediret, actum esse de concubinis suis, quas illi pluris quam vel propriam salutem, vel publicam pendebant honestatem. Caeterum quam indigne Gregorium sugillaverint, documento esse potest electionis suae formula, quam Platina et Blondus Flavius Apostolici scriptores adnotaverunt his verbis: Nos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etc...., praesentibus episcopis, abbatibus, multisque tum ecclesiastici, tum laici ordinis, eligimus... in verum Christi Vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multae doctrinae, magnae pietatis, prudentiae, justitiae, constantiae, religionis: modestum, sobrium, continentem, domum suam honeste gubernantem, pauperibus hospitalem, in gremio sanctae matris Ecclesiae libere a teneris annis educatum. Quem quidem cum ea potestate Ecclesiae Dei praeesse volumus, qua Petrus mandato Dei quondam praefuit. Haec illi. Quam quidem optimam de se existimationem pius Pontifex nequaquam fefellit,

sed ad finem usque legitime certando perduxit. Unde addit Platina in calce rerum ab eo gestarum, quod demum in Salerno moritur, vir certe Deo gratus, prudens, justus, clemens, pauperum, pupillorum et viduarum patronus: atque unicus Ecclesiae Romanae et acerrimus defensor, contra haereticorum improbitatem, et malorum principum potentiam, res ecclesiasticas per vim occupare conantium *.

§ 21. His igitur temporum ardoribus, cum Pontifex omnes tam ecclesiasticos, quam seculares principes, quibus cum Rege commercium erat ullum, dirissimis Ecclesiae vinculis colligasset, contraque Imperator aquâ et igni interdiceret iis qui Pontificis dicto parèrent: adeo scissa est Ecclesia Dei, et regnum in se divisum, ut gravioribus inter Sacerdotium et Imperium odiis nullo unquam tempore laboratum sit. Uterque enim, tam Pontifex quam Imperator, hic pro terreno, ille pro Dei regno causam suam constantissime agens, litem non nisi cum morte diremit. At vero Imperator, ubi intellexit principum animos sub religionis praetextu sensim ab eo deficere: dissimulato ad praesens odio, quod contra Sàxones alebat, captivos ejus gentis (inter quos et Benno erat) deditione absolvit, et ad sua impune redire permisit: nihil aliud imperans, quam ut tanti beneficii memores integram sibi deinceps servarent fidem, et communis regni causam secum contra Pontificem defenderent. Illi abeuntes polliciti sunt, quoad juste Imperium administraret, et Ecclesiam Dei persequi desineret, se ejus commodo et honori nusquam defuturos. Qualem se vero deinde idem Rex, tam erga Sacrosanctam Apostolicam Sedem, quam passim in Imperio exhibuerit, apud alios videre licet. Ad nos enim nihil attinet, nisi quantum divi nostri Bennonis interest.

§ 22. Rediens igitur beatissimus pastor Benno ad Ecclesiam suam Missnensem, desolatam vastatamque invenit, quam tanto prius studio ac decore ornaverat. Quae quidem calamitas quamvis amarior illi esset, quam vel carceris vel exilii poena fuisset: spem tamen vultu simulans, premensque alto corde dolorem, fratres suos Canonicos flentibus illi oculis obviam factos, et fortunas suas querulantes, benigne amplexus atque consolatus est, iterum atque iterum illud ore cum beato Job repetens: *Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*. Nec mora, quin ilico infracto sese animo ad restaurandam Ecclesiae suae ruinam totis viribus convertit. Et nisi illi improbitas obstitisset Buckhardi praefecti Missnensis (cujus supra etiam meminimus), facile ablata omnia recuperasset. Erat idem Buckhardus ingenio malo, pravaque naturâ praeditus, linguâ praeterea ac manu promptus. Cumque magis Caesaris, quam Dei sui mandata observaret, beato viro Bennoni multas intulit molestias, piosque ejus conatus, quibus potuit artibus, fefellit. Non tamen

* Vide huj. n. Edit. Surium; Vol. V, p. 688.

impune. Nam scelerum suorum mox justas dedit poenas, a subditis suis propter crudelitatem et saevitiam misere necatus. Equus enim in quo fugam sperabat, alioqui celerrimus, tunc cum invaderetur, calcaribus utcumque admotis, pedem movere nequivit, donec sessor frequenti vulnere confossus miseram exhalavit animam. Atque hunc in modum liberatus est divus Benno noster a tyrannide Buckhardi praefecti.

§ **23**. Anno a natali Christiano MLXXVI Papa Hildebrandus, frequentibus motus querimoniis, concilium Romae indixit, Regemque per Legatos suos ad hoc legitime vocavit, ut adesset, de criminibus quae illi ob venditas ecclesiasticas dignitates (quae tunc erant Imperatorum) objicerentur, causam dicturus : alioqui sciret se absque omni procrastinatione, eodem die de corpore sanctae matris Ecclesiae, Apostolico resecandum gladio. Quod audientes Episcopi Germaniae et Galliae, quibus nota erat Pontificis severitas, et vehemens erga domum Dei zelus, timentes ne forte simul cum Rege ipso durius aliquid pro factis suis paterentur : communibus consiliis Regem adeunt, turbatumque super his quae a Pontifice nunciata fuerant, palpando consolandoque, bono esse animo jubent, irritum enim fore Concilium. Neque parendum ei, qui injussu suo et praeter majorum consuetudinem seipsum ultro ecclesiastico ingesserit culmini (unicam scilicet salutem et honorem suorum stabilitatem in hoc verti cardine rati, si efficere possent, ut is non esset Apostolicus). Rex igitur suggestione eorum seductus, paulo ante statutum concilii diem omnes, qui in suo regno essent, episcopos, abbates et ecclesiarum praelatos Wormatiae (ut supra dictum est) convenire praecepit, tractare cum eis volens ad deponendum Pontificem, si qua via, si qua ratio patèret. Cum igitur beatissimus Benno noster tam Pontificis, quam Caesaris edicto urgeretur, et ab utroque sub diris comminationibus vocaretur, inter saxum et sacrum (ut est in proverbio) positus, in illud tandem Susannae incidit : *Angustiae sunt mihi undique, et quid eligam ignoro.* Si enim Apostolicae Sedis mandata contempsero, anathema sum, et extra Ecclesiam factus. Sin vero Imperatoris jussa neglexerim, tanquam perduellionis reus, notum antea carcerem et exilium non evadam. Demum excusso omni pavore, secum statuit relicta synagogâ Satanae, Apostolicae Sedis obedientiam ad mortem usque confiteri, maxime cum non ignoraret celebrandi Concilii jus sacrorum Canonum sanctionibus soli Romano Pontifici esse concessum.

§ **24**. Itaque iter arripiens Romam versus, ad indictum Concilium non sine multo labore et difficultate pervenit. Siquidem Imperator illuc tendentibus passim posuerat insidias, quas ille tamen divino fretus auxilio incolumis transivit. Veniens autem ad Pontificem, ab eo, quod unus ex omnibus fere Germaniae Episcopis ausus fuisset, plus Deo quam hominibus obedìre,

vehementer collaudatus, et in amicitiam non vulgarem receptus est. Ferunt constante adhuc famâ, abeuntem claves ecclesiae Missnensis duobus commisisse fratribus suis Canonicis, ut si Rege excommunicato, hi qui suarum partium essent ab ecclesiae ingressu non temperarent, obseratis janúis, eas in Albim fluvium dejicerent. Quod et factum est. Nam in dicto Concilio Rex propter contumaciam suam cum omnibus complicibus gravi anathemate percussus est: et synodaliter decretum, ne deinceps ulli hominum liceret vendere vel emere quascumque ecclesiasticas dignitates: qui morbus tunc plurimum irrepserat, non tam Regis ipsius magnanimi alioqui, et omni imperatoria virtute praediti viri, quam aulicorum suorum avaritiâ, et candidatorum ambitione. Id quod ex sequenti capite satis superque ostenditur.

§ **25**. Beatissimus noster pater Benno, expeditis apud Pontificem Ecclesiae suae negotiis, relicta tandem Româ, per declivia Apennini juga, per amoena Flaminiae rura, per angustas Rhaeticarum Alpium fauces, Vindelicos Noricosque transiens, ad civitatem suam Missnensem pretiosissimis reliquiis et indulgentiis onustus feliciter pervenit. Ne autem sub primum ipsius adventum civitas commoveretur, neve illi Clerus cum solita ferculorum pompa in occursum procederet, sub peregrini specie ad hospitium publicum omnibus ignotus divertit. Memorant incolae in hodiernum usque diem, hospitem, dum ingentem quemdam piscem ex Albi flumine, eadem forte horâ allatum exenterare coepisset, sub brancis sive pennis ipsius, clavem reperisse ecclesiae, quam divus Benno post abitum suum in eumdem fluvium projici mandaverat. Cujus rei fama cum mox totam replesset urbem, Canonici praefatum hospitium repente irruunt, et agnitum pastorem suum, maximo totius urbis plausu, ad ecclesiam suam conducunt. Qui populo de more benedicens, a turba usque in alterum diem vix demum se potuit avellere. Mane vero nulla tantae viae lassitudine obstante, ilico pastorale fecit officium, et inter sacrificandum pro concione populo Apostolicam nunciavit benedictionem et gratiam: eosque qui ob vitandam Regis indignationem, vel sola participatione colloquii ecclesiasticis subjacebant censuris, simul omnes concessa sibi potestate absolvit, et Ecclesiae reconciliavit.

§ **26**. Quare vix dici queat, quantus brevi factus sit ad eum concursus e vicinis oppidis ac populis, qui omnes uno ore clamabant: Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris, ut educeres vinculatos de claustris. Erat enim eorum pars multo maxima excommunicationis vinculo irretita, quos pius pater festino ad Ecclesiam suam gaudio reducens suscepit: et tanquam filio olim perdito vitulum saginatum, hoc est pinguem Christi panem (injuncta prius poenitentiâ) sacramentaliter exhibuit: sicque perditionis filios in electionis vasa feliciter convertit. Dedit

autem illi Dominus gratiam et malorum requiem, ut deinceps reliquos vitae annos usque ad decrepitam senectam in pace agens, restaurandae Ecclesiae suae et extirpandae zizaniae, quae longo jam tempore in Dominico agro suppullulaverat, tranquillam posset operam impendere: quod et sedulo perfecit. Et quia praecipue ejus animo haerebat antiqua Sclavorum cura: idcirco quo studio, qua doctrinâ, quibusve miraculorum signis illos ab antiquis eorum erroribus ad infallibilem Christi veritatem tandem revocaverit, quam brevissime potero sequentibus complectar.

§ **27**. Meminisse hic oportet eorum, quae supra de Sclavis disseruimus: Qui scilicet utramque ripam Albis circumsidentes, gentili superstitiosoque ritu, honorem quem Creatori debebant, rebus exhibebant creatis, lignum quod dolabant, et lapidem quem caedebant irrationabilem adorantes. De quorum moribus cum divus Benno Gregorium Pontificem certiorem reddidisset, mandatum et Apostolicae legationis munus ab eo recepit, cum potestate praedicandi eis verbum Dei, et absolvendi a certis casibus etiam Sedi Apostolicae reservatis. Quare factus est indies major ad eum concursus populorum, praecipue Sclavorum, quorum aliqui memores adhuc pristinae doctrinae, quam illis pius pater priusquam a Rege in exilium missus esset, tradiderat, prae desiderio et amore sacri ipsius eloquii ultro se illi prostratos offerebant, et commissi sceleris cum moerore ac luctu veniam petebant. Ille autem, ut mitis erat corde, et pronus ad ignoscendum, obviis eos manibus, et veluti postliminii jure ad Christum redeuntes excepit: Scripturasque illis tùm veteris, tum novi Testamenti proponens, quantum coelo esset gaudium super uno etiam peccatore converso, non solum ad lacrymas, sed et quodcumque satisfactionis genus facile inducebat.

§ **28**. Cum autem multitudinem confluentium civitas non caperet, locum concioni aptum delegit, vallem scilicet unam apricis saltibus amoenam, mille ab urbe pàssibus, inter Orientem et Aquilonem exposita. Huc igitur catervatim advolantia multa millia hominum sacratissimos illius sermones, de summo ac vero Deo, de prima hominum origine et eorum lapsu, de incarnatione Verbi, et humani generis restauratione, caeteraque id genus sacramenta arrectis hauriebant auribus. Plerique etiam spiritu ita compuncti sunt, ut idòla, quáe domi habebant, sub conspectu viri sancti proferentes frustatim comminuerent, sicque ductu et auspiciis divi Bennonis animas suas salvas facerent. Quadam vero die, cum populus ferventissimo solis aestu laborans, sitibunda amplius ora vix ferre posset: beatissimus pater Benno oculis sursum levatis et oratione facta ad eum qui convertit petram in stagna, et rupem in fontes aquarum, baculo pastorali terram feriisse dicitur: ex qua mox fons aquae salientis scaturiens, arida hominum labra coelesti liquore proluit ac refocillavit.

Testimonio ejus rei est, quod idem fons sacer, et vallis ipsa sancta in hodiernum usque diem ab incolis nuncupatur. Fecit item vir Dei alia etiam in eodem loco miracula, quibus rudem ab initio Sclavorum gentem non solum verbo, verum etiam facto doceret, quanta esset fidei Christianae virtus ac potentia. Verum nos more nostro solidiora tantum amplectimur.

§ **29**. Quamquam, ut dixi, multi divi Bennonis miracula quae vulgi celebrantur sermonibus, et majorum traditione ad posteros pervenerunt, hic praeterire consilium est, eo maxime quod brevitate gaudemus omnes: illud tamen de aqua vino facta, et Albis transitu, quoniam praeter communis famae astipulationem literis etiam mandata sunt, in antiquissimo illo vitae suae libello, qui nuper in praedicto Hyldesheymensi monasterio (ubi prima olim fecit spiritalis armaturae stipendia) miraculose inventus est, tacere non ausim. Scribitur enim in eodem libro, quod cum divus Benno die quadam ad operarios in prato exiisset, illis siti ac labore fatigatis, signo Crucis edito aquam in vinum commutarit. Quod cum puer suus animadvertisset, allata sibi undâ, En, dixit, faciam sicut dominus meus. Qui interrogatus quidnam fecisset: Crucem, respondit, desuper edidit. Cumque puer idem faceret, meritis beati viri et simplicitate pueri, aqua mox vini saporem induit. Cum autem jam dies ad occasum tenderet, et divus Benno recta viâ per pontem ad civitatem pervenire non posset, iter ad proxima Albis fluenta deflexit, et Cruce se muniens, fluvium sicco pede pertransivit. Quod videns rusticus quidam, qui eum cum plaustro foeni sequebatur, protinus per aquam insecutus est, et incolumis transvexit: Benno autem audaciam hominis vehementer increpans, prohibuit tum ne id amplius faceret, tum ne cuiquam quod factum erat eo vivente detegeret. Solebat autem vir Dei nonnunquam orando meditandoque agros circuire: ibi cum aliquando juxta paludem quamdam garrula limosis rana coaxat aquis: ne contemplantem interturbaret, Seriphiam esse jubet, sunt enim in Seripho ranae omnes quidem mutae. Paululum inde transgresso venit in mentem Danielis illud: *Benedicite cete et omnia quae moventur in aquis Domino: benedicite omnes bestiae et pecora Domino*. Timens igitur ne forte gratior esset Deo illarum cantus quam sua oratio, eis iterum mandavit, quatenus consueta voce Deum laudarent: quae mox campos et aëra stridore suo garrulo repleverunt.

§ **30**. Proditus tum his tum aliis Benno miraculis, vehementer apud se erubuit, timens, ne forte unde celebrior fieri inciperet apud homines ejus nominis fama, inde apud Deum magis vilesceret, dicente Apostolo: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* 1). Ne igitur popularis aurae assectator haberetur, tacito secum egit consilio quonam potissimum modo frequentiam hominum evitare, et in solitario aliquo loco delitescendo,

soli Deo servire posset: atque idcirco rebus apud Ecclesiam suam accurate compositis, ipse Occidentem versus ad extremos dioeceseos suae fines, villam scilicet Naumborg, paucis admodum viae suae consciis secessit: ibique aediculam in honore divae Parthenices et omnium coeli indìgetum consecrans, pretiosissimis eam donavit reliquiis ac indulgentiis, quas nuper Româ secum asportaverat. Juxta aedem vero, cellam unam humilem pro se et sacerdote quem secum habebat, eo aedificavit animo, ut deinceps, nisi episcopalis curae munere exigente, ab ea nusquam discederet. Verum quanto magis latère voluit humilis Christi servus, tanto eum magnificare dignata est propitia divinitas, in hodiernum usque diem testans, quam gratum coelo fuerit hujus dilecti servi sui obsequium. In certis enim agrorum semitis, quas ille ibidem more suo post divini officii pensum deambulando meditandoque pedibus suis sanctissimis calcavit, frumentum adhuc hodie citius flavescit maturescitque, quin fertilior etiam longe seges in eodem loco quam per vicina circumquaque rura nascitur. Id quod ego non solum ex aliorum scriptis, verum etiam oculis meis compertum habeo: et vidi quia vere Deus mirabilis in sanctis suis. Eadem autem praecox agri cujusdam fertilitas in Gedau, ubi pariter aliquando contemplabundus deambulavit, a Plebano ejusdem loci medio nuper juramento in examine testium quorumdam, deposita est.

§ **31**. Memoriae quoque hominum proditum est communi voce ac fama: quod cum beatissimus Benno frequenter post sacramentorum tractationem ex oculis Capellani sui evanescere, et agilitatis munere in ecclesia sua Missnensi subito constitui, indeque sacris omnibus confectis ad consuetam prandii horam cum Capellano suo iterum in dicta villa praesens adesse soleret: captum aliquando vehementi Capellanum admiratione, abeuntem mane herum diligentissime observasse, moxque insecutum praeter pauca in recenti pruina vestigia nihil reperisse indicii. Sed statim veluti turbine arreptum, in dicta Missnensi ecclesia post tergum domini sui geniculantis in pedes constitisse. Quem cum divus pater in spiritu adesse sentiret, ipseque consummatis sacris more suo mox iterum in cellam suam, Capellanus vero vix altero die reverteretur (est enim distantia locorum 23 millium passuum) graviter eum increpitasse, et sub anathematis nexu vetuisse, ne eo vivente cuiquam hominum quod factum erat proderet: adeo abfuit a beato viro, quod gloriam suam quaereret. Caeterum nos neque ista temere asserimus, neque proterve abnuimus. Praeterea in memoriam divi Bennonis adhuc hodie quotannis celebratur ingens populi concursus in dicta villa Naumborg tribus diebus praecedentibus et sequentibus festum omnium Sanctorum, quorum nomini (ut praediximus) pius pontifex ecclesiam suis olim manibus dicavit. Sunt etiam ibidem ruinae cellae ipsius et

alia quaedam monimenta, tum imago sua depicta in pariete parietis interioris ecclesiae, cum diademate et infula pontificali et cum titulo desuper perscripto : Sanctus Benno Episcopus. Quae omnia spectatoribus devotionem augent et gratiam.

§ **32**. Dum beatus Benno tumultum civitatis declinaret, cellae suae solitudine se oblectans, et divinarum rerum meditationi liberius quam antea vacans, multas habuit revelationes, quibus futurae quietis dulcedinem perfunctorie saltim et quantum viatori licet degustasse creditur. Eisdem etiam revelationibus illuminatus, multa futura priusquam evenissent praedixisse fertur, e quibus duo saltim minime contemnenda hic recitasse sufficiat. Quorum alterum in veteri Cella, insigni Missnensis dioeceseos monasterio, completum ac literis mandatum est. Cum enim vir Dei longe olim ante cellam conditam, transitum forte eo loci faceret, videretque columbarum illic turmam gregatim considentium, ad comites conversus: En, ait, hic locus est, ad quem parvo post tempore nova quaedam convolabit religio, cujus precibus mortalium turba magna salvabitur. Nec cassum fuit oraculum. Orto enim deinde praeclaro Cisterciensium Ordine, Otto Missnensis Marchio Cellense coenobium dicto Ordini primus ipsius fundator sacrum fecit, et supra quam credi potest mirifice dotavit.

§ **33**. Alterum divi Bennonis vaticinium fuit, quod Marchioni (quem Henricum Dedonis filium esse perhibent) in maxillam eum ferienti praedixisse fertur, quod eodem die, anno revoluto, alapam sibi datam vindicaturus esset. Erat idem Marchio Regi Henrico admodum devotus, eo quod apud eum (ut supra narravimus), a puero educatus esset. Cumque idem Rex capularis jam senex novos iterum in Imperio motus suscitans, decidua jamdudum cornua rursus in coelum erigeret: a proprio filio carceri mancipatus, pollutam multo sanguine animam, sicca tandem morte ad inferos destinavit. Marchio autem praefatus quoniam Apostolicam Sedem et Ecclesiasticas censuras contemnendo, Regi plus justo complacere vellet: nec etiam ab Ecclesiae Missnensis bonis jam olim a Rege ablatis abstineret, aut ea dictae Ecclesiae utcumque admonitus restituere intenderet; eumque quadam vice a divo Bennone, ob hoc gravius argueretur, nec ratione objecta posset diluere: irâ tandem percitus, nihil cano capiti, nihil sacro ordini deferens, venerabilem senem dura percussit àlapâ: cui pius pontifex, non suae quidem injuriae memor, sed coelestis sententiae spiritu revelante edoctus futurum praedixit, ut anno sequente eodem die admissi sceleris poenas daturus esset. Nec dicto fides abfuit. Circumacto enim anno cum dies ultioni dicta ad vesperum jam inclinasset, Marchio qui duro corde facinoris tanti nedum ullam egerat poenitentiam, verum etiam ludibrio habens sancti viri praesagium, ad Consiliarios suos conversus: En inquit, dies quem atrum nobis Benno futurum interminatus fuerat, sine noxa

adest (non considerans venisse quidem diem, sed nondum praeteriisse). Itaque adhuc loquens, subito inevitabili Dei judicio, non placido, ut antea, sed torvo terribilique vultu eum adorientem, poenasque poscentem, videre visus est (erat enim paulo antea vitâ functus): suos igitur, ut suppetias illi ferrent, quoniam divus Benno eum impeteret, frustra precatus, in genua concidens, subitanea morte periisse dicitur.

§ **34**. Postquam beatissimus pater Benno, laborioso hujus vitae cursu ad extremam aetatem usque impigre constanterque emenso, fessae jam post plurima pericula puppi tutum adesse portum, et aeternam instare sibi requiem spiritu revelante cognovit: festinus prae gaudio fratribus suis Canonicis in unum convocatis tali eos oratione alloquitur: « Hora est, jucundissimi fratres, quam ego multis retro annis, nescio an majore solicitudine, an desiderio semper expectavi: desiderabam quidem saepe, ne mala viderem, quibus diebus meis jactata est sancti Petri navicula, neve post hujus mihi commissae Ecclesiae profanata sanctuaria et divisa inter hostes spolia amplius superessem, miseram claudere vitam. Metuebam ex altera parte, ne forte vel hoc ipso quod divinae tentationis jacula parum constanter, aut nimis molliter ferre viderer, omnipotentis Dei justam inciderem indignationem. Denique implorata Dei gratiâ antiquorum patrum zelum imitatus, regis Henrici carcerem et exilium, Buckhardi graves et insignes contumelias, Marchionis postremo ipsius minas et verbera, et quidquid sacrilegis in me manibus patrasse libuit, forti animo pertuli, donec impleta perfidorum hominum malitiâ divinae providentiae arcana sequerentur judicia. Nullam autem in me causam invenerunt, nisi quod sacrosanctae Apostolicae Sedis obedientiam confessus, sanctissimi viri Gregorii Septimi et successorum suorum causam intrepide tutatus, resque Ecclesiae meae nequiter ablatas quibuscumque potui ecclesiasticis censuris ac poenis vendicare nisus sum. Haec accusatoris in me summa fuit. Verum id jure ne fecerim an injuriâ aeterni Judicis tribunal appello, quo praesens haec hora me vocat: veniet autem cito post me Henricus Rex ac caeteri ecclesiasticae potestatis temeratores: quos inter et me Deus judicabit. Sed quoniam vos propter discessum meum tristiores factos esse conspicio: hanc interim a me consolationem accipite. Successorem in locum meum habebitis virum bonum et timentem Deum, qui ecclesiasticam rem vestram magna ex parte augmentabit. Idque eo amplius, quod post obitum meum his, qui rem divinam hactenus impedire solebant, plus injicietur terroris et formidinis. Ego enim si, quam spero, apud Deum gratiam invenero susceptum semel hujus Ecclesiae patrocinium per omnem tuebor aetatem et secula: causamque ipsius ac successorum assumens, accusare non cessabo eos qui ausu temerario, sive in hanc Ecclesiam, sive in ipsius ministros

ac bona committere praesumpserint, ne id impune tulerint. Quod si paululum in accusando visus fuero negligentior, sic sibi persuadeant successores mei, probari partim a Deo eorum patientiam, partim injuriantium expectari poenitentiam. Qui si indurati ab incoepto desistere noluerint, sentient non longe abfore ab eis perditionem. Contra vero benefactoribus Ecclesiae meae omnia fausta ac prospera apud Deum exoraturus sum.

§ **35.** « Vos autem, charissimi fratres, si procul omni simultate et odio mutuam inter vos charitatem amplexi, non summis tantum labris, sed corde bono invicem salutantes: si divinum cultum haud segniter aemulati, si Remp. denique ecclesiasticam potius quam propria commoda et privatas inter vos causas tutati fueritis: quanto in his omnibus fideliores sincerioresque vos Deus inveniet, tanto facilius me pro vobis interpellantem exaudiet. Quemadmodum igitur hic in terris fui, ita et apud Deum paratum me habebitis, prout singulorum merita vel demerita postulaverint, patronum vel vindicem. » His severo admodum vultu et senili gravitate elocutis, singulorumque manibus pro more deosculatis, illis hymnis ac psalmis jussit insistere: ipse vero devota ad Deum oratione habita, accepto prius ecclesiastico commeatu, fessi tandem corporis sarcinam deposuit. Ferunt ilico dulci locum odore afflatum, coeleste quid omnium naribus inspirasse, donec ipsum juxta pontificalis muneris dignitatem in ecclesia sua Missnensi honorifice sepelierint. Obiit autem decimosexto Kalend. Julii, Anno salutis MCVI, aetatis XCVI, Episcopatus vero XL.

§ **36.** Defuncto Bennone, sedem ipsius accepit venerabilis Herwicus Wurtzensis ecclesiae collegiatae fundator, quem consecravit Henricus X Magdeborgen. ecclesiae Archiepiscopus. Caeterum, sicut praedixerat pius pater, brevi post obitum suum, VII videlicet Idus Augusti eodem anno praedictus Henricus Rex IIII quasi repetundarum ab eo postulatus, misere obiit. Cujus cadaver quinquennio (ut ajunt) ecclesiastica caruit sepulturâ. Obiit et Marchio divi Bennonis praecussor, eo quo supra diximus modo. Quorum casu admoniti successores, Ecclesiae Missnensi non solum ablata restituerunt, verum de suis etiam bonis semper magis ac magis addiderunt. Propter quod in hunc usque diem semper magis ac magis etiam a Deo exaltati ac prosperati sunt. Beatissimus vero post mortem suam non minoribus apud Deum claruit meritis ac miraculis, quam olim in vita, confugientibus ad sepulcrum ipsius plurima impetrans beneficia. Quorum quidam a variis languoribus curati, plerique a gravibus periculis et anxietatibus liberati, nonnulli etiam a morte suscitati sunt. Quorum omnium fides apud ecclesiam Missnensem literis, sigillis, testibus, et vel tabellione publico, vel Praelatorum auctoritate amplissima fulta est.

§ **37.** Translatio autem ipsius ex loco humili, ubi olim se

tumulari jusserat, ad medium ecclesiae, ubi nunc tumba ipsius honorifice instructa cernitur, facta est circa annum Domini MCCLXX quo tempore venerabilis Episcopus Witigo, hujus nominis II vehemens divi Bennonis amator et praedicator, certas etiam indulgentias ad eamdem translationem contulit, quo plenius esset devoti populi gaudium. Idem etiam Episcopus Witigo, vino illo quo divi Bennonis ossa lota, et a terreno pulvere mundata fuerant, tanquam saluberrimo quodam olei rivo aegros quamplurimos sanavit. Quorum omnium nomina et morborum species propria manu adnotavit, et apud ecclesiam Missnensem pariter in perpetuam rei memoriam recondidit. Casula vero qua indutus fuerat divus pater Benno, et baculus pastoralis tanquam recens deposita, secum in sepulcro inventa sunt absque omni cinefactione quae etiam non parvam a sanctissimo corpore virtutem attraxere. Nam ut vetera taceam, matrona quaedam Missnensis dioeceseos ex villa Prentzindorff, prope Fribergam nostra hac tempestate daemonio arrepta, ad sepulcrum divi Bennonis adducta: cum nullis daemon exorcismis ab ea fugari posset, induta est tandem divi Bennonis casulâ, ei datus in manu baculus pastoralis, quo facto exclamavit daemon: Nunc tempus est ut egrediar: relinquam tamen hospitae meae signum, quo mei perpetuo meminerit. Moxque aperto altero mulieris crure, terribiliter elisus est. Foramen autem quod ille fecerat, nulla medicorum arte sanabile, mulier adhuc hodie gestat, et ut timendum est donec vixerit non abolebitur.

§ **38**. Praeterea ut pius erga supplices, ita severus in obstinatos divus pater juxta promissa sua saepius inventus est. Marchionem enim Wilhelmum, eum qui Grymnis mortuus est, cum praepositus olim Missnensis Brutenus nomine saepe adhortatus esset, ut ab exactionibus et servitiis, quibus colonos ac subditos Ecclesiae Missnensis praeter jus ac consuetudinem praegravabat, desisteret: nec eum ab incoepto posset deflectere, ad auxilium tandem divi Bennonis confugit, qui (exoratus tandem assiduis Praepositi precibus) Marchioni in somnis apparuit, arguens et commonefaciens ad remittenda injusta gravamina. Cumque is consiliariorum suorum suasu, dicentium non esse curanda somniorum deliramenta, in nullo se emendaret: alia vice per quietem, iterum visus est sibi Benno irruere, et face quam manu gestabat alterum ocellum inurere. Qui mane surgens et eluscatum se sentiens, tandem compunctus corde, Ecclesiae Missnensi non solum data resarcivit damna: verum insuper multa contulit donaria, quibus, ut sperandum est, benedictionem pro maledictione a Deo promeruit. Legitur tamen tam hunc quam divi Bennonis percussorem, spe prolis a Deo frustratos absque legitimo decessisse haerede, in poenam laesae ecclesiasticae libertatis. Postremo quamvis beatissimus Benno Ecclesiam suam Missnensem et Canonicos

ipsius a variis periculis et inimicorum insidiis clementer suis semper meritis eripuerit: nihilo secius tamen eis ipsis etiam, ubi quid delirarunt, non pepercit: sed durus duris pater filiis gravi ac manifesto quidem supplicio eorum delicta expiare solitus est: mortes quoque ipsorum praecedentibus paucis semper diebus valido et vehementi quodam ictu praenunciare fertur: monens nimirum eos quatenus venturam iram celeri poenitentiae remedio declinent.

§ **39**. Sunt praeter haec alia quoque multa numero praeclara facta, dignissima scripto, et lectu jucunda quae de beatissimo patre nostro Bennone referuntur Dei magnalia ac miracula: sed canendum nobis aliquando receptui, et liquendus etiam posteris scribendi locus est. Neque enim omnia omnes possumus assequi. Nec ipse parum Missnensibus decoris ac ornamenti peperisse videbor, qui primus eorum divitias et coelestem hanc margaritam tot retro seculis absconditam in lucem protulerim: satisque nobis id erit demonstrasse, divum Bennonem nostrum ab incunabilis, usque ad extremum vitae spiritum virtutibus ac vitae sanctimoniâ fuisse clarum: neque prophetiam illi defuisse, et coelestium secretorum revelationem: neque gratiam sanitatum, et impiorum hominum ultionem: neque mortuorum denique suscitationem: quibus omnibus magnificavit eum Dominus in conspectu regum ac principum et in medio popüli sui, illique coronam gloriae perpetuam dedit (*a*).

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS

CONF. E SOCIET. JESU

VITA

EX BULLA CANONIZATIONIS.

Obiit anno 1640 — Nat. Gallus.

Clemens Papa XII, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§ **1**. Ad sublimem sanctitatis montem, in quo Christus Dominus sedens discipulos suos seorsim a Judaicis turbis evocatos christianae sapientiae praecepta edocuit, ex omnibus gentibus et

(*a*) Canonizationem B. Bennonis, diu ob barbarorum in Misniam incursiones et alia quaedam adversantia, dilatam, rite celebravit anno MDXXIII Adrianus Pp. VI.

S. Episcopi corpus anno MDLXXV Monachium in Bavaria, Deo providente ut terrâ, quam Lutherana pestis infecerat ereptum, inter Catholicos quiesceret, maxima religionis pompâ translatum, Principis aulâ eo per quadriennium honestata, in aede tandem Colleg. S. Mariae est repositum; cui honorificentius condendo Sacellum perelegans et altare piorum donariis sunt erecta sub XVII saeculi finem.

tribubus et populis et linguis, spe firmi, fide robusti, charitate ardentes, gratiâ et virtute divinâ ascenderunt. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnâ, et lavantes stolas suas et dealbantes eas in sanguine Agni, intra densissimam nubem et imperscrutabilis Divinitatis caliginem ingressi sunt, ubi divinus Moyses Deum Patrem alloquitur, et ad ejus dexteram sedens et compatiens infirmitatibus nostris interpellat pro nobis *. Huc autem accedere non audeat carnalis Judaeus, sed intra terminos et septa legalium praeceptorum se contineat, et longe ab imâ montis parte fumum, caliginem et ignem, fulgura et tonitrua, sonitum et clangorem tubarum, gloriam Domini, hoc est magnalia gratiae suae et prodigia sanctitatis, admiratione simul et terrore perculsus prospiciat. Procul hinc omnis fera bestia et animal immundum, ne loci sanctitatem sanguine foedet vel impuritate contaminet. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidae, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Accedant autem, qui vitalibus aquis in sacro fonte renati, vel purgati sacramento poenitentiae, amicti sunt stolis candidis; accedant, sed solutis antea calceamentis ex corio mortuorum animalium, nempe mortuis relictis operibus, quia terra sancta est. Arcta est via, arduus atque angustus est limes, et nemo tutus per eum ingreditur et ad culmen securus pertingit, nisi vestigiis insistat Christi Domini clamantis et dicentis: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam quotidie* (*Lucae* IX, 23). Ambulandum est igitur vestigiis paribus, et aemulâ ingressione nitendum; quia non est major domino suo servus, nec liberatore liberatus, et qui cupimus esse Christiani, debemus, quod Christus dixit et fecit, imitari, ut respondeat ad fidem nominis sectatio veritatis.

§ 2. Asperâ et laboriosâ hac viâ incessit fortis Dei miles Joannes Franciscus Regis, qui accinctus robore et in spiritu ambulans, calcatis desideriis carnis, et passionibus hujus temporis fortiter toleratis, per tribulationes ac contumelias, per labores et angustias, in orationibus, in jejuniis, in vigiliis ad montis evasit fastigium, *aspiciens in Auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (*Hebr*. XII, 2). Nos autem quibus supernâ dignatione commissum est fidelem Dei plebem in viam salutis dirigere, beatum Dei servum, qui ad locum latitudinis per labores et angustias transivit, qui ad coelestem patriam per hujus mortalis vitae tribulationes et aerumnas pervenit, in sanctorum munerum solemniter ex veteri more et instituto Romanae Ecclesiae hodiernâ die adscripsimus, ut, ejus propositis virtutibus et apud Deum suffragantibus precibus, per merita unius divini mediatoris Jesu Christi nostra adjuvetur infirmitas, excitetur spes, roboretur fides, accendatur

* **A sanctitatis monte qui arceatur — Arcta ejus sèmita — Quinam beatum culmen pertingat.**

charitas *. Itaque beati Dei servi, qui in coelis jam a Deo coronatus est, triumphum in terris spirituali laetitiâ exultantes in Domino celebremus; sed ita celebremus ut ejus labores, fidem, charitatem, sancteque res gestas intueamur. Celebremus ergo triumphum, laudemus victoriam, ut illius amemus virtutes, ut laboriosam vitam sanctamque conversationem, quam breviter populis pro nostro pastoralis sollicitudinis officio annunciamus, sedulo imitemur; et illius exemplo dirigatur via nostra in conspectu Domini. Angusta est, spinosa est, dura est, sed talibus tamque multis transeuntibus lenis facta est. Transiit prior ipse Dominus, transierunt apostoli intrepidi, postea martyres, pueri, mulieres, puellae, transiit novissime B. Joannes Franciscus: ejus ergo non timeamus laboriosam vitam sequi, si ejus praemium cupimus, si locum, si patriam desideramus.

§ **3**. Joannes Franciscus Regis, pueritiâ inter suos mirâ innocentiâ exactâ, positàque operâ ediscendis primis linguae latinae rudimentis in oppidulo Galliae Narbonensis, cui nomen Fons Coopertus (gall. *Fontcouverte*), ubi pridie kalendas februarii anno MDXCVII natus est, Biterras mittitur ut in gymnasio Societatis Jesu studiorum cursum absolveret. Enituit statim inter aequales eximia adolescentis virtus: nam otium et improborum consuetudinem veluti pestem declinans, non vètitis modo voluptatibus, sed etiam juvenilibus ludis abstinuit, et quod a litterarum studio supererat temporis, fundendis ad Deum precibus, piis legendis libris, serendis de Deo divinisque rebus sermonibus, visitandis templis Sanctorumque memoriis impendebat. Ut vero nec illecebris caperetur saeculi, nec diaboli superaretur insidiis, nec demum pravis commoveretur exemplis, sed partam baptismo gratiam et illibatum virginitatis florem servaret, Virginem Mariam matrem Domini pio semper coluit affectu, ut hinc sumeret exempla vivendi, ubi tamquam in speculo species castitatis et forma probitatis refulget. Nam potenti Matris Dei apud aeternum Filium Redemptorem nostrum patrocinio confisus, minime dubitabat a Deo impetraturum, ut, currenti sibi per arduas virtutum semitas, ad id, in quo humana conditio ab infirmis viribus suis destituta languescit, superna Dei gratia sufficeret, et quod non posset infirmitate humanâ, assequeretur virtute divinâ.

§ **4**. Angelum quoque sui custodem religioso cultu prosequutus est, ad beati spiritus clientelam eo fidentius confugiens, quod certo sibi persuaserat, se a Dei offensâ et aeterno animae interitu illius coelesti operâ et internis monitis, divinâ annuente misericordiâ et Christi adjuvante gratiâ, liberatum iri, quia casu quodam, qui ei adhuc puero contigit, plane compertum habebat sancti Angeli tutelaris praesidio se ab instanti mortis periculo

* **Egregium in laudem Servi Dei orationis exordium — Triumphus sancti viri ad quid celebrandus.**

ereptum fuisse. At enim probo adolescenti non satis visum est Deum colere, Deiparam, aliosque sanctos pie venerari, et, florentis aetatis et mundi calcatis blanditiis, toto animo sectari virtutem, nisi etiam plures ex sodalibus suis raperet ad Deum, quem ex toto corde et totâ mente suâ amabat. Itaque alios a juvenili licentiâ vel noxia levitate abduxit, alios ad virtutem impensius sequendam invitavit, ex omnibus sex electis, quibuscum, praescriptâ sibi vivendi formâ, ab ea, quae a clericis in seminariis servari solet, non dissimili, sanctum sodalitium pietatis inivit. Talibus praeclarae virtutis initiis prolusit ad apostolicum sacrarum missionum opus, jam tum in omnibus juvenilibus actibus praediscens Deum solum quaerere, et saluti animarum procurandae intentam mentem et devotum Deo pectus habere.

§ 5. Decimum et nonum aetatis suae annum agens, Societatem Jesu ingressus est, ubi, nunquam interrupto cursu, per altas christianae perfectionis semitas ad Deum contendens, humilitate, odio sui, contemptu mundi, paupertatis amore, orationis assiduitate, divinaeque gloriae studio, ceterisque christianae religionis virtutibus, iis ipsis, a quibus in pietatis decurrendo stadio institui quaerebat, admirationi atque exemplo fuit. Postea autem demandato sibi humanas litteras edocendi munere, teneros adolescentium animos non tam litterarum scientiâ quam pietate in Deum imbuendos curabat. Itaque saepe de diligendo Deo, de obeundis christianae vitae officiis fugiendoque peccato, et privatim et publice cum discipulis sermonem habebat: quaeque in scholis ex ethnicorum libris explicari solent, quaeque ab adolescentibus scribi tractarique exercitii causâ consueverunt, huc referebat omnia ut eorum animos non modo eruditione excultos sed etiam probos sanctosque efformaret: quod tam diligenti curâ et tam uberi fructu per septennium explevit, ut ejus discipuli a ceteris gravitate morum vitaeque innocentiâ discernerentur.

§ 6. Ad sacerdotii sublime fastigium prae animi modestiâ reluctans atque invitus superiorum jussu ascendit: sacerdos autem factus, cogitans quomodo Deo placeret, cum plane intelligeret nullum certiorem gradum ad Dei amorem esse quam hominis erga hominem charitatem, totum se sublevandae egentium inopiae et procurandae animarum saluti devovit. Nemo propterea hominum erat, quem ampla ejus non complecteretur charitas; potissimam tamen pauperum curam gerebat, sequens Christi Domini exemplum, qui, ut humanam superbiam retunderet, cum, ad sanandum reguli filium, illius domum rogatus ire noluisset, ad centurionis servum, non invitatus, ire paratus fuit. Ita ejus servus, spiritu Dei plenus qui super humiles requiescit et humilibus dat gratiam, vili atque humili plebi se praebebat *, et pauperibus magisque indigentibus ferebat auxilium, spectabatque in

* **Erga pauperes et aegrotos singularis dilectio. Vide et §§ seqq.**

hominibus imaginem qua ad Dei similitudinem facti sunt, et pretium magnum quo redempti sunt, non autem honores et divitias et pompas et vanitatem seculi. Intimis igitur animi sensibus et totis charitatis visceribus, cum pauperum angustias cerneret, commovebatur. Nullum genus erat calamitatis, quod non sublevaret; nullus aeger, cui non succurreret; nullus miser, cui opem non ferret: alios verbis consolabatur, aliis opere subveniebat. His natum atque inserviendis addictum se putabat, his diurnam nocturnamque operam in ergastulis, in nosocomiis, in eorum casis praestabat: duos praesertim aegrotos, seu potius hominum cadavera, quae foeditate morbi et maleolenti odore omnes a se averterant, ipse adivit, solatus est, et omni officiorum genere fovit: miracula et prodigia fere non in aliorum quam in pauperum gratiam atque in miserorum auxilium patrare videbatur.

§ 7. Despectis insolentis vulgi ludibriis et puerorum exsibilationibus, visus est per mediam urbem et confertas populo vias ire onustus stramentorum fascibus, quos emendicando paraverat, ut aegrotantibus egènis lectum sterneret. Cum cessante commercio, languescerent artes, et artificibus nihil valeret industria ut se suamque familiam alerent, eorum opificia ad divites mercatores ferebat, eosque exorabat ut aequo pretio emerent*. Puellis, quarum res domi angusta erat, ne egestate opprimerentur aut corrumperentur otio, ipse opera feminei artificii facienda quaerebat, ut laboribus suis viverent, nec aliis oneri, nec sibi detrimento atque exitio essent. Ostiatim stipem emendicabat, ut deinde collectam ad alendos pauperes et sustentandos carcere inclusos distribueret. Pupillorum et viduarum causas apud judices strenue tuebatur, ne divitum potentiâ oppressi, vel improborum fraude circumventi, damnum atque injuriam acciperent. Itaque miserorum perfugium, pupillorum tutor, viduarum defensor, esurientium cibus, calamitosorum spes, aegrorum solatium, communis omnium parens erat atque ab omnibus vulgo appellabatur.

§ 8. Montem Falconensem oppidum, vicinaque loca, quo ad hibernas missiones ineunte anno MDCXL advenerat, atrox pestilentia invaserat; omnium, qui erant contagioso morbo correpti, curam alacris suscepit, contemnens praesentis mortis periculum, cui vivere Christus erat, mori autem lucrum. Anicii gravi saeviente fame, ingentes pauperum greges pauper ipse, solâ Dei providentiâ confisus, alendos suscepit, et, subsidiis undique industriosâ charitate et piâ sollicitudine corrogatis, ter etiam multiplicato per miraculum frumento, sustentavit. Siquidem renovavit benignissimus Deus per manus servi sui prodigia Eliae in multiplicatione frumenti quod in alimoniam pauperum, in summâ illâ caritate annonae, feminae custodiendum tradiderat. Nam servo Dei jubenti ut pauperibus distribueret, respondit illa arcam jam frequentibus

* Industrius charitatis zelus.

largitionibus exhaustam fuisse; jussa autem inspicere, imperioque parens, frumento exundantem invenit: nec id semel, sed tertio contigit. Sed quoniam perfecta dilectio, quae ab amore Dei proficiscitur, agit quidem quantum potest ut proximus salvus corpore salvusque animo sit, sed curam corporis ad sanitatem animi refert; ideo beatus Dei servus curabat ut per temporalia subsidia homines ad Deum traheret, et per corporalem alimoniam coelesti evangelicae doctrinae cibo reficeret. Quare Anicii ter quaque hebdomadâ omnes in ecclesiâ convocatos erudiebat; saepenumero eorum audiendis confessionibus noctes prorsus traduxit insomnes; tanto enim animi studio et charitatis ardore eorum invigilabat saluti, ut nullos labores, nulla vitae incommoda sentiret *.

§ **9**. Numerosâ semper pauperum turbà, ubicumque degeret, stipatus erat: moleste atque inurbane in eum irruentes, suavi excipiebat benignitate, et admirabili ferebat patientiâ; aliorum sublevans corporis angustias, aliorum sanans animae infirmitates, nullum a se, si minus temporali succurrere posset, spirituali auxilio destitutum praeteribat: sui enim oblitus, id unum prae oculis habebat ut omnes Christo lucrifaceret. Haec erat omnium votorum et cogitationum suarum summa, regnum Christi amplificare, Dei gloriam et hominum salutem promovère; ideo quandoque dicebat, se nequaquam recusaturum coeli deliciis serius frui, si eâ dilatione sibi concederetur ut plures ad Dei agnitionem amoremque perduceret. Quare id unum diu noctuque propositum habebat, id vigili curâ, insomni studio, ardentique charitate curabat in urbe, in agris, in templis, in foro, in custodiis publicis, in nosocomiis, in privatorum aedibus, in eo demum, quod poenitentibus mulierculis extruxerat, coenobio, ut bonos inflammaret ad virtutem, scelestos et improbos revocaret a vitiis, curaret languidos, foveret tepidos, sanaret infirmos, sanos validosque ad currendum in viâ Domini impelleret.

§ **10**. Vitiis bellum indixerat, et quietem, famam vitamque ipsam parvipendens, neque laboribus, neque angustiis, neque minis, neque metu, neque ullâ periculorum denunciatione retardabatur, quominus in discrimine aeternae salutis versantibus accurreret, flagitiosos homines a peccatis revocaret, perditae famae profligataeque pudicitiae mulieres e turpitudinum coeno educeret, orbas parentibus puellas, quarum pudicitia periclitabatur, in tuto collocaret; saepe a flagitiosis hominibus multis obrutus injuriis, atque etiam verberibus graviter caesus, dum a luporum rapacium manibus innoxias vel infirmas animas abstrahere conatur; saepe ab improbis nebulonibus deceptus, et contumeliis atque opprobriis vexatus, dum quasi ad moribundi confessionem audiendam per jocum ac ludibrium evocatur: numquam tamen fieri potuit

* **In misericordiae officiis potissimum animabus consulendum.**

ut nocturnam morientibus operam, etiam cum suo gravi damno et detrimento conjunctam, praestare omitteret; aut, ut in procurandâ animarum salute remissius ageret; aut, ut egentibus atque aegrotis opem per se ipsum, si necessitas urgèret, cunctantius afferret: quippe bene redemptam existimabat quolibet suo famae vel capitis periculo quamcumque opem atque auxilium, quod hominibus vel inopiâ vel infirmitate afflictis vel de animae salute periclitantibus ferre posset *.

§ **11**. Biberat enim calicem divini amoris, de quo ait Propheta: *Calix tuus inebrians, quam praeclarus est*, et inebriatus fuerat ab ubertate domus ejus. Hoc enim calice inebriati *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v, 41); hoc inebriati martyres, laeti euntes ad tormenta, ad leones, ad gladios, ad flammas, ad necem, non agnoscebant uxores flentes, non filios, non parentes, non amicos: hoc inebriatus beatus Dei servus Joannes Franciscus, non labores, non angustias, non dolores, non contumelias, non infamiam, non mortem ipsam videbat; sed omnia terrena bona fluxa et caduca parvifaciens, nihil erat tam arduum, tam difficile, tam laboriosum, tam cum vitae et mundani honoris discrimine conjunctum, quod non ultro laetus et alacris pro Dei gloriâ et animarum salute aggrederetur, in omnibus exhibens se ipsum sicut Dei ministrum in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate. Mirum dictu est, quot procellis jactatus, quot probris exceptus et maledictis laceratus, quot injuriis et contumeliis appetitus, quam saepe conspersus luto, in coeno conculcatus, verberibus contusus, plagis pene ad mortem usque vulneratus fuit. Mansit invictum ad mundi procellas evangelicum sacerdotalis pectoris robur; et domum, quae aedificata fuerat supra firmam petram, nec furentes improborum turbines, nec violenti tribulationum fluctus prostravère: mens in pietate solida, in fide firma, Deo devota, non victa est tentationibus aut periculis, sed probata.

§ **12**. Majori enim semper animo et erectiori mente, primis superatis aut laboribus aut periculis, ad nova imperterritus pro Dei gloriâ veniebat. Itaque, edoctus magisterio dominico, saepe unam percutientibus maxillam, alteram laetus exhibuit; minantibus stricto gladio necem, vel caput obtulit, vel pectus aperuit, sciens animam, qua diligebat Deum, mori non posse, nisi ab ipsâ Dei dilectione, ob quam mors intentabatur, cessaret: si quis illius vicem doleret, corripiebat, admonens eum ignorare quantum in tolerandis pro Christo opprobriis voluptatis inesset. Sed qui propriis non movebatur malis, alienâ sorte moerebat, miserans adversariorum caecitatem, furorem excusans, calamitatem

* **Praeclara hoc et seqq. §§ tolerantiae et mansuetudinis exempla.**

deplorans, et fervidis ad Deum precibus pro eorum salute deprecabatur, atque ita, quemadmodum servi Dei solent, se de suis inimicis ulciscebatur, ut cujusque animum, quo magis sibi experiretur infensum, eum majoribus demulcèret officiis charitatis.

§ **13**. Etenim una erat sollicitudo, una cura, una cogitatio, ne Deus peccatis hominum offenderetur; ideo, cum id vel audiret vel videret, maxime si prohibendi facultas nulla superesset, intimo doloris sensu urebatur, ut ex oculis lacrymae, e pectore suspiria prorumperent, et interdum, prae doloris magnitudine, pene animo deficeret, ut recte cum sancto Davide exclamare posset: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam* (*Ps.* 118). Plenâ enim et integrâ charitate in Deum flagrabat, Deum menti praesentem ubique habebat, quem assidue in corde gestabat, neque ab ejus suavissimo complexu ullâ re avellebatur: nullus illi erat sermo, nisi de Deo divinisque rebus; Deum in prosperis laudabat, ad Deum confugiebat in adversis, eum consulebat in dubiis, in eo omnes delicias et voluptates, omnem consolationem et gaudium, quod non datur impiis, collocatum habebat: magnam noctis partem orans transigebat; quando poterat, in ecclesiâ coram sacrosanctâ Eucharistiâ immaculatam hostiam quotidie Deo immortali offerebat, eâ coelestis suavitatis dulcedine, eo fervore charitatis, ut pene a sensibus alienatus videretur.

§ **14**. Rebellantis carnis motus salutari poenitentiae disciplinâ obterendi sunt, et terreni corporis infesta labes spiritali vigore calcanda est. Ut igitur caro, quae concupiscit adversus spiritum, omni terrenae infirmitatis pondere deposito, ad Deum anhelantem spiritum sequeretur, servus Dei, ceteris omnibus suavis et mitis, uni sibi asper sancteque inimicus, corpus domabat asperrimo cilicio, cruentis flagellationibus, brevi somno, eoque super nudâ tabulâ aut humi capto, aquae potu, vilique et modico cibo, quo mortem arceret potius quam famem pelleret, se, ut Deo viveret, sustentabat: itaque omnes animi motus adeo compositos atque in suâ potestate habebat, ut nullus unquam in eo observatus fuerit, qui ad exactam christianae perfectionis regulam non conveniret: nunquam de se suisque rebus in gloriam Dei et proximorum salutem gestis verba faciebat; gratulantibus autem de tot pertinacibus haereticis conversis ad fidem, et innumeris peccatoribus ad poenitentiam traductis, modeste respondebat: *Non ego, sed Deus*.

§ **15**. Honore ab aliis affectus et laudibus ornatus, vehementer dolebat et graviter tristabatur laudem sibi tribui, quae Deo soli deberetur, palam dictitans, si probe notus esset, ac pro merito tractaretur, se praetereuntium pedibus, ut vilissimum omnium mortalium, proculcatum iri. Nam ex veracissimâ divinae magnitudinis et humanae parvitatis agnitione et abjectissimae filiorum

Adam conditionis intuitu, in se ipso quod suum erat contemnes, et omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum esse cognoscens, persuasum habebat nullam esse infamiam aut injuriam quam non promeruisset: ideo, si quispiam eum, ut saepe contigit, alapis aut verberibus pessime acciperet: *Gratiam habeo*, inquiebat; *pro certo habe, me pluribus dignum esse.*

§ **16**. Mansuetus, mitis et beneficus erga omnes, angelicam quamdam modestiam in verbis, incessu, vultu, totiusque corporis habitu praeseferebat, ut spectantium animis reverentiam et venerationem sui et amorem virtutis injiceret. Divinus enim amor, intus latens in pectore, transiverat in decus corporis, et internam sanctitatem externa prodebant signa virtutum: profecto amorem erga Deum et animatam charitate fidem sanguine suo testatam facere, et vitam ipsam pro Deo profundere ardentissime cupiebat, ut ei non defuisse credendum sit coronam martyrii, cujus animus patiendi non defuit. Nam praeter certa famae et capitis pericula, quae pro Dei amore libenter atque ultro subivit, non semel dicere auditus est: *Quid mihi optatius, quam pro Christo mori?* Et ad Canadensem missionem, ut mortem pro Christi nomine oppeteret, proficisci voluit; sed altissimo divinae providentiae consilio ei concessum non est, ut suae gentis utilitati serviret. Quippe ultimos decem vitae annos in sacris peragendis missionibus impendit, quorum sex primos, partim in inferiori Occitaniâ *, partim in Vivariensi, Valentinâque dioecesi, novissimos autem quatuor in restituendâ stabiliendâque apud Velaunos **, Vivariensibus finitimos, pietate collocavit. Anicii autem, quod provinciae caput est, aestivum tempus traducebat, hyeme vero agebat in circumpositis urbi locis, cum, frigore et nivibus ab agrorum culturâ coloni impediti, in suis tuguriis et mapalibus otiantur.

§ **17**. Modus autem ac ratio vitae, quam sibi ab initio constitutam ad finem usque in missionibus constanter servavit, hujusmodi erat. Horas nonnisi binas, vel ad summum ternas somno concedens, reliquam noctis partem meditando, precando, concionesque parando impendebat. Ubi ad destinatum locum pervenerat, imbre licet madidus, aut nive perfusus, itineris lassitudine et labore confectus, divini auxilii exposcendi causâ, rectâ se ad ecclesiam conferebat, quam si clausam reperisset, prae foribus in genua provolutus, vel humi prostratus, Deum tanta spiritus contentione orabat, ut nec vi frigoris, nec ubertim quandoque cadentibus nivibus a piis cum Deo colloquiis avocaretur. Postridie summo mane ecclesiam ingressus, obviâ familiarique oratione aliquod doctrinae christianae caput explicabat, operam deinde dabat peccata confitentibus; mox dicebat ad populum, apostolico zelo et animi contentione vitia exagitans, impellensque

* Linguadoca, Provincia Galliae meridion. Vide MARTYROL. ILLUSTR. maji, p. 437.
** Galliae Aquitanicae populi et urbes hic memorantur.

ad virtutem: quo peracto, sedebat rursus in sacro poenitentiae tribunali, quoad, oblato divinae hostiae sacrificio, matutinum tempus clauderet. Pomeridianum transmittebat erudiendis pueris, visitandis aegris, pauperibus sublevandis, sedandis litibus, et dissidentibus in mutuam gratiam reducendis. Sub vesperam iterum concionabatur, confitentes subinde audiebat ad multam noctem, adeo ut saepe adhuc jejunum a sacro tribunali parochi vel populi ipsi veluti per vim avellerent.

§ **18**. Sermo et praedicatio ejus *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (1. *Cor.* II). Nam simplex quidem, incompta et popularis oratio, sed verbis inerat quaedam occulta vis et coelestis gratiae virtus quae audientium corda penetrabat, et eorum mentes atque animos sive ad fugiendum vitium, sive ad amplectendam virtutem facile impellebat. Accedebat actio ipsa vehemens et zelo Dei incensa, voxque mire ad movendum efficax, ardoris nempe et suavitatis plena, et, quod longe majus est, constans atque firma apud omnes opinio verae, non adumbratae virtutis, cui respondebant habitus oris ad modestiam et humilitatem compositus, sancta sine fuco simplicitas poenitentiam praesèferens et paupertatem, omnia demum coelestem quamdam spirantia sanctitatem, quae aspectu ipso commovebant animos, et ad Dei amorem rapiebant. Hinc incredibilis fiebat ad eum auscultandum, sive ex aequo sive e superiore loco de rebus divinis dissereret, hominum concursus cujusvis generis, cujusvis conditionis, cujusvis aetatis, ipsique adeo haeretici, virtutis admiratione capti, catholicorum ardorem quodam modo aemulari et vincere certabant *.

§ **19**. Difficile est hominum inire numerum, quos vel ab omni genere flagitiorum ad bonam frugem reduxit et in eâ confirmavit, vel ab haeresi ad Ecclesiae catholicae sinum revocavit; et quod mirabilius est, plures catholicos adversus ipsum pessime animatos et hostili odio incensos, pluresque calvinianos in suis erroribus pertinaces, et quorum conversionem frustra alii catholici dogmatis doctores aggressi fuerant, paucis ipse verbis, sceleribus, erroribusque ereptos, christianae virtuti, catholicaeque veritati restituit. Itaque ubicumque evangelici seminis serendi causâ per aliquod tempus degerat, conspiciebantur compressa odia, extincta dissidia, expulsa impietas, debellata impudicitia, haeresis multorum animis evulsa, perditissimis etiam mulieribus inspiratus amor castitatis, restitutus sacramentorum usus, pueri et majoris aetatis homines in christianâ doctrinâ rite instituti, mores omnium immutati, et ad christianae pietatis regulas conformati: tales erant ejus laborum et apostolici zeli fructus, talia ejus sanctitatis et evangelicae praedicationis illustria monumenta.

§ **20**. Sacro autem verbi ministerio primum per aliquot dies

* **Apostolici labores heroice et miro animarum fructu exantlati; vide et seqq. §§.**

diligentem navabat operam in oppido vel pago, qui, totius regionis tractus, hominum frequentiâ et loci quadam dignitate princeps quodammodo erat; deinde curas et labores suos ad loca vicina conferebat; nullus erat locus tam incultus, tam agrestis, quo sua eum charitas non propelleret: per vias situ aspectuque horridas, per aperta vitae pericula, rusticos in sylvis et montibus, in suis mapalibus, seu potius latibulis, sparsim degentes studiosissimus animarum venator, pedes semper, et jejunus, ut plurimum, vel modico cibo refectus, investigabat quos erudiret, quos solaretur, quos omni ope sublevaret; exemplo evangelici pastoris, qui, relictis nonagintanovem, vadit ad ovem quae perierat, donec inveniat eam, et, si invenerit eam, suis humeris imponit gaudens, et ad ovile reducit. Quaerens igitur deperditas oves, ibat anxius et sollicitus, actus impetu divini amoris indefesso cursu per ardua et immania quaeque tendentis; iter faciebat per invia plerumque nèmora, per abrupta montium asperrimorum juga, per duratam frigore glaciem, per congestas vel solutas stagnantesque exundantibus aquis nives, per densissimos imbres, procellososque hiberno coelo ventos, per angustos tramites praecipitiis vallatos, per quos manibus pedibusque reptare nonnunquam cogebatur: nihil est enim tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur.

§ **21**. Nullis igitur deterritus incommodis, nullis retardatus periculis, saepe per ignotos calles rectâ deerravit viâ, saepe in desertis mapalibus imbri et frigori apertis pernoctavit, saepe cum rerum omnium inopiâ conflictatus est: arduum aliquando montem superare aggressus, errante per glaciem et nivem vestigio, ita corruit ut crus frangeret; baculo tamen innixus et a socio sustentatus, seu potius divino fretus auxilio, continuavit iter, et cum ad locum, quo tendebat, pervenisset, humanis deficientibus remediis, crus divinitus sanatum est, et obducto callo, mirabiliter coaluit. Viribus interdum adeo fractus erat, ut pedibus consistere non posset: non semel contigit, ut e suggestu descendens, animo linqueretur: sed nullo commovebatur periculo: omni spe ac fiduciâ in Deo repositâ, quaecumque temporum, locorum, negotiorumque facies esset, eumdem oris habitum quietum et serenum praeseferebat, et tranquillissimâ animi Deo inhaerentis dulcedine fruebatur: placebat sibi in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmabatur, tunc potens erat, coelestibus affluens deliciis, quibus servos suos benignissimus Deus consolari solet.

§ **22**. Itaque post evangelicae doctrinae semen in multis locis disseminatum, missionem Lalovesci (*Louvesc*), ignobili Viennensis dioecesis pago, in horridis Helviorum montibus posito, ultimis Adventus dominici diebus habendam incipit, quam sibi fore

postremam, Deo docente, praevidit. Intolerabilis tunc, adultâ jam hyeme, erat vis frigoris, et inexplicabilis viarum difficultas, inter inaccessos montes nivibus ac glacie coopertos, vallibusque difficillimis interjectos, superanda occurrebat; nihilominus, Dei nomine invocato, in viam se dedit. Ad ceteros durissimos illius itineris casus accessit, quod rectâ deerrantem viâ, cum nox supervenisset, et nemo eum hospitio acciperet, in derelicto tugurio, ventis ac nivibus pervio, intempestam et perfrigidam noctem ducere necesse fuit. Et quoniam sudore madidus ob laborem itineris constiterat, concrevit aspero frigore constrictus sanguis, et làteris dolore gravissimo simulque acuta febri correptus est. Sed super omnem laboris magnitudinem et poenarum angustias, ferventis amoris vi in Deum raptus, trahensque secum terrenum corporis pondus, liber et admirandus supervolitavit animus pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur.

§ **23**. Pervenit Lalovescum, ubi Deum solum quaerens, ad coelestia sola aspirans, nullo cuiquam verbo de infirmitate corporis facto, concionem habuit ad frequentem populum e vicinis montibus collectum, in qua labentis corporis imbecillitatem amantis animi fervor et apostolicus sacerdotalis pectoris vigor sustinuit. Inde, nullo sumpto ad respirandum spatio, poenitentes, confessionibus totâ die auditis, Deo reconciliavit. Postridie erat Natalis dominici dies: licet deterius semper se haberet, ter ad populum verba fecit, et reliquum temporis in sacro tribunali sedit. Idem fecit in sequenti die, donec, exhaustis prorsus viribus et animo deficiente, humanae conditioni cedere coactus, concidit. Vix post quartam horae partem spiritu recepto, confessiones audire perrexit, ad focum assidens in domo parochi, quo fuerat a rusticis deportatus; sed cum iterum animo linqui coepisset, in lecto repositus est, ubi totius anteactae vitae sacram exomologesim, quam paucos dies ante peregerat, iterum fecit. Postea ingravescente morbo, ut summam Christi nascentis humilitatem paupertatemque, quam totius vitae tempore impense dilexerat, in ultimo vitae actu exactius ac diligentius imitando exprimeret, in stabulum deferri precatus est. Sed, ne citius deficeret, jussus lecto se continere, ibi sacrosanctae Eucharistiae viatico et extremae unctionis sacramento munitus, dexterâ Crucifixi imaginem tenens, et ad coeleste regnum et immortalis gloriae coronam a Christo Domino et Virgine Mariâ invitatus, qui se videndos ei praebuerunt, animâ divino Salvatori commendatâ, inter pauperum et rusticorum turbas, quibus juvandis et erudiendis omnem vitam suam ac labores impenderat, hilari ac sereno vultu spiritum Deo reddidit circa mediam noctem ultimae diei exeuntis anni MDCXL.

§ **24**. Ut vero Dei servus ex hac mortali vitâ decessit, una

omnium vox fuit, sanctum obiisse; et quamvis rigidissimum anni tempus vias faceret impeditissimas, tamen ad hanc vocem, quasi in vicinis locis omnibus ac montibus exaudita fuisset, duo supra viginti parochi et tam densa convenere montanorum agmina, ut, propter infinitam populi multitudinem concurrentem ad videndum et osculandum defuncti corpus, differri in alium diem funus oportuerit. Postmodum, percrebrescente sanctitatis ejus ac miraculorum famâ, Lalovescus exiguus antea vicus, paucis tantum constans casis et tuguriis, coepit incolis frequentari, et quotannis redundare ingentibus advenarum catervis, eo per asperrimos montes confluentium ad beatos apostolici viri cineres venerandos, et opem ejus in variis morborum et calamitatum generibus implorandam.

§ **25**. Itaque a bonae memoriae Armando de Bethune Aniciensi Episcopo auctoritate ordinariâ anno MDCLXXVI confectus est processus super vitâ et miraculis servi Dei..... Sed quoniam tot miracula non poterant propter multitudinem singula seorsim expendi, et multorum, variis de causis, ut accidere solet, legitimae necessariaeque probationes vel deperierant vel haberi non poterant, nonnullis ex omnibus selectis, et in pluribus congregationibus S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum per triennium discussis, duo anno MDCCXV praedecessor noster Clemens XI decreto suo approbavit: miraculum scilicet repentinae liberationis Joannae Mariae Peret monialis a diuturnâ inferiorum artuum ad motum impotentiâ et hydròpe-tympanite, et miraculum instantaneae sanationis Joannis Gasparis Montereymar Aniciensis ab enormi herniâ. Et demum, anno insequenti, idem praelaudatus Pontifex servum Dei Joannem Franciscum in Beatorum Confessorum numerum solemni ritu adscripsit.

§ **26**. Ab illo tempore non destitit Deus pluribus miraculis sanctitatem servi sui magis magisque testari, ut in ejus gloriam erga ejus fidelem servum cultus et veneratio augeretur. Etenim vere pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, quando, nec terra carnis, vitâ deserente, contemnitur, et invisibili animâ de domo visibili discedente, habitaculum servi curâ Domini custoditur, et in gloriam Domini a conservis fidelibus honoratur. Itaque novis apostolicâ auctoritate processibus in Galliâ conscriptis de miraculis quae per intercessionem B. Francisci post ejusdem beatificationem omnipotens Deus operatus est, septem examini sacrorum rituum Congregationis coram nobis habitae propositis, duo XIX die mensis martii currentis anni (MDCCXXXVII) approbavimus, videlicet: Primum, instantaneae liberationis Mariannae Forget ab ingenitâ in infernis artubus ad motum impotentiâ, Tolosae in ecclesia Societatis Jesu, dum beatificationis solemnia peragerentur; secundum, instantaneae sanationis sororis Mariae Theresiae *de Montplaisant* monialis professae in monasterio

Visitationis civitatis Sanctiamoris dioecesis Lugdunensis ab ingenti duritie seu tumore in ventre, acutâ febri, aliisque exitialibus symptomatibus morti jam proximae, nullo remanente morborum vestigio, ac viribus incontinenti receptis (*a*).

§ 27. Denique venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in generali sacrorum rituum Congregatione unanimi sententiâ suffragium ferentibus, ad solemnem beati Joannis Francisci canonizationem tuto deveniri posse, implorato prius a Patre luminum praesidio, die v Aprilis solemniter decrevimus.... Convenit autem ut Deum coeli benedicamus, et coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam, agnoscamusque, non sine magnâ Dei providentiâ factum esse, ut hisce afflictis Romanae Ecclesiae temporibus, quibus maxime multiplici Sanctorum suffragio indigemus, novus hic suffragator et patronus fideli populo tribueretur. Quamobrem eumdem Patrem misericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut, per intercessionem S. Joannis Francisci, Ecclesiae suae pacem et tranquillitatem, regibus et principibus concordiam et unionem, schismaticis et haereticis agnitionem veritatis et salutis, miseris infidelibus catholicae fidei lumen largiatur.

VITA S. LUTGARDIS VIRGINIS

ORDINIS CISTERCIENSIS

AUCTORE COAEVO FR. THOMA CANTIPRAT. DOMINICANO.

STYLUM PASSIM ELIMAVIT L. SURIUS.

Obiit anno 1246 — E Gallia Belgica.

§ 1. Lutgardis ex illa quondam Tungrorum celeberrima civitate (*Tongres*), patre cive, matre nobili traxit originem. Pater autem tenerrime illam diligens, et secundum saeculi fastum cupiens eam florère et prosperos habere successus, cuidam mercatori dum adhuc juvencula esset viginti marcas argenti dedit, ut ex his, donec ea adolesceret, multiplicatis, copiis lucrisque paratis, dos nupturae filiae augeretur. Interim crescens puella, et quid ejus causâ fieret animadvertens, quantum illa aetas patiebatur, ad nuptias inhiabat. Sed pius Dominus futurorum praescius, *qui*

(*a*) Adeo crebra ad B. Joan. Franc. Regis tumulum patrabantur signa, adeoque frequentes ad eum venerabundi confluere coeperant peregrini, ut brevi templum assurgeret in ejus repositionis loco. Debacchante scelestorum labentis XVIII saec. Gallico motu, inclyti Confessoris ossium incolumitati provisum est; subducta quippe Lalovesco, in villa *Grange-Neuve* delituere curâ eximii civis *Buisson*. Anno autem MDCCCXXXIV, admodum solemniter inde ad pristinam suam aedem, ubi hactenus religiosissime asservantur, sunt relata.

vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt (*Rom.* IV); frustrato patris ejus consilio, de Lutgarde, sibi potius desponsanda, aliter disponebat. Ille enim qui Lutgardi destinatam pecuniam negotiationibus augmentandam susceperat, crebro in Britanniam trajiciens et per multos adversos casus diffluens, ad unam marcam redegit viginti, aliis plane dissipatis. Sed neque sic tamen aut patris propositum aut effrontem filiae impudentiam ea res retardasset, nisi matris instantia mentem filiae modo minis, modo blandimentis emollisset, ita illi dicentis: « Si Christo nubere volueris, monasterium tibi quodcumque voles honestissimum conciliabo. Sin autem mortalem sponsum malueris, non nisi bubulcum habebis. » His itaque hujuscemodi verbis aliis et mariti votum et filiae voluntatem ad salubrius propositum inclinavit. Etsi autem Lutgardis delectaretur ornatu vestium, at tamen fugiebat prorsus amatorias confabulationes et ineptias puellares; et licet necdum cognosceret Dominum, in corde tamen cum sola esset, intus nescio quid divinum sentiebat.

§ 2. Ubi igitur annos duodecim excessit, in monasterio sanctae Catharinae, quod est prope oppidum S. Trudonis in Hasbania, inter Deo sacratas virgines Ordinis S. Benedicti, divino servitio mancipatur. Cumque juvenis quidam genere et opibus praestans illam procaret, animum illius interdum verbis nonnihil permovere coepit, observansque tempus et locum, clam nocte quadam, domum, in qua virgo jacebat, adire tentavit: sed cum accessisset, repentino timore correptus aufugit. Institit vero miris modis diabolus, ut ad consensum animum puellae inclinaret; sed non permittente Deo, ejus conatus irriti fuere. Sedente autem quandoque simplice puellâ, et cum juvene illo colloquente, apparuit ei Christus ea formâ qua olim inter homines versatus fuerat, pectorique vestem suam dètrahens, qua tectus videbatur, vulnus làteris ei ostendit quasi recens cruentatum, dixitque ei: « Blanditias inepti amoris posthac vide ne requiras: hic jugiter contemplare quid diligas, et quamòbrem diligas, hic ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. » Hac illa visione et oraculo pavefacta, statim oculis cordis inhaesit illi quem viderat, et ut eum acciperet, meditabatur ut columba: moxque superno illustrata splendore, totius vanitatis a se sensit abstersam caliginem. Cumque eam vidisset die quodam matrona nobilis et devota, spiritu prophetico dixit: Tu, ut video bona es Agnes, et revera altera Agnes eris. Subito vero adest juvenis supradictus, et coepit suos replicare sermones. Cui illa, ut quondam Agnes beatissima, hianti ore respondit: « Discede a me pabulum mortis, nutrimentum facinoris: quia jam ab alio amatore praeventa sum. »

§ 3. Alius quoque juvenis, armis miles, eam jam Deo sincerius inhaerentem, nihilo minus adamavit: et cum multis annis renitentem animo procaret, illa primum modeste, postea vero

severiter eum a se avertit. Cernens autem eum in stultitia pertinacem, etiam contumeliosis sermonibus eum a se repulit. Ille vero contemptum se dolens, cogitat quidnam faciendum sibi sit. Et ecce Lutgardis accìta a sorore sua, iter arripit. Id ubi rescivit juvenis, obviam illi proficiscitur cum turba satellitum, rapere illam volens. Sed puella ab equo desiliens, ex illius manibus multa vi se extorsit, totaque nocte fugiens, per sylvarum dèvia, angelo ductore, ad domum nutricis suae mane pervenit. Eam autem ut nutrix vidit, suspicata raptum, dixit ei: Num te hac nocte juvenis ille vi oppressit? Respondit illa: Nequaquam. Cum autem juvenis ab equo descenderet eam rapturus, quidam ejus satelles equum freno tenens, suam ei ad eam rem operam navavit. Clamavit ergo virgo Lutgardis ad illum: « Hac manu, qua nunc frenum tenes equi militis me infestantis, tale quippiam brevi designabis, quod tibi ignominiae perpetuam in hoc seculo notam inuret. » Et ecce ubi ille domum fuit reversus, mox ea ipsa manu propriam suam uxorem interfecit. Ea causâ expulsus e patria, rebus omnibus privatus est.

§ 4. Postquam autem Lutgardis ad monasterium reversa est, ab omni fere hominum colloquio et consolatione se subducens, tota rebus coelestibus inhiabat. Quibusdam autem aemulis arctiorem ejus vitam, quam imitari non possent, carpentibus, atque dicentibus: Sinite eam, dum fervor in motu est: ubi ille tepuerit, non absque rubore redibit ad ea quae nunc stulta contemnit: Lutgardis id audiens, cum multa humilitate sibiipsi timere coepit, et pavida formidare, ne forte quandoque acciderent quae aetate provectiores de ipsa dicebant. Apparuit autem ei beatissima Christi Mater vultu gratulabundo, et ait: « Non sic erit, charissima filia, ut tu times. Non rècides in peccata: sed mea te solicitudine protegente, firmaberis in salutem: nec minuetur in te gratia et virtus, sed cumulabitur. » Fuit ea nimirum praeclara et amplectenda promissio. Quando in oratione Domino suaviter jungebatur, et eam aliquod ingens negotium foras evocabat, quasi amico familiariter ei dicere solebat cum magna cordis simplicitate et puritate: « Expecta me hic Domine Jesu: ubi me expediero, celeriter ad te revertar. » Mira profecto virginis simplicitas, mira Salvatoris humanitas erga illam. Paratum enim illum in omni loco dominationis suae, paratum in quovis negotio experta est.

§ 5. Eodem fere tempore beata Catharina virgo et martyr, ejus loci patrona, cum ingenti gloria apparuit illi flenti pariter et oranti. Cumque multum pavida suppliciter eam rogaret Lutgardis, ut pro ipsa Dominum deprecaretur, illa respondit: « Confide filia, semper enim gratiam suam Dominus augebit in te, donec per summum vitae fastigium, praecipuum inter virgines meritum consequaris. » Quodam etiam tempore eadem sanctissima virgo

Catharina cuidam devotae foeminae apparens, dixit: « Lutgardem tibi interventricem et matrem adsciscas quae ab omnipotente Deo parem mihi in coelis locum obtinebit. » In sacratissima Pentecoste monialibus in Choro cantantibus, *Veni creator Spiritus*, ii qui in Choro erant, perspicue viderunt Lutgardem ad duos cubitos in aëra sublatam. Felicem illam quae tali miraculo meruit declarari: et corpore sublevari a terra quae jam animâ exultans in Domino, in coelum sustollebatur. Obtulit sane seipsam quotidie Domino holocaustum gratuitum, corpus afficiens inediâ et jejuniis, et spiritum ab oratione non relaxans. Ne autem in cordibus sororum quae eam non nihil aemulari videbantur, suspicionis alicujus scrupulus haereret, Christus sponsam suam ejuscemodi miraculo cohonestavit. Cum illa crebro vigilias continuaret, quadam nocte super eam viderunt moniales non brevi spatio quoddam luminis jubar, quod ipsum quoque Solis splendorem vinceret. Quod quidem lumen intro diffusum, non solum in illa, sed in aliis quoque quae illud viderunt, vitae gratiam augmentavit.

§ 6. Movebatur vero commiserationis affectu et pietatis spiritu mirum in modum erga aegrotos et debiles, adeo ut ipsis afflictis condolens, plus ipsa spiritu affligeretur. Contulit ergo illi Deus ita generatim gratiam curationum, ut si quid esset vitii in oculo, vel in manu, aut pede, vel caeteris corporis membris, ad contactum salivae vel manus ejus protinus curaretur. Cumque ea causâ hominum multitudine et frequentiâ obrueretur, saepiusque in oratione impediretur, dixit ad Dominum: « Quorsum mihi isthaec gratia Domine, cujus causâ toties distineor, ne possim vacare tibi? Aufer eam a me, sed ita ut meliori munere commutetur. » Respondit Dominus: « Quid vis igitur ejus loco accipere? » Tum illa: « Volo, inquit, ut pro majori devotione possim intelligere Psalterium. » Praestitit hoc illi Deus. Ut enim illo tempore probatum est, Psalterium tanto perspicacius intellexit, quanto erat radiantiori luce illustrata. Sed cum postea necdum tantum ex hac percepta gratia se proficere comperiret, quantum speraverat (reverentia enim velati mysterii, mater est devotionis, et res celata, avidius quaeritur, et majori veneratione concupiscitur), dixit Domino: « Quorsum vero attinet me idiotam et rusticam monialem Scripturae arcana nosse? » At illi Dominus: « Quid vis igitur? » et illa: « Volo, inquit cor tuum. » Et Dominus: « Quin ego potius, ait, et cor tuum. » Respondit illa: « Sit ita Domine, at sic tamen, ut cordis tui amorem cordi meo attemperes, et in te cor meum possideam, omni tempore tua protectione securum. » Facta est igitur ab eo die quaedam permutatio cordium, vel potius unius spiritus creati et increati per gratiae excellentiam. Deinceps enim ita Christus cordi virginis inhaesit, eam communiens et protegens, ut nec tentatio carnis, immo ne turpis quidem cogitatio mentem ejus vel temporis puncto infestarit.

§ 7. Per idem fere tempus, cum adhuc et corpore et aetate esset tenerrima, nocte quadam circa tempus nocturnarum precum quas Matutinas vocant, sudor eam vehemens et naturalis invasit. Cum ergo a precibus nocturnis abesse vellet, ut postea ad serviendum Deo fortior esset, credens illum sudorem corpori suo salutarem esse, subito ad eam vox facta est: Quid ita jaces? surge ocyus: oportet ut poenitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in suis sordibus jacent, non sudori indulgeas. Tum illa exterrita surrexit, et inchoatis jam Matutinis, ad ecclesiam festinavit. In ipso autem ecclesiae ostio Christum obvium habuit, cruci affixum et cruentatum, qui brachium de cruce deponens, eamque amplexans, os ejus vulneri lateris sui applicuit: unde tantam hausit suavitatem, ut ex eo tempore in Dei servitio semper et robustior et alacrior fuerit. Retulerunt autem, qui ipsa revelante eo in tempore diu postea probaverunt, salivam oris ejus, mellis dulcedinem superasse; neque id mirum, quando cor illius et divinitatis Christi mel, et humanitatis lac intus ruminabat.

§ 8. Si quo cordis aut corporis incommodo esset gravata, stabat coram imagine Crucifixi, eamque diu contemplata, clausis oculis et dissolutis membris, non potuit pedibus consistere: sed prorsus languescens, rapiebatur in spiritu, videbatque Christum et lateris ejus cruentum vulnus: cui os suum admovens, tantam inde sugebat dulcedinem, ut nulla re posset affligi. Accidit quandoque, ut acutissima febre laborans, criticis diebus e lecto surgens, absque ulla difficultate in ecclesiam cum aliis canitura intraret. Ad recordationem illius acutissimi obtùtus Aquilae, nempe Joannis Evangelistae, qui fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, apparuit ei in spiritu aquila, tanto pennarum nitore refulgens, ut totus potuerit orbis claritatis illius radiis illustrari. Nimia igitur admiratione stupefacta, expectabat ut Dominus pro captu infirmae aciei, tantam visionis ejus gloriam temperaret. Quod cum factum esset, visionis illius modum pressius contemplans vidit aquilam illam ori suo rostrum apponere, animamque suam tam ineffabilis lucis splendoribus complere, ut quatenus mortales capere possunt, nullam ipsam divinitatis secreta latèrent. Tanto autem de torrente voluptatis illius hausit uberius, quanto in donis munificentior aquila vas cordis ejus majori desiderio distentum reperit. Et certe testimonium ego perhibeo, licet in familiari sermone simplicissima videretur, nunquam tamen me ex cujusquam ore in secreto spiritali colloquio tam sincera, tam ignita et ardentia secundum veritatis spiritum verba hausisse, idque adeo, ut ad intelligenda dicta illius plane rudem et hèbetem saepissime me existimarim. Memini etiamnum et loci et temporis, quando ad verborum ejus subtilitatem usque adeo obstupui, ut si suavis illa et ineffabilis admiratio diu me tenuisset, aut amentem me fieri oportuerit, aut e vita excedere.

§ **9**. Est Hasbaniae oppidum, quod Lossum * vocant: ad cujus ecclesiam quaedam inclusa Domino serviebat, pro vitae merito Lutgardi cumprimis familiaris. Apud eam mansit quandoque Lutgardis ad dies quindecim. Accidit autem, ut in orationis contemplatione tanta dulcedine afficeretur, ut accersitâ inclusâ, manus suae digitos illi ostenderet, eosque exprimens diceret: « En soror mea, ut mecum agit Omnipotens. Ex interiori abundantia etiam digiti mei exterius ceu oleo distillant. » Atque haec dicens, quasi ebria, et vere ebria cum gestu et tripudio mirabili per inclusae domicilium ferebatur. Inde summopere eo aspiravit, ut ministerio consecrationis per manus Episcopi uni viro Christo perfectius jungeretur. Obtulit autem sese opportunitas, domino Huardo Leodiensi Episcopo complures sanctimoniales consecrare volente, quibus adjuncta est etiam Lutgardis. Ut autem earum capitibus in signum coronae aureolae pontifex sertum ex zonis confectum imposuit, atque ad Lutgardem ordine pervenit, quidam vir sanctus et simplex, qui illic astabat, perspicue vidit Episcopum grandem coronam auream Lutgardis capiti imponere, eamque prae aliis singulari quodam honore afficere. Cumque putaret ab omnibus id videri, quaesivit ex vicino presbytero, cur soli Lutgardi Episcopus coronam auream admoveret. Irrisit autem illum presbyter, et ait: Ubi sunt oculi tui, ut auream coronam dicas, quam omnes lineam esse vident? Siluit vir beatus et risit, atque in Lutgarde singulare meritum animadvertit.

§ **10**. Ab eo die Sponso suo perfectius adhaerens Lutgardis, sequebatur Agnum, quocumque iret. Si Christi enim via humilitas est, Lutgardem videas ita eum sequentem per hanc viam, ut superbiâ nunquam intumuerit. Si de paupertatis agitur via, adeo fuit paupertatis studiosa Lutgardis, ut nec de quotidiani panis alimonia cogitare voluerit. Si Christi via est misericordia et humanitas, fateor equidem in hac vita neminem me vidisse illâ magis misericordem. Si via Christi crux est et tribulatio, adeo se jejuniis et multis modis afflixit Lutgardis per omnem vitam suam, ut nulli nostrae aetatis neque viri, neque foeminae ei hac in parte possint aequipararі. Denique per viam incorruptionis et virgineae integritatis secuta est Agnum ad gloriam, qua ille viâ praecessit, virgineas cohortes sui habens imitatrices. Vide autem, quid Agnus ei rependerit. Aequum est enim sponsum sponsae vicem reddere. In monasterio S. Catharinae qualibet sexta feriâ in vespertinis precibus, quas Vesperas vocant, in beatissimae virginis Mariae honorem certo numero deputatae responsorium cum versu cantabant. Eum autem versum devotionis causâ Lutgardis sola cantare solebat: videbaturque ei interim dum cantaret, Christum in agni forma unum pedem suum dextro, alterum

* *Lossum* vel *Losen* antiqui et amplissimi Comitatus in Brabantia olim caput, quatuor milliaribus Leodio (*Liegi*) distat.

sinistro ipsius humero imponere, atque os ori applicare: sicque cantando cum ex Christi pectore sugeret, mirabilem melodiae suavitatem resonare. Nec dubitare quisquam potuit divinum in hoc cantu adesse miraculum, cum in solo versu illo vox ejus supra quam dici queat, solito gratior audiretur, et corda audientium ad devotionem et pietatem interim mirabiliter permoverentur.

§ **11**. Et quia talem lucernam sub modio latere par non erat, posita est super candelabrum, ut fulgor gratiae omnibus appareret, factaque est Priorissa in eodem beatissimae Catharinae monasterio, uno omnium consensu electa. Non enim habebat ejus loci consuetudo, ut Abbatissam sibi crearent. Sed cum, hac in re, gravissima se affectam injuriâ arbitraretur, decrevit et locum et institutum mutare. Fuit ea in illo monasterio annis circiter duodecim monialis: eratque eodem tempore magister Joannes Lyranus, Leodiensis dioecesis, vir eximia sanctitate, qui non ignorans perfectissimum animi ejus propositum, admonuit eam, ut abdicato Priorissae officio, ad Aquirianum Cistertiensis Ordinis monasterium se transferret. Opponente illa diversum Gallicarum monialium idioma, ejusdemque Ordinis monasterium in Herkenrod, ubi sermone Teutonico utebantur, potius deligente, Dominus ait ad eam: Volo, ut Aquiriam (*Awieres*) petas: nisi feceris, ego te deseram. Quaedam etiam sanctissima virgo Christina, divinitus compulsa eam adiit, dixitque ei: Quid cunctaris facere, quod divino instinctu jubèris? Objiciente illa eadem quae diximus, quaeque secundum hominem satis rationabiliter objicere videbatur: Christina, Deo inspirante, mox respondit: « Ego vero vel apud inferos mallem esse cum Deo, quam in coelo cum angelis sine Deo. » Recte nimirum et congruenter illi respondit; Christi enim praesentia quemvis locum, quantumvis invisum, summe efficit delectabilem, atque ideo merito appetendum. Igitur Christinae verbis confirmata Lutgardis, ad omnia paratam se offert, parensque supradicti magistri Joannis admonitioni, Aquiriam se contulit summa animi tranquillitate. Est vero monasterium illud in Ducis Brabantiae regione. Ubi autem id resciverunt moniales S. Catharinae, summo dolore affectae sunt: quod cum Lutgardis comperisset, condoluit eis, Dominoque pro illis supplices preces obtulit. Oranti autem apparuit beatissima Mater Dei, congratulabaturque ei, quod monasterium et Ordinem ipsi specialiter addictum complexa esset, promittebatque se monasterium S. Catharinae, propter ipsius preces, et temporaliter et spiritaliter promoturam.

§ **12**. Cum autem fama virtutum Lutgardis undique incresceret, nova monasteria in Galliis construebantur quae si vel parum aliquid Gallice didicisset, mirum in modum eam sibi praefici cupiebant. Ubi ea id cognovit, multum exhorruit, rogavitque

cum lacrymis Matrem Domini, ut id averteret. Apparuit autem ei Mater Christi, dicens, ne quicquam formidaret: se enim scutum protectionis suae oppondituram. Vide autem, oro te, Lector, quo pacto isthuc impeditum fuerit, et videbis visionis hujus purissimam veritatem. Vix annum aetatis quartum et vigesimum attigerat, quando venit in Aquiriam, et tamen licet postea annis quadraginta inter sodales Gallicas vixerit, vix tantum potuit ejus idiomatis perdiscere, ut esuriens commode posset Gallice panem petere. Quod ubi ad omnium notitiam pervenit, permissa est sponsa Christi in somno contemplationis quiescere.

§ **13**. Imminente peste saevissima Albigensium haereticorum, beatissima virgo Maria apparuit ei vultu lugubri et obscurato. Compatiens autem ei in visione Lutgardis, cum magno cordis et oris rugitu quaesivit ab ea, quidnam haberet, et unde tantus esset faciei pallor et squallor quae alioqui plena esset omnis gratiae. Cui beatissima Virgo respondit: « Ecce ab haereticis et pseudo christianis rursus conspuitur, rursus crucifigitur Filius meus. Tu ergo assume tibi lamentum, et perpetuis septem annis jejunato, ut sopiatur ira Filii mei quae generatim universo imminet orbi. » Itaque toto septennio tale illa sibi indixit jejunium, ut pane et cerevisiâ contenta esset. Vide autem ingens miraculum. Saepe superiorum voluntate coacta, tentabat aliquid pulmenti ore haurire, sed nihil inde vel ad fabae unius quantitatem potuit deglutire. Etsi autem ipsa mira quadam et incredibili abstinentiâ sese afficeret, at tamen laetabatur ceteras sorores commodum habere victum, dicebatque totum mensem rectius se valere, si vel semel paulo largior cibus illis appositus esset. Sciebat enim et fatebatur non posse omnes id praestare, quod ipsa singulari beneficio pro multorum remedio divinitus accepisset. Quanto autem magis sua continuabat jejunia, tanto fuit et corpore et animo robustior.

§ **14**. Per idem fere tempus Simon quidam, vir nobilis, Teuto natione, literis egregie institutus, Cistertiensem Ordinem complexus, Abbas Foniacensis factus est. Etsi autem ille ferveret desiderio, tamen acerbiori zelo in subditos invehebatur, morteque immatura decessit. Habuit is cum viveret, Lutgardem pro vitae sanctimonia charissimam, multumque ei sua morte moerorem attulit. Sed ubi defunctum cognovit, mox jejunia et afflictiones pro eo suscepit, rogans Dominum, ut animam ejus liberaret. Cumque multis precibus id a Domino contenderet, respondit ei Dominus: Bono animo esto: tua causâ benigne faciam ei pro quo oras. At illa vehementius instans, secundo audivit eum propèdiem liberatum iri. Dixit vero ad Dominum: « Quicquid mihi vis impertiri solatii, id illi animae in Purgatorio largiaris: neque ego ullo pacto cessabo a lacrymis, nec tuis consolationibus unquam me patiar recreari, nisi illum videam liberatum.» Tum vero non est

passus Dominus eam diutius affligi, sed apparens illi, adduxit secum animam e poenis ereptam, dixitque ei: Aequo animo esto dilecta: ecce haec est anima, pro qua postulas. Illa mox humi prostrata in faciem, pro ejus liberatione Dominum benedixit. Anima autem exultabunda et laudans, Lutgardi gratias egit, et ad potiora transiens, cum magna gloria coelos penetravit. Is idem Simon postea Lutgardi crebro apparuit, et inter caetera dixit ei, undecim annos se in Purgatorio poenas fuisse luiturum, nisi ipsa suis precibus sibi opem tulisset.

§ **15**. Spiritu timoris adeo fuit insignita haec virgo, ut cum beato Job quasi tumentes super se fluctus Dominum timeret, et omnia opera sua, tamquam in dubio facta, vereretur. Diu itaque èjulans, quotidie Dominum precabatur, ut ipsam etiam in hac vita certam efficeret. Hoc desiderio cum multo tempore aestuaret, die quodam vocem audivit apertissime ad se dicentem: Secura jam esto charissima: placet Deo vita tua. Ad horam igitur exultans, deinde nihilo minus, ut antea, formidolosa fuit. Dixit ergo secundo vox ad eam: Visne dominam Mariam de Roavia securitatis tuae testem tibi dari? At illa: Non, inquit: nimis religiosa est, diuque mihi jam anxiae differret revelare quae nosset. Et vox divina: Interim ergo, inquit, tranquillo animo esto charissima: propediem reddèris et manifeste et omnino secura. Vix quatuor lapsi erant dies, cum ecce vir quidam spectabilis, sed omnibus ignotus, in locum illum, ubi inter se colloquebantur sorores, ingreditur, salutatisque omnibus, Lutgardem ut citius accersiant, rogat. Eam venientem salutat, cunctisque audientibus dicit: Haec tibi mandat Omnipotens: Deinceps secura esto, quia Domino in te bene complacuit. His dictis, repente disparuit: nec necesse erat quaerere, unde venisset, vel quisnam fuerit. Non diu post homo quidam sanctissimae vitae, divina revelatione edoctus, in Aquiriam veniens, eam in supradictis consolationibus confirmavit.

§ **16**. Jam igitur animo ferventiori cupiens exire e corpore, et migrare in coelos, quotidie lacrymas fundebat. Dominus autem clamoribus ejus modum ponere volens, celeriter apparuit ei, vulneribusque manuum ac pedum et lateris detectis, dixit: « En contemplare charissima, ut vulnera mea clament ad te, ne frustra sanguinem fuderim, neve sine causa mortem perpessus sim. » His et visis et auditis Lutgardis admodum exterrita, cum timore et tremore quaesivit, quis ille esset vulnerum Christi clamor, et responsum est ei: Labore tuo et lacrymis iram Patris jam accensam mitigabis, ne perdat peccatores, sed ut ipsius misericordiâ convertantur et vìvant.

§ **17**. Alia visio per idem prope tempus oblata est Lutgardi. Venerabilis Joannes Lyranus, cujus supra meminimus, cum ea pactum inierat, ut qui prior e vita migrasset, superstiti post obitum appareret. Itaque Joannes hic Romanam curiam, ob quaedam

negotia religiosarum foeminarum, quas in Brabantia aemuli vexabant, adiens, Alpes cum attigisset, vitâ functus est. Eodem autem temporis puncto apparuit visibiliter Lutgardi, in monasterii ambitu stanti. Illa vivere eum existimans, manu innuit, ut peteret locum, ubi solebant inter se sorores conferre sermones. At ille dixit: Ego e corpore decessi: sed ut veritati, quae ex pacto inter nos intercessit, satisfacerem, tibi apparui. Tum illa humi prostrata, sciscitabatur ex eo, quid sibi vellet triplex indumentum, quo mirifice erat ornatus. Respondit: Vestimentum candidum virginitatem significat, quam ab utero impollutam servavi. Rubicundum, labores et perpessiones, quae mihi mortem attulerunt, quaeque multo tempore pro justitia et veritate sustinui. Caeruleum idemque extimum, vitae spiritualis perfectionem. His absolutis, ab oculis admirantis ablatus est. Illa autem et visionem et obitum ejus sorori illius et caeteris monialibus indicavit. Cum autem postea venerabilem virum, licet in coelis beatum, tamen sibi ablatum fleret, sub ipso luctu Dominus ei dixit: « Cur fles Lutgardis, et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non melior sum tibi quam decem filii *? » Illa non intelligens, quippe illiterata monialis, ubi ab aliis explanata didicit, non planxit amplius, sed in ejus morte Dominum benedixit.

§ **18**. Expletis septem illis annis, quibus non nisi pane et cerevisiâ usa fuit, rursus ei per revelationem mandatum est, ut pro cunctis peccatoribus aliud jejunium susciperet. Quod illa libens fecit, iterumque alios septem annos solo pane et òlere transegit. Rapta autem in spiritu, vidit salutis nostrae principem Jesum cum vulneribus tamquam recens inflictis atque rubentibus vultui paterno astare, et pro peccatoribus deprecari Patrem: deinde autem vertere se ad ipsam atque dicere: Cernis, ut me totum offeram Patri pro peccatoribus? Ita ergo volo, ut tu quoque te mihi totam offeras pro peccatoribus, et zelum in illorum animadversionem accensum avertas. Hoc idem Dominus Jesus in Missae sacrificio quotidie fere illi dicebat.

§ **19**. Quaedam valde religiosa sanctimonialis in revelationibus quibusdam, quas ipsa divinas putabat, a satana fallebatur. Id ubi didicit Lutgardis, rogavit Dominum pro ea. Cui ille respondit: *Illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent*. Ea verba cum ipsa non intelligeret, a quadam moniali quaesivit, quid significarent. Postquam ea interpretante cognovit, instantius rogavit Dominum. Apparuit autem ei satan, et dixit: Ego sum spiritus mendax, qui illam monialem decipio. Cui illa, Abi, inquit, ad fratrem Simonem, qui est in Alnensi monasterio, et idem ei quoque referas, ut habeam testem veritatis. Obtemperat diabolus, et frater Simon venit in Aquiriam. Erat autem Simon ille plenus

* Verba sunt Elcanae ad uxorem Annam sterilitatem suam plorantis, 2. Reg. 1, quae hic aptantur filiis spiritualibus, qualis sanctae Lutgardi erat Mag. Joannes (*ap. Bolland.*).

spiritu Dei, et, ut liber vitae ejus testatur, permulta ei Dominus revelavit. Ambo ergo illi ex divina revelatione inter se consentientes, moniali illi protinus mandaverunt. Illa mox membris omnibus obriguit et contracta est, adeoque os ejus obstruebatur, ut nec cultello posset aliquatenus aperiri. Quod ut viderunt aliae, multo horrore correptae, flexis genibus pro illa Dominum deprecabantur. Ubi ab oratione surrexerunt, confestim illa curata est, sumensque cibum, confortata est: atque ab illo die ab illo impostore spiritu liberata est. Tantis autem postea meritorum praerogativis, ut ego ipse vidi, excelluit, ut non solum ipsa illuminata in tenebris dici posset, sed etiam multos alios in tenebris degentes, morum exemplis illuminarit. Vidi ego monialem, quamdam Cistertiensis Ordinis, multis annis a daemone vexatam, quam ad se adductam, multa precum suarum instantiâ, liberavit. Vidi etiam aliam a nequissimo daemone permultis annis incredibili libidine pollutam, atque ejus precibus ereptam.

§ **20**. Monialis quaedam Benedictini instituti, Jolendis nomine, in monasterio, quod Sambrae adjacet, degens, mundi illecebris, dedita fuit: hortatu autem piae foeminae, ad Aquirianum monasterium convolavit. Erat genere nobilis et delicatissimo corpore. Pro ea Lutgardis Dominum instantissime oravit, ut et peccata ei remitteret, et gratiam devotionis infunderet. Non potuit Christus negare deprecanti, quod petiit. Perducta est Jolendis illa ad sanctae conversationis statum: cumque illic annis plurimis Domino servisset, ipso revelante praescivit obitum suum. Accedens itaque ad Lutgardem matrem in Christo et dominam suam: Pro me, inquit, Dominum multa instantiâ deprecèris: jam enim adventat finis vitae meae. Respondit Lutgardis: Intrepida expecta Dominum, certa sum enim clementer eum acturum tecum, et a poenis, quas reformidas, brevi te extracturum. Tu vero post obitum revertaris ad me, sed primum dicito, Benedicite: deinde orationem Dominicam cum angelica salutatione recites, ne suo more diabolus aliquod figmentum adducat. Mortua est ergo, ut praedixerat, Jolendis cum ingenti spiritus fervore, et necdum triginta dies abierant, cum illa oranti Lutgardi apparuit, et primo, Benedicite: deinde caetera dixit. Lutgardis ergo respondens, Amen, mox subjunxit: Quomodo habes? At illa: Dominus, ait, non est me abominatus propter enormitatem peccatorum meorum, sed tua causâ magnam mihi praestitit misericordiam. Quod ubi dixit, repente abscessit: Lutgardis vero cum multis lacrymis divinam erga peccatores clementiam laudavit. Ejus quoque soror secundum carnem, post mortem ad Purgatorium migrans, priusquam Lutgardis quicquam de ejus decessu cognovisset, lamentabili voce in aëre clamavit: Miserere charissima soror, miserere mei, nec mihi neges misericordiam, quam aliis animabus impendis. Intellexit illa in precibus prostrata sororis animam precum suffragia expetere,

moxque a cunctis sororibus exegit, ut multis, quas vocant, disciplinis vel flagellorum ictibus et orationibus eam adjuvarent.

§ 21. Eodem fere tempore, singulis Dominicis diebus, quemadmodum hortatur beatus Augustinus, Christi corpus percipiebat: sed Agnes Abbatissa, parum cauto usa consilio, id ei interdixit. At pia Lutgardis: «Ego quidem, inquit, mater charissima, libenter obediam tibi: sed certissime praevideo Christum hanc injuriam in tuo corpore ulturum.» Confestim Abbatissa intolerabili morbo afficitur, ut in ecclesiam ingredi non posset : nec cessavit dolor per momenta increscens, donec indiscretionis suae culpam agnosceret, et Lutgardem sineret pristino more uti. Aliae quoque, quae hac in re contra illam erant adversatae, aut notabiliter ex hac luce subtractae sunt, aut humilitatis ductae spiritu, se ad illam converterunt. Nimirum dignus zelus Sponsi in improbos sponsae suae perturbatores.

§ 22. Cum quaedam soror in extremis cum morte dirissime luctaretur, apparuit Lutgardi daemon insultans et dicens: En exagitavi sororem illam : sed cum venisset populus, nihil amplius in eam potui. Populum dixit, conventum sororum, quae ob commendandam Deo illius animam eo venientes, vires daemonis precibus enervarunt. Sanctum ergo et pium est assistere morientibus, et eos adversus daemones, qui finis nostri calcaneo insidiantur, orationibus adjuvare. Crebro solebant ad Lutgardem venire daemones, et funestum aut triste aliquid nunciare. Illa vero conspuebat eos, et verbis importunos, Crucis signo depellebat. Adeo autem daemones illam formidabant, ut ipsum etiam locum orationis ejus, haud secus atque candens ferrum, attingere non auderent. Et ipsa quidem cum nec psalmos intelligeret, nec quicquam de Scripturis, dum tamen ruminaret versum illum, Deus in adjutorium meum intende, et alios quosdam Psalmorum versus, videbat daemones cum multo horrore diffugere, et a malis suggerendis cessare. Unde intelligebat, virtute verborum etiam a se non intellectorum, daemones profligari, et eorum in tentationibus vires debilitari.

§ 23. Mirum in modum ad omnem animi perfectionem aspirabat. Itaque dicendis precibus Canonicis sive horariis summopere in id incumbebat, ut non solum malas, sed etiam bonas cogitationes a se excluderet, et, quod in mortali corpore impossibile est, iis solis, quae diceret, animum occuparet. Sed cum id efficere non posset, grandes inde in ejus pectore existebant scrupuli, et tanquam nihil dixisset, coepit singulas horarias preces bis terque repetere. Adeo vero haec res animam ejus afflixit, ut nullus amicorum eam posset consolari. Fiebant autem ab amicis ad Deum preces pro illa, ut eam Dominus his scrupulis liberaret. Et ecce praeter omnium expectationem, instar Amos prophetae

induit Dominus opilionem oviculas sequentem *, et posuit verbum in ore ejus. Ille mox relictis ovibus, homo plane rudis, ad tredecim milliaria conficiens, venit in Aquiriam: accersitaque Lutgarde, caeteris audientibus dixit: Haec dicit Dominus: Nullo deinceps in dicendis precibus dolore aut scrupulo angaris. Placent Deo preces tuae, et gratae sunt in conspectu meo. His dictis, ille repente aufugit, nec dabatur opportunitas, quisnam esset, inquirendi, aut aliquid praeterea cognoscendi. At postea tamen, quis esset, rescitum est. Dominus quoque per seipsum dixit Lutgardi: Nihil posthac formides: ego hunc in te supplebo defectum. Tum illa utrobique Dominum locutum esse sentiens, tranquillitati se dedit, nec ullum postea ea in re inordinatum scrupulum passa est.

§ 24. Nemo facile crediturus sit, quanta spiritus alacritate in decantandis precibus illis Domino servierit. Die quodam sub Vesperarum precibus cum caeteris cantante illa in Choro, monialis quaedam stans e regione, oculis suis perspicue vidit corporeae lucis flammam ab ejus ore profectam, sursum ferri et aëra penetrare. Qua inusitata visione monialis consternata, fere exanimata est. Finitis autem Vespertinis precibus, Lutgardis eam blande consolans, tandem adhuc trepidanti dixit: «Nolo te, filia charissima, hac visione terreri. Noveris itaque revera divinitus eam contigisse.» Mirabantur plerique spiritales homines, quomodo in tot rebus praeclaris et admirandis humanam gloriam calcare posset: sed quemadmodum ego ab ejus ore accepi, adeo intus plena fuit spiritali et solida gloriâ, ut nulla eam extrinsecus vana gloria infestare posset.

§ 25. Fuit vero etiam discretione praecipua, quod res sequens docebit: Quodam Dominico die cum sacram Eucharistiam accepisset, et reliquiae cogitationis diem festum in ea agerent Salvatori, ita ut molestum ei esset ad mensam pro corporeo alimento capiendo accedere, ita ait ad Dominum: « Domine Jesu, non est mihi jam opportunum tuis deliciis occupari, sed vade ad sororem Elizabeth, quae nec una horâ a cibo abstinere potest, illiusque interim animum occupa, me autem patiaris cibum corpori sustentando necessarium accipere.» Elizabeth ejusmodi laborabat morbo, ut crebro et interdiu et noctibus eam cibo refici oporteret. Et ecce piissimus Dominus illi obediens, mox ad Elizabeth se contulit, ejusque pectus tanta suavitate complevit, ut ab esca, praeter suam consuetudinem, longo temporis spatio sine ulla molestia abstineret. Potest hinc facile ejus magna discretio animadverti, quod etiam spirituali occupatione corpus suum debilitare noluit, consultius existimans, servare illud multis aliis perferendis laboribus, qui animarum saluti prodessent, quam tempore non suo, cum omnia tempus habeant, in sui destructionem inutiliter

* Vide Amos C. VII, v. 14.

fatigari. Elizabeth autem, quae, ut diximus, non solum crebro admodum edere cogebatur, sed ea etiam erat virium imbecillitate, ut nullo modo pedibus subsistere posset, sed perpetuo decumberet: experta Lutgardis virtutem, cum multa instantia rogavit eam, ut a Domino ipsi impetraret vires surgendi e lecto, et cum aliis faciendi quae facienda essent, quo sic ante vitae suae finem Domino Jesu Christo plenius servire posset. Rogavit ergo illa Dominum, qui ei in haec verba respondit: Elevare, elevare filia Jerusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae ejus. Et ita factum est, ut Dominus ait: Elevata enim illa est e lecto aegritudinis suae, in quo jacuerat jam multis annis, surrexit indefessa ad ferenda onera Ordinis sui, et perfectissima sanitate diu postea Christo Domino servivit.

§ **26**. Cogitabat quandoque de eo qui talem a peccatoribus sustinueret afflictionem, miroque inflammata est desiderio Christo vicem reddendi, et pro illo martyrium obeundi. Sed quia tempus martyrii velut hyems jam transierat, imber abierat et recesserat, Christus aliud genus etiam corporalis martyrii ei praeparavit. Accidit igitur nocte quadam, ut absoluto Completorio, ante lectum suum staret in dormitorio precibus occupata. Ibi tum miro quodam et ineffabili modo coepit desiderare, ut instar Agnetis virginis posset pro Christo sanguinem suum fundere. Cumque eo desiderio usqueadeo arderet, ut jam se morituram prae ejus ardore existimaret, rupta est vena, quae extrinsecus cordi opposita est. Inde vero tam multus dimanavit sanguis, ut tunicae ejus et cucullus eo abunde maderent. Itaque debilitata, paululum resedit, moxque Christus illi apparuit vultu gratulabundo, et ait: « Pro ferventissimo martyrii desiderio, quod in sanguinis hujus effusione habuisti, idem cum beatissima Agnete martyre in coelis praemium consequèris. Ejus enim martyrium tuo desiderio in sanguine compensasti. » O vere beatissimam foeminam, quam Christus ipse pacis tempore coronâ martyrii dignam praedicavit. Ejus rei testes fuere, quae ejus laverunt vestes. Testis fuit cicatrix ruptae venae, quae in ea permansit ad eum usque diem, quo felix ejus anima ab hac luce migravit. Annos tunc habuit octo supra viginti, quando haec ei contigerunt.

§ **27**. Machtilidis matrona nobilis, ex territorio Leodiensi orta, filios milites haeredes relinquens, in Aquiriae monasterio Domino serviebat. Ea jam et senio et virium infirmitate confecta, surda prorsus erat. Cum autem die quodam solemni moniales alta voce canerent, idque signo quodam una ex monialibus huic surdae indicaret atque illa signum intelligens, suam ploraret surditatem, pia Lutgardis ad eam accedit, rogat cur ploret. Et illa, Ego, inquit miserrima lugere non debeo quae adeo obsurdui ut etiam solemnem cantum, quo Deus colitur, audire non possim? Mox Lutgardis ejus miserta, ad preces parumper se inclinat: inde

surgens, et duos digitos suos salivâ imbuens, auribus surdae admovet. Mira res. Confestim illa cum fragore quodam aurium obstructionem perrumpi audit, et ex tanto miraculo virtutem Lutgardis colligens, Dominum magnifice benedicit.

§ **28**. Quoties rapta in spiritu Lutgardis, Dominicae Passionis recordabatur, videbatur sibi re ipsa toto corpore sanguine perfusa. Id ubi quidam religiosus presbyter secretius audivit, observans tempus opportunum, quo dubium non erat eam Christi passionem commemoraturam, accessit ad illam sub divinarum rerum contemplatione ad parietem incumbentem: viditque faciem ejus et manus quae solae videri poterant, tanquam recenti sanguine tinctas rubère. Porro ut etiam cincinnos quasi guttis noctium infusos sanguine vidit, clam forfice aliquid praecìdit, et ad lucem adducens, supra modum attonitus admirabatur. Interim Lutgarde ab illo mentis excessu ad se revertente, cincinni quoque in manu stupentis presbyteri ad naturalem colorem ilico reducuntur. Ea re supra, quam credi possit, presbyter obstupefactus, parum abfuit, quin supinus corrueret.

§ **29**. Alia quaedam religiosa puella, Hersplendis nomine, immodica tentatione ad desperationem propèmodum prae animi moerore adducta, Lutgardem rogavit, ut pro ipsa Domino preces offerret. Illa cum multo lacrymarum imbre Dominum pro illa precata, ex divina revelatione sic ei locuta est: Aequo animo te esse oportet, charissima. In Parasceve enim, ubi post adoratam Crucem sacerdos illam exaltando dixerit, Ecce lignum Crucis, tu ab omni tentatione liberaberis, et consolationis fiduciam obtinebis. Quod ita postea evenit. Venerabilis Abbas Affliginiensis Joannes virum quemdam ad Lutgardem secum adduxit, qui ut Lutgardem aspexit, anxio vultu reverberatus est. Miratus Abbas, cum jam procul abiissent, ait ad illum: Vidisti ne sanctam illam foeminam? Et ille, ab imo pectore suspiria trahens: Vidi inquit, et ad conspectum ejus, tanquam ad ipsius divinae majestatis intuitum tantus me peccati horror invasit, ut ejus adjutus precibus, jam liberatus sim, et Deo bene propitio, non rècidam in peccata. Id vero ita contigisse, ille, quem diximus, Abbas memorabilis testatur.

§ **30**. Homo quidam, jam propter sua facinora salutem suam plane despèrans, ad eam adductus est, ut vel ex colloquiis ejus aliquid consolationis acciperet. Ubi ergo juxta illam assedit, et verba ejus audire coepit, vidit ineffabilem supra illam splendorem quae lucem omnem excelleret. Ea visione sic est exhilaratus, ut, spe veniae concepta, ab ea recesserit. Saepe illi psalmos ruminanti, Spiritus Sanctus vim et sensum verborum aperuit. Quadam igitur nocte, cum in Cantico, Te Deum laudamus, versum illum, Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum, diceret, ei beatissima virgo Maria gratulabunda

apparuit, intellexitque Lutgardis versum hunc illi gratissimum esse, quo commemoratur, ipsam Dei Filium concepisse. Atque hoc illa mihi tanquam filio dilecto revelans, admonuit, ut quoties versum illum dicerem, toto me corpore ad laudem sacratissimae Virginis inclinarem. Quod etiam diu feci, hodieque facio, et ut idem faciant, lectores meos omnes adhortor.

§ **31**. Pauperculam quamdam multa inopiâ pressam conspiciens, ad opitulandum ei miro commiserationis spiritu permovebatur, audivitque statim in spiritu dicentem sibi Dominum: In Psalmo legis, et dicis mihi: *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam*. Quod si intelligas, portio tua ego sum, nec quicquam habes aliud. Itaque illi indigenti dicas: Aurum et argentum non est mecum: quod autem habeo, hoc tibi do: oresque pro illa, et dedisti quod tuum est. Hoc faciens, custodisti legem meam. His Dei sermonibus illa mirabiliter intus illustrata, dominae Sybillae de Gagis, quid a Domino audivisset, indicavit.

§ **32**. Constat multis, idque per multa argumenta, Lutgardem etiam spiritu prophetiae claruisse. Presbyter quidam in Gallias ad Jotrense monasterium veniens, cum in crypta quadam, ubi sanctorum corpora quiescebant, nocte oraret, et sanctae cujusdam tumulum ex alabastro confectum praeter suam opinionem aperiret, nec tamen ejus nomen et meritum scire posset, piam postea Lutgardem rogavit, ut a Domino ejus nomen sibi peteret revelari. Illa se totam confert ad rogandum Dominum, et cito, quod voluit impetrat. Apparuit enim ei praedicta sancta, et ait: Ego vocor Osanna virgo, filia quondam regis Scotiae, et per miraculum Domini in Gallias adducta, sancte vixi, defunctaque ibidem sum ac sepulta solemniter: sed mei tandem per incuriam incolae obliti sunt. Haec cum Lutgardis presbytero referret, subjunxit: Vellem haec eadem tibi quoque Dominus in veritatis confirmationem revelaret. At ille: Non sum, inquit, dignus, ut mihi talia revelentur. Et Lutgardis: Etsi, ait, fortassis minus dignus es, attamen illa digna est, cujus praeconia innotescant. Orante igitur Lutgarde, eadem nocte praedicta virgo presbytero illi dormienti ter apparuit, et Osannam se dici indicavit. Qui vidit, testimonium perhibuit, et scimus quia verum est testimonium ejus.

§ **33**. Erat quaedam in Parco prope Lovanium piissima monialis quae fratrem suum, qui professione Franciscanus fuerat, sed jam annis duodecim apostata manebat, acerbissime deplorabat. Rogata autem Lutgardis, ut pro illo Dominum oraret, quod soror ejus prae dolore non multum ab amentia abesse videretur, illa utrique condolens, rogavit Dominum. Surgens ab oratione, ait: « Dicatur illi bonae puellae, ut tranquillo prorsus animo sit, certa, fratrem suum hoc anno ad sanctum Ordinem suum reversurum. » Quod ita praeter omnium expectationem factum didicimus,

cum ille multis modis esset mundi hujus rebus et studiis implicatus et irretitus. Eodem fere tempore illustris Ducissa Brabantiae, filia Philippi regis Franciae, gravi erat affecta morbo. Ea vero ex multo jam tempore amabat Lutgardem, mandavitque ei, ut pro se Dominum rogaret. Fecit id Lutgardis, et quamprimum remandat ei, ut tanquam e lecto aegritudinis suae minime surrectura, per confessionem praeparet se, et cum multa cordis fiducia Dominum expectet. Non diu post Ducissa defungitur, ac deinde apparet Lutgardi, indicans ei certissime, praeter spem ab omnibus poenis purgatorii beatissimae Matris Dei, quam vivens mire dilexerat, intercessione se liberatam. Idem contigit viro nobili Domino Godefrido, domini Godefridi Castellani Bruxellensis filio, cujus obitum, antequam aliunde cognitus esset, Lutgardis sororibus revelavit.

§ **34**. Inclusa quaedam ad aedem S. Stephani, in aetate puellari molestissima tentatione vexata, orabat Lutgardem, ut ad Dominum preces pro ipsa funderet. Cum autem genus tentationis ex ipsa scire vellet Lutgardis, et illa dicere vereretur, dixit ei: Quod tu erubescis aperire, Dominus mihi indicavit: exposuitque puellae rem totam quam ea ne in confessione quidem presbyteris explicare voluerat. Deinde adhortans eam ad peccatorum confessionem, et morum correctionem, adeo perfecte sanatam et multa consolatione affectam a se dimisit, ut postea cum ingenti spiritus alacritate et gaudio Domino servierit. Idem fere contigit fratri Werico Converso Aquiriae. Neque id mirum. Habebat illa secum Dominum, cujus oculi lucidiores sunt super Solem, quod res sequens etiam magis testatum efficiet. Admiserat quidam peccatum loco abditissimo, atque id sacerdoti revelare verebatur. Non diu post quidam sub peregrini specie rogabat illum, ut pro obtinenda venia peccati illius, quod praecipue ipsum angeret, sibi caput lavaret. Fecit ille, ut erat rogatus, et ecce in vertice illius oculum cernit lucidissimum, exclamatque: O hominem, contra naturae morem in vertice oculatum. Dixit autem peregrinus: Hic oculus te in abscondito peccantem vidit, quem nulla possunt secreta latère. His dictis, ab oculis admirantis evanuit.

§ **35**. Erat mirum in modum solicita Lutgardis, ut ipsi notos sacerdotes admoneret, quod etiam cum multa oris gratia crebro faciebat, ut gregem ipsis creditum sedulo curarent, et animas, Christi sanguine redemptas, a daemonum servitute liberarent. Ego autem, licet indignus, cum ad sacerdotium aetate juvenis accessissem, et necdum sancti Dominici Ordinem complexus essem, in recipiendis confessionibus cogebar, indebite et supra vires, Episcopi vices agere. Cumque non sine magna cordis formidine id facere coepissem, aures auditione vexabantur, intus vero tentationum stimuli existebant. Immodico igitur timore et horrore correptus, Lutgardem tanquam matrem unice charam

accessi, eique molestiam meam dolore compulsus explicavi. Illa vero mihi condolens, ad orandum Dominum secessit, rediensque cum magna fiducia dixit : Revertere fili in locum tuum, et laborem debitum curandis animabus impende. Aderit tibi Christus protector et doctor, et in auscultandis confessionibus a jaculis inimici magna vi te servabit, et in defectu scientiae, quem formìdas, addet ampliorem gratiam. Etsi autem ego de meipso haec non sine rubore refero, tamen rem gestam in Christi et ancillae ejus laudem commemorabo. Ab illo die, quandiu eo officio functus sum, usque in praesens, quando jam decimussextus agitur annus, beatae Lutgardis prophetiam in me veracissimam expertus sum. Et licet iis temporibus, quibus non eram occupatus audiendis confessionibus, crebro et quidem intolerabiliter vexatus sim, sub ipsis tamen confessionibus quanto sunt turpiora quae audio, tanto minus ea curo, minusque me afficiunt.

§ **36**. Ut autem quibusdam Aquiriae monialibus, quae fortassis minus digne de illa sentiebant, Lutgardis meritum innotesceret, insigne hoc miraculum accidit, quod nunc commemoro. Consueverat illa singulis diebus Dominicis corpus Christi percipere. Cumque euntem ad altare nemo licet debilem sustentaret, quidam, quibus id videre concessum est, perspicue viderunt duos angelos mediam jam tenere, et deducere ad altare. Alias etiam manifestissime visa est beatissima Dei Genitrix et S. Joannes Baptista eam officiose comitari. Afflictos et tentatos mira solicitudine consolari et confirmare nitebatur: et revera miram hac in parte gratiam Deus ei largitus erat, ut nullus ab ea vel afflictus, vel tentatione pulsatus, absque levamento discederet.

§ **37**. Venit quandoque ad monasterium ejus mulier, quae omnem salutis et veniae spem prorsus abjecerat. Ingressam in colloquii locum, rogabant moniales, ut consolationem admitteret, et spem suam in Deo collocaret. Illa vero nihil mota earum verbis, fugere nitebatur. Sed vi retentam orabant, ut Lutgardem expectaret: quae etsi nihil ad consolationem dicere ei posset, quippe cujus sermonem ipsa non intelligeret, at oraret saltem Dominum pro ipsa. Erat enim foemina illa prorsus Gallicana, Teutonici idiomatis ignara. Adducta celeriter Lutgardis, ad remotiorem locum cum ea secessit. Sensit enim in spiritu, foeminam ultra modum afflictam. Mirari vero omnes et ridere coeperunt, quo pacto se invicem intellecturae essent, cum altera alterius linguam nesciret. Cum ergo illic diu pariter consedissent, surrexit mulier ad plenissimam spei fiduciam revocata : et reversa ad communis colloquii locum, dixit monialibus : Cur dixistis hanc sanctissimam foeminam esse Teutonicam, quam ego prorsus Gallicam cognovi? Neque est sub coelo ulla alia, quae me verbis suis ad spem veniae reducere potuisset. Refert frater Bernardus, se vidisse Lutgardem et virum venerabilem ac Deo dignum

magistrum Gujardum Cameracensem Episcopum, qui non minus Teutonici quam illa Gallici sermonis imperitus erat, inter se colloquentes, se invicem intelligentes. Nec mirum, si ad horam diversae linguae inter colloquendum mutuam intelligentiam nihil impedivere, quando Lutgardis plena fuit illo Spiritu, qui discipulis praestitit, ut omnium gentium linguis loquerentur. Vidi ego quamdam, in die Pentecostes ab hora tertia usque ad vesperam omnium linguarum notitiam habentem: sed eam necdum prodere volo, cum sit hodieque superstes.

§ **38**. Lamentis diuturnis propter peccatores adeo se afflixit Lutgardis, ut facie ejus quotidie rigata lacrymis, oculi ejus, secundum Jeremiam, fontem lacrymarum deducere viderentur. Tandem autem apparuit ei misericordiae Dominus in fletibus rugienti, congratulansque ei, quod miserorum causam diu fideliter egisset, illa manu, quam pro peccatoribus in cruce extenderat, a facie ejus lacrymas detersit, dicens: « Volo te ab his lamentis, pro meis peccatoribus susceptis, jam absolutam, nec patiar te deinceps luctu et lacrymis affligi. Placido autem cordis fervore post hac in oratione persistes, atque hac perinde, ut hactenus lacrymis, iram Patris avertes.» Et hic status vitae ejus ad mortem usque duravit. Quinque inde sequentibus annis, sicut ipsa mihi cum multis lacrymis dixit, quotidie fere venerunt ad eam vel ipsa Christi sanctissima Mater, vel angeli, vel alii speciales sancti, demptis continuis angelorum visitationibus. Et tamen in his omnibus perfectam spiritus ejus requiem non invenit, donec ipse Sanctus Sanctorum, omnibus ineffabiliter dulcior, utpote sanctificator omnium, adveniret. Tum enim invenisse se sensit, quem dilexit anima ejus: tenuitque eum, nec dimisit. Tenuit fide, non dimisit imitatione. Sed nunc, miris et utilibus valde commemoratis, ad pretiosae ejus mortis historiam veniamus.

§ **39**. Anno fere undecimo ante obitum suum quoddam vitae quietissimae et felicis mortis praeludium accepit. Nam instar patriarcharum Isaac et Jacob, ambobus orbata luminibus, luminis coelestis splendoribus solito est excellentius perfusa. Dignum enim erat, ut mens radiantissima intus luce ornata, foris quodammodo luminis hujus caligine obscuraretur. Quis enim dubitet, rerum corporalium formis et imaginibus, quae per oculos forinsecus in animum influunt, spiritalem mentis aciem retundi? Caecata ergo exterius, tota mente interius in luce versabatur, hoc unum dumtaxat in hac caecitate plorans, quod spiritales amicos suos in hac vita amplius cernere non posset: at eo rursus se consolans, quod in coelesti patria eos se visuram speraret. Refert frater Bernardus ab ejus ore se accepisse, Dominum ita ipsi dixisse: « Caecitatem, quam tibi accidere volui, patienter feras: polliceor enim tibi, sine Purgatorii poenis te ad me perventuram: amicos

vero, quos ais te in hac vita ulterius videre non posse, in aeterna patria conspecturam.»

§ **40**. Non diu post, beatae memoriae Jordanus Magister Ordinis Praedicatorum, cum diu magno flagrasset desiderio invisendi Terram sanctam, inde rediens per mare, occulto Dei judicio cum magna hominum multitudine et duobus fratribus Dominicanis submersus est * : moxque a summo coeli fastigio usque ad navem illam, in qua extinctus jacebat, maxima ignis columna quinque horarum spatio divinitus accensa de nocte apparuit: cumque sacrum corpus litus attigisset, coeli lampas tertio super illud, et quarto super socium ejus Geraldum resplenduit: atque ita lampas recedens, nube excepta est. Hujus rei testes fuere Christiani catholici, Graeci schismatici, et gentiles. Corpus autem ejus mirifice fragrans, a fidelibus curatum est. Eodem anno in vigilia nativitatis Christi, a prima diei horâ usque ad sextam orans Lutgardis, cum in spiritu quasi tenebras quasdam sentiret, adeo coepit taedio affici, ut in haec verba prorumperet: Domine, quid est, quod sentio? quid est, quod patior? Certe si quispiam amicus vel in coelo, vel in terra pro me oraret, talem ego duritiam minime sentirem. Haec illa cum lacrymis dicente, subito mentis ejus oculis spiritus quidam adeo luculentus et gloriosus apparuit, ut prae splendoris magnitudine eum non cognosceret. Dixit autem illi : Quis es Domine? Et ille : « Ego sum, inquit, frater Jordanus, quondam dictus Magister Ordinis Praedicatorum. Ego jam migravi ad beatam vitam, et inter Apostolorum et Prophetarum choros splendeo sublimatus. Missus autem sum ad te, ut in hac jucundissima solemnitate te consoler. Tu vero de praemio secura esto: propèdiem a Domino coronaberis. Porro psalmum, *Deus misereatur nostri*, cum oratione de Spiritu Sancto, quae, me vivente et rogante, pro nostro Ordine te dicturam recepisti, usque ad finem vitae dicere ne omittas.» His dictis, disparuit, tantamque in ejus pectore consolationem reliquit, quantam nunquam persenserat in vita sua. Dilexerat ille adhuc vivus Lutgardem haud vulgariter, et inter foeminas omnes illi vel maxime fidere consueverat, ita ut totius Dominicani instituti sive Ordinis eam matrem et nutricem constituerit.

§ **41**. Cum jam alterum septennium Lutgardis pane tantum et òlere transegisset, rursus per revelationem dictum est ei, ut tertio jejunia votiva susciperet, quo placatus Deus malum illud averteret, quod ipsa quemdam Ecclesiae Christi hostem certissime illaturum verebatur. Ab illo ergo tempore usque ad supremum vitae diem ita perpetuo jejunavit, ut nullum omnino, ne ipsum quidem Paschatis celeberrimum diem absque jejunio transmiserit. Mortua est autem, ut post dicemus, anno septimo hujus salutaris

* Die XIII febr. anno MCCXXXVII. Colitur B. Jordanis sancto Dominico in totius Ordinis Praedicat. Praesulatu immed. successor, apud eum inclytum Ordinem XV febr.

jejunii, nec sine fructu, ut nos jam certissime speramus. Dixit enim mihi illud, quod jam memoravimus, periculum non mediocriter formidanti, anno scilicet proximo ante obitum suum: Potes charissime aequo esse animo, quantum attinet ad illum, quem ajunt clam Ecclesiae insidias comparare. Nam aut humiliabitur precibus fidelium, aut brevi excedens e vita, pacem Ecclesiae relinquet, quam perturbare videbatur.

§ **42**. Per idem fere tempus venerabilis ille et Deo dignus Jacobus, Anchonensis quondam Episcopus, tum vero Romanae Ecclesiae Cardinalis, pridie Calendas Maji Romae vitâ functus est. Quarto inde die, id est, in festo sanctae Crucis, cum Lutgardis in Brabantia esset, triginta dierum itinere procul ab eo loco in quo ille defunctus est, rapta spiritu in coelum, vidit eadem horâ animam ejus adduci in paradisum: eique spiritu gratulans, dixit: Nesciebam, reverendissime pater, te e corpore decessisse. Sed quando, oro, defunctus es? Respondit ille: Quarto abhinc die. Interim tres noctes et duos dies exegi in Purgatorio. Tum illa admirans: Et quare, inquit, non statim ab obitu mihi indicasti, ut sororum nostrarum precibus poenae tuae solverentur? Dominus, ait ille, noluit te contristari poenis meis, sed mea potius liberatione et beatitudine exhilarari. Tu autem paulo post me sequèris. His dictis, Lutgardis redit ad se, et diem mortis itemque Purgatorii ejus cruciatus, et in coelos migrationem, sororibus cum ingenti exultatione exponit.

§ **43**. Anno quinto ante obitum suum Dominicâ tertia a Pentecoste, cum in ecclesia legeretur Evangelium, *Homo quidam fecit coenam magnam*, etc. illa prophetico spiritu dixit dominae Sibyllae a Gagis, cui tanquam magis literatae, ejus in omnibus cura demandata erat: « Nòveris charissima, die illo Dominico, quo hoc recitabitur Evangelium, me ad coenam nuptiarum Agni migraturam. » Audiens hoc Sibylla, diem illum, tanquam supremum vitae Lutgardis, cum summa expectatione praestolabatur. Sed cum videret Lutgardem eo die manere superstitem, putabat phantasmate illusam sicque aliquandiu ejus visionis mansit immemor. At ubi quinto anno dies ille rediit, et posito Lutgardis jam defunctae corpore in feretro, Evangelium, quod diximus, ad Missam matutinam in ecclesia legeretur, Sibylla in memoriam rediens eorum quae a Lutgarde audierat, obstupuit, utque Lutgardis ante quinquennium ea dixisset, cum admiratione omnibus indicavit.

§ **44**. Quarto anno ante ejus e vita decessum crudelissima gens Tartarorum, e suis sedibus erumpens, vastata Hungariâ, Bulgariâ, Russiâ, Poloniae quoque Duce potentissimo interfecto, et regione populoque vexato, cum jam Boëmiae immineret, timor ingens per omnem Germaniam et Galliam pervasit. ne a Barbaris idem paterentur. Itaque F. Bernardus Dominicanus, Pontificis Maximi poenitentiarius, valde anxius rogavit Lutgardem, ut precibus

instanter pulsaret Dominum, ut a Germaniae finibus illud Tartarorum flagellum depelleret. At illa: «Ego vero, inquit, non jam demum pro hac re coepi rogare Dominum. Certa sum autem ad has regiones non venturos modo Tartaros.» Quod ille haud aliter accepit, ac si de coelo sonuisset.

§ **45**. Interroganti cuidam amico spiritali et speciali, cujusmodi Christi faciem in contemplatione videret, respondit: « In momento apparet mihi splendor inaestimabilis, et instar fulguris video ineffabilem ejus glorificationis pulchritudinem. Quae nisi raptim subduceretur aspectui contemplationis meae, mortalis vitae hujus imbecillitas eam ferre nullo modo posset. Post eum autem fulgorem manet splendor intellectualis, et cum illo quaero eum, quem raptim videram, sed non invenio. » Itaque dicebat oculos Christi tam ineffabili coruscare splendore, ut si splendor ille Solis lumini infunderetur, in infinitum amplius ille Solem obscuraret, quam Solis radii stellarum lumen obtegant. Religiosus quidam sacerdos scire cupiebat, quid sibi vellent ea verba, *Pulchriores sunt oculi ejus vino*. Vidit ergo in sancto calice divina mysteria celebrans, Christi faciem, ejusque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum universum etiam in mediis tenebris longe uberius, quam vel mille Soles possent illustrare. Nec facile credi posset, quantopere arserit Lutgardis Christum videndi desiderio. Quodam die audiente moniali alia, ejusmodi vox super illam insonuit: *Deliciae meae esse cum filiis hominum* (*Prov*. VIII, 31).

§ **46**. Paulo amplius anno uno ante mortem ejus apparuit ei Dominus, gratulabundo vultu blandiens, et dicens: « Instat jam finis laboris tui, nolo te diutius a me separari. Tria dumtaxat hoc anno a te expeto: Primo, ut agas gratias pro beneficiis jam acceptis: et ad hoc petas suffragia beatorum. Deinde, ut pro peccatoribus meis totam te effundas in precibus ad Patrem. Postremo, ut pervenire ad me absque ulla alia solicitudine, ardenti desiderio concupiscas.» Proximo ante obitum ejus Paschate apparuit ei Christus cum sanctissima Matre sua in admirabili claritate. Cumque Lutgardis, ut fere semper, de vitae praesentis exilio et aeternae patriae desiderio illis proponeret, non sine pia querimonia dixerunt ei: « Non oportet te charissima, diutius hujus vitae laboribus fatigari: paratur jam tibi sempiternae pacis refrigerium ad coronam, nec volumus tua praesentiâ ulterius carere.» Decimoquinto ante mortem ejus die apparuerunt ei beatissima Christi Mater et sanctissimus Joannes Baptista, quem impense et singulariter diligebat, dixeruntque ei: Imminet jam finis vitae tuae: superest tibi corona justitiae: nolumus te hic esse diutius: omnes coeli cives te expectant. Alii quoque Sancti illo anno apparuerunt ei crebro in magna multitudine, praedixeruntque ei obitum ipsius. Apparebant ei etiam quidam speciales amici ejus, qui jam e corpore exierant, magnifice se laetari asserentes, quod brevi ad ipsos

perventura esset. Haec cum illa dixisset quibusdam amicis suis, quaesitum est ab ea, quomodo posset Sanctos internoscere. Respondit illa: « Ex ipso Christo, qui est Sanctus Sanctorum, quidam animam meam illustrans splendor egreditur, in quo singulos quosque Sanctos mihi apparentes perfecte cognosco.» Porro sanctos ipsam invisentes obnixe rogabat, ut gratias agerent Deo pro ipsa et beneficiis ei collatis.

§ 17. Saepe reprehenderat moniales in valetudinario manentes, quod parum attente persolverent preces Canonicas, divinitus institutas. Cum autem dimidio ante obitum suum anno, non videret divina majestate et reverentiâ dignam in sororibus emendationem, ait: « Scio equidem, quod post decessum meum culpam hanc manus Domini in sororibus vindicabit: et tunc memores verborum meorum, castigatae cum multa humilitate se corrigent, et Dominus mox rètrahet manum suam, quam jam extenderat ad ultionem.» Quam autem veraci spiritu haec illa praedixerit, res ipsa neminem sinit ambigere. Nam ubi illa excessit e vita, confestim dira pestis invasit in illud monasterium, et brevissimo temporis intervallo quatuordecim probatissimae sorores extinctae sunt. Ego vero eodem tempore illuc veni, et duas carne ac spiritu sorores, uno eodemque momento animam reddentes, oblato pro eis sacrificio, in uno tumulo sepelivi. Cum se autem infirmae sorores in valetudinario in dicendis Canonicis precibus correxissent, Domino manum suam retrahente, pestis illa protinus sopita est.

§ 18. Jam vero, quantum quidem ad illam attinet, dies sequitur exultationis et laudis; quantum autem ad nos, et omnes illos, qui illius patrociniis et consolatione fovebamur, dies luctus et moeroris: dies, quem ego infelicissimus omnium, nec morte, ut saepe rogaram, antevertere potui, nec subsequi possum, quovis orphano calamitosior. Venit ergo dies, qui antecedit sacrosanctae Trinitatis solemnitatem, et illa gravi quidem, sed jucunda febre decubuit, trini Dei perpetua cultrix et veneratrix. Ingravescente autem morbo exercebatur. Altero post illam solemnitatem die venit Wilhelmus conversus Affliginiensis (cujus monasterii fratres propter religionis observantiam praecipue charos habebat) illam invisere volens, dixitque inter caetera: Utinam sciret Dominus Abbas noster te tam male valere. Et illa: Cras, inquit, veniet ille meus amicus praecipuus, meque videbit. Quod cum ille incredibile putaret, admirans conticuit. Mane alterius diei Abbas illum locum ad duo milliaria praetergredi volens, nec quicquam de adversa Lutgardis valetudine sciens, mutata sententiâ dixit sociis suis: Eamus visum dominam Lutgardem: jam diu enim illam non vidi. Venit ergo in Aquiriam, et cum ad eam accessisset, illa multum gratulans, atque e lecto deportata residens, manum Abbatis tenuit, dixitque ei: « Jam recedo, charissime, et nihil te charius

sub sole relinquo. Noveris autem, quod ad te attinet, divinitus me consolationem accepisse.» His dictis, Abbas in alia distractus abscessit, et illa usque ad quintam feriam in multa spiritus alacritate permansit. Ipsa autem quinta feriâ cum vocem Sibyllae a Gagis audivisset, ait: « Sedeas hic juxta cor meum: en plenum est monasterium militiâ coelestis exercitus: animae beatorum praesentes sunt, et multae e sororibus nostris, quae hinc emigrarunt.» Quod cum dixisset, siluit, et deinceps tota sexta feriâ vultu gratissimo divinae contemplationi intenta, in ecstasi fuit. Sabbato autem, cum jam mortis hora adesset, oculos in coelum sustulit, et munita vivificis sacramentis, in medio juvencularum tympanistriarum, admixtis coelestis exercitus principibus psallentibus, felix anima ad liberas auras supernae Jerusalem exultans et laetabunda evolavit sub vesperam, Anno a Christi incarnatione MCCXLVI decimosexto Calendas Julii, aetatis suae anno 64.

§ **49**. Cum autem redderet spiritum, quaedam e sororibus, tanta spiritus suavitate et alacritate perfusae sunt, ut prae admiratione sese non caperent. Nec mirum, cum in seipsis plane experirentur, cum immenso supernorum civium tripudio ipsum salutis nostrae principem Jesum, animam illius in paradisi delicias evocasse. In signum autem virginalis integritatis, in ipso obitu candor cum lilii nitore conjunctus faciem ejus obtinuit. Oculos, ut diximus, sub ipsam mortem ad coelum sustulit, cum jam antea diu clausos habuisset, nec eos postea vel in morte, vel post mortem clausos habere potuit, quando ipse oculorum habitus iter, per quod spiritus excessisset, indicavit. Totius vero corporis cutis tanta fuit lenitate, ut contrectantium manus candidam eamque mollem byssum sibi tangere viderentur.

§ **50**. Porro cum sacrum corpus lavaretur, quaedam soror multis annis unius manus usu plane destituta, non de industria, sed casu manu illa arida inter lavandum illud attigit, et derepente curatam se sensit. Permultis annis ante obitum ejus complures moniales et conversos fratres instanter rogaveram, ut si accideret, sicut proh dolor accidit, me ad ejus e vita decessum non adesse, manum ejus abscinderent, mihique pro sacra illius memoria reservarent: quam ad rem consensum obtinueram venerabilis ejus loci Abbatissae Hawigis. Ut autem est foeminarum ingenium, celanda prorsus celare non posse, moniales Lutgardi, quid de praecidenda ipsius manu rogassem, indicarunt: cumque paulo post in Aquiriam venissem, et cum ea colloquerer, illa me serio vultu intuens: « Audivi, inquit, fili charissime, te post mortem velle mihi amputare manum. Ego vero demiror, quid ea manu facturus sis.» Tum ego rubore suffusus, Credo, inquam, et corpori et animae meae profuturum, si, ut spero, manum tuam obtinuero. Mox illa sereno ut erat vultu subridens, et digitum auricularem dexterae manus in fenestra, ad quam loquebamur,

deponens : Satis, inquit, tibi sufficiet, si hunc digitum post decessum meum obtinere licuerit. Tum ego majori fiduciâ in eam invectus: Nihil, inquam, mihi de tuo corpore satis erit, nisi vel manum, vel caput habeam, quod mihi sit orbato te levamentum. His dictis ad alios sermones descendimus: nec tamen quicquam illa alicui ea de re dixit, nec advertit quidem aut alicujus pensi habuit. Postquam autem illâ defuncta, et corpore in ecclesiam deportato, tempus opportunum se obtulit, Guido quidam valde religiosus juvenis et alius conversus socius ejus, digitum illum, quem mihi Lutgardis suffecturum dixerat, amputarunt et dentes sexdecim ex ejus ore extraxerunt. Ego vero cognita ejus morte, cum pariter didicissem ex ejus manu digitum excisum, nec scirem tamen, quisnam esset : Jam nunc, inquam, perspicue licebit intelligi, num vere prophetissa fuerit Lutgardis quae ante annos plurimos auricularem dextrae manus suae digitum mihi sufficere posse praedixit. Itaque veni in Aquiriam, et illum ipsum, quem praedixerat, digitum praecisum comperi, sensique illo plane me contentum fore, si eum liceat obtinere. Accessi ergo Abbatissam, et pro ea re preces supplices cum lacrymis obtuli, sed cum magno dolore meo solam Abbatissam inexorabilem inveni: sed, ut arbitror, non absque superni dispensatione consilii. Voluit enim probare Omnipotens, illum me Lutgardis digitum habiturum, quem ipsa promisisset, licet eum nescia simplicitas petenti negaret. Rursus autem in Aquiriam venienti mihi, et promittenti, scripturum me piae Lutgardis vitam, cum ingenti cordis mei gaudio donatum est omni auro et argento optatius munus.

§ **51**. Porro autem cum sacrum Lutgardis corpus humandum adhuc in feretro jacèret, quaestio incidit, ubi tam praeclaras reliquias condi oporteret. Contigit autem divina ordinatione, ut venerabilis Abbas Alnensis monasterii, ex Ordine illius coenobii Visitator, triduo ante sepulturam Lutgardis decessum expectaret. Is ergo illic tum praesens, dixit: Ubi vero tumulari eam par est, nisi in ecclesia, ubi pro dignitate omnes ad eam adire possint? Ea autem Abbatis vox consensum omnium obtinuit, et ad dextrum Chori latus juxta parìetem, ubi orare consueverat, celebri et honorato loco condita est. Porro venerabilis Sibylla a Gagis, hoc ei Epitaphium posuit:

Lutgardis vixit, vitam sine crimine duxit:
  Cum Christo degit, quam lapis iste tegit.
Esuriens haec et sitiens coelestia, luxit.....
Haec speculum vitae, flos claustri, gemma sororum:
Fulsit in hac pietas, compassio, gloria morum.

§ **52**. Statim autem ab ipsa sepultura apparuit Elizabethae de Wans moniali Aquiriensi in magna gloria, sciscitantique illi, num aliquo temporis spatio fuisset in locis Purgatoriis, respondit:

Non solum nullum ego Purgatorium perpessa sum, sed etiam loca Purgatorii praeteriens, afflictisque animabus condolens, illis bene precabar, compluresque ex illis Dei benignitate e poenis ereptas, ad paradisi amoenissima loca mecum abduxi. Haec ubi dixit, Elizabetha videbatur sibi audire, tanquam juvenculae cuidam moniali, Machtildi nomine, illam dicentem: Sequere me: intelligensque iis verbis Machtildem ad excedendum e vita invitari, se quoque ultro obtulit ad ita sequendum illam, dixitque: Liceat etiam mihi sequi te mater dulcissima. Respondit autem Lutgardis: Non potes me sequi modo, sed postea me matrem sequèris filia. Habuit vero visio illa mox effectum suum. Juvencula enim a Lutgarde invitata, intra novem dies defuncta est: Elizabetha vero etiamnum superest (*a*).

§ **53**. Cum autem juxta Lutgardis propheticam praedictionem dira pestis moniales Aquirienses infestaret, quaedam soror per visum multos conspexit in monasterii ecclesiam insolenter irruere: cumque nullus eos compescere posset, vidit Lutgardem surgere e tumulo, et omnes illos summa vi e templo exturbare. Habuit vero etiam illa visio celerem effectum, saeva illa peste a monasterio Aquiriae profligata. Porro moniales quicquid e zonis, peplis, velis, aut aliis rebus Lutgardis habere poterant, certatim quasi pro reliquiis, et revera praeclaris reliquiis, ad se rapuere. Nobilissima autem puella Beatrix de Roavia monialis, quae facultatibus suis Aquiriae monasterium ab inopia copiosissime vindicavit, anthracem, sive, ut Medici vocant, carbunculum, in collo patiens, velum capitis Lutgardis ad collum apposuit, perniciosque turgens malum illud repente abscessit. Dominus Alardus, qui in eo monasterio per multis annis Capellanum egerat, pollice inflato multum anxie cruciabatur. Is Lutgardis reliquias postquam ad pollicem alligavit pro doloris et tumoris remedio, mox remedium praesentissimum expertus est.

§ **54**. Oda Aquiriae Suppriorissa graviter manum dolens, ex circumligatis ei Lutgardis reliquiis continuo perfectissime curata est. Ejusdem nominis consanguinea monialis, nata ex Braviae oppido, prae capitis debilitate, qua diu vexata fuit, nullum prorsus lilii odorem ferre potuit. Ea ut vidit ad tumulum Lutgardis lilia posita, horruit quidem ipso aspectu: sed cum caput solum ad tentandum, num posset ingredi, in ostium intulisset, nihilque molestiae sentiret, mox fidentius introgressa, tumulum adiit, lilia naribus admovit, nec ullum penitus dolorem persensit. Eadem monialis nocte in tenebris ad sepulcrum ejus orandi gratiâ se prosternens, oculo impegit in candelabri ferrum acuminatum, moxque apposuit oculo manum, ut jam e suo loco quasi excidentem,

(*a*) Tot tantisque ejus sepulcrum Deus signis illustravit, ut iis permota Apostolica Sedes, inspectis etiam vitae ejus mirabilibus, Lutgardem aequipollenti ut ajunt Canonizatione, Rom. Martyrologio inscripserit in Baroniana recensione sub Gregorio Pp. XIII.

ne penitus decideret, retineret. Itaque dolore intolerabili affecta, dixit: Quid est, sancta mater Lutgardis, quod mihi accidit? En pro tui veneratione prócidens, oculum perdidi, quem servare te oportebat: atque inde molestiam refero, unde remedium sperabam. Haec ut dixit, surrexit, et momento temporis plenissime restituta, nihil neque angoris, neque doloris sensit.

§ **55**. Maria de Andeva Aquiriae monialis, gravissimo dolore capitis afflicta, ita ut ne puncto quidem temporis ullo corporis membro posset quiescere, seque humi impatientius volutaret, cunctis mirantibus, quippe qui eam quam primum mentis inopem fore putabant, velo Lutgardis adhibito usque adeo mox revaluit, ut nullus omnino dolor in illa relictus videretur. Matrona quaedam nobilis in partu diutissime et periculosissime laborans, allatum cingulum, ex equorum setis confectum, quo Lutgardis carnem suam affligere et macerare consueverat, utero imposuit cunctisque stupentibus, sine dolore in suam et prolis salutem liberata est. Quod idem diversis in locis et personis efficaciter est probatum.

VITA ET MARTYRIUM

SS. MANUEL, SABEL ET ISMAEL

EX SIMEONE METAPHRASTE

Saeculo IV — Natione Persae.

§ **1**. Persecutores quidem alii et Tyranni, etiamsi idolorum cultui erant dediti, in errore tamen ab initio educati, non externum aliquem et alienum cultum, sed proprium et patrium habere videbantur: quem quidem jam tenentes, male quidem, sed tamen jam tenentes, fidem nostram esse plane absurdam existimabant, et eos puniebant qui ad eam accedebant. Quorum quidem, cum ea facerent, quae suae conveniebant consuetudini, non magis quis mores vituperaverit, quam erroris, in quo fuerant educati, fuerit motus miseratione. Praesens autem hic Tyrannus*, cum in rebus divinis pulchre a principio fuisset eruditus, et in Christianorum legibus et moribus educatus, nec id solum, sed sacris quoque et arcanis scripturis fuisset dignus habitus, nescio quanam de causa a fallacibus daemonibus postea persuasus, illa quidem omnia postea habuit pro ludibrio, iis contumeliose insultans, quae sunt venerabilia: gentilium autem solummodo res

* Julianus Apostata; de eo in Surio, Vol. I, p. 499, et in MARTYROL. ILLUSTR. mense febr. p. 127*.

magnifecit, et in summo honore habuit. Quocirca eorum, qui unquam fuere, persecutorum fuit et iniquissimus, et impudentissimus: ut qui neque fidem, quam acceperat, servaverit, et factis visus fuerit malevolentissimus. Julianum transgressorem scio vos omnes nosse, quem vel solum cognomen facit omnibus exosum et invisum, nedum mores ipsi: quo quidem nemo fuit ad vitium promptior et proclivior.

§ 2. Is ergo cum, quod nemo putasset, in Deum, et eum qui illo tempore imperabat (is autem erat Constantius), amentiam, et in ipsos Christianos, cum quibus erat ei nomen commune, defectionem parturiisset, Romanorum nescio quomodo arripit Imperium. Propter quod valde elatus, et in summam evectus superbiam, omnibus erat intolerabilis, et nec se continere poterat, nisi Christianos omnes caperet et expugnaret: alios quidem minis et tormentis terrefaciens, aliis autem turpiter et illiberaliter blandiens, alios verborum strophis ac technis aggrediens et illaqueans, ut quomodo liceret, eos, qui non persuadebantur, subjugaret. Caeterum ejus improbitatem et, quae sub blanda verborum specie latebat, fraudem et imposturam perspexerunt quidem multi et deprehenderunt, qui etiam cito vitarunt: multi autem tormenta quoque quibus sunt cruciati, forti animo et excelso sunt perpessi, adeo ut ne turpe quidem verbum emitterent: complures autem etiam usque ad mortem decertarunt, vitii callidum artificem in omnibus pudore afficientes, et nihil aliud, quam id quod est, esse malum ostendentes.

§ 3. Quoniam autem praeter omnes reliquos, hi tres quoque viri egregii et plane interririti, qui sunt etiam dicendi argumentum propositi, Tyranni crudelitatem, non secus atque desipientis pueri, deriserunt, ejus minas perinde atque larvas reputantes: res eorum sunt in praesentia narrandae, et iis qui non norunt, quoad ejus fieri poterit, explicandae, ut eorum appareat fortitudo et invictum animi robur. Praeclarorum horum virorum, Persis quidem erat patria, genus autem ex parte matris pium et religiosum: pater vero permansit quidem in errore: vitâ autem erat honesta, et gravitate plena, et quae pietati conveniret: omnes fratres, et animis, et corporibus. Nomen primo erat Manuel, secundo autem Sabel, rursus autem tertio Ismaël, quibus quidem ante alia hoc curae erat maxime, ut a patriis ritibus longissime abessent, eosque tanquam rem execrandam et aversandam fugerent. Est enim Persis ritus patrius, lucernas et ignem suffumigare sacrificiis, et aliis adhuc magis execrandis pollui. Quae quidem nec unquam observare in animum induxerunt, et vel solo aspectu se judicarunt inquinari. Erant enim ab ineunte aetate pulchre instituti in divinis, utpote quod quidam Eunoicus vir clarissimus in eos pietatis semina dejecisset, et eos aluisset pietatis dogmatibus.

§ 4. Illos cum huc mitti oportuisset ab eo qui tunc in regione dominatum obtinebat (vocabatur autem Alamùndarus), ut Imperatorem convenirent, certisque pactis ac conditionibus cum eo pacem inirent (hoc enim jam prius et literis petierat, et missis legatis contenderat), neque virorum virtutem homo insolens revèritus, quae erat adeo magna et admirabilis : neque id propter quod accersìti venerant : neque de futuro, si de nullo alio, dubitans, eos qui advenerant intolerandis excipit suppliciis, et tandem morte acerbissima, pulchre vero eos accipiens, et ut amentem ejus decebat animum. Undenam autem ad hoc sit incitatus, jam dicet oratio. Postquam ergo hi tres, ut dictum est, venerunt ex Perside, et ea scripta quae acceperant attulerunt, foederaque certis conditionibus inita, Romanorum Imperatori et Principibus obtulerunt, eis quidem aliquantisper permissum est, ut de more benigne tractarentur, et consueto honore fruerentur, ut qui de tanta re, quam afferebant, Legati accessissent. Cum Imperatore itaque versabantur assidue, erantque eis cum eo omnia communia, domus, victus, et quaecumque est alia in aula regia benignitas. Quidni enim ea participarent, qui tales erant, et morum bonitate excellebant, cum vel hoc solum quod tantum iter fecissent, sufficere deberet ad hoc, ut benignissime acciperentur? Sed haec quidem nequaquam vere ac sincere fiebant a Tyranno, neque ejus erat haec facere : sed mox deprehensus est id ficte ac simulate invenisse, ut qui factis ipsis effecerit, quo facile argueretur.

§ 5. Nam cum ei aliquando visum esset ire in quemdam locum Bithynnorum, et fretum transmisisset Chalcedonicum, et omnes jam qui ei parebant accerseret, et non permitteret ut aliquis ab hoc coepto desisteret itinere : et praeter caeteros hos quoque pios viros adduceret. Tunc enim ei publicum festum et celebre advenerat, sanguine et nidore, et caeteris piaculis suos colenti daemones (erat autem nomen loci, in quo haec execranda peragebantur orgia, Trygon). Alii quidem omnes, ut qui densis tenerentur tenebris, festum celebrabant cum Imperatore, et unâ sacrificabant, et ei parebant in omnibus, ut qui corpore et animo essent imbuti impietate. Soli autem ii, ne apertis quidem oculis ea, quae fiebant, videre sustinentes, tolerabant soli procul stare in angulo moesti et lacrymantes, et Deum Salvatorem placantes, et rogantes ut eis concederet integram et illaesam servare religionem, et non pollui impiorum communione, quorum vel solam leviter attigisse superficiem, putabant impietatem. Potius autem obsecrabant eum, qui est optimus, ut eos, qui jam morbo laborabant, converteret, et efficeret, ut animadverterent in quanto essent errore, et eis significaret, quisnam sit, qui eos ad hoc, ut essent, produxerit et formarit ; et rursus, cum cecidissent, melius reformarit. « Ne sic enim, dicebant, o Domine, siveris eos jacère in profundo malorum,

nec cum sint participes rationis, impleri tanta egestate rationis, ut iis, quae ab ipsis coluntur, videantur a ratione alieniores, et minus sensu praediti. Siquidem illa, cum sint lapides et ligna, sunt plane nullo sensu praedita: isti autem cum sint ratione praediti, et acceperint, ut fierent ad tuam imaginem, et te, qui illos tanto honore affecisti, ignorarunt, et naturam affecerunt dedècore, et sibiipsis, quod est malum pessimum, fecerunt injuriam.» Sed hi quidem, sicut diximus, cum se ab aliis separassent, soli et inter se invicem steterunt, haec petentes a Domino, et a superis divinum invocantes auxilium.

§ 6. Postquam autem venit quidam ab Imperatore (is erat cubicularius dignitate), eos trahens et producens ad sacrificium (existimabat enim stultus, illos quoque non minus quam se esse deceptos), bona verba, ei exclamarunt una voce: «Abscede a nobis: fidem enim, in qua sumus educati, nunquam abjurabimus, neque Deum nostrum relinquemus, neque colemus eos, qui sunt apud vos, daemones. Absit enim, ut eo unquam animo simus, ut iis qui non sunt nos adjungamus, et tam aperto errori mentem adhibeamus. Non sumus adeo insipientes, et mentis adeo emòtae, neque adeo proclives, et ad ducendum faciles. Non enim hac de causa vènimus, aut propterea tam longum iter ingressi sumus, ut nos quoque prodamus, religionemque nostram abjuremus. Vènimus tantum ad ineunda foedera, et ad ea confirmanda, quae nobis visa sunt: alia autem habeamus, ut habemus. Haec audiat et tuus Imperator, et quisquis eum colit, et est ei proximus. Nos quidem non vincetis, nec ab ea, quae est ex Deo, sententia dimovebitis, etiamsi incitati fueritis, ut omnia dicatis et faciatis: etiamsi igni et ferro, et aliis instrumentis ad puniendum institutis tradideritis: etiamsi ipsas nobis animas abstuleritis.»

§ 7. Haec ubi audivit iniqui minister iniquior, omnia quamprimum aperit Imperatori, fortiumque virorum renunciat constantiam, et animos qui perterreri nequeunt. Hic autem mihi considera inversam parricidae scenam, illamque quae erat paulo ante, simulationem et summam malitiam detectam: quae apud eos quidem, qui sunt ignari fraudis, benignitas esse videbatur et humanitas, re vera autem malevolentia, et dissimulatio, et malignitas erat ad universum. Postquam enim de sanctis audivisset vir perniciosissimus, interim quidem nihil aliud imperat, quam ut includantur in carcere, ut festum sibi quoque perageret expers omnis molestiae, et quae daemonibus fiebant, sacrificia non interrumperet propter aliud negotium. Hoc enim tunc sibi visum est expedire, et deinde considerare, quemadmodum eos aggrederetur. Caeterum beati illi, dum ducerentur in carcerem, in via canebant: *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.* Et illud: *Quis Deus magnus, sicut Deus noster*, qui semper facit

nobiscum in gloria et potestate? Nos enim populus ejus, et opera manuum ejus, et eum perpetuo invocabimus.

§ 8. Cum autem die sequenti mane praesedisset Tyrannus, jubet sisti martyres: qui eos primum blandis verbis conatur inducere, sic calide existimans se posse solvere robur animi, etiamsi propter eam quae illi coaluerat immanitatem, asperitatem minime remiserat. «Tanquam nobis, inquit, benevolos et ejusdem nobiscum in omnibus sententiae, vos vester Rex ad me misit, ut hac in re fidelem vestrum et gratum animum magis ostenderetis, quod dies festos nobiscum celebraretis, et simul laetaremini, et quod eosdem deos nobiscum coleretis, et in nulla re a nobis dissideretis. Sic enim et foedera sumus habituri stabiliora, et in iis quae aguntur confidemus, si eadem mente et cultu inter nos colligemur. Quod si vos quaedam alia et sentitis et creditis, sciatis vos non tam venire legatos et reconciliatores, quam hostes et adversarios. Nam si id non estis, omnino, si nihil aliud, oportèret vos vestra revereri. Persae enim unâ nobiscum et Solem, et Lunam, et reliqua astra colunt, et praeterea lucidissimam quoque ignis potentiam, ne alios quoque deos enumerem, quos ab alte petìto venerantur principio, a quibus nobis quoque donantur, quaecumque sunt optima, et a quibus pendet universorum providentia.» Cui sancti simul et fortiter responderunt:

§ 9. «Nos, o Imperator, qui ab initio Christiani et sumus, et vocati sumus (hanc enim rem, et hoc nomen maxime venerabile, nos noster docuit paedagogus, vir ille in rebus divinis insignis, et virtute incomparabilis, qui etiam propter eam dignus est habitus sacerdotio: iis autem, qui cum eo versabantur, tantam sui excitabat benevolentiam, quanta ne dici quidem potest: nam ejus quoque nomen erat Eunoicus) hoc, inquam, viro virtutis studioso, duce et magistro usi in omnibus, maxime cum sciamus matrem quoque fuisse ab eo in pietate initiatam, et summe ab eo captam, nunquam, quae sunt ab eo nobis tradita, tam pretiosa et tanti facienda, aut praeterierimus, aut oblivioni mandaverimus: rebus autem vestris inconsiderate animum adhibuerimus, quae habent fraudes innumerabiles, suntque plane viles et abjectae, quoniam nec hae quidem fuerint aliquid aliud, quam error et merae nugae. Quidnam autem hoc fecerimus unquam insipientius, si coeli quidem factorem reliquerimus, malis vero daemonibus divinum cultum tribuerimus? Hoc esset insanae et plane emotae mentis. Si autem nostri majores manserunt in veteri errore, ne dicam quod ipse quoque pater èadem, quae illi, errante animo est sectatus, non ideo a nobis fides abjurabitur, quam professi sumus coram Deo et Angelis. Nam multi quidem ex iis qui sunt apud nos, Persis, hoc quidem tentaverunt, non potuerunt tamen nostram mutare sententiam. Et si, propter quae vènimus, non fuerint inita foedera, tibi quidem id erit omnino imputandum, qui mittens ea

considerare et componere, de quibus missi sumus, sedes de iis disceptans quae ad te nihil attinent, nempe quis tuos quidem deos colat, et sit eis benevolus: quis autem eos despiciat, et ab eis dissideat. »

§ **10**. Propter haec amens ille, irâ plenus, quae minime cohiberi poterat, iracunde dixit eis: « Quomodo vos, qui rudes et indocti semper vixistis, et linguae Graecae plane ignari, tam impudentes estis, ut vestra mala et reproba oratione nobis velitis persuadere, qui ad summam pervenimus eruditionem, idque cum nec simus quidem vestrarum ignari scripturarum? Sciatis enim, quod ego quoque, cum essem in eis aliquando versatus, et novissem quam eae essent corruptae et plane ad dissolvendum faciles, eas quamprimum a lingua mea abstersi, ne ex illorum inscitia et ineptiis aliquid erroris contraxisse viderer. Nemo enim vestris fretus libris, quos eleganter quispiam vocaverit Christianos, aut se unquam evasit melior, aut praeclarum aliquid fecit, et dignum quod commemoretur. Quos refellere, et nihil esse ostendere, nec longi est temporis, nec viri vel mediocriter cordati. Quamobrem his dimissis, et hac puerili et inconsiderata cogitatione, credite mihi vobis consulenti ea quae sunt meliora. Sin autem audire et parère nolueritis, vos docebit tormentorum experientia, pro qualibus qualia elegeritis, et quanto vestro malo sit haec arrogantia, et contentio, et absurdissima religio. »

§ **11**. Ex quibus sancti magis confirmati, cum graves audissent labores et dolores, Tyranno dixerunt audacius: « A Deo nostro et Domino didicimus, non timere eos qui corpora occidunt, neque propter metum prodere veritatem, neque quando deducimur, meditari quid respondeamus, cum ipse Spiritus Sanctus et paret ad certamina, et animum impleat audaciâ, et det sermonem in apertione oris. Quam autem rationis egestatem nobis objicis et inscitiam tu, qui tibi esse vidèris omnium eruditissimus? Nescio uter sit a ratione et omni sapientiâ alienior, is ne qui Deum agnovit, et hujus universi creatorem, et omnem ei honorem tribuit, a quo vel solo possunt omnia manu comprehendi, et ipsa quoque astra numerari, ut dicunt divinitus inspirata eloquia: an is, qui eum quidem reliquit, adorat autem res ab ipso creatas, et divinum eis nomen tribuit insipienter: ne dicam honores daemonum, et turpissimorum aliorum simulacrorum, quibus vos exultatis, qui magnifice vestram jactatis eloquentiam? Nam si vobis vel tantillum inesset rationis, neque vos iis adjungeretis, neque teneremini tantis inscitiae tenebris. Nam homo, qui est rationis particeps, et in cujus potestate sita est ratiocinatio, nunquam tam aperto errore inducetur: siquidem hoc pertinet ad rationem, ratione uti cum ratione, et eligere per rationem quae sunt praestantissima. Rerum autem omnium praestantissima est Dei cognitio, quod quidem est extremum omnium expetendorum, et

ascensus mentis divinioris. Quae sunt vero apud vos orationes, linguaeque nimis redundans et inanis copia, non solum sunt plenae nugis et vanis ineptiis, sed etiam vestri vobis vanam conciliant persuasionem, et ab omni, quod bonum est, prolapsionem, et a Deo, quod est pessimum, alienationem. Quod quidem tibi quoque accidit qui aures patefecisti, et universis eis es delinitus, ut mutaris etiam appellationem, nempe qui pro Christiano Graecus, et pro pio impius, et Deo plane carens esse et dici volueris.»

§ **12**. Haec cum audiisset crassa et terrena anima, et idolorum vere plena caligine, impletur irâ quae non potest cohiberi: jubetque statim humi extendi martyres, et crudis loris et induratis per quatuor homines ita caedi, ut totum corpus sanguine circumfluat. Deinde cum parum intermisisset, eorum manibus et pedibus clavis perforatis, eisque ligno ad puniendum instituto alligatis, sublimes suspendit, jubens eorum carnes ferreis ungulis laniari. Quae cum vehementer lacerarentur, et multa membra illis ungulis avellerentur, et gravibus doloribus omni ex parte peterentur, ne sic quidem flectebatur robur eorum animi, aut evadebat mollius: sed ad solum Deum fixis aspicientes oculis, et linguâ et mente hoc loquebantur: « O Domine, qui ipse quoque ab impiis fuisti in ligno suspensus, qui de peccato non triumphasses, et id traduxisses, nisi per Crucem mortem sustinuisses, in ligno nos quoque pendemus, qui te dileximus, ut omnino eradatur nobis carnis crassitudo, et ictu ferri curentur sauciatae animae. Sed quoniam naturae nosti imbecillitatem, da ex alto auxilium, et alleva laborem, et seda doloris acerbitatem. Te enim freti, ausi sumus subire haec gravia et laboriosa, quae quam sint acerba, vides Domine, et quam nos valde crucient. » Sed o Jesu dulcissime, qui es velox ad defendendum, non eras dilaturus vel dare servis tuis petitionem, vel etiam dare eis plura, quam petierant. Cum enim preces adhuc linguâ versarent, apparuit tuus divinus Angelus, et levavit eis dolores, et effecit, ut corpora melius se haberent: nec id solum, sed etiam ad reliqua confirmavit certamina, magnam dans eis gratiam, et spe majorem.

§ **13**. Interea autem dum haec fierent, Tyrannus quoque jussit eos relaxari a suppliciis. Quos ludificans et veluti irridens: Videtis, inquit, quomodo adhuc vobis parco, a gravioribus abstinens, quod sperem fore, ut mutemini? Quod aegre ferentes sancti, et majori repleti fiduciâ: « Noli putare, o Dei inimice, responderunt, fore, ut nos aliter simus affecti, quam jam affectos videris. Fac decaetero, si quid aliud volueris: nos autem parati sumus omnia perpeti, sive torqueamur, sive flagris caedamur, atque adeo ipso igne comburamur, voluptatem potius, quam poenam, tormenta existimantes.» Est enim revera jucundum propter Christum pati iis qui sunt recto sensu praediti. Sed ille insipiens, ne post tantam quidem praeclarorum virorum experientiam intelligens, sed

adhuc surdus et corde et auribus, invictos illos conatur alio modo aggredi. Et cum unum ex his primum procul a caeteris removisset, cum duobus solis, nempe Sabel et Ismaël, sibi loquendum ducens, putavit fore, ut verborum fucis eos induceret, utique consulens, et quae sunt optima suadens, ut putabat. « Qui, inquit, infeliciter ex praeclaro vestro patre est natus (neque enim eum utique vestrum fratrem dixerim, qui est malignus et improbus), cum sit impudens et contentiosus, ea facit et sentit, quae ejus arguunt amentiam, vobis quoque persuadens illius via ingredi, et nec in religione nobiscum convenire, nec in honore deorum, nec in ulla re alia. Sed vos cum tandem quod oportet didiceritis, illum quidem sinite nugari et hiare inaniter, ipsi autem state nobiscum, et nostros deos colite, ut eos quoque vobis habeatis propitios, et innumerabiles remunerationes ab eis consequamini.»

§ **14**. Haec verba praeclari victores cum ne arrectis quidem auribus audire sustinuissent, haec libere et confidenter exclamaverunt: « Cur teipsum decipis, attonite et moribus versutissime, vias versans innumerabiles, et instar vestri Pròtei te mutans et varians? Si nostri nondum fecisti periculum, nec quae praecesserunt, adhuc tibi sufficiunt, utere rebus tuis, nec abstineas ab aliquo, quod sit in tua potestate. Est autem tibi omnino magna malorum copia, cum habeas animam adeo malam et iniquam. Sin autem et fecisti periculum, et animadvertisti rationem et considerationem, quae non possit cedere, et vidisti jam immutabilem fidem in Dominum nostrum et Deum, quidnam tibi venit in mentem, ut existimes nos futuros tam faciles, ut momento temporis nos capias? Non enim, ne si nos quidem contingat esse emotae mentis, vestra simulacra coluerimus, quae et ex luto facta sunt, et non plus quam lutum sapiunt; quae oculos quidem habent, sed non possunt videre : et aures, sed privatae sunt sensu auditus : et nares, sed odorum minime suscipiunt odoratum: rursus manus et pedes, neque ad aliquid videri potuerunt utiles, neque unquam amiserunt id quod habent lapideum. Quomodo enim, cum sint revera lapis? Pulchre enim ante nos quoque divinus David vestros deos est ludificatus: non eos autem solum sed eos quoque, qui in eos confidunt, quos etiam vocavit magis amentes, et nec ipsum quidem intelligentes, ad quantam rationis egestatem sint conversi.»

§ **15**. His amens iste totus perturbatus, cum se non posset amplius continere, eorum protinus lateribus ignis faces admovet, ut sicut ille irâ, ita ipsi igne arderent. Qui etiam cum toti omnino comburerentur, gratiarum quoque actionem in hoc intolerabili tormento Deo emittebant, non ad praesentes intuentes dolores, sed ad aeternam laetitiam, neque molestum pati: sed non pati, esse gravissimum existimantes. Ita eos affecit amor in Christum,

ut ipsius quoque, quam habebant, naturae obliviscerentur. Sed iste gravi corde et furore percitus, perinde ac si nihil vidisset eorum quae facta fuerant: « Non sentitis, rursus dixit viris illis egregiis, vos nondum a diis omnino haberi odio, qui vestram expectant conversionem, qui etiam propterea vos efficiunt malorum tolerantes, quae sunt in doloribus laboriosa et difficilia, mutantes? » Sed hoc plane esse ridiculum et stultissimum beati illi arbitrantes: « Nihil nobis rei cum tuis diis (magna rursus voce clamaverunt), o infelicissime: habemus nostrum servatorem et Dominum, quem in omnibus adjutorem fatemur, et scimus. »

§ **16**. Veritus ergo transgressor, ne, dum eos magis examinaret, majores acciperet contumelias, illos quidem, ut quos desperasset se omnino persuasurum, omnino reliquit: convertitur autem rursus ad Manuelem, deceptus stultus, ut qui crederet fore ut is ad ipsum declinaret, ei minas et rursus majora proponens supplicia prioribus. Sed nec ille vir egregius est omnino conversus ad ea quae jamdiu ante contempserat, et majorem ostendit constantiam, libera et confidenti voce clamans: « Cur vane laboras? Cur te frustra impudenter geris, o Tyranne? Quid non ex nostris nosti saepenumero? Nescis quaenam sit nobis et sententia, cum simus unus uni colligati, et unum omnes sentiamus? Aut ergo tres supera, aut a tribus recede. Est venerandus numerus ternarius, quo nos sumus honorati. Sancta Trinitate nos tres sumus muniti, a qua nobis quoque adest, ut simus uniti, et ut maneamus infracti, et nihil reformidemus ex iis quae sunt terribilia: jam enim rursus dicemus ea quae saepe diximus. Quae enim sunt unius, trium esse existima. Fidem, in qua sumus simul educati, minime abjurabimus, tuos daemones non colemus, Dominum nostrum et Deum minime relinquemus, praesentia futuris non mutabimus, neque vitam brevem et fluentem, aeterna, et quae stat, et semper eodem modo se habet.»

§ **17**. Cum post haec perplexo esset animo ille infelix, et plane spem omnem abjecisset, valde timens, ne insigni sanctorum constantiâ, ex iis quoque qui cum eo erant, converterentur aliqui, et illis adderentur, tunc fert in ipsos sententiam, jubens, ut clavis prius infixis eorum capitibus, et acutis arundinibus in ungues eorum immissis, abducerentur et vitam finirent gladio. Deinde ut statim rogus quoque accenderetur, et eorum abjicerentur corpora, ut ne pulverem quidem liceret efferre Christianis, si hoc facere voluerint. Sancti ergo, qui ducebantur a militibus, pervenerunt ad locum, in quo erant consummandi, qui vocabatur Constantini. Erat autem praeceps, et accessu admodum difficilis: in quo etiam constituti, ultimas preces fuderunt Domino. Cumque precati essent Martyres, statim fuerunt eis amputata capita, decimoseptimo Junii. Protinus autem locus in quo stabant, scissus in duas partes, eorum comprehendit corpora, ut salva

conservarentur et illaesa, et jussus Tyranni appareret inanis, qui re vera erat hujusmodi, ut igni eos mandari jusserit. Lictores vero cum hoc vidissent miraculum, se in fugam conjecerunt. Multi autem ex iis qui illic aderant, cum Domino credidissent, et errori renunciarunt, et cooptati sunt in numerum Christianorum. Qui cum duos dies in loco mansissent, et Deo multas preces fudissent, sanctorum corpora repente terra reddidit admirabiliter, longo optimo odore plena. Quae cum sustulissent, et honorabilia honorifice deposuissent, eis justa splendide et magnifice fecerunt. Ex eis autem horis singulis scaturiunt curationes, et gratiam donant iis, qui veniunt.

§ **18**. Caeterum punire ea quae fecit transgressor, non diu distulit justitia: sed celerem et gravem de eo poenam sumpsit, quae in Persarum fines deduxit, et effecit, ut illic ejus misera erumperet anima. Nam cum Rex Persarum magna in eum irâ aestuaret propter suos interfectos, ut qui esset injustus et foedifragus, et pacis inimicus, et iste cum magna arrogantia et exultatione appropinquasset Persidi, et bellum inter eos erupisset, et impius turpiter esset victus, juste plagam illam accepit in visceribus: risus quidem a daemonibus, qui ipsum deceperant: risus autem a Christianis quoque, quibus se esse facturum pessima erat minatus vir perniciosissimus. Quocirca par est, ut nos quoque Deum glorificemus, qui non longo tempore emittit virgam super sortem justorum, sed celerem dat salutem et spe. majorem iis qui eum diligunt.

HISTORIA S. AVITI PRESBYTERI

EX EGREGIIS MSS. CODICIBUS PER LAUR. SURIUM MUTATO FERE STYLO DESCRIPTA. EST ENIM VALDE OBSCURO SERMONE, SED TAMEN ANTE ANNOS PLUS MINUS MILLE GRAVITER CONTEXTA A QUODAM SANCTI VIRI PROPE AEQUALI.

Obiit anno 530 — Nat. Francus.

§ **1**. Avitus apud Aurelianos plebejo ex sanguine ortus, parentes habuit humili loco natos. Matri ejus patria fuit Virdunum (*Verdun*), cui ingenuitatem virtus et meritum conciliavit. Ut autem Aureliam proficisceretur, inopia et egestas eam compulit. Nupsit vero illic cuidam Belsicolae, cui peperit Avitum egregium filium, qui quandoque populo magnam esset salutem allaturus. Eo nascente, ingens lumen in cubiculo apparuisse, certa relatione compertum est, ita ut eo splendore obstetrices ab officio sint

deterritae, tantique miraculi perculsae stupore, non fuerint ausae lumen illud coeleste intueri. Sed Dominus praescius futurorum, non ignorans futurum illum fidelem servum suum, in ipso ortu eum sanctificavit.

§ 2. Crevit inde puer, et cum infantiae rudimenta excessisset, ad Mictianense (*a*) monasterium devotus advolavit, depositaque comâ, monachum professus est. Cum autem nedum Abbati, sed etiam omnibus pura animi simplicitate obediret, monachi quidam invidiâ correpti, fatuum eum vel brutum appellabant, crebro illi obtrectantes. Habebat vero pro more, partem ciborum suorum clam egenis impartiri, saepe etiam sibi detractis vestibus illorum tegere nuditatem. Abbas itaque, coeleste in illo lumen considerans, tacitus illum amare coepit, construxitque ei cellulam intra vestibulum monasterii procul ab aliis, ne ejus jejunandi et vigilandi assiduitas a fratribus ostentationi et arrogantiae tribueretur. Ut vero omnes manifestis indiciis Dei hominem eum esse perspicue cognoverunt, invito Cellarii munus demandarunt. Non potuit ille recusare Abbatis imperium: sed cum eam ministerii sarcinam in suos humeros recepisset, ab immiti familia, crebris insidiis honesta ejus simplicitas appetita et exagitata est.

§ 3. Quadam autem nocte, cum ex more Abbati incumbere volenti inserviisset, cingulum cum clavibus colligatis caute ad ejus caput deposuit, relictoque illo onere ad Calauniae loca (*b*) abditissima secessit: ubi cellulam e vilibus texens virgultis, multis diebus delituit, decem plus minus milliaribus procul a monasterio. Cumque Abbas ad nocturnas laudes canendas pro consuetudine surgeret, labente cingulo, clavium cellarii strepitum audit. Obstupefactus igitur, nihil dubitat aufugisse Avitum, citusque ad cellulam ejus se conferens, omneque coenobium et cellulae nemorosa septa perlustrans, nulla ratione invenire potuit, quem noctis tenebrae facile occultabant. Non multum autem intercessit temporis, cum vir sanctissimus Maximinus, qui per id tempus Abbatis ministerio perfunctus erat, migravit ad coelos: cujus sacro humato corpore, monachi ad inquirendum Avitum simul omnes profecti sunt, tandemque repertum, ad monasterium precibus flexum adducunt, sibique Abbatem, pontifice jubente, constituunt.

§ 4. Tum vero ingrato sub fasce humilitas sublimata gemiscit: rursumque fugam meditans vir Dei, terrena fastigia respuens, uno tantum puero comite contentus, vastas solitudines latitaturus expetit. Erat quidam erèmi locus, nemorosa fronde contectus, planeque abditissimus in Pictiacae (*Perche*) sylvae fundo, quem olim prisca manus construxerat, hederaeque complexu horrebant

(*a*) *Miscy* postea *Saint-Mesmin* e percelebri Abbate et altero ejus Monasteri fundatore S. Maximino, qui colitur xv dec.
(*b*) *Sologne*, ad quinque illinc milliaria.

culmina sensim diruta. Ibi ille ultro sese in illud protrudit desertum, exiguamque ex corticum fragmentis domum providus Christicola sibi construens, longe a villarum culminibus clandestinum amplectitur exilium: et diu multumque ruricolis ignotus, pomiferis dapibus, quas sylva ministrabat, sese sustentat.

§ 5. Per id tempus, uberrimos glandium proventus nemus omne suppeditavit: cumque duo subulci immensam illam vastitatem lustrarent, unus jam olim mutus longo silentio, fratrem per àvia comitabatur. Itaque pastorali ritu inter caeruleae noctis spatia accensis tedis vagantem pècudem illis sequentibus, subito extinctis tedis ab immenso imbre, pecus ab oculis evanuit, et omnia rapuere tenebrae: nec jam spem ullam luminis recuperandi eremi vastitas offerebat. Interim formidantes gregi, oculis majori curâ invigilant. Tandem velut stellam radiantis Olympi procul ignem conspiciunt, atque eo mutus ille, non tam vocibus, quam nutibus usurus, properat. Ubi ad tugurium beati viri pervenit, fixus in limine, balbutiensque, protensa tedâ nutibus rogat ignem sibi commodari. At vir Dei in mediis densae noctis tenebris cernens hominem tetra facie, deformi capillo, vilibus pannorum fragmentis semitectum, nonnihil perterritus, quod putaret se aliquod immanis eremi monstrum videre, aut inter nocturnas tempestates daemonem sibi apparere, mox ad orationis praesidia suo more confugiens, humi se prosternit, et diu multumque Dominum deprecans cum lacrymis, orat indicari sibi, utrum a bono vel malo sit is qui se ipsi repraesentet, et ut nullis artibus illum celari patiatur, quin et genus et conatus suos exponat. Post preces a terra surgens, Crucis signum manu pingit contra hominem, sicque affatur ignotum: « Quisnam sis, tam subito meo illatus tugurio, prorsus ignoro: sed per Christum omnipotentis Dei Filium, cruci suffixum, te adjuro, ut cujus generis monstrum sis, vel quid in desertis his locis agas, mihi edicas.» Mox ad imperantis vocem insontis lingua laxatur, voxque intra fauces renascitur: indicat homo, quid necessario petiturus venerit: fatetur majora se accepisse, quam petierit, quippe qui lumen solum expetens, etiam vocem sine pretio referat. Deinde sentiens viri Dei virtutem, ad ejus pedes se abjicit, immensas agit gratias pro collata sibi medicina. At vir Dei intelligens hominem non tam a pastoribus, quam ab ipso Deo ad se missum, multum laetatur Dei beneficio, eique gratias agit: hominem quoque complexus, Crucis signo munit, redditoque lumine incolumem a se dimittit, qui querulus ad ipsum venerat.

§ 6. Porro autem effrenis porcorum grex cum custode longius abscesserat, nec jam scire potuit homo, ubi illum inter opaca sylvarum et noctis umbras quaereret. Mox novo jubilo complet nemus, et fratris nomen crebra voce compellat. Ille ut nomen suum audit jactari per auras, obstupescit, turbatusque animo,

miratur quis vel muto reformarit vocem, vel importunis clamoribus ipsum ausit appellare, vel prius incognitus eo advenerit. Haec autem illo inter arborum umbras cogitante, lumen obvium conspicitur, adventantisque vultus exploratur. Postquam ergo prodente lumine fratrem incolumem vidit, irruit in collum ejus, eumque complexans, gaudia lacrymis permiscet, sciscitatur de medico, virtutis vim illo narrante cognoscit.

§ 7. Sole orto, ambo pariter properant ad hominem Dei : prostrati, ingentes agunt gratias, grandem pro impetrata sanitate porcum offerunt sacerdoti. Sed cum ille omnem sibi carnis esum penitus interdixisset, noluit accipere, jubet suo gregi porcum restitui, obsecrat, ne vel ipsum, vel locum, aut rem gestam ulli revèlent. Sed celari diu non potuit, quod coelestis virtus ipso Domino jubente prodebat. Digrediuntur inde a viro Dei, mutusque ad paternas aedes jam bene vocalis remittitur: qui ubi festinus paternae domus limen excessit, in medio stans, in has prorumpit voces : En genitor optime, natus tuus multos dudum damnatus per annos, hodie te nova salutis voce compellat, et coelesti virtute soluta linguâ te pronunciat. Surgite ergo laeti et alacres, et una mecum simul omnes abite ad sylvas, divinum medicum veneraturi, et sancto Avito pro reddita mihi voce gratias acturi in deserto. Pater ergo ut audivit filium rem gestam ordine explicantem, paululum substitit : inde in collum filii incumbens, membra complectitur, et multis inter gaudia lacrymis caput ejus rigat. Occurrit etiam mater non minus hilaris, cupiens filium audire loquentem. Mox in vicinos rei gestae fama diffunditur, et Avitus ubique celebratur. Undique devoti confluunt populi, arctaque destructos ad sanctum semita ducit tugurium sacerdotis : languentium eum turba cupit attingere, immensa miseris stipatur sylva catervis. Versari videtur in foro, qui prius abditus delitescebat in solitudine. Morbus omnis depellitur, languores omnes curantur, tolluntur in coelum voces Deum laudantium, et gratias agentium atque dicentium, Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis per sanctum Avitum. Sed cum vir Dei immensa populi multitudine premeretur, voluit nocturnis horis clam ad loca occultiora se transferre : sed tam populi precibus, quam Praesulum auctoritate, vix tandem potuit retineri. Construxit autem eo in loco insigne monasterium, in quo in hunc usque diem priscorum patrum Pauli et Antonii instituta inconvulsa servantur.

§ 8. Per id tempus vir Dei Aureliam proficiscebatur, liberaturus miseros, qui in ergastulis vincti tenebantur. Venit autem ei obviam immensa turba languentium : e quibus unus parvulum filium a nativitate caecum ad ejus pedes deposuit, orans ut ei lumen restituat. Jungunt cum illo preces suas simul universi, ne possit pater pueri voto frustrari suo. Itaque sanctus Avitus tam

illorum precibus, quam paterna pietate permotus, in oculos caeci pueri signum salutis impressit, et evestigio ille praesentem potuit cernere mundum. Quod quidem nos ab ejus ipsius caeci, sed nunc clare videntis, ore accepimus. Nimis vero prolixi operis est cuncta annotare, quae tum Aureliae, tum aliis diversis in locis vir Dei effecit. Certe ejus urbis judicum superba potestas, visis ejus miraculis, adeo ei addicta fuit, ut ante omnia vincti, eo rogante, relaxati sint.

§ 9. Non est autem illud quoque silentio praetereundum miraculum, quod quidam Mictiacensis monachus, quem sanctus Avitus peculiariter charum habuit, qui etiam in solitudinem cum illo profectus fuerat, cum jam supremum duceret spiritum, fratres rogavit, ne ipsius corpus prius tumularent, quam beatissimus Avitus super corpus ejus precatus esset. Porro beatus Avitus more suo absque ullo vehiculo jam procul secesserat in desertum itinere longo, et ad solis occasum usque illic constiterat: cum ecce unus e fratribus derepente ei nunciat obitum illius quem diximus. Ille vero eo nuncio non mediocriter afflictus, qua potuit celeritate ad monasterium properavit. Jam noctis mediae spatia abierant, et ingressus vir Dei in oratorium, circa defunctum ipse quoque instar aliorum in medio templi se prostravit. Jam vero vigiliis defessos monachos somnus obtinuerat. Tacuit vir Dei, laetusque illo silentio, ad feretrum se adjunxit, conversusque ad solita precum arma, more suo humi se abjicit, multo lacrymarum imbre sanctorum metuenda pavimenta perfundit, ad omnipotentem Dominum indesinenter preces supplices transmittit. Absolutis precibus, surgit a solo, sentit divina benignitate vitam monachi sui sibi donatam, defunctumque inter ipsa noctis silentia ita compellat: In nomine Dei Patris omnipotentis surge frater, et tam repentini decessus tui rationem nobis expone. Ilico surgit qui fuerat mortuus, sedensque in feretro, omnia quae ipsi evenissent, et quemadmodum ejus oratione a tetrae mortis vinculis ad lucem esset revocatus, ordine explicavit. Monachi, eorum mutuis colloquiis excitati, obstupescunt coelesti miraculo, quod vitâ functum cum S. Avito sermones conferre viderent. Itaque omnes humi prostrati, sacerdotis vestigia lambunt, Deo in excelsis gratias sublimiter agunt, quod tanta per Avitum virtutis suae miracula in eo monasterio declararit. Porro is, qui excitatus fuit a morte, beati viri complexus dexteram, incolumis a feretro surrexit, et cum hymnis et canticis spiritalibus ad amicam cellulam abscessit, multisque postea annis supervixit. Fuit hoc miraculum a sancto Leobino * divulgatum, qui se ab ipso ad vitam revocato fratre id didicisse testabatur. Sumus autem in commemorandis beatissimi Aviti miraculis, quorum jam olim probata testimonia

* S. Leobinus Carnotensis (*Chartres*) Episc. col. XV sept.

collegimus, succincti, ne mysteriorum solemnia in vesperam usque protrahamus.

§ **10**. Quidam ex Dunensi castello, pro ejus plebeculae salute deprecaturus, ablegatus est ad S. Avitum. Accedit devotus ad virum Dei, obsecrat, ut corpus suum pro castelli ejus munimine, apud ipsos patiatur post obitum suum humari: pollicetur eorum verbis, egregiam fabricam ipsius nomini se dedicaturos. At vir sanctus: « Indignum est, inquit, hominem peccatorem et multis criminibus involutum, intra templum tumulari: campis patentibus ad futuram examinationem, ossa humiliata in fossa humo decet recondi. Sed tamen ut vestro satisfiat desiderio, si in proposito permanetis, templum in Dei nomine ut construatur, non recuso Meum vero corpus ad Aurelianorum urbem ex Dei voluntate condetur. Si quid tamen opportunum vestro loco existimatis, inter futura mox jurgia, ex abeunte indignas meas, si poscitis, reliquias capietis.» Quod ita quoque factum est. Illo enim in loco hodie magna degit congregatio hominum, Deo sacra officia sine intermissione reddentium.

§ **11**. Nec multo post vir beatus certaminis sui finem obtinuit, sanctumque coelis spiritum reddidit. Ubi vero Aurelianenses et Dunenses * de ejus obitu certiores facti sunt, propter sacrum corpus sibi vendicandum utrinque arma capessunt. Dunenses Abbatis sui corpus tanquam quodam suo privilegio reposcebant: Aurelianenses monachum Miccianensis monasterii sibi deberi contendebant. Cum autem monasterium, in quo vir Dei decesserat, Dunensibus esset propinquius, celeriter omnes eo advolant, defuncti corpus tanquam instructa acie rapiunt, sublatumque ad extructam basilicam absportare nituntur. Sed non segnes Aureliani, licet aliquanto posterius, armis instructi occurrunt, fores basilicae occupant: clypeis tecti, parant se ad confligendum cum Dunensibus sacrum corpus absportantibus. Id ubi e sylva progressi hactenus securi Dunenses conspiciunt, animis perturbati, despèrant se posse voto potiri suo. Itaque submotis illis, in media aede onus sacrum inviti deponunt, castris castra opponunt, inter media utrorumque tela thesaurus constituitur: sed coelitus adest praesidium, ne ejus causâ, qui multis saepe vitam attulerat, in mutuae caedis discrimen illi conjicerentur. Adest, Deo volente, Leusus, vir insignis ac summa potestate praeditus: jurgantium lites dirimit, armatorum saeva consilia dissipat, corpusque salutiferum per publicum aggerem Aurelias deportari jubet.

§ **12**. Tum vero Dunenses magno dolore correpti, lamentabiles dant voces in coelum, et quia non possent sacros artus, vi impediti, apud se retinere, orant beati viri aliquas reliquias sibi permitti. Non potuit hoc negari petentibus, maxime quod aequissimis

* Gall. *Orlenais et ceux de Chateaudun.*

precibus etiam lacrymas adjungerent. Accedunt ad funus summi sacerdotes, et cum tremore corpus sacrum attrectantes, magnum reliquiarum munus conferunt postulantibus. Deinde proficiscentes, corpus in sublime tollunt sacerdotes, et urbana manus feretro protinus nobilia colla supponit: gaudent, qui possunt sacrum contingere lignum. Sanctissimum funus hostilis turba cominus antecedit, urbemque petentes populi, condenso pede feruntur. Cerneres illic cereis ardentibus ruralia arva quasi candère flammis, et millibus multis stipata catervâ, jam prima populi pars arcem attingebat, cum multi necdum e Dunensi castello pedem extulissent. Quis vero ingentem illum Clericorum psallentium chorum, qui ex vicinis urbibus studio religionis ad Avito persolvenda officia alacres convenerant, explicare queat? quorum ardens et ignitus clamor, instar coelestis tonitrui sidereum pulsabat Olympum. Vox erat una omnium clamantium et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra Aurelianorum perpetua sub Avito pax. Atque ii vix tandem densa populorum agmina perrumpentes, sacrum corpus perferunt ad sepulcrum: atque in loco sancto centum ab urbe passibus religiose et cum summa reverentia magni pontifices tumulant defensorem. Titulus quidem ex vilissimi ligni materia illi positus est, sed membra interim totus venerabatur orbis.

§ **13**. Ea tempestate rex Childebertus, inclytus Francorum princeps, comparato exercitu Hispanias suo addere imperio volebat. Audita vero tanti viri famâ; et quod sepulcrum ejus exigui parietes vallarent, coelesti regi votum integra devotione nuncupavit, si incolumis in regnum suum sancti Aviti intercessione reverteretur, amplissimam se super ejus monumentum basilicam conditurum. Itaque in itinere multa quidem ab hostibus perpessus est, sed quoties ei structae essent insidiae, toties sancti Aviti intercessione ab impendentibus periculis liberatus est: atque ita sospes et triumphans rediit in regnum suum. Tum vero insignem aedem, ut erat pollicitus, in loco supradicto extruendam curavit, usus ad eam exornandam solertiâ Waddonis, unius ex proceribus suis. Cujus operis mercede eum credimus minime frustratum. Illic enim assiduis miraculis virtutum gesta clarescunt. Clausi patescunt oculi, debilium membra subito convalescunt, mutus vocem recipit, surdus auditum. Datur regioni salus integra, et per omnium infirmitates velox medicina percurrit. Vir sanctus conjungitur Aniano, et urbs Aurelianorum illorum circumsepta virtutibus, servatur in medio: quorum patrocinio nos divina Trinitas custodire et conservare dignetur: cui est honor et virtus et potestas in secula seculorum, Amen.

DE EODEM S. AVITO

EX GREGORIO TURON. *De Gloria Confessorum, cap. 99.*

Avitus Abbas Carnoteni pagi, quem Pectensem vocant, saepius imminere dissolutionem sui corporis Spiritu Sancto revelante praedixit : qui recedens a corpore, honorifice apud Aurelianensem urbem humatus est, super quem fideles Christiani ecclesiam construxerunt. Post cujus obitum cum anniversarius assumptionis ejus dies cum summo coleretur honore, unus e civibus, aliis ad Missarum spectanda solemnia euntibus, accepto rastro, vineam pastinare direxit. Increpitusque a multis, cur huic festivitati deesset, redire noluit, dicens: Et hic, quem colitis, operarius fuit. Verum ubi ingressus vineam, primo ictu terram aperuit, protinus retorta cervice, facies ejus ad tergum conversa est. Tunc tremens, spectantibus populis, cum fletu magno basilicam sancti ingreditur. Post paucos vero dies, orans in eodem loco assidue, directa cervice convaluit.

MARTYRIUM S. LEONTII ET SOC.

HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE. *

Circa annum Chr. 76 — Nat. Graecus.

§ **1**. Quo tempore Vespasianus Romanorum Imperium tenebat, vir quidam ordinis Senatorii, Adrianus nomine, crudelis, et animo valde immanis, omniumque pessimarum artium inventor, cum audivisset quosdam Christianos esse ab omnibus illis abhorrentes, qui diis ipsis sacrificia offerrent, deosque ipsos despicientes, et alios homines magicis artibus ac disciplinis et adulationibus a deorum familiaritate removentes, quippe qui dicerent, non esse deos, sed unum tantum Deum: furore percitus, Imperatorem adiit, et ab eo petiit, ut sibi contra homines Christianos potestatem daret. Imperator vero statim omnem potestatem Adriano contulit, eique mandavit, ut quicumque ejus edicto parère, et diis sacra facere vellent, honore magno donati, ad eum mitterentur: qui vero nollent, cruciatibus gravissimis subjecti, morti addicerentur.

* Ab incerto auctore conscriptum hoc ENCOMIUM est ex tabulis Graecis Cyri Commentariensis (vide huj. Hist. postremum §), et latine redditum a Card. Guglielmo Sirleto.

§ 2. Cum igitur Adrianus ex magna Roma discessisset, significatum ei fuit a quibusdam, in urbe Tripoli esse militem quemdam, Leontium nomine, qui deos ipsos reprobaret, et eos qui sacra illis facerent, ab eorum cultu averteret, et patrias leges dissolveret. Cum haec Adrianus de Leontio audivisset, hilaritate non mediocri affectus est, et militum cohortes praemisit, ut Leontius, qui talia faceret, comprehenderetur. Cum vero prope urbem venissent, eorum Tribunus Hypatius, qui et ipse daemonum superstitioni et addictus erat, repente febre totus correptus est, et militibus suis dicebat: Ita mihi dii propitii sint, ut ego scio, undenam hoc malum in me profectum sit. Dii adversus me indignati sunt: cum enim huc profecturus essem, congruentem victimam illis non obtuli. Milites igitur cum Tribunum suum ita febri aestuantem per tres dies, neque cibum aliquem sumentem, sed magis magisque febri laborantem viderent, multis angustiis premebantur. Nocte autem illa Angelus Domini apparuit ei. dicens: Tribune, si vis sanus fieri, una cum militibus qui tecum sunt, ter clames: Tu, qui sancti Leontii Deus es, mihi, quaeso, auxilium feras. Si hoc dices, statim sanus fies.

§ 3. Cum Tribunus in talem mentis excessum venisset, et sobrius esset, vidit Angelum, ut adolescentem aliquem, candida veste indutum, et aspectus speciem quamdam terribilem prae se ferentem. Tum ille: Ego, inquit, missus sum una cum his militibus, ut Leontium comprehendam, et servem usque ad reditum Adriani Ducis : et tu mihi dicis, ut clamem: Deus sancti Leontii, auxilium mihi afferas, ut salvus sim? Cum haec Angelo diceret, ille ab ipso evanuit, et stupor Tribunum corripuit : qui cum adhuc jacèret in lectulo, et febre vehementi teneretur, militibus ad se accersitis sic ait : Audite, fratres. Cum primum somnum cepissem, vir quidam illustris ad me venit, et dixit : Si vis sanus fieri, ter clames : Deus sancti Leontii, opem mihi afferas. Et his dictis evanuit. Cum haec Tribunus dixisset, Theodùlus quidam miles plus caeteris obstupuit, et quaesivit a Tribuno, an ejus, quem dicebat vestis alba, et aspectus terribilis fuisset : idque ita se habere didicit. Postridie vero mane Theodulus ipse assidebat Tribuno, quae audiverat, in mente habens. Cum autem et compotationis tempus venisset, Theodulum milites vocarunt, ut unâ cum ipsis, quemadmodum semper consueverat, se oblectaret: erat enim Theodulus ipse inter Graecos homines maxime illustris. Ille ad compotationem invitatus, omnes cibos rejecit, neque quicquam gustare voluit: sed humi jacens, diutius jejunus permansit, ac tandem somnum cepit. Experrectus autem, commilitonibus suis : « Adrianus, inquit, Praeses crastino die veniet, et Leontius captus non est? Sed si placet omnibus vobis, mecum habens Tribunum, ad urbem proficiscar, et quaeram, quisnam sit iste Leontius: quem postquam comprehenderimus, caute servari jubebimus,

quoad Adrianus Praeses venerit. » Erat autem Tribunus sanus jam factus, et a febre liberatus, cum visioni illi obedivisset.

§ 4. Postquam igitur illi ad summum urbis verticem venerunt, ecce Leontius ipse illis occurrit, quibus ait: Salvete in Domino, fratres. Id cum audissent duo illi milites Tribunus et Theodulus: Salve, inquiunt, et tu amice. Tum Leontius dixit: Quidnam, fratres, quaerentes huc venistis? Tunc milites: Virum, inquiunt, quemdam, Leontium nomine, doctum et probatum, Imperatori Vespasiano hoc loco habitare significatum fuit. Hunc igitur nos convenire cupimus, ut jussi sumus. His enim diebus Adrianus praeses huc venturus est, ut et ipse Leontium videat, eumque ut deorum amantem, honore maximo prosequatur, atque ad Imperatorem ducat: totus enim Romanorum Senatus illum videre cupit, cum ejus praeclara facta, et in deos observantiam audiverit, praesertim cum sit unus e principibus viris, qui sunt in urbe Tripoli.

§ 5. Cum haec audisset Leontius: Ut video, inquit, peregrini estis, et hujus regionis ignari; venite igitur, et mecum una requiescite: ego vobis Leontium illum monstrabo, quem vos deorum amicum esse dicitis: ille vero non est iis diis amicus, quos vos colitis, sed scio ego Christianum illum esse, et Domini Jesu Christi fidem tenere. His auditis, illi secum dicebant: Quisnam iste est, qui dicit, Leontium Christianum esse? Num aliquis ex ejus cognatione est? Itaque Theodulus: Quodnam, inquit, est nomen tuum? Tum Leontius: « De nominis mei significatione in literis divinis scriptum est his verbis: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Oportet igitur a me conculcari leonem et draconem: leonem, inquam, hostem illum, qui corporeis oculis non cernitur: et draconem, hoc est, Praesidem ipsum, et ejus consiliarium. » Tum Tribunus ad Theodulum conversus: Et quisnam, inquit, iste est, qui dicit: Oportet a me conculcari leonem et draconem, et Praesidis consiliarios? Dubitatione igitur detenti, ambigebant quidnam facturi essent. Eo enim, quod tam benigne invitati erant, remorabantur, ne pravum consilium suum viro illi aperirent: verumtamen cum Adriani saevitiam perspectam haberent, et eam formidarent, neque vellent re infecta reverti, iter ad Leontii domum, amicitiam simulantes, unâ fecerunt. Deinde, En, inquiunt, vir optime, domum tuam pervenimus, et rebus tuis omnibus fruimur. Festina igitur nobis Leontium ostendere, ut cum venerit Adrianus Praeses, honore maximo dignus habearis, et Imperatorum amicissimus in eorum palatio verseris.

§ 6. Haec cum illi dixissent. tum Christi martyr: « Ego, inquit, sum Leontius ille, quem vos quaeritis: ego sum ille Christi miles: ego sum, quem Adrianus per vos insequitur. » Illi cum audivissent quod dixit, Ego sum, in faciem prostrati, clamare

coeperunt: Serve Dei altissimi, remitte nobis hoc peccatum: festina Deum tuum placare, ut nos ab idolorum foeditate, et ab illa immani fera Adriano eripiat: et nos enim Christiani sumus. Haec cum illi dixissent, sanctus Dei servus Leontius in terram se dejecit flèns, et dicens: « Domine Deus, qui vis omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire: qui dedisti nobis salutis pignora, respice nos, quaeso, in hac hora: qui fecisti, ut qui contra me venerant, pro me essent: me ovem illam perditam serves oro, et istos mecum unâ illumines misericordiae tuae luminibus, quibus et sancti Spiritus tui gratiam effundas, tuoque signo notatos, invictos milites contra hostem diabolum efficias, potentiam et arma illis praebens propter viscera misericordiae tuae. Pro scuto et hasta sit illis sapientia tua. Tu, qui tribus diebus in sepulcro esse voluisti, qui malefici draconis caput conculcasti, da, quaeso, ut Tribunus hic et Theodulus conterant caput malitiosi draconis Praesidis Adriani, tuique ròboris gratiâ illos confirmes. Tu enim desperatos ad cognitionem et spem invitas: tu errantes misericordiâ tua in viam rèvocas: quippe qui cordis arcana cognoscis, et universae humanae naturae creator es. Accipe, quaeso, preces peccatoris Leontii. Ostende et his, praeter te non alium Deum esse. Fac, ut qui diis inanimatis et mutis fidem habent, illos vanos et inanes esse cognoscant: et tuae cognitionis lumine illustra eos qui veritatem non cognoscunt. Ita, quaeso, facias, Deus Salvator noster, quoniam tibi est regnum, potentia et gloria, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.»

§ 7. Cum dixisset, Amen, descendit nubes aquae in Theodulum et Tribunum eosque illuminavit (*a*). Quod cum sanctus Leontius factum vidisset, voce magna clamans: « Gloria, inquit, tibi sit, Deus meus, qui voluntatem quaerentium te non aspernaris. » Tum illos albis vestibus induit, et cereos accensos ante ipsos ferri jussit. Cum vero, quidam ex Graecorum numero rem tam miram per Leontium factam vidissent, coeperunt per urbem tumultuari, et ita clamare: Pernicioso igne comburantur illi, qui deos nostros rèprobant. Itaque non mediocri tumultu civitas illa perturbata erat. Biduo autem postea venit Adrianus Praeses, et omnes, qui cum illo erant: cumque ante urbis portas constitisset, quaesivit, quaenam voces et tumultuatio illa, quinam populorum clamores essent. Tum ejus civitatis optimates: Vir, inquiunt, quidam Leontius nomine, qui Christianus appellatur, omnes a deorum nostrorum cultu dehortatur, ac rèmovet, magicis quibusdam artibus homìnes ipsos circumveniens, dum praedicat et nugaci oratione celebrat, extollitque virum quemdam ab hominibus in cruce

(*a*) Hoc est *baptizavit*. Sed ne putes auctorem innuere voluisse baptismum, aquam *nube* tantum ministrante, collatum! Verbo certe *illuminavit* expressit fidei gratiam quae per *nubem* sive *aquam* baptismalem a Leontio effusam in Neophytos descendit. *Mira* autem *res* Gentilibus fuit Neophytos ipsos conspicere albis juxta ritum amictos, praecedentibus cereis accensis per urbem deductos (*Obscurum locum optime illustrant Bolland.*).

suffixum, quem Pilatus ipse inquisitum flagellis, et Judaei àlapis verberarunt. Quin etiam Imperatoris nostri milites veneficiis suis decepit, et ad Galilaei hominis illius religionem attraxit, eosque albis vestibus indutos, tertium jam diem apud se habet, et maximos deos nostros reprobat.

§ 8. Tunc Adrianus Praeses furore accensus, jussit militibus quos secum habebat, ut tres illos comprehensos, caute in carcere custodirent, quoad ante Tribunal sisterentur. Fecerunt milites quod jussi fuerant, et homines comprehensos, in carcerem conjecerunt. Leontius vero per totum diem non desistens magni Dei fidem et doctrinam illis tradere: « Agite, inquit, fratres, estote fortes, et cogitate, praesentes cruciatus parvos esse, et ad breve tempus: gaudium vero illud et jucunditatem sempiternam futuram. Itaque si nos hic nefariorum hominum injurias sustinemus, illic requiem perpetuam inveniemus.» Nocte vero coepit psalmorum versus illos canere: *Deus noster in coelo et in terra, omnia, quaecumque voluit, fecit, Deus qui praecinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.* Cum vero dies illuxisset, Adrianus Praeses in tribunali sedens, jussit ad se duci Leontium, Tribunumque et Theodulum. Qui cum praesto essent: Tune, inquit Praeses, Leontius es? Ego, inquit ille, ipse sum. Tum Praeses: Cujus fortunae et conditionis homo es? Quomodo pravis et maleficis veneficiis tuis milites ab Imperatore nostro subripuisti? Eos, inquam, qui semper cum Imperatore nostro erant, subripiens, fecisti, ut ei, quem tu Deum dicis, crederent. Respondit Leontius: « Ego Christi mei sum miles: ego sum illius verae lucis filius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnis qui venit ad hanc lucem, non offendit. Scit Tribunus et Theodulus, quae sit hujus luminis origo et perfectio, Christus videlicet: Itaque dereliquerunt deos tuos, e lignis, lapidibus et animalium ossibus confectos: quippe qui fragiles sunt, et comminui facile possunt.» Cum Praeses audisset Leontium tam libera oratione utentem, furore inflammatus, praecepit servis, ut verberibus Leontium ipsum contunderent. At ille cum verberaretur, erectis in coelum oculis: « Tune, inquit, Adriane, putas cruciatum mihi afferre, qui teipsum crucias? »

§ 9. Cum vero illum Adrianus vidisset cruciari quidem, sed in Christi confessione constanter permanere, illum jussit in carcerem duci, et ad Tribunum ac Theodulum conversus: Quare, inquit, vos patrios vestros mores abjecistis, in quibus educati estis, et derelicto militari stipendio, Imperatori nostro moerorem parastis? Tum illi responderunt: « Nobis datus est panis, qui consumi non potest, quique e coelo descendit, et vini poculum e latere altissimi Dei acceptum: pro illis autem carnibus, quae corruptioni subjectae sunt, corpus puri et omni macula carentis Agni nobis datum est. » Tum Adrianus: Ista, inquit, vobis

suggessit improbus Leontius. Facite igitur, quae Imperatori grata sunt. An ignoratis, ita Imperatorem jussisse, ut qui diis sacra fecerint, maximis honoribus et militiae gradibus honestentur: qui vero jussis parère noluerint, illi pessimis modis vitâ priventur? Ad haec Tribunus et Theodulus responderunt: « Nostra militia in coelis est: fac quicquid vis. Tu quidem, cum turpissimorum idolorum ultor sis, contra nosipsos te armas: sed tota vita tua deserta erit, et tempus dierum tuorum minuetur.» Haec cum Adrianus audivisset, jussit Tribunum in ligno suspendi, atque constanter unco lacerari: Theodulum vero in terram prostratum verberibus caedi. Qui cum acerbe cruciarentur, nullam aliam vocem emittebant, nisi hanc: Salva nos, Domine, quoniam defecit sanctus. Adrianus vero cum illorum sententiam stabilem atque immobilem vidisset, jussit eos securi percuti. Qui dum ad supplicium ducerentur, canebant versus illos: Tu es protector noster, Domine: in manus tuas commendamus spiritus nostros. Cum orationem complevissent, a carnifice percussi sunt, et animas suas in confessione illa sancta Deo tradiderunt.

§ **10**. Posthaec jussit Adrianus duci sanctum Leontium. Qui cum praesto esset: Age, inquit, Leonti, misereat te fortunae tuae, ne graves cruciatus experiare, quales experti sunt Tribunus et Theodolus, homines a te circumventi: jamque audi me, et diis sacrifica, sic enim honores maximos a me et Imperatore, totoque Senatu consequèris: nam Imperator valde cupit aspectum tuum videre: « Avertat Deus, inquit Leontius, ut ego Imperatoris aspectum videam, qui execrabilis hostis Dei est: sed si placet, tu, Adriane, Christi amicus sis: id enim si feceris, ostendam tibi, quantam salutem, quantam opem, et quam perennes divitias ab ipso percipies. » Tum Adrianus prae bili subridens: Tantam, inquit, et me salutem consequi vis, quantam Tribunus et Theodulus consecuti sunt? An nescis, scelestissimum caput, quali supplicio illi consumpti sunt? Ad haec Leontius: « Minime supplicium appelles, quod ipsis intulisti: sed vitam potius, pacem et gaudium: nunc enim gaudent et exultant, et una cum Angelorum choris versantur. » Tum Adrianus: Adhibe, inquit, Leonti, mentem iis quae a me dicentur. Quisnam mentis compos, hanc Solis lucem et maximos illos deos, Jovem, Apollinem, Neptunum, Venerem, et reliquos unquam relinquere voluit, ut morte pessima vitam finiret? Nemo certe, nisi qui a te circumventi sunt. Ad haec Leontius: « Minime tu audisti, quod scriptum est: *Dii gentium daemonia:* et: *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Quis igitur est, modo sanae mentis ille sit, qui mutis lapidibus et talibus rebus animâ et sensu carentibus, cujusmodi sunt isti vestri dii, similem se esse velit, nedum ipsis sacra facere? »

§ **11**. Cum haec Judex audiret, Martyris sententiam firmam esse videns, jussit in terram prostratum, a quatuor carnificibus

verberari, et praeconem ipsum clamare: Qui deos nostros pro nihilo faciunt, et Imperatoris edictum non observant, ita peribunt. Cum diutius Leontius verberaretur, et carnifices defessi essent, ad Praesidem loquens: « Quamvis, inquit, corpus meum, pessime homo, dilaniaveris, nunquam tamen animae meae dominus fueris. » Jussit deinde Adrianus illum in ligno suspendi et ejus latera atque crura lacerari. Qui cum diutius laceraretur, neque quicquam aliud diceret, nisi hoc tantum: Deus, in te speravi, salva me, Domine; cumque coelum Martyr suspiceret, tunc ad ministros suos Adrianus conversus: Deponite, inquit, illum de ligno; scio enim, quod cum in coelum intueatur, deos ipsos orat, ut requiem illi afferant. Ad haec S. Leontius dixit: « Pereant dii tui, Adriane infelicissime, ego enim Deum meum precor, ut robur ac vires mihi suggerat, quo tormenta tua sustinere possim. Cum igitur Adrianus Leontii mentem constantem et firmam vidisset, rursus jussit in ligno eum suspendi, capite in terram devoluto, et magnum saxum ex ejus collo pendère, ut ita cruciaretur. At sanctus martyr generoso et forti animo cruciatus illos perferens, ac coelum intuens, sic Deum oravit: Domine Jesu Christe, qui corroborasti servos tuos Tribunum et Theodulum ad praestandam tui nominis confessionem, et me servum tuum supplicem et peccatorem confirmes, ut tormenta haec sustinere possim, neque expectationi meae deesse velis.

§ 12. Tum Adrianus: « Scio, inquit, Leonti, diis nostris te amicum futurum. » At ille: « Ego servus sum Dei altissimi: tu vero deorum tuorum servus es. Cum illis igitur et tu, et exercitus tuus peribit. » Porro Adrianus cum Leontii mentem stabilem vidisset, illum jussit in carcere servari usque ad diem posterum. Ille vero in carcerem ingressus, per totam noctem psalmum 26 canebat: *Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo?* Cum vero psalmum caneret, Angelus illi apparuit, et dixit: Esto fortis, Leonti, ego enim tecum sum. Me Dominus Deus tuus misit, quem tu quaeris. Cum vero dies illuxisset, jussit Adrianus ad se Leontium adduci, quem sic affatus est: Numquid, Leonti, cogitasti quid tibi expediat? Tum sanctus martyr: « Cum semper, inquit, cognoverim, quid mihi expediat, vanis tuis sermonibus restiti: quare semel, bis et ter tibi affirmo, me nunquam commissurum, ut derelinquam eum qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, Dominum Jesum Christum Dei Filium, qui propter nos homines Crucem pati voluit: illum, inquam, minime deseram, in eo enim solo, et in ejus nomine spem collocans, misericordiam consequar. » Tum jussit eum Adrianus in aëre a quatuor carnificibus suspendi, et vehementer verberari. Cum vero ille verberaretur, clamavit Adrianus: Fac, Leonti, quod dico, et diis sacrifica: id enim si feceris, per deorum nostrorum salutem ac benignitatem faciam, ut dignitatis gradum, et longe plura

consequaris. Ad haec sanctus martyr Leontius: « Et quaenam, inquit, dignitas tanti erit, ut ego Deum meum negem, et tibi obediam? Mene hortaris, ut daemonibus tuis sacrificem, cum ne totus quidem mundus tanti sit, ut cum Christi mei charitate conferri possit? » Cum igitur Adrianus ejus mentem ita firmam vidisset, ut mutari non posset, hanc sententiam contra illum tulit: Leontium, qui diis libare, et Imperatoris edicto parère noluit, nostrosque nobis propitios deos contempsit, jubemus e quatuor vectibus suspensum, tam diu verberari, donec animam emittat.

§ **13**. Cum igitur sanctus martyr Leontius diutius verberaretur, et vulneribus ac plagis laceraretur, spiritum suum Domino tradidit, et in ipsius Tripolis (*Phaeniciae*) portu sepultus est decimooctavo die mensis junii, cum mundo ipsi bonum virtutis monumentum dereliquerit: martyr, inquam, Leontius, per quem Deus sui regni partem nobis concedat. Haec commentaria beati martyris Leontii Cyrus quidam scriba in tabulis plumbeis conscripsit, et apud sancti martyris monumentum ea deposuit, ut iis qui postea futuri sunt, optimum exemplum relinqueret in Christo Jesu Domino nostro. Quisquis igitur ea legit, et bonam ac sanctam Martyris confessionem audit, manus in coelum erigat, et Deo ipsi gloriam reddat, qui martyri patientiam suggessit. Martyrium autem complevit Christi martyr Leontius decimooctavo die mensis junii, ut jam diximus, sub Imperatore Vespasiano, in nobis autem regnante Domino nostro Jesu Christo: Cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM S. ZOSIMI

EX MSS. GRAECIS OPTIMAE FIDEI.* INTERPRETANTE CARD. SIRLETO.

Ineunte saec. II. — Ex Pisidia in Asia.

§ **1**. Quibus temporibus Trajanus Imperator Romanorum Imperium tenebat, multa idolorum insania et error, multaque caecitas Gentiles detinebat. Quamobrem magna persecutio contra Ecclesiam Dei commovebatur. Erat autem Domitianus quidam Antiochiae Pisidiae Praeses: qui cum Imperatorem Trajanum adiisset, petiit sibi dari potestatem adversus Christianos homines, ut quicumque diis ipsis immolare noluisset, gravi supplicio afficeretur. Hic cum hujusmodi potestatem accepisset, et armaturâ diaboli indutus esset, tanquam leo quidam fremebat adversus eos qui, ad mortem usque, Dei confessionem servabant. Venit autem in urbem Apolloniam, per Soropolitarum regionem. Cumque persecutio immineret, Zosimus quidam miles fidem Christi cupiens

* Perperam Surius ex Lypomano, *Metaphraste auctore* praetitulat.

sequi, arma bellica tunc abjecit, et ad sanctissimam Ecclesiam confugit, et Christi fide instructus, immortalitatis lavacrum accepit, in fidei operibus et castitate, multisque jejuniis et orationibus seipsum diligenter exercebat.

§ 2. Cum dies multi praeteriissent, et Domitianus esset in ea urbe, quam supra diximus, vir quidam illum adiit, et Zosimum deferens: Est, inquit, quidam Zosimus miles, qui et Imperatorem, et vestram potestatem contemnit: cumque arma dejecerit, et militiam abnegaverit, in quam ab Imperatore Trajano ascriptus fuerat, dicit se Christianorum religionem sectari, pro nihilo faciens deos nostros: quinetiam Imperatoris constitutiones execratur, et ejus potestatem despicit. Tum Praeses dixit: Ducatur huc Zosimus ad tribunal. Abit igitur cohors, ut jussa fuerat, et Zosimum comprehensum, ad tribunal duxit. Quem Praeses interrogans: Tune, inquit, es qui Zosimus appellaris? Respondit: « Ego ipse sum Zosimus, servus Domini mei Jesu Christi. » Ad haec Praeses: Fatère prius, cujus conditionis homo sis, et postea dices cujus servus sis. Tum ille: « Miles ego sum, quod ad humanam conditionem pertinet, qui vestros illos deos perditissimos dereliqui, et Christianus factus sum. » At Domitianus: Sceleratissime, inquit, Zosime, nihil tibi proderit nomen istud. I nunc, et diis sacrifica, ut peccatum istud tibi condonetur, quod Imperatorem et dominum nostrum Trajanum despexisti, qui militarem ornatum tibi concessit. Ad haec Zosimus: « Minime diis vestris ego sacrifico. » Adducatur, inquit Domitianus, in carcerem.

§ 3. Crastino autem die jussit eum duci ad tribunal, quem, manibus post terga colligatis, ante Praesidem statuerunt. Tum Praeses jussit eum in ligno suspendi; cui suspenso dicebat: Sacrifica, sceleste Zosime, priusquam membra tua destruantur. Ad haec Zosimus: « Non solum, inquit, non verbis, sed neque factis poteris mihi persuadere, ut sacrificem. » Tum Domitianus: Verberetur vehementer a robustis militibus. Cumque diutius beatus Zosimus verberaretur, dixit Praesidi: « Frustra ministri tui laborant, Dei enim me corroborantis voluntate verbera tua non sentio. » Cum igitur tam diu verberatus fuisset, quod solum ipsum sanguine repletum esset, voce magna clamans dixit: « Domine Deus omnipotens, qui sedes in throno firmissimo, qui extendisti coelum et fundasti terram, qui aquas omnes in unum locum congregasti, tu, nostra servorum tuorum spes, exaudi me, qui te precor; neque permittas hujus Domitiani minis me superari, ut omnes qui nomen tuum non cognoscunt, per me discant, te solum esse Deum. » Has preces cum habuisset, venit vox e coelo dicens: Zosime, esto fortis et robustus, ego enim tecum sum, neque quisquam tibi obesse poterit. Cum hanc vocem Domitianus, et quidam alii, qui cum illo erant, audivissent: Certe, inquiunt, magus hic est. Alii dicebant: Minime magus est, sed

magnus est Deus Christianorum, et ab illo vox ista ad hominem hunc missa est.

§ 4. Jussit rursus eum Praeses colligatum ad quatuor palos extendi. Qui cum valde distenderetur, oculos in coelum erexit et oravit. Cum multi ex iis qui praesentes erant, egregiam martyris patientiam cognovissent, ad Christi fidem conversi sunt. Praeses vero cum id factum vidisset, et metueret, ne omnes ad eamdem fidem coverterentur, erubescens ac dentibus frendens, cogitabat, quo mortis genere hominem interficeret. Jussit igitur grabatum aereum ferri, et ignem multum subjici. Cumque multae flammae in grabatum ascenderent, jussit beatum Zosimum nudum illuc conjici. Cum vero sanctus martyr Crucis figurâ se munivisset, et in grabatum conjectus esset, statim Dominus ignem in rorem convertit; etenim per Angelos suos Deus Martyri opem attulit. Omnes vero qui praesentes erant, opinabantur ob nimium illum ignem Zosimum animam efflavisse. Et angeli a Deo missi, sanctum martyrem e grabato sublatum, omnibus spectantibus, extra grabatum constituerunt. Turba vero cum admirabilia Dei facta vidisset, ejus gloriam collaudavit, qui misit Angelos suos, et a tali flamma virum illum eripuit. Itaque plurimi ad Christi fidem conversi sunt.

§ 5. Tum Praeses cum sanctum martyrem ad se vocasset: « Obtempera, inquit, mihi Zosime, et diis sacrifica. » Ad haec Zosimus; « Foedissime omnium hominum, quibus diis jubes me sacrificare? » — « Jovi, inquit ille, et Junoni. » Tunc Zosimus: « Ego multos istos deos non colo: unum enim cognosco viventem Deum, huicque soli pie servio. » Haec cum audisset Praeses: « Zosime, inquit, tibi dixi, ut ad deorum aram accedas, et ipsis sacrifices, sin minus, te igne consumam. » Ad haec Zosimus: « Stolide, semel dixi tibi, quod Deo meo servio, qui in coelis est.» Cum vero Praeses a tribunali surrexisset, et ad Cenonensium urbem iter facturus esset, jussit martyrem ligatum illuc sequi, ut ibi ad ignem conjiceretur. Cumque ad eam urbem Domitianus venisset, et sederet pro tribunali, jussit in crepidis quibusdam clavos aptari, et martyris pedes crepidis illis configi, catenisque constrictum ad equos ligari, et cogi celeriter ambulare. Ille ad equos ferocissimos alligatus, non lentus erat ad iter faciendum, sed equos ipsos antevertens praecurrebat. Deus enim erat cum illo, qui se ipsi adjutorem praebebat. Itaque has voces protulit: « Domine Deus, qui perfecisti pedes meos tanquam cervorum, perfectam patientiam mihi suggeras. » At Praeses cum martyris patientiam vidisset, jussit ipsum in carcere clausum custodiri, neque cibum aliquem omnino illi dari.

§ 6. Cum vero tres dies praeteriissent, et Zosimus cibum non gustasset, duo pueri venerunt in carcerem, quorum unus panem, alter vas aquae portabat, et martyri dixerunt: Accipe

pretiosum munus a Domino Deo tuo ad te missum. Haec cum ille accepisset, cibum gustavit ac dixit: « Benedico tibi, Domine, quoniam misertus es mei, et non neglexisti me, sed satiasti coelesti tuo cibo. Laudo et celebro gloriam et magnificentiam tuam in secula, Amen. » Cum vero dies illuxisset, Praeses in tribunali sedens, jussit sanctum martyrem ad se duci. Praesto autem fuit sanctus Zosimus hilari vultu, et mentem ad Deum erecta. Praeses vero stupore magno affectus erat, quod tantos pedum cruciatus sustinuisset, neque vultum mutasset. Tum ille: Zosime, inquit, sacrifica tandem diis ipsis, ne vulneribus multis laniatus, pessime moriaris. Ad haec Zosimus: « Si tu vis sacrificare tui similibus, sacrifica; ego, ut supra dixi, Deo meo servio. » Tunc furore accensus Domitianus: Suspendatur, inquit, in ligno. Cum vero suspensus fuisset, ei Praeses dixit: Videsne, miser quam multa tormentorum genera tibi proposita sint? An non obediens mihi, diis immolabis? Ad haec Zosimus: « Qui viventem Deum amant, ista vestra tormenta nihil curant. » Tum Praeses: Ferreo, inquit, pectine nefarius iste homo dilanietur. Cum vero Martyr laniaretur, alta voce Deum deprecabatur.

§ **7**. Tunc Praeses tormentorum satietate haud affectus, jussit hominem ante tribunal duci, cui haec dixit: Multis cruciatibus propter nomen Christi afflictus, nullam utilitatem assecutus es: saltem nunc accede, et diis sacrifica. Tum Zosimus: « Domitiane, inquit, saevissime, atque inhumane, et impietate omni refertissime, Deum illum coelestem metuas, et erroris, quo detentus es, obliviscaris, neque simulacra ista deos nomines: sunt nempe daemones, non dii. » Tum Praeses: Tune, o scelestissime, audes deos nostros daemones appellare, per quos mundus ipse dies festos celebrat? Tunc Zosimus: « Qualem, inquit, diem festum agunt isti dii, quos dicis, talem Imperator tuus, et qui eis credunt, agant. » Praeses vero, Videsne Zosime, quemadmodum diis ipsis repugnas, et illos in iram provocas? Desine ista dicere, ne propter blasphemiam tuam et ipsi pessime pereamus. « Pietatis, inquit ille, et divinae confessionis causâ tibi repugno et adversor. » Tum Praeses dixit: « Afferte faces accensas, et ventrem ipsius incendite.» — « Non solum, inquit ille, faces ventri admoveri jubeas, sed etiam si placet, totum corpus meum comburas: nunquam enim me vinces: praesto est Christus, qui me corroborat. En ego a te interfici valde cupio: haec enim est mea jactatio in Christo Jesu. »

§ **8**. Praeses cum non amplius sciret quid ageret, et a verbis illis sancti Zosimi se nihil profecturum esse intelligeret, jussit securi hominem percuti. Cum vero martyr ad obeundum martyrium duceretur, coepit dicere: « Domine Deus meus, respice me peccatorem, et accipe animam meam cum his qui ab omnibus seculis tibi placuerunt: quoniam tu es gloria mea ex hoc

tempore, et in aeterna secula, Amen. » Martyrium complevit sanctus Zosimus decimonono die mensis junii in urbe Cononensium, Imperatore Trajano, in nobis autem regnante Domino nostro Jesu Christo: cui gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM SS. URSICINI ET VITALIS

MARTYRUM RAVENNATUM

UT HABETUR PRIMO LIBRO HIERONYMI RUBEI HISTORIOGRAPHI DOCTISSIMI DE GESTIS RAVENNATUM.

Circa an. 67 — Nat. Itali.

§ 1. Praedicante Evangelium Dei apud Ravennates sancto Apollinare, multi Christianam religionem amplexi sunt, in quibus Ursicinus maxime fuit, natione Ligur, medicus egregius, qui medicinam Ravennae faciebat. Hic ad Svetonium Paulinum virum consularem, multis Taciti et Plinii laudibus celebrem, Neronis, qui Claudio in imperium successerat, Vicarium, quod Christianus esset, delatus, cum inter poenas et tormenta Christianum nomen integrum servasset, poenâ tandem capitali damnatus, cum ad mortem duceretur, nonnihil commoveri, animumque demittere, visus est. Quapropter Vitalis Mediolanensis, qui erat ex Paulini familia, ejusque praetorianus miles, Christi tamen assecla, et apud Paulinum pro Ursicino dixerat, conspicatus metum hominis, coepit hortari, ne qui in sanandis aliorum corporibus tam strenue insudasset, propriae animae salutem quae longe antecelleret corpori, parvi duceret; mente recurreret ad cogitationem jucundissimam numinis divini: sic futurum, uti ea calamitas, in sanctissima suavissimaque illius memoria conquiesceret.

§ 2 .Hujusmodi verbis magis animatus Ursicinus, ad Palmam (qui locus, seu, quod ibi palma arbor olim fuisset, seu quod a victoriae palma, ex religionis Christianae hostibus adepta, ita dicebatur) prompte alacriterque accedit, ac intrepide mortem subiens, ad decimumtertium Calendas Quintiles obtruncatus, evolavit in coelum. Statim autem perinde ac viveret, cadaver sanctum sese ex humo erexisse, caputque ambabus manibus apprehensum, ad locum ubi ad sepulturam dandum erat, attulisse, a plerisque memoriae proditum est; aliqui etiam addunt ex ejus collo tres palmae ramos enatos: cujus admirabilis rei memoria cum plene interiisset, divo Ursicino Ravennatum Archiepiscopo, ad ejus martyris sepulcrum oranti, Ursicinum hunc martyrem, caput manibus gestantem, tribus ex collo palmae ramis prodeuntibus sese ostendisse: quamobrem ab eo die jussisse Archiepiscopum

sanctum, quo perpetuo memoria servaretur, ejus imaginem hoc modo pingi: quod et ad hanc diem cernitur.

§ 3. Aliquorum est etiam sententia, Ursicinum hunc quinto Calendarum Maji capite abscissum, diemque tertiumdecimum Calendarum Quintilis eum esse, quo e divi Vitalis templo, ubi diu jacuerat, ad D. Joannis Baptistae ecclesiam. multos post annos translatum est. Nam postridie ejus diei Vitalis, sanctum cadaver, summa veneratione, ipsa in urbe sepulturae tradidit: majoremque deinceps Dei amorem animo concipiens, mortalia et caduca, ipsumque Paulinum dominum, deserit, nulli rei, extra coelestem patriam, inhians. Quapropter cum a Paulino accitus, accedere recusasset, iratus Paulinus, praesertim cum illum et Christianum jam esse, et quo minus Ursicinus diis sacrificasset, fecisse cognovisset, in carceres Vitalem jubet contrudi, tormentis exquisitis subjici, et in eculeo poni: quae cum omnia patienter fortiterque tulisset, ad Palmam ductus, cum sacrificare diis renuisset, ipsumque Martis simulacrum contumeliâ affecisset, Paulini jussu, et sacerdote Apollinis consulente, in fossam conjectus, in cujus fundo erat aqua, terrâ et lapidibus obrutus 4. Calend. Maji ad coelestis vitae praemia migravit.

DE INVENTIONE CORPORUM

SS. MM. GERVASII ET PROTASII

EPISTOLA S. AMBROSII * AD MARCELLINAM SACRAM DEO VIRGINEM ROMAE TUNC DEGENTEM.

Contigit haec Inventio anno 386.

§ 1. Dominae sorori, vitae atque oculis praeferendae, frater. Quia nihil sanctitatem tuam soleo eorum praeterire quae hic te gerantur absente, scias etiam sanctos martyres Gervasium et Protasium a nobis repertos. Nam cum basilicam dedicassem, multi tanquam uno ore interpellare coeperunt, dicentes: Sic in Romana ** basilicam dedices. Respondi: Faciam, si martyrum reliquias invenero. Statimque subiit veluti cujusdam ardor praesagii.

§ 2. Quid multa? Dominus gratiam dedit, formidantibus etiam clericis, jussi eruderari terram eo loci qui est ante cancellos sanctorum Felicis atque Nàboris. Inveni signa convenientia,

* Praemissam huic a Surio apocrypham nullaque fide dignam, de Revelatione ac Inventione SS. MM., Epistolam ad Fratres Italiae, perperam eidem S. Mediolanen. Episcopo tributam, eliminavimus.

** In regione Mediolanensis civitatis a Romana Porta nuncupata.

adhibitis etiam, quibus per nos manus imponenda foret: sic sancti martyres imminere coeperunt, ut adhuc nobis silentibus arriperetur urna, et sterneretur prona ad locum sancti sepulcri. Invenimus mirae magnitudinis viros duos, ut prisca aetas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum, ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condivimus integra, ad ordinem transtulimus, vespere jam incumbente, ad basilicam Faustae * ibi vigiliae tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam quam appellent Ambrosianam. Dum transferimus, caecus sanatus est. Talis mihi ad populum fuit sermo.

§ 3. Cum tam effusam, tamque inauditam considerarem conventus vestri celebritatem, et divinae gratiae munera quae in sanctis martyribus refulserunt, imparem me, fateor, huic muneri judicabam, nec fieri posse, ut sermone absolverem, quod vix possimus animo intendere, oculis comprehendere. Sed ubi sanctorum legi coepit series scripturarum, largitus est Spiritus Sanctus, qui locutus est in prophetis, quo dignum aliquid tanto coetu et expectatione vestra, martyrumque sanctorum meritis, proferamus: *Coeli enarrant* (inquit) *gloriam Dei*. Cum legitur sic psalmus (18[us]), occurrit quod non tam elementa materialia, quam coelestia merita, dignum Deo praeconium deferre videantur. Hodierna tamen fortuita lectione patuit, qui coeli enarrent gloriam Dei. Aspicite ad dexteram meam, aspicite ad sinistram Reliquias sacrosanctas, videtis coelestis conversationis viros, spectantes animi sublimis trophaea. Isti sunt coeli, qui enarrant gloriam Dei. Haec opera manuum ejus annunciat firmamentum. Non enim eos secularis illecebra, sed divini gratia operis ad firmamentum sacratissimae passionis evexit. Multoque ante morum virtutumque documentis annunciavit in his martyrium, quod adversus lubricum seculi hujus stabiles permansere.

§ 4. Coelum erat Paulus, qui ait: *Nostra conversatio in coelis est* (*Philipp.* III). Coeli erant Jacobus et Joannes, denique filii tonitrui nuncupantur: et ideo quasi coelum Joannes verbum apud Deum vidit. Ipse Dominus Jesus perpetui luminis erat coelum, cum enarraret Dei gloriam, sed eam, quam nemo ante conspexerat. Et ideo dixit: *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I), nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, enarravit. Opera quoque manuum Dei si quaeris, audi Job dicentem: Spiritus divinus, qui fecit. Et ideo adversus diaboli tentamenta firmatus, inoffensae vestigium constantiae reservavit. Sed veniamus ad reliqua: Dies (inquit) diei eructat verbum. Ecce veri dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies, pleni luminis et fulgoris aeterni. Qui non perfunctorio sermone verbum Dei, sed

* Situ erat Ambrosianae proxima, cujus adhuc superest presbyterium. Vide in Actis S. Victoris Mauri M. in Sur. Vol. V, p. 207.

intimo corde eructarunt, in confessione constantes, in martyrio perseverantes.

§ 5. Alius psalmus (112) lectus dicit: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in coelo et in terra?* Respexit sane humilia Dominus, qui latentes sub ignobili cespite reliquias sanctorum, suae Ecclesiae revelavit, quorum anima in coelo, corpus in terra. *Suscitans a terra inopem, et de stercore èrigens pauperem.* Quos videtis, ut eos cum principibus populi sui collocarit. Principes populi, quos alios nisi sanctos martyrés aestimare debemus, quorum jam in numerum, diu ignorati Protasius Gervasiusque proferuntur, qui sterilem martyribus ecclesiam Mediolanensem, jam plurimorum matrem filiorum, laetari passionis propriae fecerint et titulis et exemplis? Nec hoc abhorreat a vera fide. *Dies diei eructat verbum,* anima animae, vita vitae, resurrectio resurrectioni. *Et nox nocti indicat scientiam,* hoc est, caro carni, quorum passio veram fidei scientiam omnibus indicavit. Bonae noctes, noctes lucidae, quae habent stellas. Sicut enim stella a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum.

§ 6. Non immerito autem plerique hanc martyrum resurrectionem appellant. Videro tamen, utrum sibi, an nobis certe martyres resurrexerunt. Cognovistis, immo vidistis ipsi multos a daemoniis purgatos. Plurimos etiam, ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, hic quibus laborabant, debilitatibus absolutos, reparata vetusti corporis miracula, quo se, per adventum Domini Jesu gratia terris major infuderat, umbrâ quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, ut tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, et qui contigerit, salvus erit. Gratia tibi Domine Jesu, quod hoc tempore tales nobis sanctorum martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua praesidia majora desiderat. Cognoscant omnes, quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant.

§ 7. Hos ergo acquisivi tibi plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ergo ambio defensores, tales milites habeo: Quorum quo majora, eo tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ipsis, qui mihi invident, opto praesidia. Veniant ergo et videant stipatores meos: talibus me armis ambiri non nego. *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur* (*Psalm.* 19). Eliseum, scripturae divinae series refert (4. *Reg.* VI), cum ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti servulo, ne timeret: quia plures (inquit) pro nobis sunt, quam contra nos. Et ut hoc probaret, petisse ut oculi Giezi aperirentur, quibus innumeros adesse vidit prophetae exercitus angelorum. Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen.

Erant clausi isti oculi, quandiu obruta Sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia, quibus sumus saepe defensi. Non videbamus haec, sed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis, quasi dixerit Dominus: Aspicite, quantos vobis martyres dederim : ita reseratis oculis gloriam Domini speculamur, quae est martyrum passione praeterita, et operatione praesens.

§ **8**. Evasimus fratres non mediocrem pudoris sarcinam: patronos habebamus et nesciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur praestare majoribus. Sanctorum martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles Reliquiae sepulcro ignobili, ostenduntur coelo trophaea. Sanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales, notae inviolatae, reliquiae loco suo et ordine repertae, avulsum humeris caput. Nunc senes repetunt, audisse se aliquando horum martyrum nomina, titulumque legisse: perdiderat civitas suos martyres quae rapuit alienos. Etsi hoc Dei munus est, tamen gratiam, quam temporibus sacerdotii mei Dominus Jesus tribuit, negare non possum; quia ipse martyr esse nequeo, hos vobis martyres acquisivi. Succedant victimae triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum praedestinaveram mihi. Dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem: locus iste martyribus debebatur.

§ **9**. Condamus ergo Reliquias sacrosanctas, et dignis aedibus invehamus (*a*), totumque diem fida devotione celebremus. Acclamavit populus, ut in dominicum differretur diem martyrum depositio: sed tandem obtentum, ut sequenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit.

ITEM DE EORUMDEM INVENTIONE CORPORUM

D. AMBROSII SERMO

§ **1**. Hesterno tractavi versiculum, *Dies diei eructat verbum*, prout nostri captus tulit ingenii: hodie mihi non solum superiore

(*a*) Horum SS. Martyrum cultus Insubriae et Italiae fines excedens, a quinto saeculo Germaniam, Gallias, Hispaniasque, basilicis monasteriisque eorum nomine consecratis, pervasit, celebrior ubi eorum Reliquiae dicuntur haberi. Eae autem Reliquiae esse potuerunt de vestimentorum et linteaminum fragmentis, de paucis ossiculis, vel de cineribus in arca repertis, ac potissimum de sanguine, circa sacra corpora (teste oculato S. Augustino incorrupta, ferme scilicet integra) fluido et copioso, ut in superiori epistola ad sororem narrat Ambrosius ipse; huc illuc deinde allatae et distributae ab Episcopis quos quadriennio post Inventionem ei solemniter celebrandae acciverat S. Mediolanensis Antistes.

Homonymorum autem Sanctorum corpora quae Placentiae asservantur, e Rom. Coemeterio Priscillae sunt èruta paullo post medium saeculi XVII ut ex authenticis constat monumentis: minime ergo cum Mediolanensibus confundenda, quorum ossa cuncta reperire datum est anno MDCCCLXXI in arca sub altari principe Basilicae Ambrosianae cum S. Ambrosii exuviis, biennio post rite recognita. Sed de hac nupera Inventione fusius infra ad diem VII decembris.

tempore, sed praesenti quoque prophetasse videtur Scriptura divina. Nam cum diebus ac noctibus, continuatam videam sanctitatis vestrae celebritatem, istos esse dies prophetici carminis, oracula declararunt hesternum atque hodiernum, de quibus opportunissime dicitur: *Dies diei eructat verbum:* et istas noctes, de quibus aptissime disputatur, quia *nox nocti indicat scientiam.* Quid enim aliud hoc biduo, nisi verbum Dei intimo eructastis affectu, et scientiam vos habere fidei probavistis? Cui tamen celebritati vestrae, qui solent, invident. Et quia celebritatem vestram invidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odère, atque intantum amentiae prodeunt, ut negent martyrum merita, quorum opera etiam daemones confitentur.

§ 2. Sed hoc non mirum. Si quidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerumque confessio. Dicebat enim diabolus: Jesu fili Dei vivi, quod venisti ante tempus torquère nos? Et cum hoc audirent Judaei, ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audistis clamantes daemones, et confitentes martyribus, quod poenas ferre non possint, et dicentes: Quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non sunt isti martyres, nec torquère diabolum possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta daemonum ipsorum voce probentur, et beneficia martyrum, remediis caecorum, et absolutorum indiciis declarentur. Negant caecum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Caecus esse desivi, et probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequiis, Severus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequiis. Eos indices suae visitationis accersit, quos habebat testes et arbitros caecitatis. Clamat, quia ut contigit fimbriam de veste martyrum, qua sacrae reliquiae vestiuntur, redditum sibi lumen sit.

§ 3. Nonne simile illud est, atque illud, quod in Evangelio legimus? Unius enim potentiam laudamus auctoris, nec interest utrum opus sit, an munus, cum et muneret in opere, et operetur in munere. Quod enim aliis faciendum donaverit, hoc in aliorum opere nomen eis operatur. Legimus ergo in Evangelio, Judaeos cum viderent in illo caeco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabant, Quomodo videt filius vester? cum ille diceret: Caecus cum essem, modo video. Hoc et iste dicit: Caecus fui, et modo video. Interrogate alios, si mihi non creditis: interrogate extraneos, ne adstipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum, quam Judaeorum pertinacia. Illi cum dubitarent, vel parentes interrogabant. Isti occulte interrogant, palam negant, jam non operi increduli, sed auctori *.

* **Divina miracula denegantium hodierna ceu antiquorum impudentia.**

§ 4. Sed quaero quid non credant, utrum a martyribus possint aliqui visitari? hoc est Christo non credere. Ipse enim dixit: Et majora his facietis: an ab istis martyribus, quorum merita jam dudum vigent, corpora dudum reperta sunt? Quaero hic utrum mihi, an sanctis martyribus invideant? Si mihi, nunquid a me aliquae virtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi invident, quod meum non est? Si martyribus (restat enim, ut, si mihi non invident, martyribus invidere videantur) ostendunt alterius fidei fuisse martyres, quam ipsi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inviderent, nisi fidem in his fuisse eam, quam isti non habent, judicarent: fidem illam Majorum traditione firmatam, quam daemones ipsi negare non possunt, sed Arriani negant.

§ 5. Audivimus hodie dicentes eos quibus manus imponebatur, neminem posse esse salvum, qui Patrem et Filium et Spiritum Sanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentem virtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, sed Arriani nolunt fateri. Dicit diabolus: Si torqueatur, quemadmodum ipse a martyribus torquebatur, qui Spiritus Sancti deitatem negarit. Non accipio a diabolo testimonium, sed confessionem. Invitus dixit diabolus, sed exactus et tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet injuria. Cedit diabolus plagis, et adhuc cedere nesciunt Arriani. Quanta perpessi sunt, et quemadmodum Pharao malis suis indurantur. Dicebat diabolus, ut scriptum legimus: Scio te, quis sis. Tu es filius Dei vivi. Dicebant Judaei: Nescimus, quis sit. Dicebant hodie et superiore die vel nocte daemones: Scimus, quia martyres estis: et Arriani dicunt: Nescimus. Nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt daemones martyribus: Venistis perdere nos: Arriani dicunt, Non sunt daemonum vera tormenta, sed ficta et composita ludibria. Audivi multa componi: hoc nemo unquam fingere potuit, ut daemoniacum se esse simulet, (alias, daemonem se esse simularet).

§ 6. Qui illud, quod ita exagitari eos videmus, quibus manus imponitur? ubi hic locus fraudi est, ubi suspicio simulandi? sed non ego ad suffragium martyrum usurpo vocem daemoniorum. Beneficiis sacra passio suis comprobetur. Habet judices, sed purgatos: habet testes, sed absolutos. Melior vox est, quam sanitas loquitur eorum qui debiles advenerunt. Melior vox est, quam sanguis emittit. Habet enim sanguis vocem canoram quae de terris ad coelum pervenit. Legistis, dicente Domino: Sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamat coloris indicio: sanguis clamat operationis praeconio: sanguis clamat passionis triumpho. Satisfactum est petitioni vestrae, ut condendas hesterno, in hodiernum diem differremus reliquias *.

* Plura de SS. Gervasio et Protasio habebis in Hist. SS. Nazarii et Celsi xxviii Jul.

S. ADEODATI EPISCOPI VITA

PER QUEMDAM MONACHUM VALLIS-GALILAEAE CONSCRIPTA
STYLUM NONNIHIL EMENDAVIT MOSANDER SURII CONTINUATOR.

Floruit saeculo VII — Nat. Francus.

§ 1. Piissimus pater noster Adeodatus (vel Deodatus, gall. *Diè*) praecipuo nobis hodie encomio celebrandus venit, qui nobili Occidentalium Francorum sanguine procreatus, morum et operum praestantiâ, inter suae familiae homines maxime emicuit, tametsi aetate corporis postremus esset. Porro de virtute in virtutem per aetatis incrementa gradatim procedens, studio geminae charitatis et Deo et hominibus se gratum praebuit, divitias salutis scientiam et cum ea timorem Domini ceu incorruptibilem thesaurum infatigabiliter complectens. Ita ergo factum est ut idoneus tandem videretur, qui pari consensu Cleri et plebis divinitus Nivernensi (*Nevers*) Pontificatu donaretur, ne sanctitas ejus diutius sub modio lateret, sed tamquam lucerna splendidissima, congruo imposita candelabro, tam verbis quam factis, in Dei sanctuario lucèret.

§ 2. Factus Episcopus, non quae sua essent quaesivit, sed quae Jesu Christi; nec tam pro honore ab hominibus obtinendo, quam pro sempiterna adipiscenda remuneratione. Cujus rei hoc potest esse argumentum, quod illo se Pontificatu ultro abdicavit. Divini enim amoris sagittâ salubriter vulneratus, post Jesum currere, cum mystica sacrorum Canticorum sponsa cupiebat. Videbat mundum totum in maligno positum, et se in medio scandalorum versari. Sicut autem solent superbi homines, etiam cum parum aut nihil potius faciunt boni, se perfectos et multa virtute praeditos arbitrari: ita humiles etiam tum, cum omnia quae praecepta sunt, faciunt, se servos inutiles, et omnibus viliores atque inferiores non solum voce pronunciant. sed etiam intimo cordis affectu sentiunt. Conversi enim a peccatis, et in suis oculis jam humiles effecti, Domino parvulos custodienti mente supplici non sine lacrymis dicunt: Imperfectum meum viderunt oculi tui. Hoc itaque pacto vir summae sanctitatis Deodatus, in charitate Dei perfecta humilitate fundatus et radicatus, districti Judicis et aequissimi tribunalis ejus consideratione perterritus, sciens cui plus commissum sit, ab eo quoque plus requisitum iri, totum se accinxit ad perfectam Christi imitationem suscipiendam. Deliberatione ergo tantae rei plane expedita, nuncium remittit tam suis quam alienis negotiis, et ne navis Ecclesiae Christi

tam idoneo destitutâ gubernatore veniret in discrimen, frequenti gregi suo, piis ejus retinendi causâ lacrymis armato, valedicit, et cum aliquot ejusdem propositi sociis e Nivernensi oppido egrediens, voluntarium sibi ipsi a natali solo exilium indicit, civis Angelorum et Christi cohaeres futurus, quem expectare volebat in solitudine salvus factus a pusillanimitate spiritus et tempestate tumultus popularis.

§ **3**. Hic jam non pigeat nos facere, quod solent metallorum effossores et investigatores: qui si venam ipsis arridentem divitemque massam pollicentem comperiant, mox marris et instrumentis aliis ad eam rem accommodatis rudera omnia ègerunt, donec ad metallùm optatum pertingant: Ita et nos beati viri hujus animum mundo mortuum, et cum Christo in Deo absconditum, modo id fieri possit, ex ejus rebus gestis metiamur, pensemus, quanti ille fecerit mundum universum, cui etiam tum valefecit, cum plurimum arridèret, sequi malens ad suscipienda lamenta spiritus contribulati et contriti cordis Dominum Jesum, qui ne nos periremus, in hanc lacrymarum vallem e summo coelo commigravit. Nec sane pauperculus homuncio tanta alacritate relinqueret vile tuguriolum, culmo et caespite contectum, quanta hic verus Dei cultor urbem Nivernensium, cujus in summa rerum affluentia episcopatum administrabat. Sed ad alia pergamus. Beati autem, immo terque quaterque beati viri, centuplum a Christo et vitam aeternam percepturi, prae caeteris comites fuere Arbogastus et Florentius: quorum prior in sacro nèmore, quod Germanico idiomate Heiligeforst dicitur, eremiticam duxit vitam, et inde ad Argentinensis Ecclesiae praesulatum raptus est: cui decedenti, item a solitudine Hasale abstractus Florentius datus est successor. Postquam autem ambo plurima virtutum exempla de se praebuere, vocati a Domino, ad coelos migrarunt spiritu, corpore in locis supradictis quiescunt. Praeter hos fuere cum Deodato Willigodus, Domnolus et ejusdem cum illo nominis Deòdatus, quos nullus labor ab eo separare potuit, quin certatim illi officiose inservirent, et ejus parèrent jussis, satius ducentes cum illo inter ignotos affligi, quam apud notos in patria rebus jucundis perfrui.

§ **4**. Praesidebat tum Tullensi Ecclesiae Gribaldus * vir sanctissimus, quando fidelis Christi servus Deodatus, repudiato seculo, in Vosagi saltu sibi sedem delegit; cumque tandem cum sociis venisset ad Romanum praedium, quod tum duo fratres inter se partiebantur, cujus esset meriti, Dei nutu declaratum est. Asclas enim, unus ex iis fratribus, novas illic extruebat aedes: ad cujus fastigia cum ventum esset, trabs quaedam, cui omnis contignatio inniti debebat, nulla arte vel industriâ per triduum

* S. Bodum (col. xi sept.) substituendum putant Bollandiani, amandato ad sequentem saeculum Gribaldo seu Girbaldo.

suo potuit loco aptari, modo brevitate alias curvitate vel alia re id impediente. Iratus igitur Asclas conviciis artifices proscindebat, quod cum sylvam ad manum haberent, velut inertes multam operam in eam rem frustra impendissent. Illis autem jam et opere defessis, et animi moerore affectis pransum euntibus, vir sanctus eo accedit, et fessus ex itinere in ea domo residet. Ubi autem ex puerulo quodam didicit rei totius seriem, multa permotus misericordiâ quae ab infantia cum illo adoleverat, tentavit opem ferre moerentibus: accitoque beato Willigodo et sociis aliis, trabem illam sensim ad locum suum admovit, ac deinde coepto perrexit itinere. Ubi id rescivit loci ejus herus, non longe progressum ex itinere ad se reducit: compertaque tum peregrinationis ejus causâ, tum ipsius conditione, praedium illud ei donavit, usu tantum ejus ad vitam sibi reservato, certam argenti summam in annos singulos viro Dei pollicens. Nec dubitavit pauper Christi suscipere aliena, qui reliquerat sua, ut merces cumularetur religioso viro ex ipsius eleemosyna, qua videbat sustentari posse pauperes Christi, quos postea illic Christo congregavit: aut certe quod spiritu praevideret locum illum dilecti discipuli sui Willigodi sepulturâ nobilitatum iri: ad cujus quidem exanime corpus tot et tanta usque in praesens miracula eduntur, ut nemo possit habere dubium, quin spiritus ejus degat in coelis.

§ **5**. Inde vero progressus Deo devotissimus antistes, Argentillam quae sic a rivulo suo dicitur, pervenit, eam nunc vulgus rusticum, Arentellam corrupte vocat. Ibi, tanti itineris labore defatigatus, commorari constituit, impensasque sibi ad construendum illic monasterium praeparavit: cujus fundamenta cum jam ad aliquod fastigium perduxisset, offendi coepit et affligi injuriis et improbitate accolarum ipsi invidentium, tanquam in dies sibi illorum fundos usurpaturo. Erant illi strenui sane milites, sed libertatem suae malitiae velamen habentes. Eorum ergo proterviam Dei servo humiliter declinante, derepente ira coelestis adeo in illos incubuit, ut tam ipsi, quam posteri eorum aut annos gratissimae juventutis non excesserint, aut certe mentis facti inopes, a finibus suis per ignominiam exclusi sint, donec nequam stirps illa e medio sublata esset.

§ **6**. Hinc venerabilis vir post immodicos àviae et anfractuosae solitudinis circuitus Alsatiam ingressus est, ubi inter Amalarici villare et Ungisvillam apud Wilram condito domicilio resedit: cujus quidem hodieque plurimae illic ostenduntur parietinae, et fons perspicuus atque saluberrimus, ejus nomine celebris. Ubi cum circumcirca, tanquam Sol quidam spiritalis, radios Deo gratae actionis evibraret. et dociles hominum religiosorum animos bono Christi odore ad se adduceret, quidem inter pròceres eximius Hunnus cum conjuge Hunna (*a*), qui in vicinis locis

(*a*) HUNA venerabilis Huni uxor, colitur in Alsatia III Jan. a Leone Pp. X inter Sanctos relata:

morabatur, magisque ex debito quam intentione huic mundo inserviebat, in familiarem servi Dei amicitiam se insinuavit. Similis quippe amat sui similem, et fugit quisque dissimilem sui. Accessit vero inter illos ad solidae dilectionis plenitudinem, quod sanctus praesul ejus prolem et baptizavit, et e salutaris fontis lavacro suscepit.

§ 7. Verum sanctae charitatis et totius boni hostis diabolus ut vidit non mediocres ad Dominum posse redire fructus ex beati viri verbis et exemplis, si ille tam insignis verae religionis cultor in impia et bonis operibus sterili gente demoraretur, ad eum profligandum extulit superbum caput. Itaque subito quodam furore inflammat stolidum et indocile vulgus adversus hominem Dei, ceu alieni juris invasorem. Illi porro regionis ejus proceres concitarunt, donec perpetuis injuriis et minis vexatus, tandem abscedere compulsus est. Roganti autem illum Hunno, ne ipsum desereret, eique sui juris possessiones, ut in illis degeret, humanissime offerenti, vir Dei cum lacrymis respondit: « Cur ego tot annis exul et profugus in hac provincia perpetuo vagabundus oberrem, cum in illa propter peccata mea vel pedis unius spatium, in quo quiescam, non liceat obtinere? Itaque deinceps vastae me dedam et ignotae solitudini, in ea mortem oppetiturus: videat pietas Domini, cujus amore et desiderio reliqui patriam, et in has me regiones contuli. » His dictis, post mutuos amplexus discessit ab Hunno, non sine multis utrinque fusis lacrymis.

§ 8. At vero pro justitia persecutionem patienti servo suo non defuit divina miseratio quae et illi commodum et optatum dedit locum, et persecutores ejus ignominiosa et miserabili percussit clade. Pròceres enim illorum in ipso aetatis flore extinxit, manetque in hunc usque diem ea ultio apud posteros eorum, ita ut non semel eximii et illustres viri atque matronae, generis sui calamitatem formidantes, et seipsos et fundos suos viro beato voluerint obnoxios esse, ne in ipsos quoque divina ultio propter majorum suorum peccata redundaret. Porro ejus pagi ruriculae omnes, qui per id tempus illic nati fuere, strumoso gutture suae temeritatis poenas luerunt. Eo autem dedècore non sunt affecti, quotquot trans torrentem nasci potuere. Quod ubi adverterunt foeminae ad partum propinquae, torrentem illum transmittere consueverunt.

§ 9. At vir Dei indefesso quidem spiritu, sed plus satis defatigato corpore, per scopulosa juga montium, per concava vallium reptabundus tandem anhelus attigit vallem, quam Galilaeam vocant, anno ab incarnato Verbo, sexcentesimo sexagesimonono. Eam vallem interluit et irrigat Morta exiguus sed piscosus fluvius *: apud quem in ripa ejus australi reperta speluncâ et fonte

tanta ejus fuit erga pauperes charitas ut lavandis eorum linteaminibus solita accedere ad remotum a domo sua fontem, meruerit alium viciniorem sibi a S. Deodato per prodigium èlici.

* Brevem post cursum in Mosellam influit.

amoenissimo, aliquandiu illic delituit, herbarum tantum agrestium et exiguorum pomorum esu corpus sustentans, cupiens imitari veteres illos sanctos patres, qui egentes erravere in solitudinibus, in montibus et speluncis, et in cavernis terrae. Interea Dominus non immemor fidelis servi sui, nihil de crastino cogitantis, religiosum virum Hunnum ita in somnis compellat: Cur sinis Deòdatum venerabilem Episcopum fame confici in solitudine, qui mea causâ factus est exul et inops, et pro sua modestia noluit tibi vel minimos actus suos indicare? Respondenti Hunno, se nescire ubinam sit Deòdatus, dictum est a Domino: Impone sarcinas jumentis tuis, et invocata divina majestate, sine ea sua sponte iter istud ingredi: non deerit, qui deducat ea. Hunnus expergefactus, refert haec devotae conjugi: illa modis omnibus hortatur, ut acceleret. Dimittuntur jumenta, et per inviam eremum recto itinere ad speluncam beati viri perveniunt. Quidam autem illa pedetentim secuti, inveniunt hominem Dei: qui cum prior ex illis sciscitatus esset quamobrem eo venissent, rem totam ordine cognoscit: Deoque cum lacrymis gratias agens, quod ipsius in necessitate non fuisset immemor, tam servos Hunni, quam jumenta primo necessariis reficit alimentis, deinde ad dominum ipsorum remittit. Ita ergo reperto viri Dei habitaculo, non modo Hunnus, sed etiam plerique alii religiosi homines postea ei res necessarias miserunt. Videmus hic non imparem hac in parte Deòdatum sanctissimis patribus Frontoni, Benedicto et Columbano, divinitus ei, sicut et illis, victu necessario suppeditato.

§ **10**. Porro ex ea benignitate Dei, tam bene de ipso soliciti, vir perspicacissimus colligens gressus suos eo a Domino directos, ad condendam sibi cellulam animum adjecit. Eâ constructa, et in beatissimi Martini Episcopi honorem dedicata, reposuit illic et alia pretiosissima sanctorum pignora, quae ex patria secum attulerat. Cumque fama sanctitatis ejus in dies non solum ad vicinas, sed etiam longinquas regiones dimanaret, homines fideles undique ad eum catervatim accurrebant. E quibus nonnulli sua praedia hilariter illi conferebant, permulti ad condendum monasterium pecunias et quaecumque poterant, largiebantur. Plerique vero non sua dumtaxat, sed ejus etiam imitandi desiderio accensi, seipsos in ejus disciplinam multa instantiâ tradebant. Nec pudefiebat fama, quae ejus virtutes praedicabat, cum praesentes majores in illo cernerent, quam antea auditione accepissent. Per id tempus is, quem saepe diximus, Hunnus praedium suum, quod ab ejus nomine nomen Hunnuvillaris acceperat, una cum ecclesia ei devotus donavit, in qua ecclesia ipse cum sua conjuge humatus est, non dubiam fidem facientibus miraculis, quae illic fiunt, ambos cum Christo in coelis vivere.

§ **11**. Porro etiam Childerici regis munificentia eam vallem,

quam Galilaeam diximus vocatam, fisco regio abstulit, et integram viro Dei et ejus successoribus annuli sui impressione in perpetuum assignavit: puta ab ipso ortu rivulorum vel amnium in eam vallem influentium, usque ad exitum eorum: ut illic vir Dei monasterium conderet, et quem vellet servorum Dei numerum illic aggregaret. Crederes Dominum pro multis molestiis, quibus hactenus non uno ex loco depulsus, affectus fuerat, sanctam ejus animam jam egregie consolari voluisse. Intellexit hoc etiam ipse beatus vir, maxime quod et divinitus et humanitus se juvari cerneret, ibidem juxta S. Martini oratoriolum monasterium extruere voluit. Quidam autem ex ejus discipulis cum ultra amnem Morimonte qui nunc monasterio praeeminet, operariis, aedificio illi necessariam materiam succidentibus et praeparantibus, intenderet, velletque jam sub vesperam redire ad cellam, sed taederet illum transire Mortam fluvium, cuperetque maturius redire ad opus, in colliculo, quem Juncturas vocant, nocte irruente manere compulsus est. Colliculus autem id nominis inde accepisse putatur, quod Rotbat et Morta non longe ab ejus radicibus inter se commisceantur. Ubi frater ille somno correptus, per visum, oratorii in beatissimae Dei Genitricis honorem illic construendi divinitus praeceptum accepit. Quod cum mane retulisset sanctissimo magistro, in ipso visionis loco ille lapidem erigi jussit. Nec diu post condita illic basilicâ, in ea altare collocatum est eo in loco, ubi visio fratri oblata fuerat; idque in honorem beatissimae Matris Dei, omniumque Apostolorum, pariterque praecipuorum Trevericae urbis Episcoporum, Eucharii, Valerii, Materni et Maximini consecratum. Juxta hanc autem basilicam aliud fabricatum est oratorium in beati martyris Mauritii et sanctissimi collegii ejus honorem.

§ **12**. Qua in re facile licet perspici, beatissimum Archiepiscopum nostrum Hildulphum cumprimis familiarem fuisse sanctissimo Deodato praesuli ab ipsis usque monasterii hujus fundamentis, quippe qui illi largitus fuisse credatur reliquias jamdictorum Trevirensis populi antistitum, inprimis autem sancti Maximini, cujus sacros artus nuper admodum in eam transtulerat aedem, ubi nunc illi pro dignitate in veneratione habentur. Fuit autem is annus Christi sexcentesimus sexagesimus septimus: quo tempore Deodatus etiamnum in Alsatia morabatur, quem constat anno Domini sexcentesimo sexagesimonono in vallem Galilaeam advenisse. Nec ab re fuisse credendum est, Deo devotissimum praesulem tot tamque pretiosis Franciae suae praetermissis patrociniis, specialem aram Trevirensibus posuisse. Poterat sane vir Domini Hildulphus, eremiticam ducturus vitam, Arduennae vastissimos expetere saltus, quemadmodum alios quosdam ejus vicinos fecisse constat: aut certe loca * repetere, e quibus ad

* *Istriae deserta* in textu legebatur; sed falso: S. enim Hildulphus Bavariâ erat oriundus. Vide Surium XI Jul.

Trevericam sedem olim raptus fuerat: sed amore singulari charissimi Deodati sui ad nostrum Vòsagum pertractus fuit. Et revera in quibusdam jam saepe dicti coenobii regia et pontificia auctoritate firmatis (privilegiis vel literis) beati patris nostri Hildulphi nomen reperitur praefixum titulis, duodecim subscribentibus Episcopis. Inibi sanctae compassionis vir Archiepiscopus, immo Patriarcha profitetur sanctam et compunctam religiosamque postulationem venerabilis viri Deodati Episcopi suarum aurium intima penetrasse, et viscerabili affectu pietatis ita cor suum charitativa petitione emollivisse, ut voluntatem ejus libentissime non implevisse, nimis irreligiosum fore putaverit. Consequenter etiam ibidem annotatur, quoniam sancti desiderii ardore succensus reverendus Deodatus Episcopus, in valle Galilaea *, quam ex regis fisco promeruerat, coenobia apud Juncturas, sicut supra diximus, construxit primus, ubi monachos vel peregrinos sub sanctissimorum patrum Benedicti et Columbani regula victuros deliberabat collocare devotus.

§ **13**. Igitur currente sexcentesimo septuagesimoprimo anno ab incarnato Dei Filio, ab adventu autem domini Deodati ad Galilaeam tertio, pater Hildulphus Archipraesulatu Trevirorum sese abdicans, et ad moriendum cum Christo huic aridae erèmo sese addicens, dulcissimus vicinus, et paratissimus confinis suo Deodato accessit, Jacobi reverendissimi Leucorum praesulis adjuvante suffragio. Porro beati illi ac semper memorandi patres nostri Hildulphus et Deodatus in solitudine, ut optaverant, vicini effecti, non se inertiae aut desidiae dedere, sed vigilarunt alacriter erga mutui ejusque sinceri amoris custodiam, tanto effecti familiariores, quanto viciniores. Ut enim major existit splendor, si ignem igni, aut lucernam lucernae adjungas: ita sanctis viris ex propinquitate, conspectu et mutuis colloquiis accrevit charitas. Etsi autem mutua conversatione et familiaritate nihil illis esset jucundius, at tamen indignum erat tantos hospites, ceu duo mundi clarissima lumina, intra unius cellulae angustias latitare, cum vix caperent singulae singulos, maxime quod possent singuli plurimos secum ad Deum adducere. Itaque statuerunt inter se clarissimi pontifices, dum in hac essent vita, semel in anno sese mutuo invisere, et nocte una simul manere: quam noctem totam sanctis colloquiis et divinis laudibus solebant insomnes transmittere: mane vero ab invicem recedere.

§ **14**. Discipuli autem illorum, si quid vellet alter alteri indicatum, inter utrosque expediebant. Porro dominus Hildulphus non ita procul cum suis occurrere solebat venienti ad se domino Deodato et sociis ejus: eumque manu apprehensum ducebat ad orationem more antiquorum patrum, et ut habet institutio beatissimi Benedicti Abbatis: fusaque pariter prece, salutabant se mutuo

* Non procul a Luxovio ubi florebat S. Columbani Institutum.

eum gaudio spiritali: et tum demum invicem se osculabantur, et caetera charitatis ac benevolentiae officia prosequebantur. Itidem faciebat piissimus pater Deodatus, veniente ad ipsum Hildulpho, cui etiam ultra Mortam amnem pergebat obvium cum suis. Nam quoad vixit, cellam priorem, quae erat apud sancti Martini oratoriolum, non reliquit. Vir quippe grandaevus erat et jam veteranus atque emeritus Christi miles, nec potuit ferre hominum concursus, neque externis fratrum laboribus interesse: maxime quod nihil illi jam liberet aliud, quam vacare et videre, quoniam Dominus ipse est Deus: gustare et videre, quam suavis sit Dominus.

§ 15. Fertur autem staturâ fuisse insigni et pròcera, formâ cumprimis eleganti, animo clementissimo. At jam nimio labore et multa aetate confectus, curvus incedebat non nunquam tamen adibat fratres operantes, singulorumque consideratis et constitutis operibus, ad cellam noctu redibat. Hodieque monstratur semita, qua solebat ire ad monasterium quod est apud Juncturas. Beatus vero Hildulphus staturâ fuit mediocri, vultu angelico, mente valde compunctus, voluntariae paupertatis studiosissimus: quem promptum et àlacrem ad omne opus bonum efficiebat etiamnum virens senectus et in Deum suspensus animus. Nam et in extremis vitae suae annis manuum labore victum et vestitum sibi comparabat. Et quamvis aetate junior, vitae tamen sanctitate et morum integritate Deodato non inferior. Alter alterum sibi mutuo praeferebat. Humilimus quidem Hildulphus canitiem in Deodato, Deodatus vero in juniore Hildulpho patriarchalem dignitatem et morum integritatem venerabatur. Qui tanquam duae coelestis fabricae columnae a domino decenter erectae, solido et inflexibili ròbore mentis, sic assistebant summo opifici, ut maxima lapidum congerie sibi imposita non graverentur.

§ 16. Ipsis enim dulce erat et delectabile, gregi sibi concredito attendere, infirmitates, onera et pusillanimitates patientissime sustinere, ut sua spirituali bigâ eum ad coeleste aedificium transveherent. Putares sanctos Patres illos gallinas esse intellectuales et Evangelicas, quae pullos suos meritorum alis et orationum rostris ab invisibilium milvorum rapacitate subtrahebant et tuebantur, manibus pedibusque illis alimoniam suppeditabant, nec non frigidos eorum, exemplorum plumis calefaciebant artus. Satagebant interim extra nidum proprias extendere pennas, et alter alterius subvenire necessitatibus; facti sunt cum infirmis infirmi, ut infirmos lucrifacerent: Omnibus omnia facti, ut omnes salvos facerent. Vixere practerea ad tempus soliciti, ut eorum filii aliquando forent securi. Nec piguit eos laboris, quo sancto eorum successores vacarent otio. Hoc opus, eorum structurae, hoc studium, eorum exigebant fugae, ac potissimum B. Patris nostri

Deodati, qui tot loca sibi magno labore constructa mutavit, donec filiis suis aptam et quietam sedem inveniret.

§ **17.** Igitur Deo dignissimi Antistites spirituali insudantes operi, nullàtenus a recto deviabant itinere, quotidie de virtute in virtutem progredientes. Etenim tanto reddebantur alacriores ad laborem, quanto viciniores properabant ad requiem. Nec sentiebant in Christi vinea pondus diei et aestus, quibus jam instabat vespera, ut redderetur nummus. Tandem postquam ibi Deodatus et Hildulphus septem annis cum sex mensibus habitassent una: largus remunerator Deus statuit B. Deodato laborum suorum reddere mercedem, qui jam percurso vitae stadio tanquam strenuus athleta respiciebat in remunerationis bravium. Quare vocatus a Domino, languore correptus decubuit lectulo, quod cum absentibus discipulis nunciatum esset, accurrunt moesti et tristes, magistrique grabato astantes, ne tam dulcis ac necessarius pater filios desereret, communi ejulatu deprecabantur. Quos ille verbo salutari instruens compescebat, atque ad sanctae regulae ordinisque observantias exhortatus est. Quibus dictis, sese Deo et eorum precibus humiliter commendavit. Interea sancti viri exitum jam instare S. Hildulphus in visu noctis divinitus edoctus est: qui ut evigilavit, ad beatum quantocyus properavit, sicut a Domino ei imperatum fuerat. Quem postquam adhuc vivum reperit, eidem omnia Ecclesiae sacramenta administravit. Decebat enim, ut amicus amico ad superna praecedenti extremum valediceret, viaticum praeberet, et ecclesiasticam conferret sepulturam. Cujus praesentià vir sanctus recreatus, ac vehementer in Domino gavisus est, qui suo commilitoni Hildulpho exitus sui diem revelare dignatus fuerat. Nec mora, discessurus ab hac lacrymarum valle B. Deodatus, ad suscipiendum règimen ovium quas ibidem hactenus verbo et exemplo enutriebat, superstitem amicum compulit, discipulisque mandavit, ut eumdem Hildulphum laeti susciperent, et quandiu viveret solicite retinerent. Cujus desiderio ac piis votis cum discipuli et B. Hildulphus annuerent, inter astantium manus sanctam animam, multis Deo commendatam precibus, continuis laboribus pro Dei honore et justitia elimatam, et multis virtutibus adornatam, efflavit, ac in manus Dei commendavit, quem facie ad faciem sine fine videre promeruit. Mortuus est igitur Pater noster Deodatus, et quasi (ut in Ecclesiastico scribitur) non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se. In vita sua vidit, et laetatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domui suae contra inimicos, et amicis reddentem gratiam.

§ **18.** Transiit autem de morte ad vitam, de exilio ad patriam S. Deodatus, 13 Calen. Julii, quae tunc erat dies Dominica, anni ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi sexcentesimi septuagesimi noni, indictione septima. Ab ingressu vero ejus in hanc

Vallem Galilaeam anno undecimo. Omni ergo reverentiâ sacrum funus a discipulis portatur ad ecclesiam beatae Dei Genitricis Mariae, ibique pro eo immolata salutari hostiâ a devotissimo Archipraesule, sepulturae commendatur, expletis de more et ritu Ecclesiae solitis exequiis. Et quamvis aquosum erat caemeterium prioris ejus monasterii, utpote situm in convalle, oportebat tamen tanti pretii corpus in praesentia fratrum quotidianas laudes et preces persolventium quiescere, ut ejus frequens haberetur memoria. O quantus tunc luctus monachorum, dum viderent tam fideli pastore se esse orbatos? qui quamvis non erat deflendus, cohibere tamen nequiverant lacrymarum inundantiam, quas non impetus carnis, sed spiritus eliciebat a praecordiorum intimis. Itaque vir Dei S. Hildulphus sic obtemperavit extremis votis defungentis amici, ut vigintiocto annis et amplius (quibus ipse supervixit) ejus praeesset relicto gregi, per praepositos administrans necessaria ipsi domui. Et quamvis sui loco Abbatem propriae congregationi in saltu Vòsago praefecerat (propterea quod desiderio supernae contemplationis accensus, exterioribus negotiis occupari refugeret), vallem tamen Galilaeam a sua cura non abjecit, quamdiu in mortali degebat corpore: vis enim perfecti amoris erga sanctissimum Deodatum eum coëgit, ut laboris et curae non poeniteret. Non enim gravabatur suscipere aliena, qui prae lassitudine aliis commendabat sua. Dicebat enim apud seipsum: Qua fronte adibis amicum, si mandatum ejus ultimum refutaveris? Pro cujus perenni vita in coelis et gloria, primo depositionis illius anno coenobium vallis Galilaeae multoties adire solitus erat, frequentans ad sacrum corpus Missarum solemnia, discipulosque consolans, ac in sancto proposito sui instituti confortans.

§ **19**. Elapso tandem anno a glorioso obitu D. Deodati, in quo beatus Patriarcha Hildulphus assidua visitatione monachos, et frequenti immolatione salutaris hostiae defuncti curabat prodesse spiritui: pristinam deinceps institutionem resumpsere fratres utriusque loci. Et quemadmodum semel in anno venerandi Antistites mutuas solebant frequentare cellas: ita postea studuere facere eorum discipuli, qui viro Dei Hildulpho vallem Galilaeam invisenti, loco patris sui Deodati occurrentes, offerebant Magistri sui tunicam, quam ille reverenter susceptam, tanquam dignissimum pignus amici exosculatus et amplexatus est, et quasi in nova veste viventem intuens, sanctitatem ejus veneratus est, nam quicquid adorationis impendebat insensibili tunicae, id suo charissimo Deodato fecisse arbitrabatur, cujus efficacibus meritis seipsum adhuc in stadio hujus vitae decertantem, atque in spiritali palaestra desudantem, sustentari credebat et precabatur.

§ **20**. Cum jam sancti viri temporalis vita in multos annos Deo disponente, tenderetur, quatenus ejus exemplo plurimi ad spiritualem vitam provocarentur et excitarentur, factum est, ut

circa ultimos vitae suae annos multo senio fractus, frequentique labore et cura domesticâ debilitatus, cellam suam solitae visitationis gratiâ egredi non valeret: non tamen destiterunt S. Deodati discipuli pro more, magistri sui tunicam eidem offerre, ne dulcis ejus intermoreretur memoria. Igitur cum divina miseratio gloriosum suum militem Hildulphum ab hujus seculi fluctuoso mari ad portum salutis aeternae vocare statuisset, per dilectum suum Deòdatum dignatus est eidem transitus sui diem denunciare, quatenus is utrique monasterio de bono Pastore providere satageret. Unde vir sanctus plurimum in Domino gavisus est, quod ab hac lacrymarum valle ad perpetuae consolationis tranquillitatem mox erat assumendus, ut omnis lacryma ab oculis ejus abstergeretur. Itaque propriis sui monasterii fratribus designato Abbate domino Raimberto, vallis autem Galilaeae domino Marcinanno, feliciter obdormivit in Domino, ab incarnatione Jesu Christi anno septingentesimo septimo.

§ **21**. Interea a devotissimis discipulis inviolabiliter fuit observatum, quod a prudentissimis Magistris fuit institutum: videlicet, ut semel in anno mutuas inviserent cellas, tanquam praecipua pignora praeferendo sanctorum Patrum suorum tunicas. Siquidem monachi S. Hildulphi, ipsius tunicam retinuerant sibi, sicut et monachi vallis Galilaeae, S. Deodati. In quorum delatione tanta veneratio exhibebatur, ut dulcissimi Patres ad filios redisse post longa seculorum volumina crederentur. Quod si (peccatis exigentibus) coelestis ira in populum grassaretur, et siccitate nimia, vel imbrium continua refusione, aut pestilentiâ, seu qualicumque plagâ plebs feriretur, mox hinc inde conglobata tunicas patronorum suorum cum lacrymis et orationibus offerebat et ingerebat divinis obtutibus: et amota est plaga: nam contra desaevientis flagelli impetum tantum valebant sanctorum merita et populi fides, ut sine mora misericordissimus Deus justi judicii sui severitatem a plebe cohiberet, atque optatae misericordiae consolationem ei distillaret. Quae quidem consuetudo tam religiosa ac pia integerrime inter haec duo coenobia conservata est, donec sancta corpora plurimis miraculis exornata sublevarentur de terrae gremio. Quocirca sicut tunc solebant discipuli Magistrorum tunicas offerre, ita nunc eorum posteri corpora sanctorum suscipiunt et animarum exuvias.

§ **22**. Sufficiant igitur haec religiosis animis, quae pauperculo sermone cursim explicuimus, de piissimi Patris nostri Deodat gestis, vix attingentes pauca de innumeris, minima de maximis, quibus clementia Dei in terris sanctum suum glorificavit pro vitae suae meritis. Caeterum tot et tantis quotidie miraculis venerabile corpus ejus nobilitatur, ut vix ad conscribendum ea sufficiat calamus, nec aliquis possit habere dubium, quin spiritus ejus inter suprema regnet angelorum agmina.

MARTYRIUM S. ALBANI ANGLI

QUEM PLERIQUE ALBINUM VOCANT

EX HISTORIA ECCLESIASTICA GENTIS ANGLORUM BEDAE *lib. 1, cap. 6 et 7.*

Initio saec. IV — Origine Romanus.

§ 1. Anno incarnationis Dominicae ducentesimo octogesimosexto, Diocletianus trigesimustertius ab Augusto Imperator, ab exercitu electus, annis viginti fuit, Maximianumque, cognomento Herculeum, socium creavit imperii: et Diocletianus quidem in Oriente, Maximianus autem Herculeus in Occidente vastari Ecclesias, affligi interficique Christianos, decimo post Neronem loco, praeceperunt. Quae persecutio omnibus fere anteactis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, caedibus martyrum incessabiliter acta est. Tunc etiam Britanniam plurima confessionis Deo devotae gloria sublimavit.

§ 2. Siquidem in ea passus est S. Albanus, de quo presbyter Fortunatus in laude virginum, cum beatorum martyrum, qui de toto Orbe ad Dominum venirent, mentionem faceret, ait:

Albanum egregium foecunda Britannia profert.

§ 3. Qui videlicet Albanus paganus adhuc, cum perfidorum principum mandata adversum Christianos saevirent, clericum quemdam persecutores fugientem, hospitio recepit: quem dum orationibus continuis ac vigiliis diu noctuque studere conspiceret, subito divina gratiâ respectus, exemplum fidei ac pietatis illius coepit aemulari: ac salutaribus ejus exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriae tenebris, Christianus integro ex corde factus est. Cumque praefatus Clericus * aliquot diebus apud eum hospitaretur, pervenit ad aures nefandi principis, confessorem Christi, cui necdum fuerat locus martyrii deputatus, penes Albanum latère. Unde statim jussit milites diligentius eum inquirere. Qui cum ad tugurium martyris pervenissent, mox se S. Albanus pro hospite ac magistro suo, ipsius habitu, id est, caracallâ, qua vestiebatur **, indutus, militibus exhibuit, atque ad judicem vinctus perductus est.

§ 4. Contigit autem judicem ea horâ, qua ad eum Albanus adducebatur, aris assistere, ac daemonibus hostias offerre. Cumque

* AMPHIBALUS nomine, qui sanctus martyr refertur in Martyrologiis Anglicanis ad diem XXV jun.
** *Caracalla* vestis erat sive pallium cum cucullo.

vidisset Albanum, mox irâ succensus nimia, quod se ille ultro pro hospite, quem susceperat, militibus offerre ac discrimini dare praesumpsisset, ad simulacra daemonum, quibus assistebat, eum jussit pertrahi: Quia rebellem, inquiens, ac sacrilegum celare, quam militibus reddere maluisti, ut contemptor divum meritam blasphemiae suae poenam lueret, quaecumque illi debebantur supplicia, tu solvere habes, si a cultu nostrae religionis discedere tentas. At S. Albanus, qui se ultro persecutoribus fidei Christianum esse prodiderat, nequaquam minas principis metuit: sed accinctus armis militiae spiritualis, palam se jussis illius parère nolle pronunciabat. Tum Judex: Cujus, inquit, familiae vel generis es? Albanus respondit: « Quid ad te pertinet, qua sim stirpe genitus? Sed si veritatem religionis audire desideras, Christianum jam me esse, Christianisque officiis vacare cognosce. » Ait Judex: Nomen tuum quaero, quod sine mora mihi insinua. At ille: « Albanus, inquit, a parentibus vocor, et Deum verum ac vivum, qui universa creavit, adoro semper et colo. » Tum Judex repletus iracundiâ, dixit: Si vis perennis vitae felicitate perfrui, diis magnis sacrificare ne differas. Albanus respondit: « Sacrificia haec quae a vobis redduntur daemonibus, nec auxiliari subjectis possunt, nec supplicantium sibi desideria vel vota complere: quinimmo quicumque his sacrificia simulacris obtulerit, aeternas inferni poenas pro mercede recipiet. »

§ 5. His auditis, judex nimio furore commotus, caedi sanctum Dei confessorem a tortoribus praecepit, autumans se verberibus, quam verbis non poterat, cordis ejus emollire posse constantiam. Qui cum tormentis afficeretur acerrimis, patienter haec pro Domino, immo gaudenter ferebat. At ubi judex illum tormentis superari, vel a cultu Christianae religionis revocari non posse persensit, capite eum plecti jussit. Cumque ad mortem duceretur, pervenit ad flumen, quod muro et arenâ, ubi feriendus erat, meatu rapidissimo dividebatur. Viditque ibi non parvam hominum multitudinem utriusque sexus, conditionis diversae et aetatis, quae sine dubio divinitatis instinctu ad obsequium beatissimi confessoris ac martyris vocabatur, et ita fluminis ipsius occupabat pontem, ut intra vesperam transire vix posset. Denique cunctis pene egressis, judex sine obsequio in civitate substiterat. Igitur S. Albanus, cui ardens inerat devotio mentis ad martyrium ocyus pervenire, accessit ad torrentem, et dirigens ad coelum oculos, ilico siccato alveo, vidit undam suis cessisse ac viam dedisse vestigiis. Quod cum inter alios etiam ipse carnifex, qui eum percussurus erat, vidisset, festinavit ei, ubi ad locum destinatum morti venerat, occurrere: divino nimirum admonitus instinctu, projectoque ense, quem strictum tenuerat, pedibus ejus advolvitur, multum desiderans ut cum martyre, vel pro martyre, quem percutere jubebatur, ipse potius mereretur percuti.

§ 6. Dum ergo is ex persecutore factus esset collega veritatis et fidei, ac jacente ferro, esset inter carnifices justa cunctatio, montem cum turbis reverendissimus Dei confessor ascendit: quingentis fere passibus ab arena situs hic est, variis herbarum floribus depictus, immo usquequaque vestitus: in quo nihil repente arduum, nihil praeceps, nihil abruptum; quem lateribus longe lateque deductum, in modum aequoris natura complanat: dignum videlicet eum pro insita sibi specie venustatis jam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur. In hujus ergo vertice S. Albanus dari sibi aquam a Deo rogavit: statimque incluso meatu, ante pedes ejus fons perennis exortus est, ut omnes agnoscerent, etiam torrentem martyri obsequium detulisse. Neque enim fieri poterat, ut in arduo montis cacumine aquam martyr, quam in fluvio non reliquerat peteret, si hoc opportunum esse non videret. Qui videlicet fluvius, ministerio persoluto, devotione completa, officii testimonium relinquens, reversus est ad naturam. Decollatus itaque martyr fortissimus ibidem, accepit coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed ille qui piis cervicibus impias intulit manus, gaudere super mortuum non est permissus. Nam oculi ejus in terram una cum beati martyris capite deciderunt

§ 7. Decollatus est ibi etiam tum miles ille, qui antea superno nutu correptus, sanctum Dei confessorem ferire recusavit. De quo nimirum constat, quia etsi fonte baptismatis non est ablutus, sui tamen est sanguinis lavacro mundatus, ac regni coelestis dignus factus ingressu. Tunc judex tanta miraculorum coelestium novitate perculsus, cessari mox a persecutione praecepit, honorem referre incipiens caedi sanctorum, per quam eos opinabatur prius a Christianae fidei posse devotione cessare. Passus est autem beatus Albanus die decimo Calendarum Juliarum juxta civitatem Verolamium (*a*), quae nunc a gente Anglorum Werlamacestir sive Warlingacestir appellatur: ubi postea, redeunte temporum Christianorum serenitate, ecclesia est mirandi operis, atque ejus martyrio condigna extructa. In quo videlicet loco usque ad hanc diem, curatio infirmorum, et frequentium operatio virtutum celebrari non desinit. Passi sunt ea tempestate Aaron et Julius * Legionum urbis cives, aliique utriusque sexus diversis in locis perplures: qui diversis cruciatibus torti, et inauditi membrorum discerptione lacerati, animas ad supernae civitatis gaudia perfecto agone miserunt. Hactenus Beda.

§ 8. Hodie beatissimi martyris hujus Albani sacrae reliquiae Coloniae in monasterio S. Pantaleonis religiose asservantur. Latuerat illic aliquandiu praeclarus thesaurus, in quodam non

(*a*) Ex Verolamii, cujus nonnisi rudera quaedam supersunt, ruinis, extructum est S. Albani oppidum.
* Inscripti Martyrol. Rom. Kal. julii.

magni pretii et qui ejus dignitati minus congrueret, loculo conditus: at tamen crebra miraculorum signa praesentiam martyris et efficaciam perspicue declarare videbantur. Itaque coepit proferri in publicum et palam innotescere, quod diu fuerat in occulto. At ubi res innotuit Anglis, constanter illi asserere non dubitarunt, S. Albanum martyrem apud ipsos ortum et passum et conditum, eam, quam suo sanguine illustrasset insulam, nequaquam reliquisse, sed in ea semper permansisse. Ea occasione is qui per id tempus apud S. Pantaleonem Abbatis fungebatur officio, communicato cum fratribus sui monasterii consilio, cum sacrae beati martyris reliquiae jam trecentis et quinquaginta annis in ipsorum ecclesia quievissent, atque ab ipsius martyrio mille et eo amplius anni fluxissent, ad loculum cum ingenti devotione et reverentia accessit, eoque aperto videt ipse, vident et caeteri fratres non sine multa admiratione multisque lacrymis, magna omnipotentis Dei virtute, clarissimi martyris corpus tot seculis incorruptum conservari, laetanturque singulari Dei beneficio tanti thesauri se compotes fieri posse.

§ **9**. Ut autem certius de rei veritate constaret, et fidelium devotio excitaretur, e loculo venerandas extulere reliquias, et ut Deus laudaretur in sancto suo, publice eas ad spectandas proposuere: ac deinde in thecam aliam, auro argentoque et lapidibus pretiosis, quantum eorum sinebant facultates, ornatam reposuere, in qua hodieque reservantur. Tam autem recentes videbantur, ac si non ita pridem pro Christo caesus esset inclytus martyr. Caput enim cum barba, cervicem etiamnum sanguinolentam, brachia et manus, scapulasque pelle et carne tectas, pectus cum cratibus laterum, denique spinam dorsi cum renibus invenerunt. Pannus etiam, quo sacrum corpus trecentis et quinquaginta annis obvolutum fuerat, instar nivis candidus et plane incorruptus erat. Cum autem hae sacrae reliquiae ita ostenderentur, multi paralytici, claudi, curvi, contracti, humi reptantes, gibbosi, caeci, muti, daemoniaci, manci, febricitantes, aliisque diversis affecti morbis, non pauci etiam mortui et in aquis extincti, quorum omnium numerus quingentos excederet, curati sunt: ut nihil dicamus de jumentis, quibus aeque est restituta sanitas. Acta sunt haec anno Dominicae incarnationis MCCCXXVII sub Philippo Coloniensi Archiepiscopo, et Henrico Abbate. Sed nec hodie sancti martyris beneficiis fraudantur, qui humiliter ac pie incorruptas etiamnum corporis ejus reliquias invisunt, et supplices ei preces offerunt.

DE BEATO OBITU

S. PAULINI NOLANI EPISCOPI

AUCTORE URANIO PRESBYTERO UT HABET EGREGIUS MS. CODEX.

Vixit a 353 ad 431 — Romana stirpe in Gallia ortus.

§ 1. S. Paulinus Burdegalâ (*Bordeaux*) oppido Galliarum oriundus fuit, sed in Campania apud beatissimum Felicem confessorem glorioso fine defunctus atque sepultus est. Ejus vitam ex merito mortis agnoscimus, cujus et mortem de conversatione vitae probamus. Denique cum ante triduum, quam de hoc mundo ad coeleste habitaculum vocaretur, cum jam de salute ejus omnes desperassent, et duo ad eum Episcopi visitandi studio convenissent, id est, S. Symmacus et Benedictus Hyacinthinus, ita in eorum adventu recreatus atque refectus est, ut oblita omni carnali infirmitate, totum eis atque angelicum exhiberet affectum. Et quasi profecturus ad Dominum, jubet sibi ante lectulum suum sacra mysteria exhiberi, scilicet ut una cum sanctis Episcopis oblato sacrificio animam suam Domino commendaret: simul etiam eos quos pro disciplina Ecclesiastica a communione sacri ministerii extorres esse praeceperat, ad pacem pristinam revocaret.

§ 2. Et cum haec omnia sanctus Episcopus laeto atque perfecto ordine celebrasset, subito clara voce interrogare coepit, ubi essent fratres sui. Tunc unus ex circumstantibus, qui putavit, quod fratres suos, id est, Episcopos, qui tunc aderant, quaereret, ait illi: Ecce hi sunt fratres tui. At ille: Sed ego nunc fratres meos Januarium atque Martinum dico, qui modo mecum locuti sunt, et continuo ad me venturos se esse dixerunt. E quibus Januarius Episcopus simul et martyr, Neapolitanae urbis illustrat Ecclesiam: Martinus autem, vir per omnia Apostolicus, cujus vita ab omnibus legitur, Galliarum Episcopus fuit. Et his dictis, extensis ad coelum manibus, hunc psalmum (120) Domino decantavit, dicens: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Deinde collecta oratione, commonitus est a sancto Posthumiano presbytero, quod pro vestimentis quae pauperibus fuerant erogata, quadraginta solidi deberentur. Quod cum audisset S. Paulinus, leviter subridens, ait: Securus esto fili: crede mihi, quia non deerit, qui debitum pauperum solvat. Et ecce non longa interposita morâ, ingreditur quidam presbyter, de Lucaniae partibus veniens, missus a sancto Episcopo Exuperantio, sive a viro clarissimo fratre ejus Ursatio, qui ei per ipsum nuncium muneris

gratiâ quinquaginta solidos miserant. Quos cum accepisset S. Paulinus, benedixit Dominum dicens: Gratias ago tibi Domine, qui non derelinquis sperantes in te. De his autem quinquaginta solidis ipse presbytero, qui eos exhibuerat, manu sua duos dedit: reliquos vero negotiatoribus, qui vestimenta pauperibus dederant, reddi mandavit.

§ 3. Inter haec autem, cum jam nox diei successisset, usque ad mediam noctem paululum quieti concessit, donec crudescente dolore, qui lateri ejus nimius inerat, gravaretur excitatus, multisque etiam ex superfluo archiatrorum ustionibus fatigatus, usque ad quintam horam noctis lassum atque anhèlum pectus duxit. Deinde adveniente luce, consuetudinem suam vir sanctus agnovit. Itaque, ut solebat, excitatis omnibus, matutinum ex more et ordine celebravit. Facta autem die, presbyteris et diaconibus atque omnibus clericis exemplo Dominico pacem haereditariam praedicavit. Transactis autem his, tacitus usque ad vesperam perduravit. Deinde quasi ex somno excitatus, lucernariae (*a*) devotionis tempus agnoscens, extensis manibus, lenta licet voce, *Paravi lucernam Christo meo*, decantavit Domino cum David. Tunc deinde facto aliquandiu silentio, circa horam quartam noctis, omnibus qui aderant, solicite vigilantibus, subito tam ingenti cellula ejus terraemotu concussa est, ut hi, qui lectulo ejus assistebant, exterriti atque turbati ad orationem se jactarent, nihil tamen scientibus his qui pro foribus consistebant. Neque enim publicus ille, sed privatus in cellula fuerat terraemotus. Nam ille angelicis susceptus manibus, debitum Deo spiritum exhalavit. Vidimus, fili charissime, vidimus, et inter lacrymas atque singultus vidisse gaudemus: vidimus quomodo tollitur justus, et nemo intelligit, et viri justi tolluntur, et nemo considerat. Neque ulli Christianorum incredibile debet videri, si in transitu S. Paulini unus angulus specialiter terraemotu concussus est, in cujus obitu totus pene orbis ingemuit. Et sane quis locus est in orbe terrarum tam remotus aut abditus, quem transitus domini Paulini non commoveret? Aut quis Christianae religionis ita alienus effectus est, qui audita morte ejus non planxerit? Flevit plane Ecclesia, quod talem sacerdotem amisit: sed exultat paradisus, quod talem sanctum suscepit. Plangunt populi, sed laetantur angeli. Gemunt provinciae hominum, sed gaudent loca sanctorum, ad quae quotidie evolare cupiebat, cum diceret: *Quam* amabilia sunt *tabernacula tua, Domine* Deus *virtutum? concupivit et defecit anima mea in atriis tuis* (*Ex Ps.* 83).

§ 4. O virum sanctum et omnium ore laudabilem: qui sic vixit, ut non solum sibi, sed etiam omnibus viveret. Et ideo quia multis vixit in hoc seculo, nunc sibi vivit in Christo. Et tamen

(*a*) *Lucernarium* dicebatur precatio sive psalmodia peragenda, cum occidente sole accendebantur Lucernae. Illi successit in horis Canonicis *Completorium*.

non sibi tantum, sed etiam nobis, qui quotidie orat pro nobis. Lucerna fuit ardens in domo Dei, non sub modio posita, sed supra candelabrum constituta, ita ut etiam multas lucernas suo praeclaro lumine redderet luminosas. Suavis enim et mitis fuit, etiam cum in superbia seculi versaretur. Cum autem ad Christum conversus est, aperuit horrea sua pauperibus, apothecas suas advenientibus patefecit. Nam parum ei erat proximos alere, nisi etiam undique evocaret, quos pasceret atque vestiret. Quantos inique oppressos erexit? quantos captivos redemit? quantos intricatores debiti, a creditoribus suis reddita pecuniâ liberavit? Una scilicet negotiatione et planctu debitores multos extersit, et creditorum gaudia reparavit.

§ **5**. Cum autem ad summum sacerdotii gradum provectus est, noluit se talem exhibere Episcopum, qui ab aliquo timeretur: sed talem se reddidit sacerdotem, qui ab omnibus amaretur. Nunquam sic iratus est, ut non in ira misericordiae memor esset. Neque enim poterat vir ille irasci, qui contumelias despiciebat, et odia vitabat. Nunquam in judicio sine misericordia sedit: quia noverat misericordiam meliorem esse, quam sacrificium (*Os*. VI, 6), vestiendum esse omne Christianorum judicium, dicente venerabili scriptura: *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine* (*Ps*. 100). Justitiam quoque benignioribus, reis vero misericordiam fecit. Spiritus Sanctus quantum aequitati et justitiae favet, tantum suis gratiam pietatis, qui benignus est, indulget. Et ideo tenebat rigorem in examinatione justitiae, misericordiam autem in definitione sententiae proferebat.

§ **6**. O admirabilem virum, atque omnium virtutum laude censendum. Hic etenim omnium Patriarcharum exempla secutus fuit, fidelis videlicet ut Abraham, credulus ut Isaac, benignus ut Jacob, munificus ut Melchidesech, providus ut Joseph, rapax ut Beniamin. Rapuit enim divitibûs, et pauperibus erogavit: et tamen plus divitibus quam pauperibus profuisse cognoscitur: quia pauperibus in hoc seculo profuit, divitibus in futuro providit. Ergo, ut dicere coeperam, fuit mansuetus ut Moyses, sacerdotalis ut Aaron, innocens ut Samuel, misericors ut David, sapiens ut Salomon, Apostolicus ut Petrus, amabilis ut Joannes, cautus ut Thomas, doctor ut Paulus, videns ut Stephanus, fervens ut Apollo. De solicitudine autem et curâ Ecclesiarum in fide charitate omnes Apostolos et Episcopos imitatus est. Haec omnia in se habuit, haec a tempore conversionis suae fideliter custodivit. Et ideo cum de hoc corpore ad coeleste habitaculum vocaretur, sicut inferius doluit terra, ita superius laetatum est coelum: flevit caro, sed spiritus gloriatur. Denique non solum Christiani, sed etiam Judaei atque pagani * in fletu, scissis etiam vestibus, ad domini Paulini

* **Nota Sanctum ab Judaeis ipsis et Paganis deploratum, quem infra optime describit auctor de omnibus benemeritum.**

exequias convenerunt. Ereptum sibi patronum, defensorem, tutorem una omnes nobiscum voce planxerunt.

§ 7. Et vere talis erat, ut ab omnibus amaretur. Vixit enim cunctis in exemplum acquirendae salutis, et in refrigerium consolationis. Neque enim sollus haec mea vox est. Testes etiam barbarae nationes sunt, ad quas fama domini Paulini pervenerat. Nec immerito ab omnibus amabatur, qui aderat omnibus. Quem enim jacentem non sua dextera erexit? Quem interpellantem se, non pia voce cosolatus est? Erat enim pius, misericors, humilis et benignus, nullum spernens, nullum despiciens. Omnibus tribuebat, omnibus indulgebat. Animabat trepidos, mitigabat violentos. Hos verbis, illos aedificabat exemplo. Alios epistolis, alios sumptibus adjuvabat. Nullas opes, nullas divitias, nisi quas sanctis suis Christus promiserat, mirabatur. Aurum atque argentum, et caetera sic definiebat, ut ea sibi ad largiendum liberalitas, non ad retinendum cupiditas vendicaret. Et ut breviter dicam, omnia bona in se habuit, quia Christum amavit. Habuit enim fidem, mansuetudinem, curam proximorum, jugem pro miseris solicitudinem, compassionem pro infirmis, nihil aliud respiciens, nisi pacem et charitatem. Solus namque medicabatur, ut omnes emundaret. Denique quis locus est in orbe terrarum, quae solitudo, quae mària, quae S. Paulini beneficia non senserunt? Omnes eum agnoscere cupiebant, omnes videre desiderabant. Quis ad illum non laetus advenit? aut quis ab illo non desideraturus abscessit? Nam qui corpore eum videre non poterant, saltem epistolas ejus contingere cupiebant. Erat enim suavis, blandus, in literis dulcis, et bene suavis in versibus. Quid plura? Vix quaecumque de illo dicuntur, admitteret credulitas fidei, nisi propellerent sua facta mendacium. Taceamus generis nobilitatem, paternis, maternisque natalibus in senatorum purpura mirabiliter rutilantem: praeterea et opulentias divitiarum, quas propter Deum pauperibus erogavit. Nunc veniamus ad ea quae de obitu ejus dicere coeperamus.

§ 8. Igitur cum S. Paulinus debitum Deo spiritum reddidisset, ita niveo candore vultus ejus et omne corpus affectum est, ut omnes inter singultus et lacrymas benedicerent Dominum Deum nostrum, qui educit sanctos suos in magnificentia, ut ostęndat servis suis, quia haec est gloria omnibus sanctis suis. Et ideo laudetur in Deo anima ejus, et revelentur opera ejus in omnibus timentibus Deum: quia concupivit in mandatis Dei sui, et intellexit super egènum et pauperem, ut potens esset in terra semen ejus, et justitia ejus maneret in seculum seculi. Verumtamen et hoc, quod ad meritum S. Paulini pertinet,* veneratio tua debet agnoscere, quod etiam sanctus Joannes, Neapolitanae urbis Episcopus, a Domino Paulino de hac vita ad Christum accersitus

* Haec interpolata creduntur. Vide Martyrol. Illustr. ad hanc diem de S. Joanne Episc. Neap.

atque evocatus agnoscitur. Nam ante diem tertium, quam de hoc mundo sanctus Joannes ad Dominum commigraret, retulit se vidisse S. Paulinum, angelica dignitate vestitum atque ornatum, totum niveum, totum sidereum, atque odore ambrosio renidentem, favum etiam candidissimum mellis in manu tenentem, ac dicentem sibi: Frater Joannes, quid hic facis? Solve vincula taediorum tuorum, et jam ad nos veni. Haec enim esca, quam in manu teneo, apud nos satis abundat. Et cum haec dixisset, complexus est eum, et immisit in os ejus partem favi illius. Cujus dulcedinem atque odorem ita sanctus Joannes concupisse se dixit, ut si in ipsa revelatione potestas fuisset, ab ejus vestigiis nullo modo recessisset. Et tamen hoc non diu dissimulavit. Nam excitatus a somno, eadem die, id est, quinta feriâ, juxta consuetudinem suam remunerans omnes Clericos, atque pauperibus tribuens, sanus Dominicam coenam celebravit: sexta vero feriâ orationi vacavit. Sabbato autem, secunda horâ diei, laetus ad ecclesiam processit, et ascenso tribunali, ex more populum salutavit, resalutatusque a populo, orationem dedit, et collecta oratione, spiritum exhalavit. Ea tamen nocte in ecclesia vigilatum est.

§ **9**. Postera autem die, id est, Pascha, illuminatis lampadibus cum ingenti neophytorum pompa, prosequente etiam multitudine populorum usque ad sepulcrum, gloriosam atque laudabilem sepulturam adeptus est. Haec ideo commemoravi nobilitati tuae, ut etiam hic meritum S. Paulini agnosceres. Habes enim materiam dicendi, si tibi tamen non desit fides credendi. Et ideo quaeso nobilitatem tuam, ut sicut promittere dignatus es, praeclari operis munus accelerare digneris, consecuturus praemium laudis et gloriae, si vitam sancti viri posteris profuturam, versibus illustraveris. Utinam antequam proficiscar, hujus operis lectione dignum me facias: quia si Christo placuerit, continuo navigare dispono. Obiit S. Paulinus Episcopus x Calendas Junii, Passo et Antiocho Consulibus, hoc est, anno Chr. ccccxxxi.

DE EODEM S. PAULINO EPISC. NOLANO

PER D. GREGORIUM PAPAM

Lib. IIII. Dialog. Cap. I.

§ **1**. Dum vicinis valde patribus intendo, majorum facta reliqueram, ita ut Paulini miraculum Nolanae urbis Episcopi, qui multos, quorum memini, virtute et tempore praecessit, memoriae defuisse videatur. Sed ad priora nunc redeo, eaque quanta valeo brevitate perstringo. Sicut enim bonorum facta innotescere citius similibus solent, senioribus nostris per justorum exempla

gradientibus, praedicti venerabilis viri celebre nomen innotuit, ejusque opus admirabile ad eorum se instruenda studia tetendit: quorum me necesse fuit gravitati tam certo credere, ac si ea, quae dicerent, meis oculis vidissem.

§ 2. Cum saevientium Vandalorum tempore fuisset Italia in Campaniae partibus depopulata, multique essent de hac terra in Africanam regionem traducti: vir Domini Paulinus cuncta, quae ad episcopii usum habere potuit, captivis indigentibusque largitus est. Cumque jam nihil omnimodo superesset, quod petentibus dari potuisset: quodam die quaedam vidua advenit, quae a regis Vandalorum genero filium suum in captivitatem fuisse ductum perhibuit, atque a viro Dei, ejus pretium postulavit: si forte illius dominus hoc dignaretur accipere, et hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti foeminae quid dare potuisset inquirens, nihil apud se aliud nisi se invenit, petentique foeminae respondit, dicens: «Mulier, quod possim dare, non habeo: sed memetipsum tolle, servum me juris tui profitere, atque ut filium tuum recipias, me vice illius in servitium trade.» Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potius credidit, quam compassionem. At ille ut erat vir eloquentissimus, atque apprime exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti foeminae citius persuasit, ut audita crederet: et pro receptione filii sui, in servitium episcopum tradere non dubitaret. Perrexere igitur utrique ad Africam (*a*).

§ 3. Procedente autem regis genero, qui ejus filium habebat, vidua rogatura se obtulit: ac prius petiit, ut ei filium donare debuisset. Quod cum vir barbarus typo superbiae turgidus, gaudio transitoriae prosperitatis inflatus, non solum facere, sed etiam audire despiceret: vidua subjunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium praebeo: solummodo pietatem in me exhibe, mihique unicum filium redde. Cumque ille venusti vultus hominem conspexisset, quam artem nosset, inquisivit. Cui vir Dei Paulinus respondit, dicens: « Artem quidem aliquam nescio: sed hortum bene excolere scio. » Quod vir gentilis valde libenter accepit, cum in nutriendis oleribus quia peritus esset, audivit. Suscepit itaque servum, et roganti viduae reddidit filium. Quo accepto, vidua ab Africana regione discessit: Paulinus vero excolendi horti curam suscepit. Cumque idem regis gener crebro ingrederetur hortum, suumque hortulanum quaedam requireret, et sapientem valde hominem videret, amicos coepit familiares deserere, et saepius cum suo hortulano colloqui, atque ejus sermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam olera, virentesque herbas

(*a*) Cum Wandali non ante annum CCCCXXVII in Africam sint deducti, omnis haec Paulini, *venust. adhuc vultus*, et idonei ad horti culturam hominis, historia minime congruit Paulino de quo hodie agitur, seni annum tunc 74.um agenti. Ad Juniorem ergo Paulinum quem Nolanae Ecclesiae praefuisse sub medium V saec. dicunt est referenda. Non desunt qui haec, seclusa penitus Africâ, de Gothis Nolam diripientibus accipienda censeant; quod chronologice nostro Paulino utique conveniret. Wandali certe Italiae fines nonnisi post CCCCXLI attigerunt.

deferre consueverat, et accepto pane, ad curam horti remeare. Cumque hoc diutius ageret, quadam die suo domino secum secretius loquenti ait: « Vide quid agas, et Vandalorum regnum qualiter disponi debeat provide: quia Rex citius, et sub omni celeritate est moriturus. » Quod ille audiens (quia ab eodem rege prae caeteris diligebatur) ei minime tacuit; sed quid a suo hortulano, sapienti scilicet viro, agnovisset, indicavit. Quod dum rex audisset, ilico respondit: Ego vellem hunc, de quo lòqueris, hominem videre. Cui gener ejus, venerabilis Paulini temporalis dominus, respondit, dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre consuevit. Has itaque hunc ad mensam eum deportare facio, ut quis sit, qui mihi haec est locutus, agnoscas. Factumque est. Et dum rex ad prandium discubuit, Paulinus ex suo opere olèra quaeque et virentia delaturus advenit. Cumque hunc rex subito conspexisset, intremuit, atque accersito ejus domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum, quod prius absconderat, indicavit, dicens: Verum est, quod audisti. Nam nocte hac in somnio, sedentes in tribunalibus contra me judices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, et flagellum, quod aliquando acceperam, eorum mihi judicio tollebatur. Sed percontare, quisnam sit. Nam ego hunc tanti meriti virum, popularem ut conspicitur, esse non suspicor. Tunc regis gener secreto Paulinum tulit, et quisnam esset, inquisivit. Cui vir Domini respondit: « Servus tuus sum, quem pro filio viduae vicarium suscepisti. » Cumque instanter ille requireret, ut non quis esset, sed quis in terra sua fuisset, indicaret, atque hoc ab eo iteratione frequentis inquisitionis, exigeret, vir Domini constrictus magnis conjurationibus, jam non valens negare quid esset, episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor ejus audiens, valde pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens: « Pete quod vis, quatenus ad terram tuam a me cum magno munere revertaris. » Cui vir Domini Paulinus ait: « Unum est, quod mihi impendere beneficium potes, ut omnes civitatis meae captivos relaxes. » Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento navibus, pro venerandi Paulini viri satisfactione, in ejus comitatu laxati sunt. Post non multos vero dies Vandalorum rex occubuit, et flagellum, quod ad suam perniciem, dispensante Deo, pro fidelium disciplina tenuerat, amisit. Sicque factum est, ut omnipotentis Dei famulus Paulinus vera praediceret, et qui se in servitium solum tradiderat, cum multis a servitio ad libertatem rediret: illum videlicet imitatus, qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati. Cujus sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset postmodum liber cum multis.

§ 4. De cujus etiam morte apud ejus ecclesiam scriptum est, quia cum dolore esset lateris tactus, ad extrema perductus est.

Dumque ejus omnis domus in sua soliditate persisteret, cubiculum, in quo jacebat aeger, facto terraemotu contremuit, omnesque qui illic aderant nimio terrore concussit: sicque sancta illa anima carne soluta est: factumque est, ut magnus pavor invaderet eos qui Paulini mortem videre potuissent.

ITEM DE S. PAULINO

EX GREGORIO TURON., *de gloria Confessorum, cap. 107.*

§ 1. Fuit vir vitae venerabilis Paulinus, Nolanae urbis Episcopus, ex nobili stirpe * ortus. Therasiam sibi similem sortitus est conjugem, habens divitias multas, et tam in fundorum possessione, quam in praesidio domorum, valde dives erat ac lòcuples. Sed cum primum aures ejus « Evangeliorum lectio illa penetravit, in qua Dominus adolescentem pro divitiis arguit, dicens: *Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me:* et: *Facilius est camelum per foràmen acus transire, quam divitem introire in regnum Dei* (*Ex Matth.* XIX); statim venditis omnibus quae habebat, pauperibus erogavit. Exoneratus igitur a cunctis cupiditatibus, magistrum liber sequitur, per haec se putans paradisi divitiis locupletari, si videretur nihil de transitoriis possidere. Cui majestas divina tribuit, ut quod impossibile dixerat per Evangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum.

§ 2. Quadam vero die venit ad eum, qui stipem peteret, et ait conjugi: Vade, et da ei, quod habet necessarium. Quae respondit: Non est nobis amplius quam unus panis. Cui ille: Vade, inquit, porrige eum. Dominus enim dabit nobis victum. Sed illa quasi strenua reservare cupiens, ne aliquid deesset, porrigere noluit. Interea advenerunt quidam, dicentes, missos se a dominis suis, ut illi annonae ac vini deferrent speciem: sed pro hoc se moratos, quod orta tempestas, unam eis cum tritico abstulerit navem. Tunc vir Dei conversus ad mulierem, ait: « Intellige te illi pauperi unum panem fuisse furatam, et ideo hanc navem esse mersam. »

§ 3. Perrexit ergo cum conjuge quasi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens praeter statum proprium. Post multum vero tempus, cum ab incolis regionis suae requireretur, nec posset penitus reperiri, negotiator de civitate illa ab hanc urbem advenit, in qua vir beatus coelesti Domino serviebat: cumque vidisset eum, statim projiciens se in solum, et pedes sancti amplectens: Hic est, inquit, beatus Paulinus, toto vulgatus orbe, qui multum a suis civibus quaesitus, prorsus non potuit inveniri. Et eo narrante omnes actiones ejus, obstupuerunt haec audientes.

* Inclytâ inter Romanas Aniciorum domo.

Nec mora, decedente sacerdote apud Nolam urbem, ipse in locum Episcopi subrogatur *. Habebat autem Ecclesia illa multas divitias, implevitque in eo Dominus, quae per Evangelium promittere est dignatus: *Quia qui reliquerit omnia propter me, centuplum in hoc seculo accipiet, in futuro autem vitam aeternam possidebit* (*Ex Matth.* XIX).

§ 4. Verum assumpto Episcopatu, semper se humilem proferebat, quia sciebat se apud Deum excelsum futurum, si humilitatem sectatus fuisset. Pecunia vero de redditibus Ecclesiae, quae manus ejus attingebat, confestim pauperibus erogabatur. Castissima etiam conjux ejus non discedebat ab eo. Erat autem vir sanctus mirae prudentiae, et rhetoricis literis eruditus, quod scripta ejus, quae ad nos pervenerunt, valde patefecerunt (*a*). Qui factus Episcopus tantum in virtute per muliplicata gratiarum spiritualium charismata resplenduit, ut ante obitum suum, sanctum Martinum Turonensem nec non S. Januarium Italicum priusquam spiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur. Jam enim de hoc mundo illi migraverant. Et quia de hujus beati vita nihil legeramus, idcirco ea, quae per relationem fidelium cognovimus, dum de eleemosynis pròloqui voluimus, memoravimus. De transitu autem ejus est apud nos magna lectio, ideo eum ex ordine prosecuti non sumus. Ecce quid tribuit eleemosyna, ecce quales thesauros sanctis suis, qui ipsum in pauperibus diligunt, Deus indulget. E contrario avaritiae malo inhiantibus, quae nequiter concupiscunt, aufert, juxta illud Evangelii sancti oraculum : *Quia qui habet, dabitur ei, et abundabit: qui autem non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo* (*Ex Matth.* XXV).

VITA S. EDILTRUDIS SIVE EDILDRIDAE

REGINAE ET VIRGINIS

AUCTORE VEN. BEDA, *Hist. Eccl. gentis Angl., lib. 4, c. 19.*

Obiit anno 680.

§ 1. Accepit autem rex Egfridus conjugem nomine Edildridam (vulgo *Audry*), filiam Annae regis Orientalium Anglorum, cujus

* Anno CCCCIX.

(*a*) Ausonii, quem Rhetorem doctissimum Burdigale adolescens audiit, Paulinus copiam et elegantiam aemulatus, profanum tamen magistrum sacris canendis superavit primas cum S. Ambrosio cum Prudentio et Venantio inter Christianos poëtas facile, et potiori forsan jure, obtinens. *Lacte manans et melle* a S. Augustino laudatur, ac *deliciae* dictus est *pietatis antiquae*. Operum S. Paulini absòlutissima editio (cujus vestigiis institit *Patrolog.* apud *Migne* T. LXI) Veronensis fuit anni MDCCXXXVI eruditiss. Muratorii et Maffei curâ. Vitam S. Ambrosii et sex de S. Martino Turon. libros, non Paulinus hic noster, ut ferebatur, sed Mediolan. Presbyter ejusdem nominis scripsit.

saepe mentionem fecimus, viri bene religiosi, ac per omnia mente et opere egregii: quam et alter ante illum vir habuerat uxorem, princeps videlicet Australium Girviorum (*a*), vocabulo Tonbert: sed illo post modicum temporis, ex quo eam accepit, defuncto, data est regi praefato. Cujus consortio cum uteretur duodecim annis, perpetua tamen mansit virginitatis integritate gloriosa, sicut mihimet sciscitanti (cum hoc, an ita esset, quibusdam venisset in dubium) beatae memoriae Wilfridus Episcopus referebat, dicens se testem virginitatis ejus esse certissimum, adeo ut Egfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si reginae posset persuadere ejus uti connubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere. Nec diffidendum est, nostra etiam aetate fieri potuisse, quod aevo praecedente aliquoties factum fideles historiae narrant, donante uno eodemque Domino, qui se nobiscum usque in finem seculi manere pollicetur. Nam etiam signum divini miraculi, quo ejusdem foeminae sepulta caro corrumpi non potuit, indicio est, quod a virili contactu incorrupta perduraverit. Quae multum diu regem postulans, ut seculi curas relinquere, atque in monasterio tantum vero regi Christo servire permitteretur, ubi vix aliquando impetravit, intravit monasterium S. Ebbae Abbatissae, quae erat amita Egfridi regis, positum in loco, quem Coludi urbem nominant, accepto velamine sanctimonialis habitus a praefato antistite Wilfrido.

§ **2**. Post annum vero ipsa facta est Abbatissa in regione quae vocatur Elge: ubi constructo monasterio, virginum Deo devotarum perplurium mater virgo et exemplis vitae coelestis esse coepit, et monitis. De qua ferunt, quia ex quo monasterium petiit, nunquam lineis, sed solum laneis vestimentis uti voluerit, raroque in calidis balneis, praeter imminentibus solemniis majoribus, verbi gratiâ, Paschae, Pentecostes, Epiphaniae, lavari voluerit, et tunc novissima omnium, lotis prius suo suarumque ministrarum obsequio caeteris, quae ibi essent, famulabus Christi. Raro etiam, praeter majora solemnia vel arctiorem necessitatem, plus quam semel per diem manducaverit semper, si non infirmitas gravior prohibuisset. Ex tempore matutinae synaxeos usque ad ortum diei, in ecclesia precibus intenta perstiterit. Sunt etiam, qui dicunt, quod per prophetiae spiritum, et pestilentiam, qua ipsa esset moritura, praedixerit, et numerum quoque eorum, qui de suo monasterio hoc essent de mundo rapiendi, palam cunctis praesentibus intimaverit. Rapta est autem ad Dominum in medio suorum post annos septem, ex quo Abbatissae gradum susceperat: et aeque, ut ipsa jusserat, non alibi quam in medio eorum juxta ordinem, quo transierat, ligneo in locello sepulta.

§ **3**. Cui successit in ministerium Abbatissae soror ejus Sexburga,

(*a*) *Australes Girvii* occupabant ditiones in Huntingdonensi et Northamptonensi agris cum Insula *Ely* dicta ab *Eels*, angl. *anguilla*.

quam habuerat in conjugem Earconbertus rex Cantuariorum: et cum sexdecim annos esset sepulta, placuit eidem sorori Abbatissae levari ossa ejus, et in locello novo posita, in ecclesiam transferri. Jussitque quosdam e fratribus quaerere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent. Qui ascensa navi (ipsa enim regio Elge, undique est aquis et paludibus circumdata, neque lapides majores habet) venerunt ad civitatulam quamdam desolatam, non procul inde sitam, quae linguâ Anglorum Grandacestir vocatur, et mox invenerunt juxta muros civitatis locellum, de marmore albo pulcherrime factum, operculo quoque similis lapidis aptissime tectum. Unde intelligentes a Domino suum iter esse prosperatum, grates agentes, retulerunt ad monasterium. Cumque corpus sacrae virginis ac sponsae Christi aperto sepulcro esset prolatum in lucem, ita incorruptum inventum est, ac si eodem die fuisset defuncta, sive humo condita: sicut et praefatus antistes Wilfridus, et multi alii, qui novere, testantur. Sed certiori notitiâ medicus Cinfridus, qui et morienti illi, et elevatae de tumulo adfuit, referre erat solitus, quod illa infirmata, habuerat tumorem maximum sub maxilla: et jusserunt me, inquit, incidere tumorem illum, ut efflueret noxius humor, qui inerat. Quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto levius habere, ita ut multi putarent, quod sanari posset a languore. Tertia autem die prioribus aggravata doloribus, et rapta confestim de mundo, dolorem omnem ac mortem perpetua salute ac vitâ mutavit.

§ 4. Cumque post tam multos annos elevanda essent ossa de sepulcro, et extento dèsuper papilione, omnis congregatio, hinc fratrum, inde sororum psallens circumstaret, ipsa autem Abbatissa intus cum paucis ossa elevatura et delatura intrasset, repente audivimus Abbatissam intus clara voce proclamare: Sit gloria nomini Domini. Nec multo post clamaverunt me intro, reserato ostio papilionis, vidique elevatum de tumulo et positum in lectulo corpus sacrae Deo virginis, quasi dormientis simile. Sed et discooperto vultus indumento, monstraverunt mihi etiam vulnus incisurae, quod feceram, curatum, ita ut mirum in modum pro aperto et hiante vulnere, cum quo sepulta erat, tenuissima tunc cicatricis vestigia apparerent. Sed et linteamina omnia, quibus involutum erat corpus, integra apparuerunt, et ita nova, ut ipso die viderentur castis ejus membris esse circumdata. Ferunt autem, quia cum praefato tumore ac dolore maxillae sive colli premeretur, multum delectata sit hoc genere infirmitatis, ac solita dicere: « Scio certissime, quia merito in collo pondus languoris porto, in quo juvenculam memini me supervacua monilium pondera portare: et credo, quod ideo me superna pietas dolore colli voluit gravari, ut sic absolvat a reatu supervacuae levitatis, dum mihi nunc pro auro et margaritis, de collo rubor tumoris ardorque promineat. »

§ 5. Contigit autem tactu indumentorum eorundem, et daemonia ab obsessis fugata corporibus, et infirmitates alias aliquoties esse curatas: et loculum, in quo primo sepulta est, nonnullis oculos dolentibus saluti fuisse perhibent: qui cum suum caput eidem loculo apponentes orassent, mox doloris sive caliginis incommodum ab oculis amoverent. Laverunt igitur virginis corpus, et novis indutum vestibus intulerunt in ecclesiam, atque in eo quod allatum erat sarcophago posuerunt, ubi usque hodie in magna veneratione habetur. Mirum vero in modum ita aptum corpori virginis sarcophagum inventum est, ac si ei specialiter praeparatum fuisset: et locus quoque capitis seorsum fabrefactus, ad mensuram capitis illius aptissime figuratus apparuit. Est autem Elge in provincia Orientalium Anglorum regio familiarum circiter sexcentarum, in similitudinem insulae vel paludibus (ut diximus) circumdata, vel aquis. Unde et a copia anguillarum, quae in eisdem paludibus capiuntur, nomen accepit, ubi monasterium habere desideravit memorata Christi famula, quoniam de provincia eorundem Orientalium Anglorum ipsa, ut praefati sumus, carnis originem duxerat.

DE NATALI

S. JOANNIS BAPTISTAE

PRAECURSORIS DOM. PROPHETAE ET MARTYRIS

ORATIO B. THEODORI STUDITAE
APUD SIM. METAPHRASTEN.

§ 1. Si vocali alicui lusciniae, quae verno tempore pulchre resonat, nostra esset similis oratio, inveniret fortasse, quemadmodum posset parumper laudare magnam illam vocem veritatis, quae hodierno die nascitur. Cum sit autem voce admodum gracili et impedita, quomodo laudabit magnum decus Prophetarum? quomodo celebrabit eximiam Apostolorum gloriam? quomodo glorificabit novum et admirandum ornamentum martyrum? Porro autem hoc quoque est mihi considerandum, quod in aliis quidem sanctis tractavit alter alterius encomia: ejus autem, qui nunc laudatur, ante alios ipse Christus Deus, qui est ipsa veritas. Dicit enim: *Major Joanne Baptistâ non surrexit inter natos mulierum* (*Ex Matth.* XI). Quoniam ergo sunt tantae laudes magni Praecursoris, ut vel summa dicendi facultas eas assequi nequeat, numquid ei deerit nostra orationis brevitas, studiosi auditores? Absit: sed servile reddentes debitum, et jussum implentes spiritalem,

et tanquam qui simus sanctificandi ex sola Praecursoris commemoratione nostram ostendemus audaciam.

§ 2. Agedum ergo diem festum deinceps celebremus, ad natalem honorandum conveniamus frequenti multitudine, non solum accolae, sed etiam universa regio quae est circa Jordanem. Videamus pulcherrimum hoc, novum et inauditum mysterium. Videamus quod fit admirabiliter et praeter opinionem. Zachariam mente consideremus: res quoque Elizabethae rursus confiteamur. Non ex obscuris itaque parentibus, ut vel ex hoc maximus ostendatur Praecursor: sed vel ex valde claris et insignibus originem habuit. Nam alter quidem erat Aaron, propter canos et dignitatem, veste indutus sacerdotali, pectorali, inquam, et superhumerali, talari cincinnata tunicâ, cidari et zonâ, quae ex auro, et gemmis, et hyacintho, et bysso erant variata; et sic ingrediens in sancta sanctorum in vice sacrificandi.

§ 3. Mater autem Sarae gloriâ aequalis, vel potius superior, ut quae esset propinquitate conjuncta Dei Matri. Ex sterilitate enim gignit per promissionem, non Isaac, qui fuit vocatus Dei servus, sed Joannem, qui fuit appellatus Domini verus et germanus amicus. O sterilem uterum, qui talem concepisti filium. O terram infrugiferam, quae talem spicam produxisti. Quocirca non est dubitandum, illud Isaiae, cujus vox est altissima, ad eam quoque novo quodam modo èloqui: *Laetare sterilis quae non paris, erumpe et clama, quae non parturis:* quod produxisti lilium castitatis, rosam spiritalis fragrantiae, pratum bonorum feracis continentiae, interdium lucentem facem Christi adventus, Joannem a Deo electum, militem regni coelestis, optimum Christi Ecclesiae prònubum, silentio non mandandum testem ejus quae vere est veritatis: Joannem canòrum praecònem poenitentiae ejus qui in corpore est Angelus Domini: indicatorem Agni qui tollit peccatum mundi.

§ 4. Neque vero potuerim ejus complecti dignitatem, etiamsi plura nomina fuero complexus vocationis. Multa enim habet nomina, et plures causas, qui id, quod est maximum, est sortitus praeter omnes christos Domini. Atque honoratur quidem Isaaci quoque antiqui parentis natalis, quem cum concepisset Sara, et peperisset filium in senectute, haec ait: *Quis annunciabit Abrahae, quod Sara lactat filium?* (*Gen.* XXI). Quocirca magnum quoque videtur facere convivium in die ejus ablactationis. Et rursus honoratur natalis Sampsonis, qui Manue erat ipse quoque natus ex promissione, ut qui procederet ex sterili. *Qui*, inquit, *non bibet vinum et siceram, et non còmedet quicquam immundum: et ipse incipiet salvum facere* (*Israël*) *ex manu alienigenarum* (*Ex Judic.* XIII). Praeterea autem, ut aliorum natalem praetermittam, Samuelis quoque honoratur natalis qui ea, quae erant, ante videbat, quem peperit celeberrima Anna marito suo Elcanae, dedicatum Deo ab

infantia. Sed non assecuti sunt, Joannis magnitudinem: quoniam alii quidem fuerunt ante legem scriptam, alii vero post legem. Joannes autem filius Zachariae sacerdotis et Elizabethae admirabilis, exortus est flos praecedens Christi adventum, in medio legis et gratiae apparens. Praeluxit enim Lucifer, significans ortum Solis justitiae. Praecessit miles, significans adventum Regis omnium. Venit Paranymphus, indicaturus adesse sponsum. Et alii quidem aliquandiu postquam nati essent, aut prophetarunt, aut alia fecerunt miracula. Hic autem cum adhuc ferretur in utero, repletus fuit sancto Spiritu, extitit effector rerum admirabilium.

§ **5**. Mihi ergo videtur id esse ejusmodi, ut tanquam in similitudine, praecursoris ostendam magnificentiam. Quomodo ergo Rex aliquis regaliter procèdens ex Regia, habet quidem primum praecedentes quosdam, qui ferunt virgas, et quosdam, qui sceptra gestant: deinde Consules, Praesides et Ductores ordinum: postremum autem, quemdam majori dignitate praeditum, post quem statim Rex appàret, nullo interjecto, resplendens auro et gemmis perlucidis: sic mihi cogita etiam in vero et solo universorum Rege Christo Deo nostro. Eo enim per carnem ingressuro in orbem terrarum, praecesserunt quidem patriarchae, utpote Abraham, Isaac et Jacob, deinde Moyses Dei interpres, et Aaron, et Samuel, et universa turba Prophetarum: ultimus enim extitit manifestus Joannes. Et statim Christus Dominus, de quo dicit: *Qui post me venit ante me factus est, quia prior me erat* (*Joan.* I). Et qui erat ultimus ordine, major dignitate extitit proportione. Sic ergo et Prophetis, et Apostolis, et aliis omnibus revera prior est magnus Praecursor, illis quidem, ut sequens: his vero, ut praecedens.

§ **6**. Verum enimvero Evangelicam explicantes historiam, audiamus quae a Gabriele annunciantur Zachariae. *Visus est ei*, inquit, *Angelus Domini stans a dextris altaris incensi: et conturbatus est Zacharias cum vidisset, et timor irruit super ipsum* (*Ex Luc.* I). Quam terribilis etiam visio Angelica, et quam in loco terribili apparuit? Quam terribilis, inquit, est locus iste? Nihil est hoc nisi domus Dei. Nec est mirum, si cum esset justus sacerdos, conturbatus est; et timor irruit super ipsum: cum Daniel quoque, *vir desideriorum* (*Dan.* VIII), cum vidisset, stupore est affectus, et in faciem cecidit, et ore hianti mansit attonitus, propter Angelicae excellentiae splendorem incomparabilem. Visus est ei, inquit, Angelus Domini. Quid ad haec nobis dicunt semichristiani, qui non admittunt imagines? Si ab homine visus est Angelus, omnino habuit imaginem, et non aliam, quam in qua visus est. Visus est autem in ea forma, in qua Moysi prius in monte Sina in figura ostensa sunt Cherubin, quae erant circa propitiatorium. Si autem id quod est incorporeum, et quod caret figurâ, eâ quae fuit ostensa figurâ, circumscribitur, quomodo id, quod est corporeum et figuratum, et quod colori et tactui subjicitur, et tres suscipit dimensiones,

imagine non repraesentabimus, ad evidentem demonstrationem ab eo susceptae carnis, quae visione non potest apprehendi?

§ 7. Neque vero putent stulti, nos divinitatem in hoc circumscribere, quae neque verbis exprimi, neque comprehendi potest, cujus nulla est positura, nulla figura, nullus locus, nulla quantitas, nulla qualitas, non aliquid aliud ex iis quae sunt intra fines circumscriptionis, propterea quod sit infinita et non potest comprehendi. Nam hic quoque ejus, qui est homo, solummodo effingentes imaginem, non materiae expertem et informem animam una omnino effingimus. Non enim contingit: sed utrique convenienter attribuimus ea quae sunt ejus propria: ei, quod circumscribi non potest, id, quod non potest circumscribi: et, ei, quod potest circumscribi, id, quod circumscribi potest: sicut verbum ostendit veritatis.

§ 8. Revertamur autem rursus ad propositum. Dixit autem ei Angelus: *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium* (*Lucae* I, 13). O desideratum, qui a Deo praebetur, jussum. O valde optandam, quae affertur ab Angelo, promissionem. Assecutus est id, quod optaverat: obtinuit id, quod rogabat: invenit id, quod quaerebat, ut tolleretur sterilitas, et pulchram haberet prolem, non consequentiâ naturae, sed precibus. Non enim maledicti erat poena sterilitas: absit, sed magni mysterii significatio. Nam cum Zacharias esset frequentibus ad Deum intentus precibus, ut solveretur sterilitas, arbitror eum fortasse haec audivisse. Non est perfectum tempus, nondum venerunt dies adventus. Tunc, o Zacharia, spera fore, ut liberos suscipias, quando venerit expectatio gentium. Tunc, expecta sterilitatem foecundari, quando venerit spes omnium finium terrae. Postquam venit tempus: Accipe, inquit, id quod est tibi cordi per Gabrielis praedictionem: renovare tanquam aquila juventute. Cognosce, inquit, conjugem: exaudita est enim tua deprecatio: *et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.* Cognosce etiam nomen, quo vocabitur, vel ex ipsa etymologia tibi procedere ex alto.

§ 9. Dixit autem Zacharias Angelo (deinceps enim cum eo tanquam cum conservo libere loquitur): *Quomodo hoc cognoscam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis* (*Ibid.*). Atque prompta quidem et paterna demonstratio sacerdotem facit reum incredulitatis. Praesens autem sermo non se submittens, sed procedens tanquam ad examinationem, dicit eo modo fuisse affectum Zachariam, quo magnus Thomas. Non enim erat consentaneum, eum hoc ignorasse, cum esset Propheta, et in rebus divinis eruditus, posse Deum vel ipsam naturam innovare, et ex sene juvenem efficere, et ea reddere facilia quae videntur nullo modo posse fieri, ut in Abrahamo et Sara, sicut in Sunamitide, et in aliis ejus variis et omne genus miraculis. Sed quoniam

magnarum, et quae sunt praeter opinionem, expectationum promissiones si repente audiantur, solent aliquo modo conturbare animum, non ad incredulitatem, ut arbitror, differens, sed festinans ad perfectionem, statim veluti captus a voluptate, exclamat et dicit: Quomodo hoc cognoscam? Ne me deceperis, ne me fefelleris: da mihi signum, praebe mihi pignus, ut Deus olim Abrahae, ad hoc quod ipse esset pater multarum gentium, et egrederentur Reges ex ejus lumbis, signum circumcisionis: et sicut antea Noë, quod non induceret diluvium super terram, arcum qui est in nube: Et Moysi virgam in serpentem conversam, et cito restitutam, ad hoc ut crederent Aegyptii, quod, Qui est, ei apparuerit.

§ **10**. Respondens autem ei, dicit Angelus: *Ecce eris tacens, et non poteris loqui, propterea quia non credidisti verbis meis*. Adjiciendum est, tacite et absolute, et citra examinationem. Accepit signum Zacharias rei conveniens: nempe sermone soluto silentium, quod ad vivum sermonem, et qui consistit, est ei parendum: et complicatis labris, vocibus quae audiri non poterant, laudavit datorem partus. Egressus enim, inquit, non poterat loqui, et cognoverunt, quod vidisset visionem in templo. Et ipse erat annuens illis, et permansit mutus: partim quidem, ne interrogaretur, utpote quod sustinendum non esset, ut audiretur visio: partim autem, ut qui quodammodo excessisset ex sensibus, et totus seipsum convertens ad id quod visum fuerat, mutus esset, inanibus et aërem temere verberantibus sermonibus. Par autem fortasse fuerit, eum utpote Prophetae patrem, hic quoque opus significare prophetiae. Et hoc fortasse est cessatio legalis cultus ad eam quae fit in gratia, prolationem per exortum Joannis.

§ **11**. His ergo praetermissis quae intercedunt, ut quae neque ad diem pertineant, neque ea possint vires nostrae assequi, veniamus rursus ad institutum. *Et factum est,* inquit, *ut audivit salutationem Mariae Elizabeth, exultavit infans in utero ejus* (*Ibid. v.* 41). O Joannes felix infans, foetus qui sopiri non potes. Qui es in utero, quomodo es in mundo? Qui nondum es perfectus, quomodo es plenissimus? Qui es semestris, quomodo multum habes tempus? Qui non potes cogitatione percipere, quomodo es prudentissimus? Qui loqui non potes, quomodo bene lòqueris? Dic nobis, dic, quomodo cum contineariis in tenebroso loco uteri matris, nondum videndi facultatem exerceas, auditus sonum nondum admittas, vocalem sermonem nondum emittas, ambulandi motus nondum sis particeps, ridendi proprietatem nondum exercueris: quomodo intuèris? quomodo audis? quomodo res divinas contemplaris? quomodo exilis et exultas? Responde, responde nobis, o vir optime. Magnum est, inquit, quod peragitur mysterium, et actus est ab humana remotus comprehensione. Merito innovo naturam propter eum qui est innovaturus ea quae

sunt supra naturam. Video, etsi sim adhuc in utero, quoniam in utero gestari video solem justitiae. Auribus percipio, quoniam audio, ut qui nascar vox magni Verbi. Exclamo, quoniam filium patris unigenitum considero esse carne indutum. Exulto, quoniam universi effectorem video formam hominis suscipere. Exilio, inquit, quoniam mundi Redemptorem cogito corporatum. Principium, vobis significo Dei in mundum ingressus, et adventus corporei. Praecurro adventum, et quodammodo vobis praeeo confessione. Accipite psalmum, ut dicam Davidice, et tympanum Prophetice, *Psalterium jucundum cum cithara, Cantate ei, et psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus.* Numquid ergo, o Joannes, super terrena ascendisti, ad coelestia provectus es, Angelicos et primo operantes ornatus transcendisti? Quomodo ergo quorum naturam non apprehendisti, eorum es sortitus ordinem et dignitatem? et quod eis est a seculo obscurum, et quod minime didicerunt, statim, tanquam post Deum, trajecisti, et nobis annunciasti, idque cum adhuc esses in matris visceribus?

§ **12**. Non volavi, inquit, per aërem, non pervasi nubes, non superavi coelos, non transcendi flammeas et incorporeas virtutes: ne hoc existimetis: sed qui supra omnia, et in sinu Patris manet cum Sancto Spiritu, nescientibus aliis igneis ejus ministris, tanquam aliud coelum ingressus, in utero semper virginis Mariae seipsum patefecit, et haec mihi talia exposuit mysteria. Sum ergo pueri index, quod scilicet filius nobis nascitur, et filius datus est nobis (ut magnus dicit Isaias) qui quidem est ante secula. Sum natus ex sterili, quoniam prodibit foetus Virginis.

§ **13**. O opus magnificum, et supernaturale. O prodigium admirabile, et quod omnem superat opinionem. Qualia nobis infans nondum natus annunciat? Quanta nobis foetus Elizabeticus divine significavit? Exiliat tota quae est sub Sole, regio: choros agat Ecclesia, festi praeludia, et natalis Christi ingressum celebrans: et laetitiâ impleantur universa, suscipientia Indicem adventus Regis universorum. Sed, o beate Joannes, qui maximorum es Propheta maximus, qui es primorum primus inter Apostolos, qui es Martyrum Martyr excellentissimus, qui es solitudinis a Deo ordinatus patronus, qui speciosissimi sponsi es amicus dilectus, qui lucis quae dici non potest, es parata lucerna, cui Agni inculpati fuit creditum praeconium, qui paternae vocis es optimus auditor, qui praedicatus fuisti Baptista Christi, qui Herodis libidinis liber fuisti reprehensor, qui iis qui erant apud inferos vitam praesignificasti, qui Deum significans fuisti tuba orbis terrarum: nunc quoque nobis sonum ede coelitus sacratissimis intercessionibus, et esto propitius populo tibi decantanti, et minimo tuo gregi, cum excellente tuo Patre, condonans rursus hoc audax mei miseri inceptum, ut quod non sit munus oblatum, sed tanquam inutilis servi, quod tibi offertur, debitum cum tributo et desiderio: In Christo Jesu Domino nostro.

EJUSD. VENER. PRAECURSORIS DOM.

ENCOMIUM PER S. JOAN. CHRYSOSTOMUM

HABETUR IN METAPHRASTE.

§ 1. Festi celebrandi et publicae laetitiae dies est opportunus, in quo mihi revocatum est in memoriam Gabrielis ministerium, et Zachariae sacerdotium. Nuper enim audivisti Evangelistam dicentem, Quod Zachariae obtigerat, ut suffiret ingressus in templum Dei: Et universa multitudo expectabat extra templum hora suffitus. Et visus est ei angelus Domini stans a dextris altaris suffitus. Et conturbatus est videns Zacharias, et timor irruit super ipsum. Ei autem dixit Angelus: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Ejicit metum, et ejus loco injicit desiderium. Nam cum dixisset, Ne timeas: non tacuit, sed etiam precationis lucrum significavit (exaudita est enim, inquit, deprecatio tua). Quodnam? Leviticae tribus augumentum. *Et ecce uxor tua Elizabeth pariet filium, et vocabis nomen ejus Joannem.*

§ 2. O admirabile et mysticum miraculum. Merito Zacharias ratiocinando et cogitando impeditus, repugnavit Angelo. Aliud enim rogabat, et aliud accepit. Pro populo precabatur, et nominabatur pater filii. Quaerebat veniam peccatorum, et uteri sterilis accepit promissionem. Maluisset Zacharia curari animas infidelium, quam intumescere uterum Elizabethae. Merito ergo fuit conturbatus. Erat enim homo serviens mutationi, etiamsi esset praeditus dignitate sacerdotali. Deinde etiam apud se cogitabat, quaenam esset aliena et admirabilis viri visio: quisnam is esset, qui audaci pede in sacrum templum ascendebat: quis is esset, qui a dextris altaris suffitus astaret, tanquam qui nulli esset peccato affinis.

§ 3. Quis hic est, ajebat, qui alienis et diversis formis circumcirca coruscat, et metu meam comprimit animam? Nunquam ego enim vidi rem tam admirabilem: hominemne alatum, an volucrem humana formâ praeditum? Quid hoc sit, dubito. Mei enim suffitus videtur esse aliquis speculator, et meae intercessioni esse impedimento. Populi multitudo me foris orans expectat, tanquam scribam coelestis Regis, et hic me intus retinet. Per me regi preces offerunt, veniam petentes delictorum: et incertus sum, an possim explere populi desiderium, et meo satisfacere officio: et hic constitit novum mihi afferens nuncium. Cessa deinceps tu, qui me terres. Si enim esses a Deo missus Angelus,

ad ea quae sunt mihi usui, adjumento fuisses, et misertus esses eorum qui foris lacrymantur: affligerèris una cum iis qui affliguntur. Recede hinc, qui me terres: filii nullam duco rationem. Cur mihi significas promissionem? Quid enim lucrifaciet populus, si ego habuero filium? Quaenam ad eos redibit utilitas, si Elizabeth infantem lactaverit? Quid accipient commodi, si ego facultatum haeredem reliquero? Recede ergo, qui me terres, quicumque sis. Sumus jam provectae aetatis: praeteriit tempus cupiditatis: tempus refrigeravit calorem, fructum negavit sterilitas, natura secum agitavit seditionem. Quod ergo non produxit juventus quomodo germinabit senectus?

§ 4. Sed haec quidem animo agitabat et dicebat Zacharias. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas Zacharia, neque conturberis cogitationibus: sum enim Angelus lucis, non tenebrarum. Ego sum Gabriel, unus ex principibus Regis coelestis: jussum affero, non mea jubeo auctoritate: missus sum ad tibi significandum: non autem ad metum tibi incutiendum hanc indui figuram. Ne timeas Zacharia: missus sum ad tibi nunciandum, non autem ad te obstupefaciendum. Profers senectutem, et aetatem non aptam generationi, et matricem quae semen non suscipit. Quis autem, licet velit, generat? Dei est donum, non inventum hominis. Non audivisti Dominum dicentem: Ego sum, qui facio hominem, et fingo spiritum in homine? Non credis Zacharia? Quomodo formatus est Adam? Quomodo creata est Eva? Quomodo genitus est Isaac? Cum audiisset Abraham, non est spe deceptus, et tu sacerdos non credis? Non est impossibile apud Deum omne verbum. Propter senectutem contradicis, o Zacharia, et corpus emortuum plus statuis posse efficere, quam Deum? Si non vidisses Abraham, recte dubitasses. Naturalem profers imbecillitatem, et cum adsit divina promissio, non credis? Qui parva petiisti, magna sumis, et clamas, tanquam qui damnum patiaris? Tu Zacharia oras pro solo populo Judaico: Ego autem hunc bonum tibi affero nuncium, Pertinere salutem ad omnes gentes.

§ 5. Zacharias autem cum haec audiisset, et aspectum parum avertisset, dixit respondens Angelo: Quid dicis, o Angele? Uxor mea pariet? num ego propterea oravi? an suffitum moveo hac de causa: Meo fungens officio, populo bonam spem affero, et peto veniam peccatorum, non solutionem desidero sterilitatis. Volo meam levari synagogam, non praegnantem effici Elizabeth. Rogo, sauciatae ut curentur animae, non ut exiccata ubera lacte fluant. Quid dicis, o Angele? Uxor mea pariet? et quid lucrifacient qui foris precantur? Numquid cum audierint, me obruent lapidibus, dicentes, me non orare pro ipsis et communi salute, sed pro meipso solo, et me non verbum accepisse sed foetum? Nulla mihi res est cum liberorum susceptione. Absit, hoc nolo. Quod precatus sum, non accepi, et nunc mihi significas alia pro aliis.

Filiorum procreationis nullam duco rationem. Non possumus ingredi sine baculo, et jubemur dare operam liberis. Senectus negavit naturam. Non ero frequens in templo ad obeundum ministerium, sed conducam nutricem propter infantem. Nulla mihi res est cum liberorum procreatione. Quaero salutem populi, et gentis felicitatem, et gentium captivitatem, et nostram prosperitatem : non autem pueri fletus et fascias, et nutrimenta puerilia.

§ 6. Horum ego nullam duco rationem. Quomodo enim inveniar pater germani filii? Senectus repellit modum. Ea res est deinceps a natura aliena. Unde hoc sciam? Ecce membra mihi tremunt. Ecce vides amborum senectutem. Ecce aspicis uteri imbecillitatem. Ecce intueris colla nostra in terram inclinata. Totum corpus emarcuit. Nihil expectamus aliud, nisi falcem mortis. Spicae jam sunt maturae ad messem. Unde hoc cognoscam? Si ergo verum omnino dicis, o Angele, da mihi signum arrhae gratiâ, et credam promissioni. Accipio promissionem, si miraculi videam effectionem. Aaron enim non credidisset, nisi virga floruisset. Moyses pro certo et firmo non habuisset, nisi ejus manus fuisset dealbata. Gedeon non intellexisset, nisi ros descendisset in vellus. Ezechias spem abjecisset, nisi sol fuisset impeditus. Da ergo tu quoque signum, et saltabo juveniliter. Da signum, ne Elizabeth profuse rideat, sicut Sara. Unde hoc sciam, Archangele, qui haec significas? Quid mihi dicis nomen infantis, et ejus, qui non adest, virtutes enumeras? Ostende mihi quod est supra naturam, ut credam quod est praeter naturam. Si coeli convexum in partem convertatur contrariam, ego quoque renovabor. Si mare suscipiat dimensionem, Elizabeth quoque pariet. Si sol comprehendatur, sicca quoque ubera lacte fluent. *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex et uxor mea processit in diebus suis* (*Lucae* I, 18).

§ 7. Angelus autem dicit Zachariae: Non credis Deo omnipotenti? Nescis Deum posse omnia? statuis Domini promissionem esse infirmam et instabilem? Eum qui bonum affert tibi nuncium, non verèris examinare ac percontari? Unde hoc sciam, dicis, o Zacharia? Num te mittam in Aegyptum, ut terrore afficias Pharaonem? Nihil facit Deus supra naturam? Quaeris naturae consequentiam, non divinitatis effectionem admirabilem? Dic enim mihi: Ubinam fixae sunt ignis columnae. Coeli moles ubinam est collocata? Ubinam inveniuntur nubium cubilia? Pluviae autem gutte ubinam contexuntur? Nivis vero cespites ubinam excinduntur? Solis currus qui est auriga? Lunae decremento quis imponit terminum? Furens mare quomodo reveretur arenam? Tenebrae caliginis quomodo contexuntur? *Unde*, inquis, *hoc sciam? Eris*, inquit, *tacens, et non poteris loqui* (*Ibid.* 20).

§ 8. O benignum supplicium, quod effecit potius correctionem. Angelus enim castigat ipsam vocem quae lapsa fuerat : refrènat ipsam linguam quae fuerat audacior. *Erat* enim, inquit,

innuens illis, et permansit mutus. Pulchre Evangelista conscripsit illud, *Permansit.* Permansit enim silentium, expectans vocem quae nascebatur, Zacharias Joannem, senex infantem, sacerdos Prophetam, cum dicit Angelus: Quoniam tanquam incredulus a Deo signum quaeris in propriis membris porta signum, quod te castìget. *Eris enim tacens, et non poteris loqui usque ad diem, quo haec fiant.* Ubi est audacia temeritatis, illic est frenum disciplinae: Ubi calcitravit contumelia, illic poenae pronunciatur sententia. Volebat quidem Deus, o Zacharia, te fieri praeconem talis miraculi: quoniam autem corporis imbecillitatem duxisti esse firmiorem ac stabiliorem promissione Domini, *eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo haec fiant: propterea quod non credidisti verbis meis quae quidem implebuntur tempore suo* (*Ibid.* 20). Vides nihil summum ac perfectum effici sine fide?

§ **9**. Solum autem audivit Zacharias haec verba, et statim egressus est ex templo, sermonis privationem ferens mercedem incredulitatis. O miraculum. Ingressus est ut alios liberaret, et ipse exiit condemnatus. Thuribulum ferens ad ministrandum, circumferebat titulum auxilii. Populus expectabat, ut aliquid boni ab eo audiret, ille autem annuebat: Nemo mihi appropinquet, nemo me interroget: fero horrorem Dominicae iracundiae. O res admirabiles, et quae sunt praeter opinionem. Zacharias mutus redditur, et veluti camo constringitur: Elizabeth autem opipare convivatur. Lingua obtunditur, et uterus inflatur. Quae diserta erat lingua, sterilis efficitur: et quae erat infertilis, mater redditur. Vox frenatur, et mulier liberatur. Zacharias silet, et Joannes exilit. Solum enim vidit sterilis Virginem, et Solem animadvertit Lucifer, et valde exiliit Joannes in materno utero, accusans naturae tarditatem. Domini, inquit, sum servus, non teneor iisdem legibus, quibus conservi. Non expectabo quoad patiar, ut Praecursor sim. Ne dominae partus praeveniat servum, qui parturiendi doloribus in utero involvitur. Ne sit naturae consequentia ordinis transgressio. Agnovi enim qui me praemisit, ut ambularem ante ejus faciem, ad parandam viam ejus ante ipsum. Labefacto vincula naturae: propero enim praedicare.

§ **10**. O res admirabiles, et quae superant opinionem. Quae in coelo ignoraverunt Angeli, cognovit Joannes qui gestabatur in utero. Thronos latuit, et eum, qui erat in matrice, minime praeteriit. Celavit Dominationes, et ei, qui erat in ventre, revelavit mysterium susceptae carnis oeconomiae: et quem venit Archangelus ferens bonum nuncium, is eum narravit in utero. Nam cum ad nos advenisset, sicut modo audivisti, Redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Joannem, dum adhuc esset in utero, et licebat videre figulum lutum salutantem, Regem habitantem in tabernaculo militis, Dominum qui venerat in servi domunculam.

§ 11. Quem cum ex matrice in matrice aspexisset Joannes, terminos naturae concutiens, exclamat: Video Dominum, qui naturae imposuit terminos, et non expecto tempus nascendi. Novem mensium enim tempus in utero non est mihi necessarium. In me est enim, qui est aeternus. Egrediar ex hoc tenebroso tabernaculo, rerum admirabilium compendiosam praedicabo cognitionem. Sum signaculum, significabo Christi adventum. Sum tuba, proferam filii Dei in carne oeconomiam. Tuba canam, et eoipso paternae linguae benedicam, et eam traham, ut loquatur. Tuba canam, et uterum maternum vivificabo.

§ 12. Vides, o dilecte, quam sit novum et admirabile mysterium. Nondum nascitur, et saltibus loquitur: nondum appàret, et minas intentat. Nondum ei permittitur clamare, et per facta auditur. Nondum discit vitam, et Deum praedicat. Nondum aspicit lucem, et solem indicat. Nondum paritur, et properat praecurrere. Non fert enim praesente Domino contineri, non sustinet naturae expectare terminos: sed contendit rumpere carcerem ventris, et studet praesignificare venientem Salvatorem. Accessit, inquit, qui solvit vincula: et quid ego sedeo vinctus, et retineor, ut maneam? Venit verbum, ut omnia constituat: et ego adhuc maneo detentus? Exibo, praecurram, et praedicabo omnibus, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*. Et haec quidem Joannes.

§ 13. *Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium: et audierunt vicini et cognati ejus, et gratulabantur ei*. Cur autem peperit et genuit? Quod illud quidem est opus naturae, hoc vero supra naturam: quando quidem peperit quidem, ut mulier: sed supervenit gratia sancti Spiritus, et genuit supra naturam. Aliud enim est naturae opus, aliud gratiae. Erat enim miraculum, quod fiebat ab Joanne, et non tantum habebat paterni generis, quantum Dei verbi. Hoc autem significabat Archangelus Gabriel, dicens Zachariae: Ecce uxor tua pariet filium, *et Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suae, et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae* (*Lucae* I, 15 *et* 16).

§ 14. Quoniam ergo est admirabilis naturae ortus infantis, et Zacharias quidem non credidit, Elizabeth autem non dubitavit, tarde genitum praeter spem habens filium, ea de causa dicitur pàrere et gignere: illud quidem propter naturam, hoc vero propter fidem. Qui enim gignit, sicut prius dixi, gignit cum laetitia: quae autem parit, parit in doloribus. Quaenam vero tristitia fuit in Elizabeth, ubi aderat sanctus Spiritus? non erat autem obstetricis circumcursatio, nec gratiae tumor onus extendens, miserabilem efficiebat laborem, si conferatur cum laetitia. Non enim postquam fuit natus, et ad virilem pervenit aetatem, gratiam accepit Joannes: sed ex ipso materno utero amictus veste sanctificationis, praeter opinionem procedit, tanquam miles, admirabiliter:

sicut dicit Angelus: Spiritu Sancto ex utero matris suae implebitur: et ipse praecedet ante ipsum in spiritu et virtute Eliae. Ante quem praecedet? ante Dominum Christum. Et ideo appellatur etiam Praecursor, ut licet ipsum audire Joannem dicentem: « Venit post me vir, qui ante me factus est. » Post me, propter tempus: Ante me, propter thronum. Cur ergo in spiritu et virtute Eliae dixit Gabriel praecedere Joannem? Audi prudenter: Elias Deus exponitur.

§ **15**. Quoniam ergo Joannes Deum habebat in seipso, impletus est Spiritu Sancto ab utero matris. Spiritus autem Deus est. De eo enim multis ante annis dixit Dominus: *Ecce mitto Angelum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te, et multos convertet ab errore ad veritatem* (*Ex Malach*. III). Ea de causa in spiritu et virtute Eliae Joannes praecedit Dominum. Quinetiam invenies Joannem habere multa Eliae similia. Certe infans nascitur, et vox patris revertitur. Interrogatus enim, inquit, Zacharias, quo nomine vellet vocari puerum, petiit pugillarem, et scripsit, dicens: *Joannes est nomen ejus*. Qui non credidit verbis Angeli, nunc necesse habuit scriptis praedicare visionem. Qui tunc auditione non acceperat ea, quae dicta fuerant: nunc ea, quae fiunt, manu constituit. Quamobrem, inquit, *mirati sunt universi*. Statim enim *apertum fuit os ejus, et solutum est vinculum linguae ejus, et locutus est, Deo benedicens* (*Ex Lucae* I, 63, 64).

§ **16**. O novum et alienum miraculum. Nomen scribitur, et os patris, quod loqui non poterat, aperitur. Joannes vocatur, et ejus, qui vocat, lingua componitur ac concinnatur. Vides nos non aberrasse, cum diximus praesentem expositionem esse ejusmodi, ut ei nihil possit objici? Ecce enim ipsum justi nomen, et os aperit silentii, et excitat linguam ad movendum difficilem. Sic enim ostenditur vox clamans Joannis, quoniam ipsum quoque nomen fit vocis operatio. Ego enim, inquit, sum *vox clamantis in deserto* (*Lucae* III)*: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. O miraculum. In populo versatur Verbum, et Vox praedicat. Dominus venit, et servus prius mittitur. Rex accedit, et miles praeparatur. Gaudeamus ergo hodie, et laetemur, et exultemus, quod Elizabeth peperit, et Zacharias est locutus: quod sterilis peperit, et senex clamavit: quod quaesitus est pugillaris, et soluta est lingua sacerdotalis: quod Joannes processit, et vox est reversa: quod natus est Praecursor, et totus mundus est laetatus.

§ **17**. Sed hic quidem oportebat finire orationem: et Zacharias non concedit, clamans: *Benedictus Dominus, quoniam visitavit et fecit redemptionem plebis suae*. O res admirabiles. Quid dicit Zacharias? Primam vocem post resurrectionem exclamavit Zacharias, Benedictus Dominus. Quid ergo? Mortuus est Zacharias, quod surrexit? Non mortus est, inquit, sed quiddam mortis instar sustinuit. Tanquam enim sepulcrum tenuit silentium, et fasciis

alligatus fuit, hoc est, linguae vinculis. Vitam egit interea non exercens sacerdotium, et luctum sustinuit populi tristitiam. Rogante enim sacerdote pro iis qui sunt in luctu, omnes, pro quibus interceditur, consequuntur misericordiam. Hanc ergo primam exclamavit vocem post figuratam resurrectionem: Benedictus Dominus Deus Israël.

§ 18. Ergo nos quoque hanc vocem consequentes, bonum Deum nostrum benedicentes, eum glorificemus, et per bonos mores et bona opera eum colamus, ut bona quoque aeterna consequamur. Quae liceat nobis omnibus consequi, gratiâ et clementiâ Domini nostri Jesu Christi: Quoniam eum decet gloria, honor et adoratio cum principii experte ejus Patre, et cum sanctissimo et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

ITEM IN NATALI S. PRAECURS. BAPT.

ALIA ORATIO S. JOANN. CHRYSOST.

APUD METAPHRASTEN.

§ 1. Benedictus Deus. Ecce enim rebus ipsis ostensae sunt salutationes Joannis, quae fiebant in utero. Processerunt justi boni nuncii, qui afferebantur pedibus. Venit gratia, quam, cum in utero esset, significavit. Novit mundus exultationem, quam Praecursor in alvo descripsit pedibus. Revera alii laborarunt, et vos ingressi estis in ipsum laborem. Proclamabant Prophetae, dum expellebantur. Non silebant justi, dum verberabantur. Periclitabatur catalogus Prophetarum. Resistebant tyranni. Reges bellum gerebant. Principes stabant in acie. Populi irâ concitabantur. Totus mundus adversabatur justorum certaminibus. Ubi producebantur ad tribunalia, illic flagris caedebantur. Undique tormenta et supplicia. Undique afflictiones et ejulatus. Undique tristitia et tenebrae. Sed cum essent in tali ac tanta vitae tristitia, annunciabant solutionem tempestatis.

§ 2. Joannes enim ille magnus Praecursor Domini, cum esset adhuc naturae fasciis alligatus, ver nobis ostendit salutare, et studens voce praedicare eum quem significavit pedibus, conatur egredi ipsos naturae terminos: et quae tarde pàreret, agitabat Elizabetham. Saliebat simul chorum ducens, et aegre ferens, quod teneretur in utero. Exclamabat adversus mensium conversionem. Tanquam injustam custodiam quatiebat matris viscera, modum nascendi accusabat, et clausis labris, vociferabatur figuris, talia propèmodum motu dicens Elizabethae: Inique facis, o mater, quae tardas. Prophetam gestas in utero: contines gaudium orbis

terrarum: portas Praecursorem Christi Regis: contines militem Regiae praedicationis: constringis martyrem, et majorem omnibus inter natos mulierum: et impedis velocem cursorem pietatis. Inique facis, o mater: non nosti futura, ignoras ea, quae sunt ventura. Lux venit, solve matutinum. Sol oritur, prius lucebit Lucifer. In foribus lux est, et voce est opus. Prope est sponsus, et justum est, ut thalamus extendatur in Jordane. Opus est sanguine, qui mundum emat: et oportet me Agnum eminus ostendere. Involutum est humanum genus fasciis peccatorum. Venit, qui solvit ligatos. Opus est deinceps praecòne, ut omnes cum resciverint, veniant omnes: et tu in utero retines Praecursorem? Non tibi venit in mentem, o mater, Adam tot secula teneri apud inferos? Non consideras Evae luctus et gemitus? Non intuèris mundi tristitiam, vel potius interitum? Adhuc clamat sanguis Abelis contra Cain interpellans. His ingemiscunt vel ipsa elementa. Propterea enim es liberata a vitio infoecunditatis, ut qui nascetur ex sterili, eum indicet, qui nascetur ex Virgine. Propterea ego in naturae exilio, in exultatione, ut non amplius saltet in mundo diabolus. Talia ergo nondum natus Joannes dicebat Elizabethae.

§ 3. Cum autem ex ipsa processisset et jure majorem suscepisset illuminationem, effecti ostendit effectorem, et figmentis digito ostendit fictorem, magna voce clamans: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*. Sed quomodo illum celebrabo ortum, qui verbis nequit exprimi? Quomodo illa enunciabo, quae mentem superant et rationem? Quamnam suscipiam linguam, quae sufficiat miraculis? Nova est et aliena conceptio: partus sine dolore: spica quae provenit sine cultura: fructus sine semine: alienae naturae partus: ignota generatio: filius qui non habet in terra patrem: narratio quae est revera in vita incomparabilis. Virgo rursus mansit, non prohibuit partus Virginitatem, non corrùpit uterum, non vitium attulit ei quae pepererat. Merito is quoque qui est natus, matri talia praebuit privilegia. Quae enim habuit solus, ea illi quoque soli dedit. Non habuit ipse fratrem ad generationem, neque dedit matri sororem miraculi. O Dei in homines liberalitas et munificentia. Quaenam dona per mulierem consecuta est natura? Unde cepit bellum, illinc Rex pacem conciliavit. Ex quo enim est virgo mater, et mater virgo, cessavit luctus Evae. Filia solvit crimen maternum. Per ipsam enim carne suscepta, Dominus ad nos accessit. Venit autem, ut quae erant tristia mutaret in gaudium. Venit, ut dolore affectam mutaret consuetudinem. Venit, ut inferna pacaret supernis.

§ 4. Audi autem quomodo Illic probro affectus fuerat Paradisus, hic spelunca effecta est gloriosa. Illinc duo, Adam et Eva, expulsi sunt a peccato, hic fines orbis terrae deducti a gratia. Non habemus amplius suspectam exilii exprobrationem: non extimescimus

amplius flammeam romphaeam: non timemus amplius claustra portarum paradisi: non metuimus amplius morsus serpentum: non amplius a ficu accipimus folia: non amplius ad sonum gressus contremiscimus. Quae enim ex Virgine facta est, adoravimus processionem: medicum naturae aspeximus. Quis enim vidit, quis audivit? Quis ex imbecilla radice cognovit unquam effloruisse medicum? Quaenam foemina visa est mater patris proprii? Quaenam eum genuit, qui divina virtute genuerat? Quaenam eum peperit, qui videbatur quidem figmentum, intelligebatur autem esse fictor? Quaenam fuit consecuta, ut haberet filium, et nullum senserit damnum virginitatis?

§ 5. Quid ergo dicis, o Judaee? Quid sensu videris esse infans, cum canis tegaris malitiae? Quid tuos prophetas, vel potius meos frustra legis? Tu enim literas, ego vero res teneo. Tu testamentum, ego haereditatem. Tu in lege gloriaris, ego autem in gratia me magnifice circumspicio. Cur pugnas cum Prophetis? Cur a Deo acceptas et veraces eorum effugis praedictiones? Quam multis ante seculis legisti ea, quae nunc evenerunt? Nesciebas ad homines venire Deum Verbum? Quomodo ergo dixit propheta Jeremias? Hic est Deus noster, non reputabitur alius praeter ipsum. Invenit omnem viam scientiae, et dedit eam Jacob filio suo, et Israël dilecto suo. Postea in terra visus, et cum hominibus conversatus est (*Ex Baruch* III).

§ 6. Sed Virginem, o Judaee, non credis peperisse. Quomodo legisti prophetam Isaiam clamantem: *Ecce virgo* in utero *concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel*, quod est interpretatum *Nobiscum Deus?* Sed quod post partum mansit virgo, hoc quoque didicisti ab Ezechiele. Duxit me, inquit, Angelus, ad portam Orientis, et dixit mihi: Fili hominis, quid tu vides? Et dixi: Video ego portam clausam. Et dixit mihi: Haec est porta: nemo ingredietur per ipsam, neque egredietur nisi Dominus Sabaoth solus. Ipse ingredietur et egredietur, et erit porta clausa (*Ezech.* XLIV). Quinetiam quod qui est omnis creatae naturae Dominus, nascatur in vili loco Bethleem, hoc quoque prius didicisti a propheta Michea, dicente: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam es minima in principibus Juda: Ex te enim mihi exibit Dux, qui pascet populum meum Israël* (*Ex Mich.* v). Tum vero quod Herodes quoque sit infantes occisurus propter Christum, qui non potest comprehendi, ne hoc quidem est praeteritum silentio, sed sic scriptum est: *Vox in Rama audita est: luctus multus et fletus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolationem admittere, quoniam non sunt* (*Ex Jerem.* XXXI).

§ 7. Haec ergo prius didicisti, o Judaee, per Prophetas, ut paratus esses, ut ei ires obviam, non ut Crucem parares. Sed illis in praesentia praetermissis, ad prius institutum revertamur. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et

audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, ut, cum venissent ad circumcidendum puerum, vocarent eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Porro autem ejus quoque patri annuebant, quidnam eum vellet vocari. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Et loquebatur aperte, benedicens Deo.

§ 8. Infans nascitur, et vox patri restituitur. Ex quo manifestum factum est, clamantem nasci vocem, quod vocis ipsius, hoc est, Joannis, nomine prolato, vox patri restituta est. Ego enim, inquit, *vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Lucae* III). Cum enim suscepisset Joannes illuminationem sancti Spiritus, effectis ostendit effectorem, et digito ostendit omnibus afflictorem, magna voce clamans: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Non enim amplius ex veteri lege et figura, unum est templum quod suscipit sacrificia, et eis gloriatur, sed in universo orbe terrarum, Ecclesiae et arae pure ac sincere clementi Deo emittunt gloriam. Accepimus enim animarum nostrarum Pontificem Jesum Christum Dominum nostrum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Habemus enim, inquit, Paulus, Pontificem magnum, qui coelos pervasit, Jesum Christum Dominum nostrum; quem decet omnis gloria, honor et adoratio, cum Patre, qui caret principio, et cum sanctissimo et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

ANTIPATRI BOSTRORUM EPISCOPI

ORATIO DE S. JOANNE BAPTISTA

ET DE SILENTIO ZACHARIAE ET DE SALUTATIONE SS. DEIPARAE.

§ 1. Inter natos mulierum nullus est major Joanne, Verbum pronunciavit salutare. Quomodo ergo ex verbis contextam ei offeram coronam, qui talem accepit coronam a Domino? Quomodo eum laudabo, qui antequam nasceretur, didicit occultum mysterium? Ei enim antequam esset natus, Deus aperte tradidit gratiae mysterium, gratiae thesauros apud eum deposuit, et ea, quae ignorarunt in coelo choros ducentes Angeli, sicut nuper audivistis, Joannes dicebat, qui in matris gestabatur utero. Thronos latuit, et eum, qui erat in matrice, Deus non praeteriit. Caelavit Dominationes, et ei, qui erat in utero, revelavit mysterium susceptae carnis oeconomiae. Et quem veniens Archangelus e coelo tulit, bonum nuncium intrinsecus narravit foetus saliens. Nam

cum advenisset, sicut modo audivistis, Redemptor nostri generis ad suum amicum, qui in utero gestabatur, statim venit ipse quoque cum esset in utero.

§ 2. Licebat autem videre lutum salutari a figulo, excipi Regem in tabernaculo militis, et venisse Dominum in servi domunculam. Quem cum ex matrice in matrice aspexisset Joannes, praevidens, exiliens, naturae terminos conatus est transilire. Video enim Dominum (apud se dicebat) qui imponit naturae terminos. Non expecto tempus, quo solet foetus gestari in utero, tempus novem mensium non est mihi necessarium. Quaenam mater Deum Verbum persuasit ad nos aperte venire? Quis, cum functus esset legatione, excitavit ex sinu patris eum qui est sine matre? Quaenam autem est haec virgo, quae Deo visa est praestantior universis Potestatibus? Quaenam ea est, quae eum, qui capi non potest, continet in utero? Quaenam ea est, quae fert in ventre eum ad quem non potest accedi? Quaenam ea fuit, quae intercessit, ut foeno humanitatis admoveretur ignis divinitatis? Quis primi parentis renunciabit uxori id, quod nunc peragitur, mysterium? Quis dicet, ab ea quae fuerat olim condemnata, intus in ventre scilicet, habitum fuisse indicem atque Praecursorem: quaeque audivit, in doloribus paries filios tuos: eam venisse illum portantem, qui nobis annunciavit doloris solutionem? Papae, quantus honor, et quae verbis non potest exprimi mutatio. A paradiso separavit Deus primum creatum hominem, et ipsum cepit, quae ab eo descendit. Qui pelles in Paradiso consuit, tegitur in utero. In quam primum parentem irâ percitus expulit, in eam misericordiâ commotus adventavit. Quam execratus est terram, eam calcavit, divino gressu latam infirmans sententiam, spinam peccati conterens impollutis vestigiis.

§ 3. Hae erant exultationes Joannis, vel verba potius. Verba enim erant pueri nondum nati saltationes. Quis ab aevo apud Graecos talia sapienter docuit, qualia ante fascias narravit hic Praecursor? Talia sunt mysteria hujus celebritatis, quae si velim praedicare, inveniar obrui profundo miraculorum, et per aërem ingredi, narrando coelestia. Quocirca te rogo, o Baptista, concede mihi ancoram deprecationis, et ut qui sis vox, conserva mihi certos et stabiles sensus vocis instrumentorum. Veni enim certam habens fidem, non haesitans, verborum tibi suffitum offerens. Qua quidem re fretus, tua narrabo certamina. Quod si etiam sim vincendus, gaudeo, est enim mihi victoria, vinci a mei patroni miraculis.

§ 4. Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis: Ne fallatur aliquis in expositione, quod eodem nomine utantur Evangelia. Fuit enim alius Herodes, qui Praecursorem sustulit, et alius hic Herodes, qui herbam demessuit infantium, dum quaerit spicam pietatis. In hujus diebus fuit quidam sacerdos nomine Zacharias, et ejus

uxor Elizabeth. Erant autem ambo justi (vitae enim cum viro societatem habebat mulier, honeste se gerens), jugum legis ferentes, justitiâ abundantes, liberos non habentes. Laesa enim conceptus facultas temporis longitudine, erat Elizabeth sine liberis et sterilis. Ambo autem processerant in diebus suis. Naturà, inquit, carebant filiis, et cum procreandorum filiorum tempus definitum consumpsissent, non spe, sed lege amissa, mores habuerunt pro secundo tempore. Defecit generatio, sed preces non fuerunt imbecillae.

§ 5. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias (erat enim festum sanctum et insigne), veste indutus, et laminâ circumposita, accepto incenso, ibat in sanctorum adyta. Praecurrente autem sonitu tintinabulorum, multitudo orabat ante fores, sacerdotem senem ad Deum mittens, tanquam nuncium, qui cum fuisset intra velum, visus est ei Angelus Domini, stans a dextris arae incensi. Conturbatus est autem Zacharias, et non potuit ultra progredi, propter Angeli aspectum retrocedens: diu autem mansit attonitus, haec apud se dicens: Quid sit hoc, quod videtur, dubito. Alius ad altare incensi fungitur munere sacerdotali, ego autem quomodo imponam igni incensum? Unum solum lex jubet fungi munere sacerdotali. Est Angelus non homo, qui videtur. Neque sic tamen in templum patet aditus, non enim didicimus una ministrare cum Angelis. Quid igitur de me fiet? quid agam? quemnam accipiam consiliarium? Sancta ne cedam sanctis? salutabo, et accedens dabo incensum? Nunquid me accipiet socium? Num venit sermocinaturus cum ministris sanctorum? Video terribilem et laetum: Venitne bonum afferens nuncium, famemne an bellum minitans? quod vero is quidem, qui videtur, sit satelles coelestis et non Deus, statio indicat. Isaias enim vidit Dominum sedentem: Ezechiel supra thronum aspexit incorporeum, Daniel similiter antiquum dierum sedentem. Hic autem stat, implens ministerium, captis partibus altaris magis honorabilibus, Hei mihi, num propter meum peccatum etiam a populo rationem exiget? Num magnitudo honoris, erit mihi occasio majoris supplicii?

§ 6. Haec ratiocinans conturbabatur Zacharias. Non latuit autem Angelum Gabrielem sacerdotis conturbatio. Quocirca ei statim placidam vocem dedit, tanquam dexteram, clamans: Ne timeas Zacharia. Prius ejus compressit timorem, et tunc bonum narravit nuncium, ut non perturbato animo acciperet Zacharias id quod ei significabatur, dicens: Ne timeas Zacharia, tibi gratus affertur nuncius: exaudita est tua deprecatio: Uxor tua pariet filium, et vocabis eum Joannem: Ad te enim veni de coelo, non solum portans filium, sed etiam veni, cum ex libro superno, didicissem nomen ejus qui nascitur. In civium coelestium numerum eum ascripsit Deus, non talem mortalis produxit uterus.

Multi in nativitate ejus gaudebunt. Est enim tuus quidem filius, tuum germen, fructus autem communis: Tu pater: qui autem nascitur, est lucerna omnium.

§ 7. Haec cum audiisset Zacharias, evasit simul laetus et curiosus. Curiosa certe cogitatione cum accepisset quod ei significabat Gabriel, respondit non cum satis magna fide: Unde hoc sciam? Non tulit Gabriel Zachariae interrogationem, sed nihilipendit sacerdotem, qui offert quidem suffitum, fidem autem non habet, et cum iram vultu indicasset, haec dixit: O Zacharia, eorum quae dixi, a me poscis rationem? A Dei ministro exigis rationem? Cum bonus tibi afferatur nuncius, pignus petis? Non gratias agens, sed examinans, divina dona suscipis et dicis: Unde hoc sciam? Ego sum Gabriel, eorum quae dicta sunt, pignus, nomen meum accipe, et, si hoc a te parviducitur, cognosce auctoritatem: Ego sum, qui adsto ante Dominum. Me si deinceps falsa narrare existimas, num tibi succedet accusatio? Ego enim sum, qui adsto ante Dominum, et dicis: Unde hoc sciam? Unde hoc scies? Tu es enim, inquis, senex, et uxor tua processit in diebus suis. Tempus, o sacerdos, majorem apud te habet auctoritatem, quam Architectus temporis? Non cessas ergo Deo non fidere, et tempori cedere, sed dicis, Unde hoc sciam? Quomodo didicisti Isaac nasci ex Abrahamo? Quandòquidem credidit, aetas confirmavit: non quoniam credidit, senectus non obediit? Si autem quod de sterili dicitur, videtur non posse fieri, quomodo tibi audebo credere mysterium Virginis? Si ergo cum multas habeas similitudines, pignora exigis, quomodo narrabo eam, quae est superior, Verbi conceptionem? Qua de causa multis ante seculis Isaias, id praedixit, dicens: Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium? Ille cum credidisset, praedicavit quod est majus: Tu autem cum ei quod est minus non credideris, a me exigis rationem, qui e coelo ad te propter te sum missus? Sed quoniam tibi est cordi signum accipere (hoc enim petiisti, et utinam non petiisses), mutus eris, et voce carebis, et hoc erit signum filii procreationis. Eris tacens, donec res verba confirmaverint. Ex generandi instrumentis ad vocis instrumenta transeant vincula sterilitatis. Voce impeditus, vocem mihi concipe. Illi enim soli patris delictum condonabo. Est amicus Domini. Quae vult, petit ut amicus.

§ 8. Cum haec intus fierent, et dicerentur, tempus quod trahebatur, multitudinem populi affecit admiratione, et quae in multa distrahebatur suspicio, unicuique dictabat id quod videbatur, donec, postquam apparuisset Zacharias, silens ea docuit, quae passus est dum latuit. Postquam autem implesset dies ministerii, abiit domum, in visceribus habens bonum nuncium, et in ore frenum. Et hoc quidem est, ut dixerit quispiam, Praecursoris principium conceptionis. Cujus partum si velimus praedicare, proximi festi necesse est omnino meminisse. Sexto enim

mense conceptionis, Nazareth venit Gabriel, ad Virginem afferens Patris bonum nuncium. Quam cum domi vidisset, prior salutavit, dicens: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*. Ave, quae prima et sola paris infantem liberum ab execratione. Ave, quae in mundo paris vitae occasionem. Ave, quae es incorrupta, sed non es expers prolis. Ave, quae partus dolores expectas, qui te minime invadent. Ave, quae tuo primo parenti Adamo exhibes defensorem. Ave, quae fers sine dolore naturae creatae fundamentum. Ave, quae citra laborem intercedis inter mortalitatem et divinitatem. Ave, quae paris Deum non nudum, et hominem non solum hominem. *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.*

§ **9**. Illa autem, cum audiisset laetitiam, non porrexit aures, sed vocem examinavit, dicens: Qualis est haec salutatio? Qui per se, et non vocatus, nostram est ingressus domunculam, quisnam, inquit, est hic, non familiaris, non cognatus, non genus ducens ab Adamo? Ex voce conjicio, hanc esse novam et alienam salutationem. Non adest Joseph: voci non assentio. Cum sola prima parente, ut ajunt, locutus est ille, qui fuit primus auctor malorum. Ei autem dixit Angelus: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam* , quam perdidit quae primum fuit creata foemina. Illa sola suscepit deceptionem: tu autem sola attulisti solutionem deceptionis. *Paries filium, et vocabis eum Jesum.* Illa autem cum partum audiisset, et filium: *Quomodo*, ajebat, *erit mihi istud, quoniam virum non cognosco?* non contradicens, sed ut per interrogationem disceret: Quomodo erit mihi istud? Ego, inquit, sola naturam innovo? librorum procreationis in me solventur rationes? Dic mihi modum, o hospes: novus enim et alienus est tuus bonus nuncius.

§ **10**. *Spiritus Sanctus*, ait Gabriel, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Suscipe, inquit, o Virgo, id quod dictum est. Ne sis solicita de eo, quod est mandatum silentio. Partui fero testimonium, modum dimitto. Veni ad te nuncius, non doctor oeconomiae. Missus sum praeco adventus Dominici, non interpres. Quomodo, novit ipse qui adest: adesse enim scio. In te enim prosilit signum internum: non possum autem dicere modum. Quod autem non falsa dicam, testimonium mihi fert Elizabeth, quae in sterilitate et senectute concepit Praecursorem. In sterilitate autem et senectute dixit eam concepisse, quod quidem est non parvum pignus. Inter anum enim sterilem et Virginem, nihil est intermedium, quod attinet ad pariendum.

§ **11**. Haec cum Virgo, audiisset, venit ad aedes Zachariae, et cum Elizabeth invenisset concepisse, eam salutavit. Infans autem intus respondit. Infanti enim auditio extitit auditio matris. Et quoniam Joannes, qui intra naturae fines coërcebatur, loqui non poterat, saliens dicebat, cum propria matre loquens per exultationes, matri autem Servatoris respondens per linguam maternam.

Cum autem Elizabeth non ferret saltus filii, Spiritu Sancto repleta exclamavit, dicens Virgini: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui*. Tu, inquit, es benedicta quae execrationis portas solutionem. Tu es benedicta quae portas donum sapientiae. Tu es benedicta quae eum gestas in utero, qui ambulavit in paradiso. Tu es benedicta, cujus sanctum templum fuit venter. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui: ex quo cum comederit Adam, vincet inimicum. Benedictus fructus, qui fuit mundi cibus et amictus. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Haec, o virgo, infans me docuit, intus propter tuam salutationem saliens supra naturam. Haec sunt verba Elizabethae inspirata divinitus.

§ **12**. Zacharias autem, ut dixi, domi mansit, ut cui esset impositum frenum incredulitatis, accepta vocis amissione aequali conceptioni, ut qui suscepisset ortum filii, terminum condemnationis. Postquam vero ex deserto utero processit civis deserti, pater pètitis pugillaribus, ea grate scripsit quae non credens audierat: et cum filio reddidisset appellationem, vocem recepit. Talia, o Praecursor Baptista, tua sunt, antequam nascerèris, mysteria. Talem tibi Deus largitus est dignitatem ante conceptionem. Gabriel ortum Domini, et tuam annunciavit conceptionem in templo, quomodo in thalamo te esse conceptum dixit. Pium ac religiosum populo donum in celebri festo, ortum tuum attulit Archangelus. Fuisti Spiritu afflatus, ut qui donum prophetiae accepisti in utero. Saliens in ventre, ea dicebas quae Moysi, cum consenuisset, Deus significavit. Qua de causa te majorem prophetis vocavit sponsus Ecclesiae. Quis enim ex prophetis ex utero matris narravit mysterium? Quis ex justis, in ipso ortu patri vocem attulit hospitalem? Tu autem simul eum qui te genuerat, a vocis privatione liberasti, et dignatus fuisti prophetiâ. Qui enim erat paulo ante mutus, Spiritu Sancto impletus nobis cecinit canticum: quod paululum mutatum ego opportune inchoabo. Ille enim dicit, Benedictus Dominus Deus Israël: Ego autem dico, Benedictus Deus Christianorum: Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

DE S. JOANNE BAPTISTA

BEATI PETRI DAMIANI SERMO

ALII ALIIS HUNC SERMONEM TRIBUUNT. ALOYSIUS *Tomo 8, de Vitis SS.*, PETRI DAMIANI NOMEN EI PRAEFIXUM HABET.

§ **1**. Hodie, dilectissimi, dies illuxit insignis, tanto caeteris diebus sanctior, quanto sanctiorem hominem terris effudit. In hac siquidem die natus est ille sanctorum splendor, justorum

gloria, laetitia Angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus sponsi, sponsae praeparator: Unus est, et secundum non habet, qui choris intertextus Angelicis, sublimioris coronae titulis universitatis humanae transcendit ascensum. Denique inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Felix homo, qui feliciter coelorum perambulans officinas, cursu velocissimo sequitur Redemptorem, nec alicujus intercluditur fastigio dignitatis, quem summae felicitatis immensitas largius irroravit. Laetantur Angeli et utriusque naturae numerositas admiratur hominem sic ingressum abyssum luminis, et in aeternae divinitatis pelagus absorptum, ut ipsam reverberet Angelicae puritatis originem. Eleventur omnes, et meritorum praerogativis ante consistorium majestatis exultent: non erit tamen, qui ad Baptistae Joannis privilegium audeat aspirare. Age jam aggrediamur virtutum insignia quae Deus majestatis in amico suo gloriosa cumulatione signavit: sic enim ab ortu vitae usque ad occasum cum hominibus conversatus est, ut forma vitae, morum informatio habeatur. Et licet hic sermonis aurei non rutilet pulchritudo, tentabimus tamen rerum veritatem qualicumque stylo perstringere, illud sapientis attendentes, prudentibus viris non placere phalerata, sed fortia.

§ 2. Primus ejus honor est gloria in annuntiatione. Non est dissimulanti silentio transeundum, quam solemni glorificatione pueri hujus in mundum nunciatur ingressus. Adest Angelus Gabriel, et a superiori coelorum cardine Domini fortitudo descendens, stat a dextris altaris incensi: nec quilibet Angelus, sed ille sublimior, qui beatae Virgini nuncium attulit singulare: et electus est ut nunciaret militem, qui Regem nunciare debebat, adstat sacerdos sacerdotalibus indutus, et multiplici vestimentorum varietate, coelestium sacramentornm praefigurans imaginem, purgationem peccatorum mystici sanguinis aspersione praesignat. Consistit coram arca foederis, et ante testamenti tabulas, urnam auream habentem manna, virgam Aaron, Cherubin, et propitiatorium, solemniter infulatus, vultui Dei, gloriae majestatis, rerum omnium Domino vota percelebrat. Dies instat solemnis, et caeteris diebus multitudini Judaeorum celebrior, Domini praecipientis attestatione sublimis, plane spectabilis et festiva, in qua sola soli Pontifici licebat introire in sancta sanctorum, et aspergine multiformi summae divinitatis iram refrigerare. Convenitur undique in sanctam civitatem, et populorum turba frequentior cumulat materiam gaudiorum. Inter haec sacra consistens Archangelus: Ne timeas, inquit, Zacharia, quia nascetur tibi filius, parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Evangelii principium, mortis expulsio, janua vitae, decus hominum, conversationis splendor, omnis justitiae principatus. Et ne diffusiori tractatu rerum excellentiam confundamus,

nascentis et conversantis integritas, in libris Evangelicis plenius assignatur.

§ 3. Considera nunciantis sublimitatem, dignitatem loci, diei reverentiam, et tunc intelligere poteris, quam super excellenti gloriâ Joannis Baptistae genitura praedicetur. Salva igitur reverentiâ Redemptoris, quia non derogamus Regi, si Regis militem honoramus, cum ille Dominus, hic servus: ille Creator, creatura iste: digniori praemonstratione Joannes nunciatur, quam Christus. Christus fortassis in thalamo, Joannes in templo: et non solum in templo, sed etiam ante sancta sanctorum in insigni die solemnitatis eorum. Joannes ab eodem Archangelo in loco digniori, tempore sacratiori, apertiori miraculo praedicatur. Recole Isaac ab Angelis nunciatum, Sampsonem per Angelum praedicatum, et universam Nazaraeorum sectam circumspice, solumque Baptistam tam in hoc, quam in aliis, invenies digniorem.

§ 4. Secundus honor est, sanctificatio in ventre matris. Quicumque de massa praevaricatrice mundum ingredimur, longam vestem originalis peccati trahimus nobiscum. Solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem Virginalis thalamus, ignorante viro, terris effudit. Longe quippe aliter et dissimili modo conceptus est, Spiritu Sancto tota majestate Virginem inundante, atque mundante, superans usum carnis, naturae ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, ut peccatum nesciret, qui peccata tollebat, ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem unquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, praeter Jeremiam et Joannem Baptistam: quamquam et de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit, utpote sacrarium illud, in quo Deus Dei filius carnem fuerat suscepturus. Sed longe minor Jeremiae sanctificatio, quam Joannis, ille quidem in matris utero sanctificatus, hic Spiritu Sancto repletus fuisse cognoscitur. Multo quippe excellentius est, Spiritu Sancto repleri, quam sanctificari: ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem significat. Denique et Apostoli, qui manibus suis tractaverunt de Verbo vitae, cum Spiritum Sanctum de Salvatoris accepissent afflatu, vix quinquagesimo a resurrectionis die ad illum gradum pervenire potuerunt, ut diceretur de eis: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Et licet Spiritus Sanctus largiori tunc munere credentium corda repleverit, hoc tamen Joannes in utero legitur assecutus, quod Apostolica celsitudo tandem largiori promissione meruit obtinere. Attende, obsecro, diligenter quam ordinata dispositione Spiritus ille multiplex Jeremiam sanctificat, implet Joannem, supervenit in Mariam. Et Jeremiae quidem admiranda sanctificatio, quia etsi in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato.

Antequam enim exiret de ventre, sanctificatus est: nec poterat nasci non sanctus, qui in matris utero erat sanctificatus. Mira res, et a retrotransactis seculis inaudita, hominem conceptum in peccatis, nasci sine peccato. Joannem vero longe gloriosior virtus implevit, qui sanctificatus est a peccato, et ita dominante Spiritu superfusus, ut et purgatus exeat, et repletus. Vere magnus coram Domino, quem Angelus nuntiat, sanctificat Deus, sanctus replet Spiritus, vita commendat. Ineffabiliori autem modo supervenit in Virginem, quam tota divinitatis plenitudo sine mensurae discretione perfùdit, ut totam caperet, qui fecit totum: ut non solum a peccatis abluta, repleta Spiritu, sed et de Spiritu Sancto concepisse credatur: quia *quod incarnatum est, de Spiritu Sancto est.* Inde est, quod singulari praerogativâ fides catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu confitetur, ut Deitatis et humanitatis indivisibilis adunata connexio, vocabulorum indifferentiâ designetur. Vides ergo, quam remotiori privilegio *speciosus formâ prae filiis hominum* (*Ps.* 44), a filiis hominum in concipiendo discretus sit? Illi etenim de peccatis, et in peccatis concepti sunt: hic in Spiritu, et de Spiritu Sancto concipitur. Haec sane dicta sint de conceptione Joannis, nihil praejudicantia sanius sapienti. Sed etsi in aliquo sanctorum auctoritatibus videntur obviare, volumus ut sine omni excusationum vel defensionum patrocinio subruantur.

§ 5. Tertius honor est, excellentia in exultatione *. A seculo non est auditum, quod exultaverit quis in utero matris, cum hic in gaudio exultasse legatur. Prorsus obstupenda dignatio, puerum vix conceptum, in motum exultationis erumpere, eique gratanter occurrere servitio dulciori, quem Virginali substantiae praesensit infusum. Beata anima quae in via peccatorum non stetit, sed secretiori semitâ de coelestibus officinis egrediens, inauditae gratulationis est sortita dulcedinem. Felix Elizabeth, ad quam Mater properat Redemptoris, quam salutatoriis obsequiis coelorum Imperatrix alloquitur. Sed puer multo felicior, qui salutantis majestatem agnoscens, intra viscerum tenebrosa volumina gaudio gaudet: quia vim tam beatae salutationis attendit. Et factum est, inquit, ut audivit salutationem Mariae Elizabeth, exultavit in gaudio infans in utero ejus. Ascendit Virgo cum festinatione in domum Zachariae ad salutandam Elizabeth, portans in utero filium Dei, Regem gloriae, Dominum majestatis. Occurrit Elizabeth, et antiquae sterilitatis carens opprobriis, amicum sponsi, praeconem Verbi felicissimo ventre deportat. Junguntur amplexus, venitur ad oscula, copulantur felices uteri, Regemque et militem non nisi duo tenerrimi parietes abjungunt. Quid mirum,

* De VISITATIONE Mariae in domo Elisabeth. Festum Visitat. Officio recolendum in Ecclesia universa instituit Urbanus VI, promulgata dein Bullâ a successore Bonifacio IX sub XIV saeculi finem. Ad ritum 2 class. evectum est Decreto anni MDCCCL.

si miratur et exultat puer, ad tactum tam proximae divinitatis afflatus? Poteratne vacare a quocumque miraculo, cui praesens aderat Regis praesentia, regnantis mater, mundi Redemptor? Quid, quod non semel tam sanctorum amplexuum fuit celebrata conjunctio? Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, ait Evangelista. Tanto tempore manet cum Elizabeth virginalis integritas, et nunc dulciori colloquio, nunc amplexu feliciori Joannem puerum consecrat, et insignit. Et fortassis usque in diem nativitatis ejus gloriosa Virgo cum cognata sua morata est, donec puerum natum sinu beatissimo confovèret, et uno pariete remoto propinquiorem redderet praesentiae Creatoris. Facile autem hoc ex Evangelii conjectura liquet, quia jam sex menses a conceptione Joannis defluxerant, cum ad Virginem Archangelus missus est, qui renovationem mundi pudori virgineo nova salutatione portavit. Ex hinc Virgo festinat ad Elizabeth, et tribus mensibus praesentiâ sua cognatae dignatur hospitium, donec noni mensis fine, concluso nativitas immineret Patriarchae. Alii, qui librum justorum diligentioribus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quod ipsa Dei Genitrix felicem puerum primum de terra levarit, et cognatae partum omni prosecuta sit servitute. Quocumque autem modo rei hujus veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parum contulit puero nascituro tam felix et morosum intemeratae genitricis hospitium.

§ 6. Quartus honor, gaudium in nativitate. Erubesce lucifer, qui mane oriebaris, et conatuum tuorum frustratus impulsibus, tandem intellige, quia in novissimo dierum, tanquam perdix stultissimus remanebis. Machinationibus tuis factum est, ut humani generis universitas in peccatis conciperetur, nasceretur in tristitia. Sed ecce iste in utero sanctificatur, òritur in gaudio, laetitiamque mundo sua nativitate refundit. Ecce genus armaturae, quod tibi constitueras ad victoriam, Joanni nascitur ad coronam. Apprehende arma et scutum, et toto malignitatis tuae spiritu debacchare: non tamen poteris irrumpere Joannis privilegium, quod benigna scribentis manus proprio caractère consignavit. Multum deceptus, multum delusus es. An ignoras, quia tibi vir bellator ab adolescentia, et etiam a matris utero consurgit? Nescis quia a diebus istius regnum coelorum vim pàtitur, et violenti rapiunt illud? An oblitus es, quia iste mittitur parare Domino plebem perfectam? Intuère ordinem rerum, et ab ipsis suae conceptionis initiis invenies hunc validiori conamine tuam fortitudinem irrupisse: Tu fecisti, ut fratricida Cain, qui prius natus est, pollutus et obvolutus exiret, et originalis peccati respergeretur infamiâ. Hunc excepit orbis exterritus, et humani generis subsecuta nativitas, ad infinitae tristitiae cumulum transmigravit. Nativitas autem hominis istius in gaudio est, et in solemnitatem praeclaram. Laetatur orbis, et per quatuor mundi

climata circumsonat gloriosae festivitatis instantia, ipsis etiam coelis celebris et famosa. Quis, putas, puer iste erit? Amicus sponsi, inimicus tibi, tua potestate potentior. Considerandum est, quanta dignitate praepolleat nativitatis hujus celebranda devotio, quantamque gratiam in oculis Ecclesiae potuerit invenire. Nullius hominis nativitatem praeter solius Dei, ejusque Matris, in auctoritatis arcem recepit Ecclesia, hujus istius exceptione servata. Novit enim, quia melior est dies mortis die nativitatis, et quod ortus hominum tristitia comitetur. Inde est, quod diem mortis martyrum, non nativitatis, solemnizat Ecclesia, mortem eorum natalitiorum nomine nominans, quibus factus est de morte natalis. Tunc enim inceperunt nasci ad vitam, cum vitam deposuerunt pro vita. Hujus vero nativitatem sponsa Christi tanto securius benevolentissima dignatione suscepit, quanto singularius eam veritatis Evangelicae irrefragabilis commendat auctoritas.

§ 7. Quintus honor est, singularitas in conversione et conversatione. Intra teneritudinem annorum beatus iste puer ad eremum Spiritu ducente deductus est, nec obstitit aetatis infirmitas, quam majestas Domini foecundabat. Spiritus enim sanctus non attendit differentiam sexuum, fragilitatem corporum, temporum annositatem: sed quemcumque et quandocumque et quomodo vult, dignantissima replet benignitate. Relinquit Joannes mundum, homines fugit, nescit patriam, parentes aspernatur, et in solius divinitatis apicem beatae contemplationis figit obtutus. Mira rerum conversio, hominem vix mundum ingressum, mundi fugere gloriam, et seculi cupiditates non solum oblivisci, sed et nescire, perpetuumque cum divinitate habere consortium. Recessus montium, sylvarum anfractus, et vallium subterjacens vastitas, puero Patriarchae domicilia praebuerunt. Non opponatur mihi Jeremias, nec praedicantis pueritiae virtus audeat obviare: quia si ille consecratur in Prophetam, hic in plusquam Prophetam: et licet ille populo futura praedicat, non tamen conversationis humanae declinat aspectus, Joannes autem aetatis supergressus infantiam, et nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat divinitati, forma vitae, monachorum propositum, anachoretarum principium, totius religionis assertio. Et haec quidem pro conversione.

§ 8. Porro quanta sublimitas in conversatione fuerit, non est currentis linguae volubilitatibus disserendum, sed Evangelicae dignitatis comprobandum eloquio. Joannes, inquit, habebat vestimentum de pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos ejus, esca autem ejus erat locusta, et mel sylvestre. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Rigida vestis, et durissimis hispiditatibus circumtexta, rigore squalorifero corpus afficit Patriarchae, carnemque tenerrimam immatura districtio disciplinae feritate coarctat, teneros artus et sacratiori Spiritu superfusos continui quassat longitudo martyrii. Cibus autem ejus

qualis erat? Non quaerentur phasiani, seu aliae aves, nec per totam discurritur regionem, ut Patriarchalis stomachus impleatur. Sed erat, inquit, esca ejus locusta, et mel sylvestre. Coeli rore pascitur, et animalis vilissimi satiatur edulio, nihilque coctum accipit jejunantis austeritas. Castigato quippe ventri, et diuturna maceratione distento ignota fuit varietas ferculorum, nec introivit in os ejus, quod gulam alliceret, suffarciret ventrem, stomacho blandiretur. Elias comedit carnes, et si quid aliud apponitur, cum gratiarum percipit actione, nec aliquem (nisi fallor), legimus in veteri officina ad legis hujus aspirasse fastigium. Vestis aspera, cibus tenuis, mens devota profecto perfectum consecrant Patriarcham.

§ **9**. Sextus honor est. novitas in praedicatione. Hic volo attentius attendat intentio vestra, quia paulo subtilius ordiendum materiae praecipit magnitudo. Post peccatum Adae, et illius diluvii vastationem solemnem. electa est justorum infinita pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuisse dignoscitur. Transfertur Enoch, eligitur Noë, vocatur Abraham, Isaac diligitur, Jacob Deum facie ad faciem contemplatur. Joseph vocatur mundi Salvator. nec tamen in sermone Dei ad illos, vel illorum ad homines, fit aliqua mentio de regni coelestis perpetua mansione. Moyses assumitur in Ducem populi Judaeorum, Pharaoni in Deum constituitur. Facit Deus in Aegypto magnalia, et mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Ascendit Moyses ad caliginem, in qua erat Deus, datur in monte multiplex praeceptorum auctoritas, loquitur ille cum Deo, quasi homo ad vicinum suum: non est occultatum a Moyse, quod facit Dominus in occulto, et gloriosum nomen Adonai, quod omnibus obvelatum fuerat, revelatur : sed in his omnibus regni coelorum memoria nec nominatur, nec auditur. Adstat Aaron summus sacerdos, potentis virgae gestarius, unctus et delibùtus coelestium sacramentorum unctione: succedit Josue, et omnis illa Judicum multitudo, nec est vel ulla tenuis mentio regni coelestis. Invenit Dominus David virum secundum cor suum, Salomon filium ejus sapientiâ cumulat singulari, et omnem illum Prophetalem chorum Spiritus Sanctus ordinat et infundit, nihilque de coelestis regni gloria prophetatur. Claudit Elias coelum annis tribus et mensibus sex. Eliseus mortuus mortuum vitae restituit, et ab his nec vel ulla scintillula beatae mansionis elùcet. Quid plura? A principio mundi usque ad Joannem universitatis humanae electionem recollige, nec in sermone, vel opere illius sanctuarii poteris reperire dulcedinem.

§ **10**. Veni ergo ad Joannem, et audi vocem exultationis, vocem novitatis, vocem laetitiae, misericordiae verbum, sermonem gloriae, gratiae largitatem, quod celaverat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetae nescierant. *Poenitentiam*, inquit,

agite: appropinquavit enim regnum coelorum (*Matth.* III). Verbum poenitentiae dulce et gloriosum, verbum regni coelorum laetum et adorandum, illi soli primario conveniens, qui primus novi testamenti posuit fundamenta. Haec est illa vox, de qua maximus ille contemplator coelestium visionum in haec verba prosequitur: Et vox prima, quam audivi, tanquam citharoedorum citharizantium in citharis suis (*Apocal.* XIV). A diebus Adae usque ad Joannem, organum nostrum versum est in vocem flentium: quia ubi peccatorum frequentia, nec poenitentiae locus, duplex erat deplorandi materia. Occìdis, occìdi jubèris: sabbato ligna colligis, lapidari juberis: et ille, cui proprium est miserere semper et parcere, nisi ferire non novit. Dederat quippe eis praecepta non bona traditor praeceptorum, et justificationes in quibus vivere non possent. Hoc est, quod justus miratur, dicens: Ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine? Joannes natus ostendit medicamentum vulneri, peccato poenitentiam, veniam iniquitati. Haec est prima vox, quam vox clamantis in deserto proposuit, et vox turturis audita est in terra nostra. Ex tunc misit in os nostrum canticum novum, carmen Deo nostro, et rèsonat in ore nostro gratiarum actio, et vox laudis: superexaltatur misericordia judicio, peccatoribus parcitur, regnat pietas, justitia dissimulatur: et miserendi, non feriendi, quaerit occasionem misericors et miserator Dominus. Citharizant ergo in citharis suis, qui voluptatum effusionem poenitentiae districtione reverberant, et de profunda peccatorum voragine respirantes: Pharaone submerso, cantant in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

§ **11**. Septimus honor est, dignitas in baptismate *. Singularis prorsus humilitas, Verbum caro factum, et in perfectum egrediens virum, relicta hominum universitate, Joannem quaerit, Joannem desiderat, ad Joannem vadit. *Terribilis in consiliis* Deus *super filios hominum* (*Ps.* 65), *portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens* (*Hebr.* I, 2); venit a Galilaea in Jordanem ad Joannem, ut baptizetur ab eo. Stupet Joannes, et timore concutitur, totumque Patriarcham infinitus horror insiluit. *Ego*, inquit, *a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Dicit ei Salvator: *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III). Acquiescitur utrinque salutaribus monitis, et accingit se Joannes ad baptizandum, ad suscipiendum Dominum Angelorum. Exuitur vestimentis suis Rex gloriae, splendor luminis, et figura substantiae Dei. Joannis manibus attrectatur caro illa sumpta de Virgine, candidiorique derivata materia nudatur in flumine, felicibus Baptistae manibus infundenda. Descendunt Angeli, et coelorum agmina tota reverentiâ currunt ad Creatorem, baptizantemque et baptizatum dominantia numina circumcingunt. Infundit aquam capiti Creatoris creatura nobilior, et Dei verticem

* Baptismum Jesu per Joannem in Jordane.

mortalis dextera contrectat et contingit. Pavet coelum, stupet terra, Jordanis arridet, mirantur Archangeli, Dominum Sabaoth inter manus baptizantis includi. Quid est Joannes? Cherubin et Seraphin vix audent respicere, et tu nudum tenere praesumis? Hic est, in quem desiderant Angeli prospicere, cui, Sanctus, Sanctus, Sanctus, sublimi melodiarum organo beatae civitatis conventus ingeminat, qui solus habitat lucem inaccessibilem, Dominus virtutum, Deus scientiarum, misericordiarum Pater, et tu non metuis? Tibi datum est, quod omnibus est negatum, baptizare eum, qui baptizat in Spiritu Sancto, et igne, Virginemque Virginis filium, virgineis manibus irrorare. Totus obstupeo, baptizantem hominemque Deum revereor, magistrum dignantem admiror, vereor dignationem, et hominem video violentiam ipsis coelis inferre. Porro illud quale est, quod in isto baptismate terminatur lex, finem accipit Prophetia, et omnis illa sacrificiorum multitudo propulsatur, et pellitur? Hic incipit et stabilitur novae regenerationis perduranda purgatio, et in unam baptismatis formam legalium transeunt dispendia figurarum. Ad ablutionem enim aquae, et invocationem Spiritus, sepelitur hircorum et vitulorum sanguinolenta congeries, et pecora pecoribus Judaeis relinquimus, illud Davidicum attendentes: *Holocaustum et pro peccato non postulasti* (*Ps.* 39).

§ **12**. Octavus honor est, prima revelatio de Trinitate *. A creatione coeli et terrae usque ad hunc locum, nunquam Trinitas hominibus manifeste apparuit, sed rerum et verborum involucris involuta fuit tantae claritatis aeternitas. Denique creationem hominis Creator rerum summa dignitate commendans: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Reverendum revera privilegium, nec ulli traditum creaturae. Creatur illa sublimior numerositas Angelorum, et elementorum omnium ordinatur variata connexio, sed omnipotentis praesentia tantum opus alta taciturnitate prospectat. Ut vero venitur ad hominem, et nobilis creatura creari disponitur, accingit se Trinitas ad creandum, et consilium accipit sapientia, ut creaturae dignitas Creatoris privilegio clara esse monstretur. Nec ibi tamen satis aperte divinae majestatis eluxere vocabula, cum ad Angelos obsequentes quidam referant divini sermonis oraculum, vel, si minus hoc cautum est, signata pluralitas absque nominum differentia praedicetur: Abraham tres vidit, et unum adoravit. Sed et ibi scripturae sacrae reverentia nunc mixtim, nunc separatim claudit eloquium, ut modo Dominum, modo viros placeat nominare.

§ **13**. Judaei tamen longam hic texunt reprehensionis parabolam, tres Angelos a Domino missos asseverantes, unum ad nativitatem Isaac praedicendam, duos ad Sodomam subvertendam. Illum enim, cum quo locutus est justus, dicens: Domine, si

* In Christi baptismate mysterium Ss. Trinitatis primo revelatur.

inveni gratiam in oculis tuis: prophetali spiritu somniant cognovisse, nativitatis Isaac advenisse praeconem. Illum adorat Abraham, sicut Bersabèe David Regem, sociisque ejus propter ipsius reverentiam indefessus assistit. Unde et non nisi duo in subversione civitatum infelicium numerantur, illo superiori jam reverso, qui nativitatem Isaac fideli devotione compleverat. Tres enim viri Saram vocari praecipiunt, sed unus est, qui promissionis insperatae manifestat arcanum. Haec Judaei, et qui magis elegerunt judaizare, quam credere. Sed ut breviter concludamus, omnis illa sive Patriarcharum, seu Prophetantium copulata societas. nullam vel in sermonibus, vel in rebus de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto reperitur aperte fecisse mentionem. Veni ergo et intuere filium Zachariae, Deum et hominem propriis manibus continentem, et vide quia coeli aperiuntur ibi, et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in Christum, et vox Patris audita est: Hic est Filius meus dilectus. Vides quia ad sacratissimorum nominum novitatem coelorum palatia reserantur? Pater auditur in voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus Sanctus in columbae specie demonstratur. Adest Joannes totius medius Trinitatis, gloriosumque Baptistam sanctificant indivisae substantiae personata vocabula, et nomen Trinitatis, prioribus, seculis obvelatum, absque totius velaminis obumbratione relucet. Domine, quis est iste, quia innotuisti ei?

§ **14**. Nonus honor est, testimonium veritatis. Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, misit ad eum discipulos suos, et responsum est eis: Caeci vident, et caetera quae veritatis Evangelicae prosequitur copiosa narratio. Recedentibus autem nunciis, ne forte in eorum praesentia adulationem redolere videretur, coepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: *Quis existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* O mira testificatio Redemptoris. Quis ingressus est mundum, et mundum vel in aliquo non cognovit? Quis est, quem vel ventosa felicitas, vel adversitas turbida, vel cujuslibet peccati aura tenuior non inflexit? Ad extremum subinfertur quod terram excedat, transeat coelum, ipsumque verticem Angelicae dignitatis attingat. *Inter natos*, inquit, *mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ*. Quid vis amplius? De nullo alio dici potuit (dicit Augustinus) quod dictum est de Joanne. Non opponas mihi Evangelistam, inter caeteros Apostolos magis dilectum, non Apostolorum principem, omnibus Apostolis antelatum: non vas electionis, ad coeli tertii secreta translatum, nec Apostolicus splendor audeat occurrere Praecursori, quia jam omnes isti adolescentiae metas excesserant, cum a veritate prolatum est: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Considera mansiones regni, et universum ordinem humanae generationis obambula, solumque Joannem tam novis quam

veteribus videbis esse praepositum, vel aequatum: tamen super omnia benedictus Deus *.

§ **15**. Decimus honor est, assertio matris Ecclesiae. Texitur ora chlamydis, unguentumque profusum in capite, extremam quoque vestimenti fimbriam inundanter infundit. Illa enim mater, et magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: in honore Joannis Baptistae post Salvatoris nomen consecrata est, et signata: Dignum namque erat, ut sententiam sponsi sponsae sequeretur auctoritas, et singularem amicum ejus illuc proveheret, ubi principatum ipsa conscendit. Electio proculdubio singularis, in illa ipsa urbe Joannem primatum Ecclesiae vendicare, quam duo coeli luminaria morte clarissima consecrarunt. Crucifigitur Petrus, Paulus obtruncatur, dignitas remanet Praecursori. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque sublimitas beato refunditur Patriarchae. Joannes ubique major in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis sic gloriose annunciatus est? Quis ita specialiter in matris utero Spiritu Sancto legitur fuisse repletus? Quem legistis intra matris uterum exultasse? Cujus nativitatem vidistis celebrare Ecclesiam Dei? Quis sic puer erèmum concupivit? Quis ita legitur sublimiter conversatus? Quis poenitentiam et regnum coelorum primus ostendit? Quis baptizavit Regem gloriae? Cui se primum Trinitas revelavit? Cui tale testimonium perhibuit Deus? Quem sic honoravit Ecclesia?

§ **16**. Forsitan mihi disponis opponere, quia sic ista habet propria, ut caetera sanctorum communia non attingat. Audi ergo: Joannes Patriarcha immo Patriarcharum finis et caput. Joannes Propheta, immo plus quam Propheta, quia quem venientem nunciat, digito demonstrat. Joannes Angelus, sed et inter Angelos electus, Salvatore testante, qui dicit: Ecce mitto Angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam. Joannes Apostolus, sed et Apostolorum primus, et princeps, quia fuit homo missus a Deo. Joannes Evangelista, sed et Evangelii primus incisor, praedicans Evangelium regni. Joannes virgo, immo virginitatis insigne, pudicitiae titulus, castitatis exemplum. Joannes martyr, sed et martyrum lumen, inter nativitatem, mortemque Christi constantissimi forma martyrii. Praeterea quia vox clamantis in deserto, quia Praeco Verbi, quod Judicis Praecursor. Illud quoque relinquo, quia usque ad Joannem lex et Prophetae, quia Joannes ipse est Elias, quod lucerna sit ardens et lucens, quod amicus Sponsi, sponsae praeparator. Silentio transeo, quod sic novem Angelorum ordinibus insertus est, ut etiam ad Seraphin apicem transferatur. Verum hoc adeo laboriosi operis est, ut sensus nostri paupertas non sufficiat. Sufficiant haec ad praesens, quae dicta sunt de laude Joannis ad gloriam Redemptoris.

* **Primatus S. Jo. Baptistae inter Sanctos.**

VITA S. LUPICINI RECLUSI

AUCTORE S. GREGORIO TURONENSI, *libro de vita Patrum, cap. 13.*

Floruit saeculo V.

§ **1**. Athletae Christi atque triumphatores mundi, vitae istius fugitivae jacturam facere cupientes, pertendere ad illam vitam voluerunt, quae in exultatione perpetua manet, quae nullo gemitu obstrepit, nec ullo fine concluditur: cujus lumen nunquam extinguitur, cujus serenitas nulla obscuritate nubis obtegitur. Ideoque semper praesentium dolorum contumelias pro nihilo habuerunt, scientes se in paucis vexatos, in multis bene disponendos. Et ob hoc quisquis ille est, qui in isto agone contendit, metu non terretur, poenâ non solvitur, dolore non frangitur, ut tantum illa aeternae júcunditatis amoenitate cum electis Dei perfrui mereatur: sicut multos fecisse novimus de sanctis viris, quorum nunc vita tractatur aut legitur.

§ **2**. Igitur Lupicinus quidam magnae vir sanctitatis, fortissimusque in operibus Dei, qui primum eleemosynas per domos devotorum deposcens, quaecumque acquirere potuisset, sibi similibus erogabat: ad extremum jam mediam habens aetatem, ad vicum Betberensem, qui nunc Lipidìaco dicitur, veniens, parietes antiquos reperit, ibique reclusus, ab omnium se hominum aspectibus inhibebat, ac per modicam fenestellam parumper panis vel aquae accipiens, quod ei aliquoties, etsi esset valde exiguum, usque ad diem tertium perdurabat. Aqua enim per canalem parvulum inferebatur: fenestella vero velo operiebatur, ac utriusque aditus ita obtectus erat, ut nullus beatum ejus vultum posset advertere. Et dum ibidem die noctuque in Dei laude psalmorum modulis delectatur, tormentum sibi, quod corpusculum plus gravaret, adhibuit, non immemor verborum Apostoli: *Quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Lapidem namque grandem, quem duo homines vix levare potuerunt, cervici impositum, tota die, dum Deo caneret, per cellulam deportabat. Nocte autem ad additamentum injuriae, in virga, quam manu gerebat, duas defixerat sudes, desuper acumina parans, quae ad mentum suum, ne somnum caperet, supponebat. Denique ad extremum vitae tempus, corrupto pectore a pondere saxi, sanguinem per os ejicere coepit: quem per parietes praefatos projiciens spuebat. Plerumque autem fidelibus viris nocte ad cellulam clam appropinquantibus, quasi vox multorum psallentium resonabat. Sed et multos infirmos, et praesertim ab accessionibus frigoriticis, vel

pustulis malis oppressos, tactu tantum, vel signo salutari imposito, sanitati restituebat.

§ 3. Cum autem jam senio inclinatus esset, vocavit ministrum suum, dicens: « Praeteritum tempus occulendi fuit, manifestandi nunc tempus advenit: scito ergo me post triduum ab hoc seculo liberandum. Voca ergo nunc fideles quosque fratres et filios, quibus sum vale dicturus, ut veniant ad nos visitandum. » Illucescente autem die tertia, confluentibus fratribus, ostium, quod clausum erat, aperuit, atque ingredientibus cunctis qui aderant, consalutatis deosculatisque, orationem fudit ad Dominum, dicens: « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me salvari jussisti ab hujus mundi impedimentis, et ita me fovere dignatus es in hoc seculo, ut nihil suum in me auctor criminis inveniret. » Et conversus ad plebem, ait: « Magnificate, quaeso, dilectissimi, Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in commune, qui me erectum de stercore, èrutum de tenebrarum opere, amicorum suorum fecit esse consortem: qui misit Angelum suum ad me accersendum ab hac mundana statione, et pollicitus est me in requiem sempiternam perducere, ut collega amicis ejus effectus, mèrerer regno ejus adscribi. » O beatum virum, qui ita consolari meruit in hoc corpore, ut prius cognosceret, quo erat fruiturus in coelo, quam migraret a seculo: meruitque hic obtinere apud divinam potentiam, quod David saepius decantabat: Notum fac mihi Domine finem meum, et numerum dierum meorum, ut sciam quid desit mihi. De hinc humo incumbens, spiritum coelo intentum praemisit ad Dominum.

§ 4. Tunc omnes in fletu prostrati, alii plantas osculantur, alii fimbrias vestimenti diripiunt, alii de pariete beatum sanguinem, qui ab ejus ore fuerat projectus, inter se certantes excudunt. Miserum se quisque dicebat, si immunis ab ejus pignoribus discessisset. Testis est hodie quoque et ipse paries, qui tot fossulis patet, quot ab ore beati confessoris sputos emeruit. Testis est et ipse canalis, de quo vir beatus aquam sumpsit ad usus, quem fideliter osculantes, hauriunt sanitatem. Jam vidi ego multos, qui evulsos a pariete sacrati oris sputos, in diversis infirmitatibus ponentes, meruerunt accipere medicinam.

§ 5. Denique hoc, ut diximus, defuncto, affuit quaedam matrona, quae ablutum dignis induit vestimentis: et cum eum ad vicum Transaliacensem inferre vellet, restitit ei populus pagi Lipidiacensis, dicens: Nostrum hunc solum fovit, nobis corporis ejus gleba debetur. Matrona autem respondebat ad haec: Si aliqua de victus ejus exprobratis necessitate, saepius ei ego et triticum misi, et hordeum, quod vel ille sumeret, vel aliis ministraret. At illi dicebant: Nostri generis homo effectus est, nostri fluminis aquas hausit, nostra eum terra coelo transmisit. Aequumne ergo est, ut tu de terra aliena veniens, rapias eum de manu nostra?

Nòveris autem, quia non hoc sustinebit quisquam nostrum : sed hic sepelietur. Matrona respondit: Si germen stirpis ejus inquiritis, ex aliis hic regionibus adventavit : si aquas fluminis ingeritis, parum sitim ejus mollierunt, quam potius e coelo manans fons ille restinxit. Cumque haec et hujuscemodi inter se verba proferrent, et Lipidiacenses effossa humo, et deposito sarcophago eum sepelire niterentur, convocatis matrona auxiliis, fugatis pagensibus, rapuit sanctum corpus ac ferre coepit in feretro ad vicum Transaliacensem, dispositis in itinere psallentium turmis cum Crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis. Quod illi cernentes, poenitentiâ moti, miserunt post matronam, dicentes: peccavimus resistendo tibi, profecto enim cognoscimus in hoc esse Domini voluntatem. Nunc autem petimus, ut non abjiciamur ab hujus funeris obsequiis, sed admittamur officiis ejus. Illa vero permittente, ut sequerentur, conjunctus est uterque populus : et sic pariter usque ad Transaliacensem vicum venientes, celebratis Missis, beatum corpus cum summo honore gaudioque sepelierunt. In quo vico saepius se beatissimus in virtutibus declaravit. Sed et Lipidiaco plerumque opus ejus sanctum ostenditur. Uterque enim locus unius sancti praesidiis communitur. Fortassis autem quorundam incredulorum latratus ad haec conatur obstrepere: sed noverit a me visum Deòdatum Presbyterum summam octogenarii aevi ferentem, qui mihi haec ut scripta sunt, contulit, confirmans sacramento, nihil se de his admixto mendacio enarrasse.

VITA BREVIS S. SIMPLICII

EPISCOPI AUGUSTODUNENSIS

EX GREGORIO TURONEN., *libro de gloria Confessorum, cap. 76 et 77.*

Floruit saeculo IV.

§ **1**. Decedente (Egemonio) beatus Simplicius Ecclesiae ipsi (Augustodunensi, *Autun*) praeponitur. Fuit stirpe nobili, valde dives in opibus seculi, nobilissimae conjugi sociatus. His fuit castissima, obtegente seculo, vita, soli Deo cognita, mortalibus autem ignota. Erant etiam ambo justi, et in eleemosynarum semina ac vigiliarum tolerantiam promptissimi. Interea propter illam, ut diximus, seculi dignitatem Simplicius decedente Egemonio a populis eligitur, sed a Deo pro castitatis et sanctitatis gloriâ destinatur. Accepto quoque pontificatus ordine, beata soror, quae prius fuerat non libidine, sed castitate viro conjuncta,

non passa est a stratu pontificis submoveri: sed in illa puritatis castitate, qua prius, viri castissimi torum adibat, secura de conscientia mentis sanctae, sciens se uri non posse ab incentivi ignis ardore. Sed saeva daemonis invidia contra sanctos Dei probrosa excitat bella, et quae instinctu suo destruere non potuit, nititur verbis subdolis infamare. Quid plura? In illo Dominici natalis die commoventur cives in scandalum, et ad beatam virginem rapido cursu concurrunt, dicentes: Incredibile est, mulierem viro junctam, pollui non posse: sed nec vir poterit artubus mulieris junctus, a coitu abstinere. Sic etenim Salomonis Proverbia proferunt: Nemo, ait, tangens picem, mundus poterit esse. Neque enim in sinu ignem quis gestans, non cremabitur *. Ergo videmus vos uno in toro recumbere, et suspicari aliud non possumus, nisi quod misceamini simul. His commota virgo sanctissima, aggreditur pontificem simili castitate pollentem, replicatisque coram omni populo sermonibus, quos audierat (Arculam puella tunc plenam, ut assolet pro injuria hyemis, cum carbonibus retinebat), vocat puellam, expansoque pallio prunas ardentes suscipit, et fere horae unius spatio tenens, sacerdotem èvocat, dicens: Accipe mitiorem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum, ut ostendant in nobis hae flammae extinctas flammas esse luxuriae. Suscipiente vero pontifice, nihil nocitum est velamen ejus ab igne. Hoc miraculo populus, qui erat tunc incredulus, credidit Deo, et inter septem dies amplius quam mille homines, sacri innovatione lavacri sunt renati.

§ 2. Ferunt etiam in hac urbe simulacrum fuisse Berecynthiae, sicut sancti martyris Symphoriani passionis declarat historia. Hanc cum in Carpento pro salvatione agrorum ac vinearum suarum, misero gentilitatis more deferrent, adfuit supradictus Simplicius Episcopus, haud procul aspiciens cantantes atque psallentes ante hoc simulacrum, gemitumque pro stultitia plebis ad Deum emittens, ait: « Illumina, quaeso, Domine, oculos hujus populi, ut cognoscat, quia simulacrum Berecynthiae nihil est; » et facto signo Crucis contra, protinus simulacrum in terram ruit, ac defixa solo animalia, quae plaustrum, quo hoc vehebatur, trahebant, moveri non poterant. Stupet vulgus innumerum, et deam laesam omnis caterva conclàmat: immolantur victimae, animalia verberantur, sed moveri non possunt. Tunc quadringenti de illa stulta multitudine ajunt ad invicem: Si virtus est ulla deitatis, erigatur sponte, jubeatque boves, qui tellùri sunt stabiliti, procedere. Certe si moveri nequit, manifestum est, nihil esse divinitatis in ea. Tunc accedentes et immolantes unum de pecoribus, cum viderent deam suam nullàtenus posse moveri, relicto gentilitatis errore, inquisitoque Antistite loci, conversi ad unitatem Ecclesiae, cognoscentes veri Dei magnitudinem, sancto sunt baptismate consecrati.

* Vide *Eccl.* XIII et *Proverb.* VI, 27.

VITA

S. PROSPERI EPISC. REGIENSIS

AUCTORE JOANNE ANTONIO FLAMINIO IMOLENSI.

Floruit circa med. V saec. — Patriâ incerta.

§ 1. Beatus Prosper Regiensis Episcopus, vir quidem multiplici doctrinâ et sanctitate insignis, ex qua urbe quibusve parentibus ortus fuerit, non satis compertum habemus. Illud satis constat, Aquitanum fuisse (*a*): qui cum adhuc in patria esset, mira jecit futurae sanctitatis fundamenta, futurus aliquando in Ecclesia Dei praefulgens longe lateque lucerna. Cum autem sacrae scripturae assiduus ac diligens lector esset, ac frequenter Evangelistarum libros in manibus haberet, divinitus ei oblatus est locus ille, ubi Christus quemdam admonet, dicens : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*. Igitur divini consilii non surdus aut segnis auditor, ad eam se ratus perfectionem vocari, coepit continuo, ut fidelis Domini sui dispensator bonorum quae possidebat, inter pauperes Christi suas facultates distribuere: ut rerum terrenarum sarcinâ levatus, expeditus ac liber Christum se vocantem sequeretur, ac illi soli vacaret: servis etiam et ancillis libertate donatis, Romam se contulit, ut celebrem in toto orbe principum Apostolorum aedem viseret. Romanam tunc Ecclesiam sanctissimus ac facundissimus Pontifex Leo primus administrabat: ad quem mox tanti viri adventus fama est perlata : cujus videndi miro desiderio tactus, non prius destitit, quam illum in suum hospitium attraxit. Quanta vero charitate illum susceperit, et quanto sit affectus gaudio, ubi se talem esse nactum hospitem vidit, dici nunquam posset: nec aliter quidem gavisus est, quam ex adventu Pauli Petrum esse laetatum legimus.

§ 2. Videbat enim inter caetera, quae suam laetitiam cumulabant, magnum sibi tempore maxime opportuno adjutorem a Deo missum, invalescente quotidie magis diversis in locis, praecipueque in Orientalibus, Nestoriana et Eutychiana haeresi, quae unam tantum in Christo naturam asserebat. Ad qnam evertendam beatum Prosperum cum multis aliis Romanae Ecclesiae praesulibus misit, qui secundum sanctionem catholicae fidei , promulgatam

(*a*) Hanc ingenio suo et ex meris conjecturis descripsit Vitam Flaminius qui et alias SS. historias edidit circa MDXVI. Mendosam AQUITANICI denominationem S. Episcopo praefixam in titulo abrasimus (*Vide Not. seq. p.* 534).

in Synodo Nicena, sanctam Trinitatem asseruerunt, et in Christo Deo vero, ante Luciferum ex patre genito, et homine simul in fine seculorum de immaculata Virgine nato, duas esse naturas, certissimis approbationibus asserentes, antedictas haereses sustulerunt, atque earum auctores Eutychen et Nestorium juxta chirographum, tunc ad Martianum Imperatorem missum, unanimiter damnarunt.

§ 3. Cum autem, victus ejusdem Pontificis precibus aliquandiu ibidem commoratus esset, et missis ad diversas Ecclesias epistolis, multas haereses contrivisset, Pontifex superne admonitus, Regiensi Ecclesiae valde reluctantem, quod se tanto imparem oneri diceret, praefecit. Coelesti autem beatus Prosper victus imperio, ad Ecclesiam sibi creditam iter ingressus est. Ad quam dum tenderet, jam Episcopus illius senio confectus, et tam gravi morbo correptus, diem suum obierat. Ingenti igitur moerore ob amissum Antistitem optimum civitas affecta est. Tunc sacerdos quidam, vitae admodum probatae et omnibus venerabilis, coelitus admonitus, omnem illam tristitiam depulit, asserens novum adventare Antistitem, a Deo electum, et ab ejus Vicario ad regendam Regiensem Ecclesiam ab urbe Roma missum, et mox adfuturum. Quibus auditis, populus et Clerus omnem moerorem deposuit, et miro cum desiderio illius adventum praestolabantur. Quotidie autem magis vulgata de sanctitate novi praesulis fama crescebat. Ubi vero factus est urbi vicinior, in occursum illius tota civitas effusa est, et cum incredibili gaudio sanctum antistitem suum laetis acclamationibus suscepit. In episcopali deinde cathedra collocatus, ut jam populo suo et commisso sibi gregi lucerna super candelabro esse inciperet, hujusmodi orationem habuit:

§ 4. « Video, fratres charissimi, quantum meis imbecillibus humeris onus impositum sit. Neque enim major, quam animarum, cura demandari cuiquam potest. Quod quidem onus eo certe gravius est, quo qui regendi sunt, majora et paucis concessa expectant. Judiciis enim ejusmodi et concitatis sui opinionibus, respondere difficillimum est. Videre videor, quid expectetis, et quid de me vobis polliceamini. Quare dandam mihi enixe operam intelligo, ne quid a me praetermittatur, quod ad verum animarum pastorem pertineat. Verum quia scio, quanta fiat levior sarcina, quam plurium colla sustentant, mecum hoc, filii, onus dividite, et sanctum onus partimini. Quod erit facile, si vestrae salutis, si mandatorum Dei memores, mutuam charitatem amplexabimini, de qua, velut de uberrimo fonte, mirifice virtutes emanabunt, scilicet, humilitas, proximi dilectio, pax certa et animorum concordia: quibus quidem bonis si non carebitis, sicut carere vos minime decet, nusquam a vobis Christus aberit, et prospere vobis omnia cedere videbitis. Hoc erit, quod modo

dixi, quodque inprimis opto, mecum onus dividere: faciliora enim sic mihi et leviora fient omnia. Nihil enim tam durum ac tam laboriosum regenti est, quam in perversa hominum incidere ingenia: quae quo longius a recti semita abierint, hoc difficilius a facinoribus et improbitate sua retrahuntur. Subditorum virtutes ac vitia, aut suavem, aut duram faciunt regentis administrationem. Vos quidem dilectissimi, populus Dei et oves pascuae illius estis. Quales si tales eritis, quales vos maxime futuros spero et opto, cessura vobis et mihi feliciter omnia, praesente Deo, minime dubito. Ut autem tales esse possitis, Deum vobis in rebus omnibus proponite, illum inprimis colite, illum ut aequissimum dictorum ac factorum omnium nostrorum judicem reveremini, justum retributorem, si recta sequamini: districtum judicem, si mandatorum illius contemptores inveniemini. Haec sunt quae in hujus nostrae curae pastoralis primordiis vobis dicenda putavimus, quibus et bene currentes in cursu contineamus, et segniores, si qui sunt, ad eamdem metam tanquam subditis calcaribus excitemus. »

§ **5**. Haec felicia fuere sanctae administrationis illius initia, quibus qualem se populo suo pontificem praestiturus esset, et qualis commisso sibi gregi pastor futurus, sic facile declaravit. Sed et longe omnium opinionem superavit, et expectatione illa, quae pectoribus hominum statim insederat, quotidie major apparuit. Nihil studiosius quaerebat, nihil procurabat attentius, quam quomodo populum suum Deo maxime placentem efficeret. Idcirco crebris illum declamationibus, quibus nihil facundius aut efficacius dici poterat, ad rectam vivendi normam incitabat, et in via Domini continebat: quae tametsi gratiâ et lepòre admirabili ob innatam illi facundiam condiebantur, et sanctae scripturae testimoniis refertae erant, et mirifice proderant: majorem tamen vim et auctoritatem illis probatissimi ejus mores et vitae sanctitas adferebat. Nihil enim dicebat, quod opere ipse non impleret, sciens parum utilem esse doctrinam, quae docentis vitam argueret. Erat illius pectus charitate ardens, mitis praesentia, omnibus affabilis, temperatain delinquentes severitas, ut magis illos corripientis charitas moveret, quam verborum asperitas.

§ **6**. Quid referam, quantae illi curae egèni essent, qua pietate pupillos prosequeretur et viduas? Non sexus, non ordo, non aetas erat in civitate, cujus tanquam omnium pater curam non gereret: ac propterea frequenter populum in ecclesiam vocabat, ac salutaribus documentis instruebat, et quod audiebant ut opere complerent, diligenter procurabat. Oculos in omnes, de eorum salute solicitus, intentos habebat, super gregem suum incessanter invigilans, ne qua de sanctae gremio Ecclesiae antiqui hostis fraude ovis exiret. Idcirco mirus erat indagator, ut quae vita, qui mores multitudinis sibi commissae essent, non ignoraret.

Seniores ecclesiae suae sacerdotes, imitatus Apostolum, ut patres reverenter admonebat, juniores instruebat ut fratres, anus ut matres, puellas ut sorores aut filias, incredibili studio in viam Domini dirigebat, rectum et verum agens animarum Episcopum. Ipse autem cavens cum Apostolo, ne, cum aliis praedicaret, reprobus efficeretur, exemplo magis quam verbo prodesse suis, ac illorum animos confirmare studebat. Propterea vigiliis, orationibus, jejuniis, ac multiplici maceratione carnem domabat, et parère spiritui cogebat. Magno etiam charitatis impulsu finitimarum urbium Episcopos tanquam collegas, crebro per epistolas hortabatur, ne dignitatis suae, ne impositi sibi oneris obliviscerentur. Quae quidem omnia tantam illi apud omnes, non solum suos, sed etiam alienos gratiam et amorem conciliarunt, ut non aliter ac omnium parentem, illum diligerent ac venerarentur. Talis ac tantus praesul duos et viginti annos Regiensem * rexit Ecclesiam, hoc est, ab anno adventus Christi quadringentesimo quadragesimoquarto, usque ad annum quadringentesimum sexagesimumsextum. Floruit maxime sub Leone primo Pontifice Maximo, cui, sicut ostendimus, charissimus extitit. Ubi vero tempus advenit, in quo tot virtutum ac meritorum suorum propositam sibi mercedem reciperet, in aegritudinem incidit, quae vitae finis illi fuit. Igitur suos ad se convocans filios, veluti jam praesagientes, quid mox futurum erat, et ingenti metu perculsos ac flentes sic allocutus est:

§ 7. « Video, dilectissimi, quantus pectora vestra moeror occupaverit, quia meae vitae finem adventasse cernitis, nec miror: scio enim, quam molestum sit amantibus disjungi, cum praesertim sic ab aspectibus invicem separantur, ut visuri eos amplius non sint quorum praesentiâ maxime delectentur. Vehemens istud desiderium vera charitas gignit: sed moderate illud ferendum est, ubi credunt qui remanent, multo utilius esse discedentibus proficisci, quam hic diutius esse. Sic mihi quidem contingit, qui cum Apostolo *cupio dissolvi, et esse cum Christo*. Ea est meta, ad quam jamdiu pròpero, et ad quam semper omnia mea contuli vota. Quare sic a vobis discessurus sum, ut multo magis in posterum sim vobiscum futurus. Neque velim discessum hunc a vobis meum arbitremini, sed ad longe meliorem statum accessum, ubi multo melior vobis sim futurus, si in dilectione, ad quam vos semper hortatus sum, permanseritis, si mutuae charitatis et mandatorum Dei eritis memores. Si enim putatis me potuisse vobis hucusque prodesse, qualem me futurum erga vos deinceps credere debetis, ubi inexhaustum bonorum omnium thesaurum attigero? Igitur abstergite jam lacrymas, et flendi

* Regium et Rhegium Lepidi, vel Aemiliae, vel Mutinense (ital. *Reggio*) urbs non ignobilis est et adhuc Episcopalis ab anno Chr. LX quo Protasius quidam S. Barnabae Apost. discipulus creditur eam Evangelium docuisse et primus ejus fuisse Antistes.

finem facite, et gaudendum magis hac in re vobis, quam dolendum, existimate.»

§ **8.** Haec cum dixisset, et non solum sacerdotibus ac Levitis, sed quam plurimis etiam de populo, qui frequentes advenerant, benedixisset, oculos et manus in coelum sustulit. Tunc mire facies illius exhilarata est atque resplenduit, et stupentibus qui aderant omnibus, et psalmis et hymnis egredientem animam comitantibus, felicem praesenti, ut creditum est, Deo ac sanctis ejus Angelis spiritum tradidit. Quantum vero sui desiderium reliquerit, totius civitatis moeror ac luctus testatus est. Ubique suspiria, ubique gemitus audiebantur, nec ullus erat lacrymis modus. Non enim aliter, quam si domesticus unicuique luctus esset, dolebant et lamentabantur. Ductae sunt deinde solemni apparatu, ac totius populi, omnium aetatum ac omnium ordinum concursu, exequiae: sepultusque est extra urbem in templo, quod in honorem beati Apollinaris ipse consecraverat. Obiit autem septimo Calendas Julii, hoc est, quinto ac vigesimo Junii die, qui beati Joannis Baptistae nativitatem subsequitur, anno ab adventu Christi quadringentesimo ac sexagesimosexto, Hilaro Pontifice Maximo Ecclesiam regente, Leone vero Romanum tenente Imperium. Quam vero gratus Deo extiterit, et quem locum in Angelicis choris adeptus sit, mira ad illius sepulcrum prodigia continuo subsecuta declaraverunt: ad quod nullus, quacumque detineretur aegritudine, frustra confugit. Claudi gressum impetrarunt, caeci visum: paralyticis confirmata sunt membra, ab obsessis corporibus daemones fugati. Nemo verbis satis digne consequi posset, quanto splendore divinum pontificem suum Deus populis omnibus, ac in Ecclesia sua veluti coeleste quoddam jubar fulgere voluerit: ut se tanto felicem praesule ac patrono Regiensis civitas merito dicere possit. Sed non tantus ad illius sepulcrum honor ac veneratio temporis longinquitate consenuit: sed ad hoc usque tempus perdurat ac viget, nec ullius ad id pie accedentis divina gratia fidem ac spem esse irritam sinit (*a*).

§ **9.** Verum quia, sicuti ostendimus, extra urbis muros erat

(*a*) Tres insignes sanctitate PROSPERI, quorum duo, hodie scilicet Regiens. Episc. et XXIX jul. Episc. Aurelianensis, cultu liturgico donati, saeculo V floruere; e tribus autem unus, AQUITANICUS, non Episc. sed probabiliter Presbyter, rebus gestis, doctrinâ scriptisque celebratus ab aliis distinguendus qui perperam *Aquitani* dicuntur, de quibusque passim propterea quaedam narrantur solius Aquitanici propria.

Prosper igitur *Aquitanus* ex natali gallica provincia dictus, Romam primo ob quasdam Semipelagianismi infectas, inter nonnullos e Massiliensi Clero exortas quaestiones, venit cum S. Hilario Siculo (non Arelatensi), Ecclesiam regente S. Coelestino: ac Urbem secundo petiit sub Leone Magno, cui charissimus et ab Epistolis fuit. Egregiis hic clarus de re Mathematica, Philosophica et Theologica libris, quos inter, *Chronicon* usque ad an. CCCCLV et Poëma *Contra Ingratos*, sive dogmatis de Gratia adversarios, praecipue laudantur.

Alius S. Prosper fere coaevus, Aurelianensis Antistes extitit, S. Aniani, haud tamen immediate, successor. Tertius Regiensis, de quo hodie, in Aemilia, med. Italiae regione, Episcopus fuit, reapse forsan et ipse Aquitaniâ oriundus, unde commune mendum, quo nec Baronius expers, ut ejus conficiendae historiae, *Aquitani* supparis facta et cognomentum mutuarentur, et Regii Ecclesia eum Doctoris ritu colendum susciperet. Male tandem nonnulli, Prosperi nostri loco, *Regiensis* vocabulo in *Rejensis* Episcopi (*Riez* in Narbonensi) corrupto, alium S. Prosperum proferunt, *Aquitanici* item titulo decoratum; de quo nil certo constat, quique admittendus si videatur, multo praeallatis homonymis senior fuit.

sepultus, et saevientibus Barbarorum bellis, quibus vexata diu fuerat Italia, frequentari ex more sepulcrum non poterat, ne tanti praesulis veneratio paulatim obsolesceret, divina providentia, quae in sanctis suis clarescere non desinit, miro quodam modo cavere voluit. Praeerat ecclesiae Regiensi vitae ac morum sanctitate venerabilis Episcopus, nomine Thomas: qui dignus beati Prosperi successor, ita gregem sibi commissum regebat, ut verbo et exemplo cunctis recte vivendi norma esset. Hic vigiliis, orationibus, jejuniis, eleemosynis, et caeteris quae Episcopale fastigium decent, assidue erat intentus. Is dum ex more oraret in templo, subitus illum sopor invasit: quiescenti beatus Prosper apparuit augusta specie, candida indutus stolâ, et venerabili canitie conspicuus: qui ei mandavit, ut parvam ecclesiam, quam diximus, in qua corpus suum parum decenter quiescebat, amplificaret, et in ea locum extrueret, ubi sua deinceps ossa decentius servarentur, addens, ne differret mandatum exequi. Divino monitu expergefactus Episcopus, sacerdotes statim suos et populum ad se vocavit, et quid sibi mandatum foret aperuit: et ne divini praecepti parum diligens executor videri posset, opus continuo est aggressus. Extructa igitur aede, ac praeparato magnifice loco in quem sacrae transferrentur reliquiae, convocatis religiosorum omnium collegiis, et populo qui frequens confluxit, sepulcrum vetus in quo usque ad Luitprandi Longobardorum Regis tempora quieverant, apertum est, de quo tanta coelestis fragrantia effusa est, ut nulla ei aromata comparari possent. Ita eductae sacrae Reliquiae cum ingenti omnium plausu atque laetitia, manantibus ubertim prae nimio gaudio per ora cunctorum lacrymis, nova in arca in altari principe ecclesiae Monasterii S. Prosperi reposuit, magna adhibita solemnitate. Ubi mira quamplurima antedictis non dissimilia, meritis S. Confessoris sui Deus, omnium cum stupore operatus est.

VITA ET MARTYRIUM
SANCTAE FEBRONIAE VIRGINIS

PER THOMAIDEM SANCTIMONIALEM SCRIPTA.

HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE.

Passa circa 303. — Ex Oriente.

§ 1. Quo tempore Diocletianus Romanis imperabat, accidit ut Anthimus Praeses morbo laboraret, et in lecto jacèret. Selenum igitur fratrem ad se accersitum, his verbis affatus est: « Ego, mi frater, ex rebus humanis excedo, itaque Lysimachum filium

meum in manus tuas trado: cui quoniam Prosphori Senatorii hominis filiam uxorem dandam constituimus, velim post meum obitum nuptias quamprimum studeas perficere, et sis illi patris loco. » Haec cum Praeses fratri mandasset, post tres dies e vivis excessit. Imperator vero Diocletianus Lysimachum Anthimi filium, et Selenum ejus patruum ad se accersivit, et seorsum dixit Lysymacho: « Ego, adolescens, patris tui amicitiam recordatus, in animo habui, post ejus excessum te in ejus locum Praesidem constituere: sed quoniam famâ quadam aures meae personant, te Christianorum religione delectari, interea id facere distuli. Volo igitur te ad Orientis partes mittere, ut Christianorum religionem persequaris ac deleas: cumque ad nos reversus fueris, tunc Praesidem ages. »

§ 2. Haec cum Lysimachus audivisset nihil Imperatori ausus est respondere: erat enim aetate admodum juvenili, annum agens fere vigesimum. Selenus vero ejus patruus cum ad Imperatoris pedes, procubuisset: « Supplex, inquit, immortalem majestatem tuam oro, ut paucos dies Lysimacho concedas, ut nuptias celebrare possit: postea et ego una cum illo abibo, et omnia fient, qua divina majestas tua praecepit. » Tunc Imperator: « Prius ad Orientem profecti, Christianorum religionem extinguatis: cumque omnia recte perfeceritis, huc reversi, me quoque habebitis omne studium adhibentem ad conficiendas Lysimachi nuptias. » Haec cum audivissent, non amplius ausi sunt Imperatori respondere. Acceptis igitur mandatis, et militibus multis, ad Orientem iter fecerunt. Lysimachus vero secum duxit virum quemdam Primum nomine, ex eorum numero, qui Comites vocantur. Erat autem ille ex matris ejus sorore genitus, quem et exercitui praeesse voluit. Cum igitur venissent ad Orientem, et ad Mesopotamiam accessissent, in ea regione quae Palmyra dicitur, Christianos homines partim in ignem conjecerunt, partim gladio percusserunt. Erat enim Selenus ille admodum saevus atque inhumanus, qui non solum haec quae diximus, faciebat, verum etiam illorum corpora canibus escam projici jubebat. Multus igitur terror propter Seleni durioris viri saevitiam atque atrocitatem totum terrarum orbem continebat.

§ 3. Nocte vero quadam Lysimachus Comitem Primum ad se accersitum, his verbis affatus est: « Honestissime vir Prime, tu nosti, quod licet pater meus Graecorum superstitionem sequens, mortuus fuerit, tamen mater mea Christiano cultui dedita vitam egerit, et diem obierit: quae quidem multum studium ac diligentiam adhibebat, ut Christianus fierem: sed ego propter Imperatoris et patris mei timorem, id facere adhuc ne potui. Quin etiam matris meae habeo mandata, ne quem Christianorum hominum interficerem, sed Christi amicus esse studerem. Nunc autem Christianos ipsos video sub hoc homine perditissimo Seleno

patruo meo cruciatos impie necari. Quamobrem animus meus illorum causâ valde affligitur. Volo igitur, ut Christianorum incolumitati clam deinceps consulamus, priusquam a Seleno ipso pessime omnes interficiantur. » Haec cum audisset Primus ille, neminem Christianorum comprehendi jubebat: sed illis, quos noverat, et monasteriis etiam significabat, ut vastatoris Seleni manus aufugerent.

§ 4. Cum vero adhuc in illis locis versarentur, volebant Sibapolim * pervenire quae sita erat in finibus Assyriorum, ac sub Romanorum ditione constituta. Erat autem in urbe illa monasterium mulierum quinquaginta, quae monasticae vitae studio seipsas exercebant. His praeerat mulier quaedam nomine Brienna quae magistram habuerat Platoniam, diaconatus officio ** ante se functam, cujus traditionem et canonem ad finem usque optime servavit. Platoniae autem canon talis fuerat. In die Parasceves nulli ex sororum numero licere opus aliquod facere, sed in sacello omnes convenire. Itaque modo psalmorum canendorum regulam exequebantur, modo Platonia librum tenens, literas divino Spiritu afflatas, sororibus legebat usque ad horam tertiam. Post tertiam autem horam dabat librum in manus Briennae, jubens ex eodem libro aliquid sororibus legere usque ad vesperam. Ita igitur et Brienna faciebat, tale ministerium obeundo. Cui duae virgines adolescentes aderant, bene apud illam educatae et exercitationis monasticae palaestram obeuntes: quarum una Procla, altera Febronia nominabatur; eratque Procla annos nata vigintiquinque, Febronia vero viginti, quae Briennae erat neptis. Eadem pulchritudine et corporis staturâ erat valde insignis et aspectu valde hilaris, ita ut venustas in ore ipsius efflorescens, humano artificio depingi non posset.

§ 5. Porro erat Briennae multa solicitudo, quo pacto Febroniam intactam servaret, illam formâ tam egregia praeditam videns. Cum vero omnes sorores illae ab unius diei vespera usque ad sequentis vespertinam horam jejunarent, jussit Febroniam post duorum dierum spatium comedere. Illa igitur cum se tali corporis habitu praeditam videret, tunc etiam neque panem, neque aquam ad satietatem usque sumebat. Ad haec jussit parvum quoddam scamnum sibi componi, tribus cubitis longum et uno palmo ac dimidio latum, in quo requiescebat, quoties dormiendi tempus advenerat. Interdum et in solo nudo carnes suas reclinabat. Quoties vero a diabolo nocturnis cogitationibus tentabatur, exurgebat, et multis cum lacrymis Deo supplicabat, ut diabolum tentantem a se fugaret: et statim librum aperiens, divinas literas laboriose legebat. Cum enim adolescens esset discendi cupida, tam multa didicit, ut tantum Febroniae scientiae studium Brienna

* *Nisibim* legendum, sive Antiochiam Mygdoniae in Mesopotamia.
** Quomodo intelligendum hocce in muliere Diaconatus officium, vide in Surio Vol. II, p. 412.

valde admiraretur. In die igitur Parasceves omnibus sororibus illis ad aedem sacram convenientibus, jubebat Brienna Febroniam divina eloquia sororibus legere. Quoniam vero mulieres nobiles in die Parasceves ad sacellum veniebant, et spiritali doctrinâ fruebantur, jussit Brienna Febroniam velo contectam divina eloquia recitare: hominis enim externi vel mulieris aspectum, cujusmodi esset, nunquam viderat.

§ 6. Febroniae igitur doctrina usquequaque per totam urbem, et pulcherrima ipsius forma, et mansuetudo, atque animi modestia celebrabatur. Quod cum audivisset Hieria senatorii generis mulier, miro quodam ardore inflammata, quaerebat cum Febronia colloqui. Erat autem Hieria illa superstitionis Grecae cultrix, et necdum ad baptismum venerat: quae cum unâ cum viro suo menses septem vixisset, vidua postea facta, reversa est in suam patriam ad proprios parentes, quiete vivens. Erant autem et ipsi Graecae superstitionis cultores. Venit igitur in monasterium, et per januae custodem, consilium suum Briennae significavit. Exiit Brienna ad illam. Cumque Hieria ipsa ante Briennam sese prostravisset, eam adoravit, et apprehendens ejus pedes: « Obtestor, inquit, te per eum qui fecit coelum et terram, ne me abominèris quae Graecam superstitionem secuta sum, ob idque impure me gessi, et ad hanc usque diem idolorum fui ludibrium. Ne me prives sororis meae Febroniae doctrinâ atque congressu. Per vos liceat mihi discere salutis viam, ut per eam incedam. Liceat invenire quae Christianis parata sunt. Liberate me ab hujus seculi et impurae idolorum superstitionis vanitate, quoniam cogunt me parentes mei secundis nuptiis copulari: et sit mihi vita, Febroniae consuetudo et doctrina: satis enim mihi est, praeteriti temporis inscitiâ, tanquam poenâ quadam, mulctatam fuisse. »

§ 7. Haec cum diceret Hieria, et lacrymis pedes Briennae aspergeret, ipsam in multam misericordiam concitavit. Illi igitur Brienna: « Quod ad Febroniam, inquit, pertinet, novit Deus, quemadmodum cum duos annos ageret, ipsam in hoc monasterio in manus meas acceperim: et hodie decem et octo anni sunt, ex quo in monasterio vivit, neque viri alicujus, neque mulieris in mundo versantis formam aspexit: sed nec mundi figuram aliquam hucusque vidit: quin etiam neque ejus nutrix hactenus ipsius aspectum cernere potuit. Quamvis enim lacrymans saepe mihi supplicaverit, ut liceret cum ea colloqui, non tamen id assecuta est, nam ei hoc ego non concessi. Cum vero te ejus videndi desiderio teneri intelligam, et Dei amantem esse cognoscam, ad eam deinceps te intromittam, modo veste monastica induta fueris.» Duxit igitur Brienna Hieriam ipsam ad Febroniam. Quam cum virgo Febronia monastica veste indutam vidisset, ad Hieriae pedes se dejecit: existimabat enim peregrinam aliquam monacham a se videri. Vicissim igitur se amplexae sunt, quas

ambas jussit Brienna sedere, et Febroniam divinae scripturae libros legere. Ejus autem lectione ac doctrinâ ita compuncta est Hieria, ut totam noctem insomnem simul transegerint: neque enim Febronia dicendo, neque Hieria audiendo defatigabatur. Tantum vero lacrymarum in terram effudit Hieria, ut totum solum ejus lacrymis irrigatum fuerit. Diluculo autem vix Brienna potuit persuadere Hieriae, ut illinc ad parentes suos rediret. Cum igitur se vicissim iterum amplexae, lacrymarum plenae fuissent, descendit Hieria in domum suam, et persuasit parentibus, ut ab inanibus paternae traditionis moribus, et idolorum servitute discederent, et Deum omnium Creatorem cognoscerent.

§ **8**. Febronia vero interrogavit Thomàidem quae secundas partes diaconatus gerebat: « Quaeso, domina mea et mater: Quaenam est illa hospes et soror quae ita lacrymis perfusa erat, quasi alias nunquam divinas literas legi audierit? » Tunc Thomàis Febroniae respondit: « An ignoras quae illa sit? - Et undenam, inquit illa, peregrinam mulierem cognoscere poteram? » Tum Thomais: « Haec est Hieria, senatorii generis foemina. - Et quare, inquit, Febronia, mihi non significastis, ne ego tanquam cum sorore loquerer? » At illa: « Ita fieri jussit Brienna Praeses. » Illis diebus aegrotavit Febronia usque ad mortem, et in scamno illo suo jacebat.

§ **9**. Interim fama quaedam ad urbem illam pervenit, Lysimachum et Selenum adventare, ut Christianos cruciatibus multis affligerent. Omnes igitur Christiani, qui erant in civitate, clerici, laici et monachi, relictis rebus suis, aufugerunt, ita ut ejus etiam urbis Episcopus propter imminentem terrorem se occultaverit. Cum hoc audivissent ejus monasterii sorores, adierunt Briennam, et haec ei dixerunt: « Quidnam faciemus, cum ferae urbem hanc occupaverint, et omnes propter imminentes minas aufugerint? - Quidnam, inquit Brienna, vobis placet? » Tum illae: « Jubeas, mater, nos latère paulisper, ut animas nostras nos etiam servemus. » Ad haec Brienna: « Nondum, inquit, bellum vidistis, et de fuga cogitatis? Nondum palaestra praesto est, et statim vos victas ostenditis? Nolite, quaeso, filiae, ita facere: nolite, quaeso, sed resistamus, et certemus, ac moriamur pro eo, qui pro nobis mortuus est, ut et cum illo vivamus. » Haec cum sorores audivissent, conticuerunt.

§ **10**. Die autem crastino una quaedam e sororibus, nomine Aetheria, dixit: « Scio ego, quod Febroniae causâ non permittit nos Brienna hinc secedere. Fortasse propter hanc Febroniam nos omnes perire vult. Sed ecce ego dico vobis, ut illam adeamus: ipsa enim pro omnibus dicam, quod decet. » Cum haec audivissent sorores, aliae paruerunt Aetheriae, aliae contradixerunt, ejus consilium condemnantes. Cumque multa dissensio inter eas per aliquot horas fuisset, postremo omnes concordes adierunt Briennam, ut scirent, quod consilium illis daret. Postea vero quam venerunt

illae, et Brienna consilium Aetheriae cognovit, intuens in illam: « Quidnam, inquit, vis, soror Aetheria? » Quae respondit: « Ut jubeas nos occultari, et imminentem furorem aufugere: non enim meliores sumus clero et Episcopo. Oportet te illud cogitare, inter nos adolescentulas quasdam esse, quibus cavendum est, ne aliquo modo comprehendantur a militibus, et corrupta corporis virginitate, exercitationis monasticae mercedem amittant. Illud etiam timendum, ne nos tormentorum angustias sustinere non valentes, daemonum cultrices effectae, animarum nostrarum jacturam faciamus. Si placet igitur, jubeas nos aufugere, et Febroniam nobiscum ducere. »

§ 11. His auditis, dixit Febronia: « Vivit Christus meus, cui desponsata sum, cui animam meam dedicavi, quod non egrediar e loco isto: sed hic moriar, et hic sepeliar. » Tum Brienna ad Aetheriam conversa: « Tu, inquit, videto quid agas: ego innocens de hac re futura sum. » Deinceps dixit et aliis sororibus: « Unaquaeque vestrum novit, quid sibi expediat: quicquid igitur vult, illud eligat. » Tunc omnes sorores illae metu impulsae, salutem dixerunt Briennae et Febroniae, multisque lacrymis et gemitibus sua pectora percutientes, e monasterio egressae sunt. Procla vero Febroniae condiscipula, ejus collum amplectens, ipsam deosculabatur, clamans et orans ut pro illa Deum precaretur. At Febronia manu ipsam apprehendens, non permittebat e monasterio egredi, dicens: « Metuas Deum, Procla soror. Saltem tu nos non derelinquas (an non vides me aegrotare?) ne forte moriar, et Brienna non possit me in sepulcrum demittere. Maneas igitur hic, ut funus meum cures. » Tunc Procla respondit: « Non derelinquam te, soror mea, ut jubes. - En, inquit Febronia, coram Deo mihi pollicita es, quod me non derelinquas. » Vespere autem Procla illa mutato consilio, discessit e monasterio.

§ 12. Brienna igitur cum monasterium illud propter imminentes angustias sororibus destitutum vidisset, ingressa est in aedem sacram, et in solum se abjecit, ululans et lamentis Deum implorans. Thomais vero quae secundas partes post Briennam gerebat, assidens illi, eamque rogans: « Desine, inquit, mater mea, flere: potens est enim Deus noster cum angustiis et tentatione facere, ut felicem eventum habeamus, et tentationes ferre possimus. Quisnam credidit Domino, et unquam confusus est? Quis unquam permansit in timore illius, et ipse eum contempsit? - Ita profecto, inquit Brienna, res se habet: sed quid faciam Febroniae? Ubinam ipsam occultem, aut servem? Quibus oculis aspicere potero, illam a barbaris captivam duci? » Ad haec Thomais: « Num oblita es eorum quae tibi dixi? Qui potest homines mortuos exsuscitare, ille idem et Febroniam corroborabit, et servare poterit. Itaque mater mea, quaeso, animum confirmes, et sententiam

mutes: desistensque a gemitibus et lamentis, veni, ut Febroniam confirmemus, eo quod ipsa morbo afflicta decumbit. »

§ **13**. Cum igitur ad scamnum venissent, in quo Febronia decumbebat, statim Brienna gravem ululatum emisit: et cum faciem in sua genua dejecisset, lacrymis perfundebatur. Cum vero in ipsam Febronia intueretur, ad Thomaidem orationem dirigens: « Quaeso, inquit, mater, quisnam ululatus fuit Briennae? Audivi enim ipsam et paulo ante, cum adhuc esset in aede sacra, clamores magnos emittere. - Tui causâ, inquit Thomais, gemitum et lamentationes emittit: aerumnas enim praevidet quae a Tyrannis nobis inferendae sunt, propterea quod tu adolescens et pulchritudine valde insignis es. » Tum Febronia: « Rogo vos, ut pro me ancilla vestra Deum oretis: potens est enim ipse respicere humilitatem meam, et me infirmam corroborare, mihique patientiam concedere, ut omnibus servis suis, qui vere ipsum dilexerunt. » Ad haec Thomais: « Filia, inquit, mea Febronia, en tempus certaminis praesto est. Igitur si a militibus comprehensae fuerimus, nos quidem ut aetate provectae, brevi tempore a Tyrannis interficiemur: te vero, ut adolescentem et pulchritudine insignem, detinebunt. Ergo si te blanditiis allicient, nequaquam illis obtemperes. Quod si auro vel argento, veste aut delicatis cibis te demulcere studebunt, vide, filia, ne illis credas, ne praeteritorum laborum mercedem perdas, neve daemonibus et idolis ludibrio sis. Nihil virginitate praestantius. Multa enim est ipsius merces: et praemium virginitatis sponsus immortalis est, qui et immortalitatem his praebet, qui eum exoptant. Da operam, Febronia, ut illum videas, cui et animam tuam dedicasti. Vide, filia mea, ne rèprobes ejus pignus, et conventa frangas, quibus cum Christo ipso conjuncta es. Terribilis enim est dies ille, cum sederit in solio gloriae suae Judex ipse, a quo unusquisque recipiet secundum opera sua. »

§ **14**. Haec cum audivisset Febronia, confirmabatur, et fortiter ac generose contra diaboli spiritus seipsam praeparabat: et respondens Thomaidi: « Bene, inquit, fecisti, domina mea, quod servam tuam confirmans, animam meam alacriorem effecisti. At si fugiendi certaminis propositum habuissem, et ego cum sororibus ipsis exire, et meipsam occultare poteram. Sed quoniam illum desidero, cui et animam meam dedicavi, studeo ad ipsum accedere, si quidem dignam me faciet quae pro nomine ipsius certem et moriar. » Haec cum audisset Brienna, coepit et ipsa dicere: « Filia mea Febronia, memoriâ repetas, quemadmodum doctrinam meam assecuta es. Recordare, quemadmodum et aliorum magistra fueris. Recordare, quod te secundum jam annum agentem in manus meas a nutrice tua acceperim, et ad hanc diem nemo faciem tuam vidit. Feci, ut cum mundi hujus mulieribus non versareris. En, ut hactenus te custodivi immaculatam.

Nunc autem quid faciam tibi, filia mea? Oro, ne senectutem Briennae dehonestes, ne laborem spiritalis matris tuae inanem efficias. Memoriâ repetas, certatores illos, qui ante te fortiter et gloriose martyrium passi sunt, victoriae coronam ab illo coelesti certaminum Praeside percepisse. Non viros solum, sed etiam mulieres recordare; Libiam et Leonidem sorores illas duas quae martyrium gloriose pertulerunt: e quibus Libia ipsa gladio percussa, capite privata est. Leonis vero in ignem conjecta fuit. Recordare quemadmodum puella Eutropia *, duodecim annos nata, martyrium sustinuerit. An non semper Eutropiae obedientem animum, et ejus tolerantiam ac patientiam admirabaris, cum eam Judex ipse vinculis exsolutam, sagittis peti jussit, ut prae metu fugeret? Sed illa matrem ita sibi dicentem audiens: Filia mea Eutropia. vide ne fugias: manus sibi post terga devinxit, et sagittis percussa in solum cecidit, et statim spiritum emisit, et matris praeceptum non violavit. Nonne puellae hujus patientiam tu semper admirata es? Et illa quidem puella erat, omnium literarum rudis atque ignara: tu vero et aliarum magistra existis.»

§ **15**. Cum haec et his plura dicerentur, nox praeteriit, et dies illuxit. Post ortum autem solis. tumultus et clamor, ab his qui urbem illam incolebant, emittebatur, cum Lysimachus et Selenus eo venissent. Ut igitur Christiani multi a militibus capti, et in carcerem conjecti fuerunt, quidam ex Graecorum numero ad Selenum de monasterio illo significarunt. Ille autem statim misit in monasterium milites. Qui cum illud circumdedissent, et portas securibus perfregissent, facto impetu in monasterium irruerunt, et statim Briennam comprehensam gladio interficere voluerunt. Sed Febronia, cum periculum imminere vidisset, se ad militum pedes abjiciens, dixit: « Obtestor vos per Deum coelestem, me me prius de medio tollite, ne dominam meam morientem videam. » Dum haec Febronia diceret, Comes ille, qui Primus vocabatur, supervenit, indignatusque adversus milites, eos e monasterio expulit, et Briennam alloquens: « Ubinam, inquit, sunt aliae, quae in monasterio isto erant? » Illa vero respondit: « Prae metu omnes secesserunt. — Utinam, inquit Primus, et vos secessissetis: » et adjunxit: « Liceat vobis salvas abire, quocumque volueritis.» Mox secum milites abducens, e monasterio discessit. Cumque ad praetorium venisset, adiit Lysimachum. Cui Lysimachus dixit: « Verane audivimus de monasterio illo? — Vera, inquit Primus. Cumque illum seorsum duxisset, haec addidit: « Omnes, quae erant in monasterio illo, fugae se dederunt, neque invenimus, nisi duas vetulas, et unam adolescentem mulierem. Mirum autem quiddam et peregrinum tibi significare possum, quod vidi in monasterio. Illam profecto adolescentem vidi ejusmodi formam habentem, qualem hactenus nullam inter mulieres aspexi. Scit

* Libia, Leonis (vel Leonidis) et Eutropia virgo memorantur in Martyrol. Rom. xv huj.

Deus verum esse, quod dico. Vidi insuper adolescentem illam jacentem in quodam scamno, et mente perculsus fui. Quod nisi paupercula et inops foret, dignam certe judicarem, quam dominus meus uxorem duceret. » Ad haec Lysimachus: « Si mandata, inquit, habeo matris meae, ne Christianorum sanguinem effundam, sed illorum amicus potius sim, quomodo potero Christi sponsis insidiari? Minime certe id faciam. Sed quaeso, illas accipias, et e monasterio educas, earumque sis conservator, ne in patrui mei Seleni crudelis incidant manus. »

§ **16**. Tunc unus quidam e numero pessimorum militum, qui ex monasterio venerant, cum nonnulla ex his verbis forte audisset, cucurrit ad Selenum, eique significavit, inventam fuisse adolescentem quamdam in illius urbis monasterio formâ valde insignem, de cujus matrimonio Primum Comitem cum Lysimacho agere. Audivit haec Selenus, et furore concitatus, misit custodes in monasterium, qui eas mulieres servarent, ne fugam arriperent; et statim jussit praecones per urbem edicere, crastino die Febroniam productum iri. Cum haec audivissent ejus urbis et finitimae regionis homines, magna virorum et mulierum turba ad spectandum Febroniae certamen confluxit. Postea vero, quam dies illuxit, venerunt milites ad monasterium, et ingressi, a scamno illo Febroniam abripuerunt, et ferreis vinculis collo adolescentis astricto, e monasterio pertraxerunt. At Brienna et Thomais Febroniam complexae, lamentabili voce clamantes, precabantur milites, ut paulisper concederent eas cum Febronia loqui. Tum illi multa misericordiâ Febroniam prosequentes, permiserunt facere quod petitum fuerat. Denique ambae illae mulieres eosdem milites rogabant, ut liceret et ipsis idem certamen subire, ne Febronia sola derelinqueretur, neve destituta aliquo modo formidaret. Milites vero dixerunt, se non fuisse jussos ut illas, sed Febroniam tantum ad judicium adducerent.

§ **17**. Coeperunt igitur Thomais et Brienna hortari Febroniam et confirmare: quarum prior Brienna his verbis usa: « En inquit, filia mea Febronia, ad certamen nunc egrederis. Considera coelestem sponsum certaminis tui spectatorem esse, et victoriae coronam ab Angelicis potentiis teneri tibi dandam, si constans fueris. Vide ne tormenta expavescens, diaboli fias ludibrium: ne corpus tuum plagis dilaniari videns, misericordiâ illud prosequaris. Hoc enim, velìmus nolìmus, paulo post sepulcrum excipiet, et in pulverem dissolvet. En ego in monasterio lamentans, nuncium aliquod de te, sive bonum, sive malum, expectabo. Sed da, quaeso, operam, filia mea Febronia, ut faustum aliquid de te audiam. Utinam mihi aliquis optatum nuncium afferat, Febroniam perfecte martyrio functam, et in Martyrum numero aggregatam fuisse. » His auditis, Febronia respondit: « Fidem et spem habeo in Deo meo, mater Brienna, fore, ut quemadmodum

mandata tua nunquam contempsi, sic neque hoc tempore admonitiones istas et praecepta tua neglectura sim; sed videbunt populi, et obstupescent, et Briennae senectutem beatam praedicabunt et dicent: Vere hoc est Briennae illius magnae foeminae germen et educatio. Ostendam enim in corpore muliebri virilem mentem. Sed bene mihi precemini, et me discedere patiamini. » Ad haec Thomais: « Vivit, inquit, Deus, Febronia soror mea, et ego seculari habitu induta, veniam et certamen tuum aspiciam.»

§ **18**. Cum vero milites ipsi Febroniam urgerent, illa: « Precor, inquit, vos matres meae, ut benedictionem pro viatico mihi impertiatis, et magis magisque pro me Deum oretis, meque ire permittatis. » Tunc Brienna tendens in coelum manus, et vocem magnam edens, ita precata est: « Domine Jesu Christe, qui servae tuae beatae illi Teclae certanti sub Apostoli Pauli habitu apparuisti, quaeso, et huic humili servae tuae in hora certaminum appareas.» Haec cum dixisset Brienna, et Febroniam ultimo amplexa esset, illam salutatam dimisit. Quam milites comprehensam, ad Selenum duxerunt. Reversa est autem Brienna in monasterium, dolens ac lamentans, et in solum, eo in loco ubi Deum orare consueverant, prostrata vociferabatur, Deum precans pro Febronia. Thomais vero, quae secundas partes post Briennam in monasterio habebat, illam dereliquit, et seculari habitu induta, ad spectaculum Febroniae se contulit. Omnes igitur seculares mulieres, quae ad monasterium in die parasceve convenire, et ejus doctrinâ frui consueverant, pectora sua verberantes, cum lacrymis ad ejus rei spectaculum currebant, et adolescentis doctrinâ se privatas dolebant.

§ **19**. Cum haec audivisset et Hieria, senatorii generis mulier, Febroniam scilicet monacham publice produci, surrexit, et vocem ita magnam edidit, ut parentes ipsius, et qui in ejus domo erant, obstupuerint, et ab Hieria ipsa quaesiverint, quidnam ei accidisset. Quibus illa respondit: « Soror mea Febronia producitur, magistra mea ad poenas ducitur, ut Christiana mulier. » Cum igitur a parentibus admoneretur, ut a luctu desisteret, eo illa magis dolens et vociferans, et parentes suos obsecrans: « Sinite, inquit, me acerbe flere, et sororem ac magistram meam deplorare. » Haec cum diceret, suis etiam parentibus luctum ita commovit, ut ipsi quoque Febroniam lamentarentur. Cum igitur persuasisset parentibus suis, ut liceret etiam sibi spectaculum illud adire, pueros multos et ancillas secum habens, ad locum, in quem Febronia ducebatur, lugens properabat. Cumque mulierum concurrentium et lamentantium multitudinem consecuta esset, invenit et Thomaidem. Quae cum mutuo se agnovissent, ambae lugentes ad spectaculum certaminis illius convenerunt. Multitudine igitur in eum locum congregata, ubi de Febronia quaestio habenda erat, venerunt et Judices.

§ **20**. Praesidentes igitur Selenus et Lysimachus, jusserunt Februniam coram sisti. Illa itaque intromissa, manibus vincta, catenis etiam collo illigata, ibi constitit. Qua visa, turbae omnes lacrymarunt, atque ingemuerunt. Cumque in medium producta esset, jussit Selenus praesentes a tumultu desistere. Quod cum omnes fecissent, dixit Selenus Lysimacho: « Interroga mulierem istam, et eam respondentem audias. »Tunc Lysimachus: «Age, adolescens, dic: Liberane, an serva es?» Tum Febronia respondit: «Ego sum serva. — Cujusnam, inquit ille, serva es?» At Febronia: «Christi ancilla ego sum. — Quodnam, inquit Lysimachus, nomen tibi est?» Cui respondit Febronia: « Christiana ego vocor, humilis quidem et abjecta.» Tum Lysimachus: «Nomen tuum cupio scire. — Dixi, inquit illa, me Christianam esse: quod si nomen meum scire vis, mater Febroniam me vocavit.» Tunc Selenus jussit Lysimachum a quaestione desistere, et ipse coepit Febroniam sic alloqui: «Norunt dii, me ita affectum fuisse, ut tecum loqui nollem: sed quoniam mansuetudo et aequitas tua, cum pulchritudine et forma egregia conjuncta, furoris mei et indignationis, quam adversus te conceperam, magnitudinem superarunt, non amplius te ut ream, sed ut filiam interrogabo. Audi ergo, filia: Testes habeo deos, quod vera sunt, quae dico. Multis pecuniis et facultatibus locuplètem mulierem Lysimacho et ego et Anthimus frater copulavimus: sed tamen, si nobis eris obediens, hodie conjugium cum filia Prosphori dissolvemus, et tecum de matrimonio conveniemus, et eris Lysimacho conjux, sedens ad ejus dexteram, cui ego nunc assideo. Ille, ut vides, perpulcher est, quemadmodum et tu. Audi igitur consilium meum, ut patris tui, et te gloriosam reddam, neque paupertas unquam amplius te affliget. Cum enim mihi neque uxor, neque filii supersint, omnia mea tibi elargiar, et omnium mearum rerum dominam te constituam. Haec omnia pro dote addam Lysimacho meo, et ero vobis patris loco, et gloriosam ac beatam dicent te omnes mulieres, cum viderint quanto honore digna effecta sis. Largietur insuper multis victoriis ornatus Imperator noster tibi multa dona: qui etiam promisit se facturum, ut Lysimachus Praesidis magistratum gerat. En audisti omnia. Responde igitur mihi patri tuo ea quibus significes te deos colere, et iis animum meum exhilara. Nam si non obedies admonitionibus meis, dii sciunt, ita futurum, ut in manibus meis ne tribus quidem horis vivas. Itaque nunc aperi nobis, quid sentias.»

§ **21**. Ad haec Febronia: « Ego, inquit, o Judex, thalamum habeo in coelis non manufactum, nuptias possidens indissolubiles: dotem habeo totum coeleste regnum. Sponsum igitur immortalem cum habeam, non patior cum mortali et corrupto homine copulari: quinetiam ne audire quidem possum quod pollicèris. Itaque Judex noli laborare, neque enim adulando quicquam

proficies, neque minis me perterrefacies.» Audivit haec Judex, et magnopere indignatus, jussit milites illius vestes discindere, et lacero quodam panno eam cingi, ut omnibus spectantibus, ignominiâ et turpitudine confunderetur, utque seipsam admodum turpem factam videret, et miseram judicaret, quod a magna gloria excidisset, et ad extremam ignominiam devenisset. Milites igitur quam primum ejus vestes disciderunt, et vili fasciâ eam cinctam, in omnium conspectu reliquo corpore nudam constituerunt. Tum Selenus: «Quidnam agis Febronia? Videsne a quantis bonis excideris, et qualem miseriam sortita sis? — Audi Judex, inquit Febronia: Licet omnibus pannis me exutam, et omnino nudam exhibeas, ego hujusmodi turpitudinem pro nihilo facio. Unus enim Creator est maris et foeminae Deus. Itaque non hoc solum aequo animo patior, ut vestibus exuar, sed ense obtruncari, et igne incendi cupio. Atque utinam digna sim pati pro eo qui pro me tot et tanta passus est.»

§ **22**. Tum Selenus: « Impudentissima foemina, et ignominiâ omni digna, scio te gloriantem de pulchritudine tua, propterea non existimare tibi hoc turpitudini esse, sed laudi potius tibi esse putas, quod sic nuda consistis. — Scit, inquit Febronia, Christus meus, ad hodiernam diem viri alicujus aspectum a me visum non fuisse, et ut in manus tuas inciderem, impudens videri vellem? Age stulte et stolide Judex, velim dicas: Quis unquam ex athletarum numero Olympiacum certamen certans, indutus veste in palaestra cum adversario congreditur? An non certamen ipsum nudus exercet, donec adversarium superet? Ego igitur tormentorum et ignis minas expectans, qui potero vestibus induta cum his rebus congredi? An non corpus ipsum nudum plagas excipiet, quoad expugnem patrem tuum satanam, cruciatus tuos contemnens?» — Quoniam, inquit Selenus, mulier ista poenarum et cruciatuum conciliatrix, adversus ignis minas audacem se praebet, per quatuor corporis partes illam extendite, et infra ipsam ignem accensum supponite, simulque quatuor milites virgis ejus terga verberent ac dilanient.» Id cum fieret, et diutius virgo illa verberaretur, copiosus sanguis ex utraque humeri parte in terram defluebat: ignis vero infra ejus corpus accensus, viscera etiam ipsa comburebat: ad haec oleo magis excitatus, ac vehementiorem flammam erigens, Febroniam omnino consumebat. Cum vero per multas horas virgo ipsa verberaretur et combureretur, tota multitudo illa pro Febronia summis clamoribus Judici supplicabat, his utens vocibus: Parce, benigne Judex, parce virgini et adolescenti. Caeterum ille nihilominus ob id desaeviens, vehementius illam percuti ac torreri mandavit, quoad vidit ejus carnes in terram defluere. Tunc jussit carnifices desistere: qui existimantes eam mortuam esse, extra rogum dejecerunt.

§ **23**. At Thomais cum vidisset cruciatus illos tam vehementes

Febroniae afferri, animo deficiens, in solum cecidit ad Hieriae pedes. Quae voce magna emissa: «Vae mihi, inquit, Febronia soror, vae mihi, magistra mea, quoniam post hac doctrinâ tua privata fuero. Non solum autem te amisi, sed etiam Thomaidem. En et ipsa tui causâ moritur.» Cum autem Hieriae vocem Febronia jacens in solo audivisset, rogavit milites, ut aquam in Thomaidis faciem aspergerent, quo animum colligere posset. Milites statim aquam attulerunt, quam cum in ejus faciem aspersissent, illa ad se rediit. Tunc Judex dixit Febroniae: « Qualisnam tibi visus est, Febronia, primus palaestrae congressus?» Tum illa: « Ex primo, inquit, congressu didicisti me invictam esse, et tormenta tua contemnere.» His auditis, Selenus dixit: «In ligno illam suspendite, et ferreis pectinibus ejus latera dilaniate: quinimmo ignem rursus admovete, ut etiam ossa comburantur.» Statim igitur carnifices ceperunt pectines, et ita eam laniarunt, ut carnes ipsae una cum sanguine in terram deciderent. Admoverunt etiam ignem, quo vel ipsa viscera comburebantur. At Febronia, oculis in coelum erectis: « Veni, inquit, Domine in auxilium meum, et ne derelinquas me in hac hora:» His dictis, conticuit, quamvis igne valde ureretur. Multi vero spectatores, non ferentes Seleni crudelitatem, a spectaculo aufugerunt. Alii summis clamoribus a Judice contendebant, ut ignis ille tolleretur. Et jussit Selenus ignem amoveri.

§ **24**. Cum vero adhuc in ligno Martyr pendèret, rursus coepit eam interrogare. Sed cum ea respondere non posset, jussit illam e ligno deponi, et palo alligari, et carnificem illuc duci. Cui dixit: «Cum scelestissima haec et nefaria mulier nolit mihi respondere, abscindatur ejus lingua, et in ignem dejiciatur.» Exemit linguam Febronia, et nutu significabat carnifici, ut illam abscinderet. Cum vero is linguam tetigisset, et eam abscindere aggrederetur, turbae per deorum salutem Selenum obtestantes, illi persuaserunt, ne id faceret. Caeterum scelestissimus jussit illius dentes eradicari. Statimque carnifex ferrum cepit, et sanctae puellae dentes illos, quos eradicabat, in terram dejiciebat. Cum decem igitur et septem dentes evulsi essent, et sanguinis rivi in terram defluerent, jussit Selenus nullum amplius evelli. At cum Febronia tantam sanguinis copiam vidisset, eam vires defecerunt. Medico autem statim remedium afferente, sanguis fluere destitit.

§ **25**. Coepit igitur Selenus rursus eam interrogare: « Num, o Febronia, saltem nunc judicio parère, et deos ipsos confiteri vis?» Cui illa: « Pessime et scelestissime senex, tu viam meam impedire studes, neque sinis me ad sponsum meumaccedere? Festina quam maxime potes ex hujus mei corporis luto me eripere, quoniam amator meus Christus me expectat.» Tum Selenus: «Omnino, inquit, ense et igne corpus tuum delebo: video enim te etiam nunc propter adolescentiae tuae temeritatem impudentem esse.

Sed non id tam cito erit, ut te cupere prae te fers: namque ista tua arrogantia multo plura et graviora mala tibi afferet.» Febronia cum propter tormentorum magnitudinem non multa respondere posset, eo majorem indignationem Judici commovebat. Tunc Selenus jussit carnificem mammas ejus secare. Accessit ille, et aggrediebatur id facere. Turbae vero clamoribus magnis contendebant a Judice, ut tormentum illud adolescenti Febroniae condonaretur. Cum vero diu clamarent, et Judicem precarentur, indignatus Selenus adversus carnificem: «Quid cessas, inquit, scelestissime, et deorum inimicissime? Cur mammas istas non secas?» Accepit ille novaculam, et dexteram puellae mammam secare coepit. At illa erectis in coelum oculis, voce magna dixit: «Domine Deus meus, aspice violentiam, quae mihi affertur. Veniat anima mea in manus tuas.» Neque amplius locuta est. Abscissis igitur duabus mammis, et in solum dejectis, Judex impius mandavit ignem afferri, et in mammarum, quae abscissae fuerant, locum admoveri. Cum vero diutius combureretur, et ignis usque ad ejus viscera penetraret, turbae ipsae tam crudele facinus spectantes, maxima ex parte a spectaculo illo discesserunt, clara voce Diocletianum et ejus deos execrabiles esse testantes.

§ **26**. Thomais vero et Hieria miserunt ancillam quamdam in monasterium, ut Briennae, quae facta fuerant nunciaret. Cum venisset igitur ancilla ad Briennam, magna voce: «Thomais, inquit, et Hieria tibi significant, ne amplius defatigentur manus tuae in coelum ad Deum extensae, neque cor tuum solicitum sit assidue precando: magna enim praemia Febronia jam assecuta est.» Cum hoc nuncium Brienna audisset, ad Deum vocem erigens dixit: «Domine Jesu Christe, veni et auxiliare servae tuae Febroniae.» Et in solum prostrata, clamabat: Ubinam es Febronia? Postea vero iterum manus in coelum erigens, «Domine, inquit, respice humilitatem ancillae tuae Febroniae. Veni, et illi auxiliare. Fac, ut videant oculi mei Febroniam martyrio functam, et in Martyrum numero collocatam.»

§ **27**. Rursus Selenus jussit Febroniam e palo dissolvi. Quae cum dissoluta esset, in solum cecidit: non enim poterat consistere. Tunc Comes ille, qui Primus vocabatur, dixit Lysimacho: «Quorsum adolescentis hujus virginis tam ingentes et crudeles cruciatus? —Sine, inquit Lysimachus: ad multorum enim salutem hujus virginis tormenta spectant: fortasse autem et ad meam quoque. Namque talia multa olim a matre mea audivi. Nonne in mea potestate erat, illam dissolvi et servari facere? Sed sine illam certamen perficere.» Tunc Hieria erecta, adversus Judicem clamavit: «O immanis, et humanae naturae expers, nondum contentus es malis praeteritis quae huic virgini attulisti? Immemorne es matris tuae? Nonne et ipsa muliebri corpore induta erat? Nonne et tu mammas suxisti, quas nunc ab ista virgine abscidisti?

Mammisne ideo nutritus fuisti, ut tantam crudelitatem in foeminam exerceres? Miror plurimum ego, quod nihil eorum quae dico, immitem et inhumanam mentem tuam deflexerit. Verum id persuasum habeas, quod, quemadmodum tu non pepercisti huic puellae, ita neque coelestis Rex tibi parcet.» Cum haec dixisset Hieria, jussit Selenus illam e tecto, in quo erat, deduci, et poenas publice luere. Id audiens Hieria, multo cum studio et gaudio descendit, atque ait: «Domine Deus Febroniae, accipe et me humilem mulierem cum ipsa Febronia.» Dum autem e tecto descenderet, Seleni Judicis amici consilium illi dabant, ne publice Hieriam produceret: futurum enim dicebant, ut tota multitudo cum ipsa martyrium subiret, et universa civitas periclitaretur ac periret. Placuit Seleno consilium. Itaque non amplius Hieriam produci jussit, sed indignatus, et adversus eam tanquam furiosus, exclamans voce magna: «Audi tu, inquit, Hieria: per deos multa mala et tormenta, tui causâ Febroniae adjicientur.» Et statim jussit duas manus Febroniae et dexterum pèdem abscindi. Carnifex igitur ligno ejus manibus supposito, securi feriens dexteram pariter et sinistram abscìdit, qui etiam in pedem dexterum, cum ei lignum supposuisset, securim magna vi adhibita invexit, sed pedem ex talo abscindere non potuit. Similiter et secundam plagam inflixit, neque tamen potuit. Id cum vidissent turbae, summopere acclamarunt. Tertiam deinceps plagam intulit, et vix pedem abscindere potuit.

§ **28**. Febronia igitur toto corpore contremiscens, licet jamjam defectura esset, dabat operam, ut alterum etiam pedem super lignum poneret, rogans ut et ille abscinderetur. Cum id cerneret Judex: «Videtisne, inquit, impudentis mulieris pertinaciam?» Et multo furore accensus, carnifici dixit: «Seca et alterum.» Abscisso igitur et altero pede, surrexit Lysimachus, et ad Selenum conversus: «Quidnam, inquit, reliquum est, quod facias huic puellae? Eamus jam, quoniam prandii tempus est.» Ad haec iniquissimus Selenus: «Per deorum vitam ego non dimittam mulierem hanc vivam, sed hic ero, quoad spiritum emiserit.» Cum igitur per multas horas animam ageret, Selenus ad satellites conversus dixit: «Vivitne adhuc mulier scelestissima? — Maxime, inquiunt illi, ejus anima adhuc in ipsa est.» Tunc jussit Selenus caput Febroniae abscindi. Cum igitur miles gladium accepisset, et Febroniae comâ altera manu apprehensa, ita illam ense supposito jugulasset, ut si quis ovem aliquam immolaret, sanctum abscidit caput. Statimque postea Judices ad prandium accesserunt: Lysimachus vero lacrymans revertebatur.

§ **29**. At turba concursu facto, volebat Febroniae corpus abripere: sed Lysimachus jussit milites permanere, et corpus illud custodire. Multis igitur angustiis et moeroribus detentus Lysimachus, neque cibum, neque potum sumebat: sed seipsum in

cubiculo conclusit, et Febroniae mortem lugebat. Selenus vero ejus patruus cum Lysimachum tristem esse accepisset, neque ipse cibum sumpsit: sed cum surrexisset e loco in quo erat, deambulare coepit: cumque multo moerore et tristitiâ detineretur, repente caput in coelum erigens atque intuens, diutius sic mutus permansit: deinde vero tanquam taurus aliquis mugiens, in unam ex iis columnis quae erant in praetorio, insiliens, caput suum confregit, et in terram prostratus, animam efflavit. Multo autem clamore et tumultu excitato, accurrit Lysimachus, et viso patrui cadavere, quaesivit, quaenam res illa esset. Cum autem qui astabant, quod factum fuerat, Lysimacho exposuissent, ille diu caput quassans: «Magnus, inquit, est Deus Christianorum: benedictus est Deus Febroniae: ultus est Deus sanguinem injuriâ effusum.» His dictis, jussit Seleni cadaver efferri. Quo elato, Lysimachus, accersìto Comite Primo, ita fari coepit: «Obtestor te per Deum Christianorum, ne mandatum meum violes, sed quamprimum jubeas Febroniae arcam componi ex lignis quae putrefieri non possint, et mittas praecònes, qui ubique praedicent, ut quicumque Christiani ad Febroniae martyris exequias accedere voluerint, libere atque impune accedere valeant, praesertim cum patruus meus jam mortuus sit. Nosti, Prime mihi optatissime, quod sit animi mei desiderium. Accipe igitur cohortem, ac Febroniae corpus afferri jubeas ad monasterium Briennae: neque quisquam e turba aliquod ejus corporis membrum abscindat, vel abscissum a corpore auferat: neque permittatur cani, vel impuris aliis animalibus sanguinem ab ea effusum lingere: quinimmo terram illam, in quam Febroniae sanguis effusus est, effodi atque in monasterium exportari praecipias.»

§ **30**. Fecit Primus quicquid Lysimachus mandaverat, et Febroniae corpus jussit milites bajulare: ipse vero, sumpto Febroniae capite, pedibus et manibus, et omnibus iis membris quae fuerant ab ejus corpore abscissa, chlamyde sua illa involvit, et in monasterium exportavit. Cum autem magnus turbarum concursus factus esset, aggrediebantur illae ipsae turbae aliquod membrum auferre, ita ut Comes Primus in magnum periculum venerit, ne a turbarum violentia aliquid pateretur. Porro milites, strictis gladiis, vix turbas ipsas propulsare potuerunt. Postea vero, quam ad monasterium multo labore et vi se contulerunt, reliquias sanctae virginis Febroniae in monasterium immiserunt: nec quemquam, excepta Thomaide et Hieria, ingredi patiebantur. Brienna cum Febroniae corpus ita obmutilatum vidisset, in terram cecidit animo destituta. Primus autem Comes, militibus in monasterii custodia constitutis, rediit in praetorium ad Lysimachum.

§ **31**. Dein Brienna post multas horas surrexit, et Febroniae corpus amplexa, clamans dicebat: «Heu filia mea Febronia, hodie ex oculis matris tuae Briennae ablata es. Quisnam literas divino

Spiritu afflatas, sororibus posthac interpretabitur? quaenam manus tuos libros revolvent?» Haec cum Brienna clamaret, omnes sorores quae simul cum Aetheria discesserant, ad monasterium redierunt: et procidentes cum lacrymis, martyris Febroniae corpus veneratae sunt. Similiter et Hieria clamabat: «Venerabor sanctos illos pedes, quibus serpentis caput conculcatum est. Exosculabor vulnera sanctarum reliquiarum, quibus curata est anima mea. Coronabo floribus laudationum caput illud, quod certaminum pulchritudine genus nostrum coronavit.» Haec cum dixisset Hieria, aderat nonae horae tempus. Postea vero quam orationem compleverunt, iterum planxerunt omnes, et earum ejulatus valde confusus erat. Cum autem vespera advenisset, laverunt sanctum illud corpus, et in scamno suo deposuerunt, singula membra suis locis accommodantes. Dein jussit Brienna monasterii fores turbis patefieri. Dum igitur turbae introivissent, Dei gloriam celebrabant, et seculares mulieres magistrae suae Febroniae orbitatem lamentabantur. Venerunt autem et quidam ex iis patribus qui sanctitate praestantes erant, et monachorum plurimi, qui totam noctem insomnem transegerunt.

§ **32**. Caeterum Lysimachus cum Primum Comitem ad se accersiri jussisset: «Ego, inquit, omnibus patriis institutis, et universa facultate derelicta, ad Christum me adjungo.» Tum Primus: «Et ego idem faciam. Valeat Diocletianus, et ejus Imperium. Omnibus patriis rebus nuncium remitto, et ad Christum accedo.» Itaque derelicto Praetorio, venerunt et ipsi cum tota multitudine in monasterium. Cum vero dies illuxisset, venerunt qui loculos portabant, et multis cum precibus ac lacrymis reliquias sanctae Febroniae collegerunt, et singula membra quae abscissa fuerant a martyre illa sancta, suo quaeque loco accommodarunt, caput, pedes, manus et reliqua membra: dentes vero in pectore ipsius reposuerunt. Turbae autem unguento, et castoreo, atque suavissimis odoribus ita loculos repleverunt, ut sanctae Febroniae corpus nequaquam appareret. Cum vero seditio multa commota esset, turbis ipsis clamantibus, neque loculos claudi atque obturari permittentibus, contra vero Episcopo urbis illius, monachis et clericis valde precantibus, ut reliquiae reponerentur, turbae ipsae minime assentiebant. Tunc ascendit Brienna in excelsum quemdam locum, et hortabatur turbas his verbis: Precor vos, domini et fratres mei, ut sinatis illam in suo loco reponi. Haec dixit Brienna, et tota multitudo ei obtemperavit: multisque cum precibus ac lacrymis sanctas illas reliquias exportarunt, et in insigni quodam monasterii loco reposuerunt: omnesque Dei gloriam celebrabant. Graecorum vero multitudo credidit Domino, et ejus baptismo tincta est. Item Lysimachus et Primus baptismo purgati sunt, et rebus terrenis derelictis, abierunt cum Marcello Archimandrita, et exercitationis monasticae palaestram ad finem usque cum recte

transegissent, ex humana vita excesserunt, et Christo aggregati sunt. Plerique etiam ex militibus, cum Domino credidissent, et ipsi baptizati sunt. Eodem modo Hieria et ejus parentes baptizati, crediderunt in Dominum Jesum Christum. Posthaec parentes suos Hieria dereliquit, et terrenis rebus renunciatis, in monasterium ingressa est, cui omnes facultates suas dedicavit, et Briennam precata est in hanc sententiam: Rogo te, mater mea Brienna, ut me in sanctae Febroniae locum servam accipias. Serviam ego tibi, ut et illa serviebat. Cum igitur omni ornatu suo Hieria se exuisset, aureis pannis et margaritis loculos sanctae Febroniae undique adornavit.

§ **33**. Quo autem tempore beatae Febroniae martyrium, ejus scilicet certaminis memoria celebratur, conveniunt coetus mulierum, et ingens virorum multitudo, praesertim propter quoddam signum, quod illic quotannis apparere solet. Nam memoriae suae die, mediae noctis tempore, cum preces ad Deum funduntur, apparet sancta Febronia usque ad tertiae horae preces in illo eodem loco quo solita erat jacère, ita consistens, ut magnus tremor horâ illa id spectantibus exoriatur. Nemo tamen audet illam attingere, vel eam interrogare. Cum enim primo anno apparuisset, et omnes sorores timore magno perterrefactae essent, Brienna voce magna: En, inquit, adest filia mea Febronia. Cumque ad illam amplexandam cucurrisset, statim evanuit. Non igitur amplius ad illam accedere, vel ipsam tangere audent: sed quo tempore apparet, lacrymarum copia effunditur, simulque gaudium magnum in omnes ex hujusmodi visione proficiscitur.

§ **34**. Ejus vero urbis Episcopus, cum templum valde insigne et pulchrum Febroniae martyri erigere coepisset, per totos sex annos opus complevit. Quo perfecto, convocatis finitimarum regionum Episcopis, celebritate magna adhibita, per totam noctem officium celebravit mensis Junii die xv. Quo tempore multitudo ingens concurrit, ita ut neque templum, neque monasterium eam capere possent. Ubique vero et psalmorum cantus frequentabatur. Mane autem precibus matutinis completis, Episcopi convenerunt in monasterium, ut ejus diei, quo Febroniae corpus depositum fuit, memoriam celebrarent. Sequebantur Episcopos turbae cum facibus et thure ac vapore multo. Ingressi igitur Episcopi in monasterium, ac Deum precati, consederunt, et Briennâ ad se accersita, haec illi dixerunt: «Institutionis et vitae, multorumque laborum, quos virtutis causâ sustinuisti, laudem assecuta es, neque quisquam pro dignitate te laudare poterit. Tales decet esse monasteriorum Praesides, et tales fructus Deo ipsi offerre. Quoniam vero fieri non potest, ut Martyris quae tot et tanta certamina perpessa est, laudes per nos explicentur: decet illas silentio praeterire. Neque enim lingua nostra, quantum satis est, Martyrem hanc laudare potest. Itaque cum neque sermonibus, neque

operibus aliquid assecuti simus, quod Martyre dignum sit, te ad hoc idoneam rogamus, ut de re proposita differas. Honora denique et ipsa nobiscum unâ martyrem Febroniam et concede nobis, ut in templo, quod sub ejus nomine conditum est, Martyris corpus habitare possit. »

§ **35**. Cum haec audissent sorores, omnes clamarunt una voce, et ad pedes Episcoporum prostratae, dixerunt: « Precamur vos per sanctos istos vestros pedes, ut nostri vos misereat quae humiles et abjectae sumus, neque pretiosa hac margaritâ nos privetis.» Cumque diu omnes lamentarentur, et Episcopos obsecrarent, ejus urbis Episcopus Briennam alloquens: « Audi, inquit, soror: Nosti quantum studium adhibuerim ad martyris Febroniae templum pro ejus honore et gloria erigendum. En sex anni sunt, quos in eo templo construendo insumpsi. Ne igitur labores meos inutiles et sine fructu esse patiaris.» Haec cum audisset Brienna, respondit: « Si ita vobis placet, et si placet Martyri, quod petitis accipiatis. Quis sum ego, ut hoc impediam? Ingressi ergo illam accipite, et abite.» Ingressi sunt Episcopi, et preces ad Deum fuderunt. At Hieria clamabat: « Vae nobis, quod hodierno die monasterium magna benedictione privatur. Vae nobis, quod hodie angustiae et orbitas in monasterium allata sunt. Vae nobis, quod hodie margaritam nostram trádimus.» Et ad Briennam conversa, clamabat: «Quid facis mater? Cur me privas dominâ mea, cujus causâ omnia dereliqui, et ad vestras manus confugi? » Brienna cum vidisset Hieriam ita lamentantem, ad eam conversa: «Cur, inquit, lamentaris filia mea Hieria? Si gratum est illi abire, abeat: sin minus, non abeat.»

§ **36**. Cum Episcopi preces complevissent, omnes dixerunt, Amen. Cum primum autem loculos martyris tetigerunt, tònitru in aëre tam magnum erùpit, ut universa multitudo prae timore ceciderit. Rursus paulo post cum fuissent aggressi idem facere, terraemotus tam magnus factus est, ut tota urbs ruere videretur. Ex ea re cognoverunt Episcopi et universa multitudo, Martyri non placere, monasterium egredi. Itaque tristes facti, dixerunt Briennae: Si Martyri non placet monasterium relinquere, unum aliquod ex membris abscissis nobis largiare, et discedemus. Brienna clavem sumpsit, et loculos aperuit, et vidit corpus Martyris, instar solis effulgens. Multo igitur cum terrore extendit manum suam, et alteram Sanctae ipsius manum apprehensam Episcopo illi praebere voluit. Sed manus Briennae detenta est, et velut mortua torpuit. Tunc Brienna lacrymans: Precor, inquit, te, filia mea Febronia, ne irascaris matri tuae. Recordare laborum meorum, neque senectutem meam contemnas. Remissa autem sana manu illa, rursus eam Brienna extendit, et lacrymans rogavit: Praebe, inquit, nobis benedictionem, ne me tristem efficias. Cumque accepisset unum ex dentibus, qui erant in ejus

pectore, Episcopo dedit, et statim loculos clausit. Episcopi vero omnes acceperunt reliquias illas sanctas, et in vase aureo portantes, laeti abierunt: quibus praeibat multitudo psalmos canens, cum cereis, facibus et thure multo.

§ **37**. Cum vero ad templum pervenissent, ascenderunt Episcopi in sublimem quemdam locum, et populo reliquias illas ostenderunt. Quicumque vero erant caeci, vel claudi, aut daemone capti, sanati sunt; idque omnibus manifestum factum fuit. Currebant adolescentes undique, et aegrotos homines, alios in grabatis positos, alios jumentis vectos ferebant, et omnes sanabantur: et quocumque aliquis morbo detinebatur, sanus fiebat. Quamdiu vero aegroti ferebantur, turbae non permiserunt Reliquias sanctae Febroniae reponi. Caeterum cum omnes qui male se habebant, sani facti essent, et Deo hymnos cecinissent, repositae sunt Febroniae martyris sanctae reliquiae quintodecimo die mensis Junii. Cumque omnes magna dona assecuti essent, in domos suas redierunt laeti, et Dei gloriam, ac Dominum Jesum Christum, et Sanctum Spiritum celebrantes.

§ **38**. Brienna vero cum duos annos vixisset post consecratum sanctae Febroniae templum, et omnia bene disposuisset, in pace diem obiit. Ego vero Thomais, quae, post Briennae obitum, ejus ministerio successi, cum Febroniae vitam et certamina inde usque a principio cognovissem, quaeque praecesserant, a Lysimacho didicissem, in commentarios omnia collegi, ad laudem et gloriam Dei, ejusdemque martyris Febroniae, et ut eos, qui haec audierint, excitarem et àlacres redderem ad Domini Jesu Christi cultum, in gloriam Patris, et Filii, et S. Spiritus in saec. etc.

DE GESTIS ET SCRIPTIS

S. MAXIMI EPISC. TAURINENSIS

ECCL. DOCTORIBUS SANE PROXIMI

EX VITA EJUSDEM AB ERUDITISS. P. BRUNONE BRUNI, CUNEENSI IN SUBALPINIS, E CLERR. REGG. SCHOLARUM PIAR. SUMMO STUDIO ET EGREGIAE CRITICES LAUDE EDITIONI PRAEFIXA OPERUM TANTI PATRIS ABSOLUTISSIMAE, QUAM JUSSU PII PP. VI CURABAT, SARDINIAE REGI DICANDAM *.

Annos sedit circiter 50 — Obiit circa 466.

§ **1**. Quae patria, quod genus, qui parentes S. Maximi fuerint clam nos est, jacetque involutum tenebris vetustatis. Taurinatem

* Legendam de S. Maximo a Bollandianis allatam ut notis pro merito inurant, omnino respuas, a quodam, XI circiter saeculi, Novalicensi *(della Novalesa* Coenobio in Cottiis Alpibus ad Ciniisii montis radices) Monacho, ineptissime consarcinatam, fabulisque contextam.

alii dixerunt, alii Vercellensem; Subalpinum credere fas est vel Insubrem, et illustris illius Collegii alumnum in quo primus *in Occidentis partibus* inclytus Eusebius Vercellensis *eosdem Monachos constituit esse quos Clericos*. Decimoquinto circiter ante exitum IV seculi anno ortus proculdubio est, si in sermone de SS. MM. Sisinio, Martyrio et Alexandro (vide Sur. Vol. V, p. 773) in pago Anaunia Tridentinae Dioeceseos religionis causâ anno CCCXCVII peremtis, Maximus asserere potuit: *temporibus nostris passi sunt . . .* ; *istos* (extitisse martyres) *oculorum contemplatione cognoscimus...; istorum supplicia vultus testimonio continemus*. Initum vero Episcopatum non absurde ex ejus quibusdam Homiliarum verbis statuendum putant circa annum saltem CCCCXV; cumque testentur scriptores ecclesiastici Maximum Taurinensem temporibus Honorii et Theodosii Junioris floruisse, et Honorius anno obierit CCCCXXIII, Praesulatus muniis haud recens tunc fungens Maximus dicendus est, cujus doctrinae fama Homiliis exorta praecipue est habitis in sua Taurinensi Ecclesia. Pontificatu usus ad quinquaginta et ultra annos producto, octuagenario probabiliter major, non ante sexagesimum sextum seculi V annum in Domino obdormivit ; Concilio enim Romano sub Hilaro Pp., anni CCCCLXV, interfuisse constat, in quo, ut astantium Episcoporum a suscepta dignitate antiquior, primus post Summum Pontificem sedit, primusque Actis illius Maximus Tanrinensis subscriptus legitur. Adfuerat etiam S. Episcopus, rem christianam publicam S. Leone Magno moderante, Romanae Synodo anni CCCCLI. In hac homonymus consederat, cum nostro non confundendus, Episcopus Rejensis (*Riez* in Gallia). Haec de aetate sancti Maximi nostri ex praefati in titulo optimae Operum ejus editionis concinnatoris Commentario raptim collegimus publicis certisque deducta monumentis, quae omnem aliter opinantium sententiam refellunt, luculenterque demonstrant vitiatum Gennadii locum ubi pro: « *claruit* (Maximus) Honorio et Theodosio juniore regnantibus, » librariorum inscitiâ, *moritur* scriptum reperìmus.

§ 2. Sed ipse ne Maximus primus fuerit nec ne Antistes Taurinensium (*a*), nonnulla est inter eruditos viros certatio. Nam fuere qui cum legerint vixisse quosdam Augustae Taurinorum etiam Maximo Episcopatum gerente, qui superstitionibus inanium deorum insisterent, ipsoque IV jam seculo non adeo multos extitisse hac in urbe qui christianae militiae nomina dedissent, tum concludi hinc posse judicarunt, tam exiguo Christianorum numero praefectum Episcopi dignitate fuisse neminem; primoque omnium Maximo id honoris fuisse Taurini tributum arbitrati sunt. At si quia erant V seculo in agro Taurinati cultores idolorum, censendum esset Taurinenses Praesule Sacrorum ad tempora

(*a*) S. VICTOR fertur Maximum praecessisse, qui tamen cultu liturgico caret.

usque Maximi caruisse, eo demum deduceremur ut negandum putaremus, v. gr., ante Aurelium, ullum fuisse Episcopum Carthaginiensium; in agro namque Carthaginiensi plures fuisse qui idolorum superstitione tenerentur, dum Aurelius illi praeesset Ecclesiae, pluribus constat monumentis. Quod ergo Taurinenses magno numero, post medium etiam seculum IV, idòlis cultum adhibuerint, tanti non est ut conjiciendum sit Episcopatu in ea urbe, in qua aliqui essent Christiani, potitum fuisse neminem. Nam alias item fuisse novimus in Asia, in Africa, in Italia civitates quae Episcopos habuerunt etsi ethnicis incolis abundarent, quorum pars Senatum constituerent, quique templa idolorum retinerent: cum praesertim ea fuerit Majorum ratio qui exempla Apostolorum imitabantur, ut iis etiam urbibus Episcopi darentur in quibus vix aliqui esse coepissent qui christianam colerent religionem. Neocaesariensibus Ponti Christianis, licet non plures quam septemdecim essent, Antistes datus est Gregorius Thaumaturgus; quo magis Taurinensibus id non est adimendum decus, quorum magnum numerum, Episcopatum suscipiente Maximo, fuisse Christianum liquet, ac vix ethnicismi reliquiae in pagis aliquot superessent, qua de re infra equidem videbimus? Quid? si Maximus idem, Homil. XVI, p. **45***, Episcopos praecessores suos indicare videatur? Nam Patres ibidem commemorat qui *praecessissent*, eorumdemque Patrum *alloquia*, quibus instituti fuissent, Taurinensibus ipsis ab se *rèpeti* affirmat (*a*). Sed plura de antiquitate Taurinensis Sedis persequi prohibet festinatio qua virtutes, gesta, sapientiam, eloquentiam S. Patris Maximi gestit sermo ex ejusdemmet Homiliarum argumentis et verbis perspicere.

§ **3**. Is ut munus suscepit Episcopatus, studia quaeque sua ad plebem in re doctrinae inque disciplina morum recte instituendam contulit. Itaque superstitionem si qua reliqua in suis ovibus esset, primum ex animis evellere curavit. Quare cum esse earum plures animadvertisset, quae suis clamoribus deficienti Lunae adjumento se fore arbitrarentur, eas graviter increpans: « Videtis, inquit (*Homil.* c, *p.* 333), fratres, quod mea non cessat humilitas omni circa vos sollicitudine laborare, et ad frugem bonam vos tota festinatione convertere. Sed quanto plus laboro vobiscum, tanto amplius confundor in vobis. Cum enim video tot commonitionibus meis nullum vos habere profectum; labor meus jam non gratulationi est sed rubori. Ecce ego pasco gregem Christi, et gregis fructum extorquère non valeo. Nulla enim me fidei ejus dulcedo laetificat; sed quidquid ex eo profluit,

* Homiliarum et Sermonum ordinalis numerus ac paginae qua sint quaeque reperiunda, Editioni respondet Romanae anni MDCCLXXXIV.

(*a*) Magni insuper hac de re ponderis argumentum arbitramur Synodum Concilii nomine decoratam, coactam Taurini, IV proxime exeunte saeculo, Episcoporum Galliae circa quasdam jurisdictionis Ecclesiasticae quaestiones, et in Itacianos.

asperum et amarum est. Tum enim pastor Christi gregis lacte reficitur, quando bonorum operum ejus candore laetatur. Quis enim fratres in vobis non graviter ferat (non tamen de omnibus dico; sunt enim inter vos quos debeatis habere exemplo), quis inquam non moleste ferat sic vos esse vestrae salutis immemores, ut etiam coelo teste peccetis? Nam cum ante dies plerosque de vestrae avaritiae cupiditate pulsaverim; ipsa die circa vesperum tanta vociferatio populi extitit, ut irreligiositas ejus penetraret ad coelum. Quod cum requirerem quid sibi clamor hic velit; dixerunt mihi quod laboranti lunae vestra vociferatio subveniret, et defectum ejus suis clamoribus adjuvaret... Tamquam infirmus enim (Deus) et imbecillis, nisi vestris adjuvaretur vocibus non posset luminaria defendere quae creavit. » Cum inde auditores illos suos qui id mali et stultitiae perpetrarant, irridens insectatus esset, tacendum sibi esse non putavit, quoad radicitus id superstitionis genus extirpatum non vidisset. Quare Homiliâ CI, p. 337 : « Ante dies, inquit, prosecuti sumus, fratres, adversus illos qui putarent lunam de coelo, Magorum carminibus posse deduci, et eorum retudimus vanitatem, qui non minus defectum patiuntur animi, quam luminis pàtitur illa defectum; quos et hortati sumus ut praetermisso errore gentili, tam cito ad sapientiam redeant, quam cito ad plenitudinem suam illa revertitur. »

§ 4. Alterum erat caput superstitionis, qua aliqui e plebe capti, kalendis Januariis, auspicia ementiti fuerant quibus se cognituros confiderent, adversa ne sibi omnia an secunda, eo quem inibant anno, eventura essent. Neque vero inania solum auspicia observarant; verum etiam ferias habuerant ethnicorum more, frequentesque ad scenicos ludos coierant, in quibus dignosci vix posset plusne turpitudinis inesset an impietatis. Id quoque genus superstitionis funditus tollere Maximus omni studio est enixus. Itaque sáepe eam ob causam populum vocavit ad concionem. Est ejus Homilia XVI *de Kal. Januariis* (*p.* 45; *vide et Homil.* CIII, *p.* 543, *et Sermonem* VI, *p.* 440). Hujus initio hortatur plebem ne aegre toties eàdem de re audire ferat. Meminit verborum Apostoli (*Philipp.* III) ajentis: *Fratres, èadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* « Ac necessarium, inquit, nec superfluum reor si pro commonitione sancta dudum habita, praecedentium Patrum vobis repetantur alloquia... Nec enim debet fidelis anima, quae Angelorum consortia concupiscit, daemoniorum lusibus delectari. Neque vero luci ac tenebris, veritati atque mendacio, turpitudini et honestati apud Dei servos ulla potest esse communio. Quicumque ergo credentium vel est templum Dei vel esse desiderat, sollicite caveat, ne mortua et vana sectando, dèsinens esse templum Dei, fiat habitatio tenebrarum, fiat daemonis monumentum. »

§ **5**. Pergit porro vir summus, turpia ac personatorum hominum, eo kalendarum Jan. die fieri solita, spectacula damnare *. « An non omnia, ait, quae a ministris daemonum illis aguntur diebus falsa sunt et insana, cum vir virium suarum vigore mollito, totum se frangit in feminam, tantoque illud ambitu atque arte frangit, quasi poeniteat illum esse quod vir est? Numquid non universa ibi falsa sunt et insana, cum se a Deo homines formati, aut in pècudes aut feras aut in portenta transformant? Quomodo non sanum sapientibus patet, nihil ibi inesse sanitatis, ubi impia, ubi inhonesta, universaque omnia et faciunt et loquuntur? Grave utique illorum cor est, atque omni impietate depressum, qui per sacrilegos jocos divinis monitis illudentes, et vana diligunt et falsa sectantur, et post omnia, ad offensionis plenitudinem, dies ipsos annum novum vocant. Quamquam non inconvenienter secundum se novum appellant annum, quoniam per nefandas ferias pro honestate turpitudo et perversitas innovantur. Novum vocant annum, quasi novi aliquid aut coelum tunc ostendat aut terra. Novum annum Januarias Kalendas appellant, cum vetusto semper horrore et errore sordescant. Auspicia enim vanissimi colligere se dicunt, ac statum vitae suae inanibus indiciis aestimantes per incerta avium ferarumque signa, imminentis anni futura rimantur, cum utique apud Deum solum sit notitia futurorum, et legalis auctoritas ista prohibeat dicens: ne auspicemini, ne auguriis intendatis. Sed miseri ac miserandi homines rapti erroribus paganorum... cum impietate de domibus suis prodeunt, et cum sacrilegio revertuntur... » Perceperat autem Maximus uberem suarum cohortationum fructum. Nam cives suos ita ab ejusmodi superstitione deduxit, ut dicere jure tandem potuerit: « Ita et vos, charissimi, jamdudum nec observare nec quaerere, manifesta relatione cognovi..... Vos sicut hucusque pro Dei timore fecistis, abhorrete vana, refugite falsa, impia declinate. »

§ **6**. Cum tanta Maximus in superstitione ab urbe exterminanda usus esset felicitate: tum nihil hortationum, diligentiae, operae praetermisit, ut eam ex animis evelleret rusticorum. Hoc ut facile assequeretur, primores civitatis crebris concionibus premere urgereque coepit, monere etiam ut consulerent saluti suae. Ne putarent fas esse homini christiano pati ut in ruribus agrisve suis idòla perstent, iisque ab colonis sacra fiant, ac honores, cultus preces adhibeantur. Scirent nisi haec disjicere, obterere, delere conati fuerint, auctores ipsos ac reos fore impietatis et sacrilegiorum quibus eorum servi, aratores, villici se polluerent. Fuere qui excusandi purgandique sui causâ dicerent non esse culpae vertendum sibi quod alii egerint injussu suo. Sed hos Maximus quanta in ignoratione decretorum religionis versarentur, docens:

* Haec apud nos de obscaenis Bacchanalium ludicris accipienda sunt.

« Quisquis, inquit, intelligit exerceri in re sua, sacrilegia, nec fieri prohibet, quodammodo ipse praecipit. Tacendo enim et non arguendo, consensum praebuit immolanti » (*Serm.* xcvi, *p.* 656, *et Serm.* lxxvii, *p.* 610). Perbelle ibi et eloquentissime gentilitatis sacrificia et sacerdotes describit, de quibus, vino usque ad furorem oppletis vel hebetudinem, sic concludit: « Insanum enim numen amentem solet habere pontificem. » Atque Dianae * sacrificulo concinne depicto in ferino suo ornatu, et ferrum gestante quo proprium in divae obsequium cruorem effundat; tum conversa ad astantes oratione, hortatus est eos vehementer ut in memoriam revocarent qua lege ab Honorio Augusto sublatum esset certamen gladiatorium. Quem vero Maximus reportarit monitionum suarum fructum, ex Sermone xcvii (*p.* 657 *et seq.*) intelligi plane potest: « Non parum tractatu Dominicae superioris profecisse vos credimus... cum sacrilegii cultum in vestris possessionibus inhibetis... »

§ 7. Sed dum Maximus acriter contra ethnicam superstitionem pugnabat, illud simul cavebat ne qua haereseos pestis in gregem suum invaderet. Cumque cognosset quantum Manetis ** impietas intulisset detrimenti in Italiam, magnopere sibi enitendum putavit, ut, orthodoxi dogmatis cognitione, adversus ipsam animos muniret Taurinensium, hosque sic institueret ut si in quem forte incidissent qui id erroris et impietatis ingerere ipsis vellet, eum dignoscere vitareque possent. Notat enim haereticos clam imperitis incautisque insidias extruere solere, a quibus diligenter cuique sit naviterque cavendum. «Haereticos (*inquit, Hom.* cxv, *p.* 382), omnes arbitror vulpibus comparandos, qui cum in domo Domini habitare non possint, conventicula sibi quaedam veluti foveas praeparant tenebrosas in quibus pertinaciter latentes insidiantur Ecclesiae, ut si qua innocens anima forte processerit, velut pullum gallinae matris absorbeant... Vitemus ergo, fratres, vitemus pestiferos vulpium insidiantium dolos, vitemus mortiferas nequissimorum animantium captiones, ne... fructus nostrarum sègetum, perversorum dogmatum vulpes aut insidiarum deceptione capiant, aut flammarum adustione consùmant.» (Et Homiliâ civ, p. 346). «Circa fidei donum solliciti esse debemus et providi, et ad custodiam ejus mentis devotione semper esse armati, nec cito fallacibus credere blandimentis. Solet enim sub praetextu pacis hostis irrepere, hoc est sub vocabulo hominis Christiani haereticus subintrare, qui ad decipiendos simplices Christum in ore portat, diabolum gerit in corde; et eum quidem linguâ confitetur, sed mente blasphemat. Ab hoc igitur oportet penitus declinare, nec aliqua societate conjungi, etc...»

* Dianae, cujus solemnis erat Taurini cultus, templum ut lapideo titulo in fronte ecclesiae Sancto Spiritui dicatae monemur, in hanc sacram antiquitus aedem est a Christianis conversum.
** De *Manete* verba fecimus in Sur. Vol. I, p. 507.

§ **8**. Illud autem universe animadvertit: cum novitatis pravae studiosorum mos sit ut una ratione metiri divina quaeque, longisque disputationibus implicare atque involvere conentur, Christiani esse partes monet ut credant unum esse Deum qui spectabilem hunc mundum creavit, nec ulli aurem praebeant qui audeat arbitratu suo de Conditore statuere. Investigari namque sola ratione non posse ait: (Vide Homil. VII, p. 22, et X, p. 28, et LXXXII, LXXXIX, CXVI) « Quomodo ex nihilo factus est mundus, coelum unde resplenduit, aquarum liquor, terrae soliditas qua ratione subsistunt; quomodo etiam de terra homo, de masculo foemina, itemque per feminam masculus; quid illud est post omnia quod lumen gignit ac tenebras; quod vitam facit ac mortem... Si ergo te ipsum, homo, et quae propter te facta sunt, qualiter aut unde sint facta comprehendere non vales, qua praesumptione, quave stultitiâ tuum atque omnium discutis Creatorem?... Haec, charissimi, rationi coeca sunt, fidei manifesta. Tunc enim parte ex aliqua indefinitae majestatis ejus poterimus immensa rimari, si advertamus, qualis quantusque sit Deus a nobis non posse cognosci, ut ait Dominus ad Moysen: *Tu autem non poteris videre faciem meam*, idest non potes carnalibus oculis meam sicuti est inspicere Deitatem...»

§ **9**. Datum praeterea divinitus Testamentum Vetus, Manetis errores refutans, Maximus scribit (*Homil.* XI *et* XIII, *ac Serm.* XVIII), cujus est spiritus unus ac Novi, miraque cum Novo ipso consensio; (*vide Homil.* XI *ac Serm.* LXXV). Docet (*vide Serm.* XLI) Patris aeterni Dei Filium aeternum Deum humanam assumpsisse naturam; utque hominem non apparenti sed vero praeditum corpore, vere passum mortuumque fuisse, resurrexisse, ascendisse in coelum, indeque, esse ut vivos mortuosque judicet, adventurum *. Constitutas item ait fuisse a Deo nuptias quas deinceps Christus miraculo in Cana Galileae clarificavit, et in numerum provexit novae legis Sacramentorum (*Hom.* XVII *et* XXIII). Non nominat quidem Maximus Manichaeos qui malas esse nuptias, quique malum esse atque a malo principio conditum mundum hunc sub sensus cadentem, inlatumque vetus Testamentum, Marcionem secuti, dicebant; sed sanctissimo Praesuli non tantum erat curae ut nomina sectarum nossent sui, quam ut dogmata scirent orthodoxae religionis, quibus dogmatibus cognitis sectarios detegere et repellere tuto possent.

§ **10**. Novimus praeterea e vigilantissimo Antistite, quosdam sua aetate in regiones subalpinis finitimas irrepsisse qui imperitos studerent circumvenire; quorum impietas erat, quod scilicet praepositis suis quos presbyteros appellabant negotium dederant, ut

* Confer inter alias de iisdem tractantes, circa Chr. humanitatem Hom. VIII quae est 3. de Nativ. ac XII et seq. ac XXVII, et Serm. IX qui de Epiph. 3. est. De Chr. passo et mortuo vid. Hom. L, LII, LIV; de Chr. Resurrect. Hom. LVII et seq. ac LXXXIII, et Serm. XXIX et XXXI; denique de Ascens. Serm. XLIV et seq. et Hom. LII.

laico qui sua ipsis peccata confiteretur, non juberent ut resipisceret, utque crimina sua detestaretur atque defleret; sed tantum pecuniae ad remissionem imperarent quantum statuerent solvi oportere. Ne vero hi quemquam fallerent, Maximus advocata concione, quibusdam praemissis de proventu a fidelibus ex haeresum tentatione faciendo; «oportet, dicens, esse Christianis fidei pugnam, ut sit probatis certa victoria» ita ejusmodi pestiferam simoniae rationem reprobat: « .... dicuntur tale habere mandatum, ut si quis fassus fuerit crimen admissum, non dicat illi: age poenitentiam, deplora facta tua, defle peccata, sed: pro crimine da tantum mihi et indulgetur tibi. Vanus plane et insipiens presbyter, qui cum praedam accipiat, putat quod peccatum Christus indulgeat. Nescit quia Salvator solet peccata donare, et pro delicto quaerere pretiosas lacrymas non pecunias numerosas. Unde ipse ait, «*gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8)... suscipit dona presbyter, et pactione quadam indulgentiam de Salvatore promittit. Insipiens placitum, in quo dicitur minus deliquisse Domino qui plus contulerit sacerdoti. Apud hujusmodi praeceptores semper divites innocentes, semper pauperes criminosi. Quomodo pauper satisfaciat pro delicto, qui non habet quod offerat pro peccato?» (*Hom.* CIV, *p.* 346 *et seq.*).

§ **11**. Haud secus Maximus adversus caeteras haereses magna suis ac firma doctrinae praesidia paravit. Nam prout opportunitas monuit, modo Arianorum (in Sermonibus de Pentecoste) in subdolam impietatem, de mysterio Trinitatis, quamquam brevius multo quam Athanasius, Hilarius etc., at aeque solide accurateque disputat; modo in Helvidianos et Jovinianenses strenue pugnat, et cum in Hom. V Mariae vindicat originalem gratiam et divinam, virginitate permanente (plur. in Homil. ab VIII ad XXIX et Serm. XXX-VII), praesertim adversus Jovinianum in XXII. Modo in Vigilantium, Sanctorum Reliquias honorandas esse negantis (*Sermon.* LXIII, LXXXIII *et Hom.* LXXXI); modo Nestorianorum, modo Eutychianorum dogmatibus ostendit quantum erroris inesset ac pravitatis; neque minus accurate Maximus quam Cyrillus Alexandrinus, quam Leo Magnus, quam alii qui saeculo quinto contra Nestorium et Eutychen haeresiarchas pro dogmate orthodoxo depugnarunt, scripsit. Vide Homil. VI quae est 1. de Nativ. Dom. ac VIII, X, XI, XIV, XX, XXV et alias, in quibus luculenter, distincte, argumentis ex sacra Script. depromptis, juxta Synodos Ephesinam et Chalcedonensem agit de unione in persona Verbi duarum naturarum, ita ut una in Christo persona sit, duae vero naturae, divina scilicet et humana. Nestorianum interea dogma prorsus evertit, ac plane θεοτόκον *Dei Genitricem* affirmant passim et egregie demonstrant Virginem Mariam allatae Hom. et Sermones praecipue XXXVI, XLVI, et seq. ac L, LVI et seq. atque CII, nec non in Tract. II, *de Baptismo*, et V *contra Judaeos*.

§ **12**. Quam praeclare igitur de mysteriis Domini Maximus egerit, multis ejus concionum et Tractatuum locis perspicitur. Sed et nonnulla variis de rebus juvat e Maximi sapientia, ad Lectoris commoditatem depromere, auribus etiam styli magnificentiâ et venustate pergrata. Audi eum Virginem Deiparam mannae comparantem: «... ipsam Mariam (*Hom.* XLV) manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis et virgo; quae veluti coelitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit.» Illustris certe locus de virgineo Mariae partu, Serm. XXXVII: « Voluit Virginem pàrere, et obumbratione majestatis, nullo virginei pudoris damno, Christus processit ex Maria, et inde est quod Philosophi Gentium prudentesque mundi, qui omnia sibi propria volunt disceptatione constare, dum terreno sensu divina discutiunt, sapientiâ sua desipientes, ad plenitudinem non perveniunt veritatis. Qui hanc igitur desùdant habere doctrinam, ut quod ipsi advertere nequeunt, superbo tumentes spiritu, Deum aut non recte velle aut non posse contendunt.» Et de humana et humili Christi nativitate (*Homil.* XIII): « Hodie Christus Jesus Dom. n. in quo Divinitatis est plenitudo, carnis nostrae infirma suscipiens novus natus est homo... Quod si sensuum tuorum fragilitate, minus dignum videtur, Filium Dei natum de femina credere, Virginem cogita peperisse. Si tibi panni, quibus obvolutus est, fortasse vilescunt, Angelos collaudantes et multitudinem coelestis exercitus admirare. Si praesepe, in quo infans jacuit, despicis; erige paullisper oculos et novam in coelo stellam, protestantem mundo nativitatem dominicam, contuère. Si vilia credis, crede mirifica. Si de iis quae humilitatis sunt disputas; quae alta sunt et coelestia venerare. Iisdem enim referentibus, iisdemque auctoribus de Domino Salvatore, quae humilia et quae gloriosa sunt didicisti; universa quae ad salutis tuae mysterium pertinebant, sacra tibi Evangelia prodiderunt. Habes in his unde Dominum Jesum et natum hominem credas, et Deum esse dubitare non possis.»

§ **13**. De Baptismo Christi, deque sanctificatis aquis egregie disserit *Hom.* XXII quae est 6. *de Epiphania*, quo loco etiam agit de stella Magis visa, deque insigni miraculo aquae in vinum conversae. « In quolibet horum, *inquit*, salutis nostrae mysteria continentur et gaudia. Nobis enim ex Virgine natus est quod stella monstravit. Nobis ex baptismo lavacrum concessum est quod in Jordanis alveo consecravit. Nos quoque in melius esse mutandos operis miraculo praemonstravit quando aquas in vina convertit... quia per universum mundum sacramentum baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Jordanis alveum unica ac singulari pietate descendit. Tunc Christum Dom. non lavit unda, quam lota est... Hodie etiam invitatus

ad nuptias, divinitatis suae potentiam manifestans (*Hom.* xxix *quae est* 1. *de bapt. Chr.*) aquas in vinum, aquas inquam vertit in vinum, hoc est quas sanctificavit in baptismo, nobilitavit in nuptiis.» Hinc, ut quoties sese offert occasio, argumentum arripit Maximus noster inculcandi dogmatis quod tum maxime Arianismus et affines sectae dejicere nitebantur; « Tria quidem haec, fratres, unius Fidei mysteria recensemus, sed quae per unum Dominum dignatio Trinitatis implevit. Neque etiam aliquando in operatione virtutum abesse sibi unitas potest, aut unquam separari ab invicem quod Deitate est indivisum. Denique cum baptizaretur Salvator, non se deesse Unigenito Pater in voce prodidit, Spiritus in columba... Hodie itaque, ut diximus, Magus per stellam rèperit, quod Judaeus credere noluit per Prophetas; hodie Gentilitas edocta de coelo Redemptorem mundi inquirit ut regem, muneratur ut fortem, adorat ut Deum. Videte et intendite, fratres, quantum gratiae de divina dignatione mortalitas consequatur. Nam ut sacratissima Redemptionis nostrae mysteria confirmentur, et ut manifestius aeterna nobis Trinitas reveletur, baptizatur Filius in Jordane, Spiritus sanctificat sacramentum, Pater aperit veritatem...»

§ **14**. Quam eleganter autem quam pie S. Antistites ead. in Homil. Joannem sic Christum alloquentem proponit! « Ego utique a te debeo baptizari, quia mihi est ex paterna praevaricatione corruptio, et tibi in Paterna majestate communio..... Ego terrenum animal, Tu Agnus Dei, Ego peccati lege mortalis, Tu autem, adversus peccata veniens, nescis subjacere peccato; et post omnia, ego sum factus redimendum a te, Tu autem natus ut rèdimas. » Mox Jesum Joanni respondentem inducit hoc modo: « Omnia quidem vera sunt quae memoras; sed haec mei adventus est ratio, ut quia sub lege factus sum, ordo legitimus suppleatur. Veni enim non ut mihi viverem, cui vita aeterna cum Patre est; sed ut conditionem vestrae mortis auferam... Et revera, fratres, quomodo pro nobis Christus ad baptismum non veniret, propter quos etiam corporeae circumcisionis non vitavit injuriam? Unde et Joannes salutare mysterium recognoscens, non jam Dei Filium ut Baptista sanctificat, sed ut devotus minister coelestibus obtemperat imperatis...» Et in Homilia xxxiv quae est 6ª de Bapt. Chr.: « Praedicabat, inquit, in deserto Joannes baptismum poenitentiae populo peccatori... Confluebat ad Joannem desiderio lavacri diversorum copiosissima multitudo... Inter hujusmodi homines, virtutum coelestium Dominus... Christus Jesus non dedignatur humilis et quietus ad servuli sui baptismum properare..... Baptizatur ergo Jesus non sibi sed nobis; baptizatur non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse santificet; baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat sacramentum... Advertite quanta nobis in baptismate Domini patefacta sit gratia,

quam subtili sacramento Trinitas se hodie homini revelarit. » Quod tandem confirmat majorem in modum sanctus Episcopus Serm. x: « Licet enim olim natus esset ex Maria, et triginta annorum explesset aetatem; tamen ignorabatur a mundo. Eo tempore cognitus est, quo ad Joannem Baptistam, ut in Jordane baptizaretur, advenit, et vox de coelo Patris intonantis audita est: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Quem Pater de coelis voce monstraverat, hunc Spiritus Sanctus verus quasi in columba et super caput illius sedens tactu voluit demonstrare, ne quis alius Dei Filius putaretur ex populo... Baptizatur a Joanne in carne, sed ipse Joannem in spiritu lavat; aquae, quae caetera lavare consueverant, Domino nostro lavante mundatae sunt..... » His similia Maximus Serm. ix; eadem Serm. xii et alibi alia pulchre exornat formâ, aliis verbis exornat, amplificat.

§ **15**. Quamquam porro Maximus tot indiciis manifestatam Christi divinitatem fuisse animadvertit, Incarnationis tamen mysterium diabolo cognitum fuisse, Patrum superiorum traditionem secutus, negat. Homiliâ enim xxxvi quae est 1ª de Quadrages. sic diabolum inducit, Christi post jejunium esurie haesitantem: «Quae haec tam nova potensque generatio est? Inter peccatores et impios natus, mortali etiam de matre progressus, purgatior cunctis nascentibus et ipso mihi coelo purior apparet. Avaritiae in eo radix nulla consurgit, nulla cor ejus pulsat invidia, nescit lingua ejus mendacium, oculi ejus concupiscentiam non admittunt, nulla aurium voluptate mollìtur; et quid plura? nihil in eo reperio quod me delectet, omnes meos conatus evacuat. Quid agam? Quo me convertam? Fortiorem sentio; puto illum in regno meo velle regnare, ne forte Deus sit iste, quem nullum potest maculare delictum. Sed si Deus esset, quomodo indignitates partus feminei sustineret? Quomodo esset cunis pannisque contentus? Quis credere possit vagitus in Deo? Cui non audienti ridiculum est Deum femineo lacte nutriri? Post omnia, ecce èsurit, cum utique esurire Deum, ratio nulla persuadeat. — Ignorabat nimirum diabolus quia quod Christus nutrimenta perferebat infantiae, quodque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeae, sed coelestis gratiae sacramentum... Ecce tentator trina jam interrogatione nihil pròficit. Incertus venit (*tentare Christum*); redit incertior. »

§ **16**. Illam autem Christi esuriem optime pergit Maximus explicare in Sermone xv, nec non Homiliis xxxvii et seqq. ac xliii et xlix: « Esuriit, dicens, non cibum hominum sed salutem, nec escarum secularium èpulas concupivit, sed animarum desideravit sanctitatem. Christi enim cibus est redemptio populorum, cibus Christi est Paternae voluntatis effectus. » Quare inquit: « Omnipotens Unigenitus qui nostram magis esuriret salutem, tali tentatorem suum responsione confudit: *Non in solo pane vivit*

homo sed in omni verbo Dei... hoc est, etsi ego esuriam, mihi tamen, diabole, non est necessarius panis etc. » Quo utitur alibi argumento Maximus ut adstruat Christi divinitatem: « Moyses non esurivit, ut in homine fragili operata Divinitas probaretur; esurivit Dei Filius, ut assumptione carnis nostrae fragilem se suscepisse hominem revelaret. Quod non èsurit Moyses coelestis est possibilitatis exemplum; quod èsurit Christus nostrae est redemptionis sacramentum. Hujusmodi Dominus peregit in sua carne mysterium, ut sicut Deus esse divinis virtutibus creditur, ita et homo esse infirmitatibus dinoscatur humanis. Et hinc est quod Christus ut homo esurit, et esurientes pascit ut Deus. Hinc quod fatigatur itinere, et claudis virtutem tribuit ambulandi. Hinc quod oculos suos laxat in lacrymas, et mirabiliter coecis reformat aspectum. Hinc quod appropinquante morte tristatur, et mortuum Lazarum suscitat de sepulcro... » Eodem spectant quae complexus est Hom. CVIII, p. 357: «..... Christus venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes; humana quaerere, praestare divina: accipere injurias, reddere dignitates; ferre taedia, referre sanitates; ... Christus nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio.» His confer quae leguntur in Homiliis XXI et XLIV.

§ **17**. Eàdem locutionis gratiâ et sententiarum gravitate de caeteris mysteriis Christi Salvatoris disserit modo fuse modo breviter Maximus praesertim in Sermonibus *De tempore;* de miraculis ejusdem Servatoris in Sermonibus *De diversis;* de quibuslibet, data occasione in Homiliis tam hiemalibus quam aestivis; item de Sacramentorum institutione, sanctitate, efficacia; de Ecclesia et figuris biblicis eam praesignantibus, Homil. praecipue IV et LV ac Serm. LXXXIX, ac rursus Homil. XXX, XCIII ac CI. Hac de re inter praeclaras multas Evangeliorum interpretationes, unam saltem afferre juvat ex Sermone *De mirabilibus* inscripto, ubi agit de Petri navicula, in qua fluctibus periclitante Jesus obdormierat: «... Hanc igitur solam Ecclesiae navim ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Quae navis in altum seculi hujus ita natat, ut pereunte mundo omnes quos suscipit servet illaesos. Cujus figuram jam in veteri videmus Testamento. Sicut enim Noë arca, naufragante mundo, cunctos, quos susceperat, incolumes reservavit; ita et Petri Ecclesia conflagrante seculo, omnes quos amplectitur repraesentabit illaesos... Sed quoniam hanc eamdem naviculam Petri, ... legimus in Matthaeo, dormiente in ea Domino, ventis insurgentibus perturbatam, ita ut cuncti Apostoli mortis periculum formidarent; videamus quae causa est, quod una eademque navicula hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempestate discipulis metum mortis indicit..... Haec est autem causa periculi;

erat ibi quidem Simon Petrus, sed erat pariter et pròditor Judas. Quamvis enim illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est ubi Petrus solus navigat; tempestas ubi Judas adjungitur. Metuentibus igitur discipulis, anxiante Petro, dormiebat Dominus... Dormiebat Petro ne vigilaret Judae... Si unius Judae peccato cuncti periclitantur Apostoli, hoc exemplo caveamus perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. Quin etiam hujusmodi abjiciamus de navicula, ut non obdormiat sed vigilet in nobis Dominus, atque eo vigilante nulla nos spiritalis nequitiae procella concutiat. Ubi enim fides integra est, ibi Salvator docet, vigilat et exultat; ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum est medicina. Ubi autem fidei est admixta perfidia, ibi Christus... dormit... ibi metus, ibi tempestas, etc. »

§ **18**. Egregium quoque ex admirandis S. Episcopi concionibus locum non piget allegare, de osculo a Jesu Judae concesso: «... Laetemur ergo et exultemus in hac die (Sermo in solemnitate Pasch. 8us serie XXXVI) in qua nobis Dominus lucem intulit, salutem intulit, intulit pacem; pacem inquam nobis Christus resurgens intulit, quia et passurus, pacem proditori discipulo non negavit; ... Osculum autem illud Judae Ischarioth nolo existimetis a Domino nisi de charitate datum; et certe sciebat illum. Amoris pignus non negavit; pietatis enim genus est non negare extrema oscula perituris, et his quos dileximus ultimum persolvisse solatium. Simul etiam ipso dilectionis officio eum voluit emendare ut admonitus pietate non desereret amantem, non traderet osculantem; atque ideo quasi ad judicium Judae illud osculum datum est, ut si emendaret, esset pacis vinculum discipulo, si traderet, esset sceleris testimonium proditori. Ait ergo Dominus: *Juda, osculo Filium hominis tradis?* Ubi subtilitas factionum, ubi latentes doli? Ecce deprehenditur nequitiae omne secretum, et proditur proditor antequam prodat. Osculo, inquit, Filium hominis tradis? hoc est: amoris pignore vulnus infligis, officio charitatis sanguinem fundis, mortem irrogas pacis indicio? Rogo quae ista dilectio? Osculum porrigis et minaris? Non sunt ista oscula sed venena (*alias* vulnera) per quae servus Dominum, discipulus magistrum, electus prodit auctorem. » At si in hujusmodi eloquentiae Maximi exemplis proferendis immoramur, vix aliquando scribendi finem sumus facturi.

§ **19**. Nam praeter allata, in aliis pluribus feliciter versatus est: Jejunii quadragesimalis optima ratione (Hom. XXXVI, XLIV ac Serm. XIV, XV et XXVIII). Homiliis de passione et cruce Dom. in quibus praeclare agit *de accusato et judicato Jesu, de sancto latrone et de poenitentia Petri.* Orationes dogmaticas et Tractatus complures scripsit, ut supra innuimus, ad haereticos varios impugnandos; conciones item exegeticas de nonnullis miraculis Christi, et

parabolis ab eo propositis ; Expositiones tres supra viginti numerantur de Capitulis Evangeliorum, breviter nunc litterali nunc allegorico sensu compte evangelica quaedam facta illustrantes; his in expositionibus antiqua versione itala utitur plerumque Maximus. Multis denique auditores suos, posterosque lectores jucundo et saluberrimo pavit eloquio in Orationibus Moralibus, egregie docens qualis debeat esse Christi sectator (Homiliae *De diversis*); nullam vitae conditionem a studio perfectionis excusare; de timore Dei, ac de lingua refraenanda; de benignitate erga pauperes et erogandis eleemosynis; hospitalitatem, humilitatem et castitatem commendat; neglectum publici erga Deum cultus gravissimis verbis reprehendit; denique munus sacerdotale in quo zelus salutis animarum refulgeat, omni turpi quaestu alienus, et officium praedicandi describit atque inculcat (Homil. CII, CV, CXII et seq., Serm. XCII et seq., CXVIII et seq.).

§ **20**. Sermones S. Maximi *de Sanctis*, triginta septem numerantur, aut generatim de Martyribus et Confessoribus agunt, aut singulorum laudes recitant, ac exempla admiranda simul et imitanda proponunt (*a*). De iis autem pluries et in Homiliis egit. Lubet hic in specimen (unum sufficiat, alia cum saepe in Rom. Brev. occurrant) partem conspicuam decerpere ex Serm. in natali S. Cypriani: « Quotiescumque, fratres, sanctorum martyria celebramus, toties laudes Salvatoris dicimus, et quoties eorum afferimus passionem, toties Christi gloriam praedicamus. Non enim suspicimus quod passi sunt, sed propter quem passi sunt admiramur. Igitur non poena in laude, sed fides in honore. Magnificamus ergo Martyres non quia gravibus subjacuere suppliciis, sed quia justitiae causâ èadem toleravere supplicia. Nam plurimos sceleratorum pejores poenas vidimus esse perpessos, sed nihil eis prosunt, quia Martyres causa justificat, sceleratos conscientia sua damnat. Videte autem quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altare meruerunt. Dicit enim Scriptura: *Vidi subtus aram Dei animas occisorum etc.* (*Apoc.* VI). *Sub ara*, inquit, *Dei*, *animas occisorum;* quid reverentius, quid honorabilius quam sub illa ara requiescere in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiae, in qua Dominus est sacerdos!... Nec immerito illic pro justis vindicta sanguinis postulatur, ubi etiam pro peccatoribus, Christi sanguis effunditur. Convenienter igitur et quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait : *Quotiescumque haec feceritis, mortem meam*

(*a*) E compluribus quae inter S. Maximi scripta passim circumferuntur, et supposititia ab eruditis censentur, Sermones nonnulli et Homiliae extant de S. Eusebio Vercell.; digna partim quae ob styli similitudinem S. Ambrosio Mediolan. tribuantur, partim nulli SS. Patrum, sed scriptori cuidam nullatenus illis comparando. Genuinae duae tantum habendae Antistitis nostri videntur, de S. Eusebio Homil., videlicet in serie *de Sanctis* 77. et seq. ac Sermo unus, 78. Quaedam vicissim antiquitus ex Maximi opusculis adscripta Ambrosio fuere.

annuntiabitis etc... ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet.... »

§ **21**. Merito propterea S. Maximus, communi veterum recentiorumque eruditorum sententiâ, in dicendo ad populum nulli suae aetatis secundus dicitur, et ad docendum ex tempore perinsignis; merito S. Mater Ecclesia ejus scripta, quod summae auctoritatis est, in liturgicis libris legenda suscepit. Is, merito ajunt, multa doctrinâ et nativa eloquentiâ praeclarus, copiâ, elegantiâ et suavitate, lectorum animos occupat, sententiarum acumine et orationis gravitate devinctos tenet. Ubique divinis literis pro fundamento usus, eas frequenter profert, aptissima delibat, et ingeniosa facilitate explànat, ac vix unquam locum Scripturae allegat quem non continuo declaret, ut verus sensus visque probandi patefiat, ne tantummodo sonus verbi divini aures pulset, sed magis interna ejusdem virtus animos penetret. S. Augustinum et S. Ambrosium celeberrimos tunc Ecclesiae Latinae Doctores atque Oratores imitatus est, unde forte factum est ut tot S. Maximi Sermones inter eorum Opera irrepserint, quos demum critica accuratior sancto Antistiti nostro restituit, dum alia eidem perperam tributa vel omnino rejecit vel inter dubia collocavit. Orationes Maximi breves sunt, et ubi argumenti ubertas id exigere videbatur, proxima vice idem prosecutus est. Polite generatim fluide, eleganter, ingenue et nervose scribens et sanctae doctrinae a Patribus et Conciliis traditae constanter inhaerens, est S. Taurinensis Antistes probe admirandus; et si quando videtur verbis effusus in idem iterum iterumque redire, id rudiorum captui, quorum profectibus impense S. Episcopus studebat, certe conduxit; caeterum ejus dictio est ubique delectu sententiarum instructa.

§ **22**. Ex dictis profecto patet quam diligens Maximus fuerit in instituendo populo disciplinâ morum. Animadvertendum autem in primis duxit, Sacerdotum, Episcoporum praesertim id munus esse proprium, ut veritatem palam praedicent, ac si quid inferri pravi cognoverint, reprehendant ac penitus deleri curent. Cavendum vero, iis qui praesunt, majorem in modum esse, ne nimium aut severi sint aut indulgentes. Prophetam etiam petiisse (vide Homil. in Ps. 118, circa versic. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me*) « ut nosset scienter sapienterque distinguere qui sint termini bonitatis, et quam debeat habere medicina mensuram, ne forte aut nimiae remissionis vitio inconsulta foedetur, aut disciplina durior ipsa sui austeritate erubescat.... *Eum* qui bonus esse peccanti velit, benigne quidem facere; » sed ut bonum revera faciat, rigore uti debere disciplinae quo « sua illi proficiat bonitas in salutem; *alioqui* perniciosam illi eam bonitatem fore, quae permittat perire peccantem, quem ipsa potuerat salvare correctum. Rursus, *inquit*, si nimio disciplinae vigore nullam sanantis bonitatis praetenderis medicinam; dum terrorem tuum

rèfugit peccans, peccantis aegritudinem non curabis. Et quae tandem vivendi ratio erit, quae justitia, si aut solutior lenitas conniventiam praebeat peccatori; aut immoderata severitas a lapsis non rèvocet deliquentem » (*Hom.* CVII, *p.* 353).

§ **23**. Ejus concionum tanta vis fuit, ut non semel Taurinenses acri illius increpatione commoti, et tristitiâ afficerentur de offenso Patre et Pastore, indicium filialis metus et dilectionis hujus gregis in eum, et causam sedulo caverent ne quam deinceps ea de re ipsi ad redarguendum praeberent (vide supra in fine § 5). Maximus qui profecisse ipsos gaudebat, cum aliquos maestitiae se tradidisse cerneret, hanc ut mitigaret, sic eos est (*Hom.* CXIII) allocutus: «Amarior fortasse fuerit praedicatio mea, superiore Dominica, quod plerosque... acrius... convenerim, et sim prosecutus; quae aliquantis... tristitiam irrogarent. Verum... ego gaudeo sciens discipuli tristitiam magistri esse laetitiam. Tunc enim auditor proficit, quanto austeriora annunciat praedicator. Tunc enim ei salus gignitur, quando tristitia emendationis ingèritur. Dicit enim beatus Apostolus: *Nam quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur* (2. *Cor.* VI, 10). Recte ergo laetor quia salutem operor cum objurgo; licet moereat filius mea acerbitate sermonis, qui eum proficere intelligo per moerorem. Ait Apostolus: *Quis est enim filius quem non verberat pater?* (Hebr. XII, 7). Non enim semper pater osculatur filium sed et aliquando castigat. Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim et amor plagas suas quae dulciores sunt cum amarius inferuntur; dulcior est enim religiosa castigatio quam blanda remissio. Unde ait Propheta: *Dulciora sunt vulnera amici quam oscula inimici* (*vide Prov.* XXVII, 6). Igitur, fratres, quia post tot increpationis meae utilia verba, credo vos benignitate sensuum profecisse, de sacris Litteris aliqua conferemus. Sicut enim fons qui non solito humore distillat, exagitatur surculis, ita et largior invenitur, ac primum ex eo turbida aqua producitur, ut unda purior subsequatur; sic et sanctitas vestra exasperata quidem fuerat austeritate sermonis; sed devotior facta est dulcedine pietatis. »

§ **24**. Nullam novimus praetermissam a S. Antistite ita instituendi gregis opportunitatem ut sibi facile ab irruentibus lupis sive Haereticis cavere posset (vide supra §§ ab 8° ad 11um inclus). In Pelagianos praesertim, cum iidem blasphemarent Gratiam Dei secundum opera nostra dari; S. Antistes antidotum contra venenosam doctrinam afferens, «Notandum (*inquit Sermon*, LVI *et* LXII), est, quia Spiritus S. gratia lege non stringitur, necessitatis vinculo non tenetur; sed sicut ubi vult spirat, sic et quibus vult gratis sua dona dispensat.... Cavendum ne quid virtuti prudentiaeque nostrae, de his quae recte gerimus, arrogemus, dicente Domino ad Apostolos suos: *quia sine me nihil potestis facere*

(*Joan.* xv). Qua sententiâ praemonente, ab ipso nobis speranda sunt omnia. Cuncta etiam quae prospere veniant, illius reputanda muneribus, sine quo, ut ipse dicit, nullum penitus votorum nostrorum possumus habere successum. » Perrexit porro docere : Nos non ex operibus, sed ipsa gratiâ esse redemptos (*Serm.* cii), ac omnes actus nostros, Christo veluti socio vel teste, complere; hac scilicet ratione ut bona ipso auctore faciamus ; mala propter ipsius contubernium declinemus.

§ **25**. Attila Hunnorum Rex, anno cccclii descenderat in Italiam, et subacta, direpta, diruta Aquilejâ, omnique circum regione vastata, incolas partim interfecerat, partim redegerat in servitutem. Ea re cognita, sibi quoque metuere Taurinates coeperunt. Maximus qui quantum impendèret periculi videbat (*Hom.* lxxxvi) monet ut si averti ab se hostium impetum velint, fide se armisque coelestibus muniant. Hortatur ut Davidis meminerint, qui non telo sed imploratione divini nominis Goliathum prostravit, ejusque capite sublato audaciam compressit Philisthinorum. Non multo post cum rumor percrebuisset prògredi Attilam, exemplaque passim edere crudelitatis, Taurinenses etsi jam praesidia in muris statuerant, portasque urbis valide muniri curarant, tamen majori erant metu perturbati. Eorum animos erecturus Maximus , inque spe declinandi barbarici furoris confirmaturus , ascendit in concionem, et recordentur jubent oraculi Psalmistae, vigilari frustra a civitatis custodibus, ni Deus esse ipsius custos atque propugnator velit. Rèserent portas justitiae ; prece, jejunio atque largitionibus in pauperes Deum sibi propitium reddant (*Hom.* lxxxvii). At quo minus remittebant furorem barbari, eo civium terror ingravescebat. Bis tunc Maximus convocatis civibus (*Homil.* lxxxviii *et* xc) discant, ait, cum rebus secundis gaudeant, adversos etiam , si quae accidant, non gravate ferre ; sibique persuadeant utrasque e manibus proficisci beneficentissimi et omnipotentis Dei. Hujus iram supplicationibus, jejuniis, eleemosynis placare enixe studeant; Ninivitarum exemplum proponit. Si id fecerint, sperent omnia sibi feliciter eventura. Verumtamen Mediolanum jam barbari expugnarant, brevique signa Taurinum illaturi videbatur ; inde incredibilis terror ; fugâ sibi rebusque suis prospicere parabant. Tanto in propinquantis hostis periculo, tanta in perturbatione rerum, non demisit animum Maximus, sed, divinitus credendum afflatus et de eventuris conscius, confirmavit mirabiliter cives, deterruitque a suscepto fugae proposito. Tunc coactos in basilica vehementer incusat quod, diffisi Deo, patriâ excedere meditentur. Cogitent indignos esse filiorum nominis eos qui deserant in discrimen salutis deductam matrem. Ne confident, si àbscesserint, sese aut liberos aut minus infelices fore. Desinant peccare, auxiliumque implorent Dei ; sic eis se confirmare, id si bona fide egerint, civitatem non esse perituram. Cur non

confidunt suorum civium precibus? An adeo male de patria sentiunt, ut ne decem saltem in ea esse credant quorum merito salva sit civitas? si totidem Sodomae fuissent, nonne salva evasisset urbs illa; non credent ergo ob plures quam decem justos salvatum iri piam Taurinorum Augustam? Spe igitur in Deo freti ad arma conclament; armorum genus sit jejunia, preces, misericordia (*Hom.* XCII). Hac ratione cum metu pene exanimatos sublevasset, atque induxisset ut armis ejusmodi se instruerent; rei exitus demonstravit, nihil Maximum frustra civibus promisisse. Attila enim paullo post mirifice a S. Leone Magno deterritus, in Pannoniam reversus est.

§ **26**. Vix annus intercesserat, cum ob incredibilem siccitatem Itali ad frugum inopiam adducti, famem sustinere haud posse viderentur. Quam tum eluxerit pietas in suos ac liberalitas Maximi, difficile est aestimare. Id enim virtutis genus quod verbis summopere commendare consueverat, re plane quam in se esset excellens ostendit. Nam ad eos quorum angustior esset pauperies accurrebat, ac rebus quibuscumque poterat juvabat. Quod jam egerat Maximus in extrema annonae caritate anni CCCCL; quod, melius dicam, continenter fecerat jam inde a suscepto episcopatu; ita enim enituit ejus in egenos liberalitas, ut si quis Taurinum adventans de sancti Praesulis aede sciscitaretur, eam esse cives dicerent quam circumfusis pauperibus obsessam conspiceret. Quin etiam cum ita esset institutus, ut non magis verbis quam exemplo, Clero se populoque praeire debere judicaret; ita vixit, ut religione, amore in Deum et proximos, justitiâ fortitudine, temperantiâ, continentiâ, liberalitate, virtute denique omnimoda praestaret; nihilque oratione praeciperet quod non ipse ante perfecisse opere constaret.

§ **27**. Decesserit ne vero Maximus eodem anno quo ad Rom. Concilium perrexit ut diximus in § 1, an diutus vixerit, incertum est; tutiori sententiâ statuimus emortualem ejus annum CCCCLXVI, illi Concilio immediate sequentem. Communiter putant beatum tradidisse Domino spiritum Taurini (*a*) VII Kalendas Julias. Corpus

(*a*) TAURINENSIS vetustissimae urbis nulla, nisi conjecturis et fabulis petita, ortus et fastorum notitia ante Hannibalis in Italiam descensum, cui pro viribus, Romanis amicitiâ devincta, restitit. *Coloniam Juliam* Julius Caesar, *Augustam Taurinorum* Augustus Imp. appellandam decreverunt. Feraci in planitie. Pado interfluente, salubri utens àere sedet, amoenis collibus hinc inde adsistentibus recreata, aedium nitore, ac viarum fere omnium rectâ se et late protendentium aspectu magnifica, religione praestans et ingenii gravitate quid singulare praeseferens, institutionibus omnimodae levandae egestati, publica largitate subsistentibus, in primis locupletissima, nonnullis esset inter italicarum maximas laudibus sibi peculiaribus extollenda; primas quidem aliqua in re prae aliis sibi vindicans, aliis quibusdam alterâ, et majoris etiam momenti, jure concedens. Cathedrale templum in honorem S. Praecursoris Domini excitarunt Longobardorum Reges Agilulphus et Theodolinda circa initium VII saec.; Cardin. Archiepiscopus *Della Rovere* exeunte XV saeculo a fundamentis, non ignobili structurâ et cultu, renovavit. Mediolanensi Metropoli haec sedes suberat; Leo X anno MDXV Archidioecesim creavit. Innumeris ibi, eleganti in templo, celeberrima signis, ac frequentissimis quotidie civibus culta visitur pervetusta Imago beatissimae Virginis, quae a Consolatione nuncupata, hanc appellationem apud Taurinenses perenniter, et in gravissimo haud semel totius civitatis discrimine, comprobavit. Syndonis sacratissimae sepulti Salvatoris possessione gloriatur (vide MARTYROL. ILLUSTR. in fine mensis martii). *Civitas* praeterea *Sacramenti* vel *Miraculi* antonomastice in fastis ecclesiasticis

S. Antistitis tradunt sepultum in ecclesia S. Joannis Bapt. in pago de Collegno, milliaribus, Rom. mensurae quinque, Pedemontanae tribus, urbe distanti, quo, dum vixit, frequens oratum se conferre solitus erat. Eversa illa aede et nonnisi longum post tempus restituta, sacrae Maximi exuviae, saepe diligenter conquisitae, adhuc latent.

DE S. ADALBERTO CONF. ET LEVITA

DISCIPULO S. WILLIBRORDI EPISC.

EDITA A CENOBITIS MEDELOCENSIBUS CIRCA ANNUM SALUTIS DCCCCXC SED STYLUS PASSIM MUTATUS EST PER LAURENTIUM SURIUM.

Obiit anno 740 — Nat. Anglus.

§ **1**. Legimus in Ecclesiasticis Historiis beatum Egbertum * coelesti afflatum desiderio, patriam, parentes, omnemque frequentiam cognatae nobilitatis reliquisse, atque studio peregrinationis et ardore vitae remotioris in Hyberniam secessisse. Ubi cum praeclaro virtutum profectu et haud obscura vitae sanctimoniâ in multorum admirationem venisset, Deo id agente, multos sui sectatores effecit: certatimque ad eum tam Angli quam Scoti confluebant, ultro se in ejus disciplinam tradere cupientes. In iis erat etiam S. Adalbertus, qui tamquam apis generosior, arctioris vitae instituta non segniter est complexus. Actiones enim suas ad exempla pii praeceptoris conformabat, et ceu mundum animal, quicquid boni auditione accepisset, animo ruminabat, et opere exercebat: nec de sola scientia sibi inaniter applaudebat, nec animis tumescebat: sed eam perpetuo in opus conferre magis magisque connitebatur. Atque ita per angustam mandatorum Dei viam ingrediens, brevi adeptus est coelestium virtutum latitudinem.

§ **2**. Porro vir Domini Egbertus, quotidiana sanctitatis capiens incrementa, pro parvo ducebat suae unius saluti consulere: sed pro insita animo ejus singulari benignitate. summopere appetebat prodesse plurimis, inprimis autem sanctae praedicationis studio ad Christianae religionis complexum adducere homines ethnicismi erroribus implicatos. Audiens igitur Germaniae populos

dicitur, ex prodigio mirificentissimo quo divinitus, ad roborandam ejus fidem in augustum Eucharisticum mysterium, est dignata, die junii VI, anni MCCCCLIII. Accidit enim ut cum sacrilegi praedonis a Sabaudiae finibus mediam per urbem transeuntis jumentum corruisset, disruptis casu sarcinis extricata et patenti hierothecâ, adorabilis Hostia in sublime se se efferet et universa inspectante urbe tamdiu in àere pendula fulgeret, donec in supplicis Antistitis manibus descendisset. Portenti locus in ecclesia, ad tantae rei monumentum, Corpori Christi (vulgo *Corpus-Domini)* tunc extructa, cancellis clausus signatur lapide, festumque *Miraculi* quotannis perquam solemni ritu et officio per integrum proprio et egregie concinnato devotissime celebratur.

* In *Martyrol. Illustr.* m. apr., p. 352.

infidelitatis nexibus prae caeteris tenacius irretitos, quippe qui ob ferocitatem suam Divini verbi praeconibus hactenus pene inaccessi manerent, plane instituit ad eos commigrare, periculum facturus, num quos ex illis, Christi cooperante gratiâ, ex filiis perditionis posset adoptionis et conciliationis filios efficere. Cumque in hanc cogitationem et curam totus incumberet, divino oraculo, ne eam ad effectum perduceret, retardatus est. Itaque vir sanctus, cum neque vellet, neque posset divinae ordinationi reluctari, alios quosdam delegit, quos suo loco mitteret, et sanctitatis meritis et eruditionis efficaciâ tantae rei idoneos. Et primo quidem misit Wigbertum *, integerrimae conversationis presbyterum: qui diu multumque cum obstinata barbarae gentis duritia colluctatus, cum videret non posse eam a sua perfidia revocari, infecto negotio est reversus. Atqui vir prudentissimus non ignorans, de Dei misericordia numquam desperandum, alios subrogavit, qui illud praedicationis officium explerent, Willibrordum ** Apostolicae gratiae presbyterum, eumque, de quo diximus, clarissimum Christi confessorem Adalbertum: adjunctis iis decem aliis, eodem fidei calore ferventibus: ex quibus nonnulli post multiplices suscepti laboris agones, martyrii palmam adepti sunt, alii in pontifices promoti, cum praeclare illo munere perfuncti essent, in pace quieverunt.

§ 3. Ii ergo Christianae religionis propagatores, sacraeque fidei propugnatores, tam jussu patris, quam sua voluntate et deliberatione ad Evangelii praedicandi opus inhiantes, superatis pelagi periculis, coelesti illis gratiâ aspirante, optatum portum gratulabundi attigère. Tum vero in terram egressi, strenuissimum Francorum principem Pipinum adierunt: a quo cum multa reverentia suscepti, et per omne tempus, quo apud illum mansere, humanissime et officiosissime tractati sunt. Porro ubi cognovit adventus illorum causam et pium animi propositum, misit illos in Frisiam, quam nuper subegerat, ut suo ministerio gentem illam Christo lucrifacerent, ipsius principis praesidiis fultos, et auctoritate munitos. Cumque egregii illi rationabilium novalium cultores, jactis seminibus, e suo labore viderent frugum incrementa existere, communicato inter se consilio, cum bona venia Principis Pipini, sanctum Willibrordum mittunt Romam, a Praesule Apostolico in Episcopum promovendum. Ille vero ea dignitate ornatus, ad coeptum redit opus, sedemque Episcopi apud Trajectum castrum obtinet: cujus quae fuerit vita, qui ejus in praedicando Dei verbo sudores et labores, quibus claruerit miraculis, si quis nosse velit, potest ex libro gestorum ejus luculenter scripto, perdiscere. Nos pauca haec in testimonium virtutum sanctissimi patris nostri Adalberti commemorare voluimus,

* De eo xv aug.
** Col. vii nov., vide et Surium mense martio p. 11, de S. Switberto.

ut qui iis omnibus efficiendis comes et adjutor interfuerit indefatigabilis: jam porro, Deo favente, ad ea nos conferemus, quae peculiariter ad illum attinent.

§ 4. Itaque in beato Adalberto tanta fuit comitas morum, ut mirabili vitae suavitate omnes ad sui imitationem alliceret. Quicquid sermone faciendum ostendebat, prius ipse factis declarabat, maximo se detrimento affectum existimans, si non verba et institutiones suas re ipsa et exemplis optimis confirmaret. Inprimis autem verae humilitatis studiosus fuit, asserens ejus industriâ et cautione caetera omnia conservari. Supervacaneum sit, hoc loco ejus eximiam velle charitatem commemorare, cum ea illi causa fuerit, patriam, propinquos et dulces patriae fines, cunctaque natalis soli commoda relinquendi. Ne simus autem prolixiores quam par sit, hoc compendio retulisse sufficiat, ita eum singulis initiatum virtutibus, ut nunquam ab illis quatuor primariis, quas cardinales vocant, deflexerit, eamque viro sanctissimo spiritalis militiae perpetuam atque indefessam fuisse contentionem, donec ipsam hostiae suae extrema Domino immolaret, convenienter illi sententiae Salvatoris: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Ejusmodi ergo eximius heros munitus et instructus apparatu, quoquoversum proficiscens, lucrandis animabus operam navabat.

§ 5. Utplurimum tamen eo in loco haerebat, quem Egmundam vocant, ad cujus recessus ab importuna hominum frequentia veluti receptum quemdam habere visus est: ubi inter complures, quos fama virtutum ejus invitarat, Eggo quidam ad eum venit, et brevi tempore in ejus se familiaritatem insinuans, accurate illi adhaesit, adeo ut vir Dei non raro ejus hospitio uteretur, felicique compensatione ejus mèteret carnalia, cui spiritalia seminabat: utque inter ipsos conflata charitas et benevolentia esset confirmatior, ejus filium e sacro fonte suscepit, et ut par erat, etiam pleraque secreta sua cum illo vel maxime communicavit. Itaque die quodam inter cenandum cum se mutuis ex more colloquiis oblectarent, vir sanctus illi amico suo aperuit, velle se patriam parentesque revisere, ut posset etiam illis aliquid gratiae spiritalis impertiri. At Eggo, nimis moleste ferens tanti amici absentiam, cum lacrymis curiose ex eo sciscitabatur, ad quod tempus rediturus esset. Tum vir Deo plenus, ejus piae solicitudinis misertus, fragmentum pomi, quod forte manu tenebat, in ignem projiciens: Cum hujus, inquit, pomi grana in virgulta excreverint, me, Deo bene propitio, tibi restitutum videbis. Deinde susceptam profectionem prosequens, emenso mari, in patriam venit, diuque optatam sui praesentiam nativae regioni exhibuit: illicque aliquandiu moratus, verbis et exemplis non paucos ad sui imitationem illexit. Semper enim Dei gratia virum sanctum, quocumque se conferret, et praevenit et subsecuta est. Ita ergo lucrandis

Deo animabus totus incumbens, praesentis laboris asperitatem futurae mercedis contemplatione leniebat.

§ 6. Interea Eggo ille, quem diximus sponsionis viri Dei aestimator avidissimus, ejus reditum mire sitiebat. Ut autem miraculum, beati viri declarandis meritis divinitus destinatum, augustius existeret, accidit ut hospitlolum, in quo grana pomi ignis, mittente S. Adalberto, exceperat, voracibus flammis in favillas redigeretur. Ecquis vero ex ejusmodi ambusto loco germen ullum unquam emersurum, nedum bene frugiferas plantas ex carbonum reliquiis prodituras speraret? Sed Deo cui omnino idem est velle quod posse, nihil ad efficiendum difficile est. Denique ubi opportunum adventavit tempus, ex eodem loco prodiit germen odoris Domini, et grana in ignem jacta redivivos protulere flores: nec tamen fructus adferendo, tantam sui admirationem excitarunt, quantum attulit gaudii reditus optatus beatissimi patris Adalberti: qui, ut promiserat, in Frisiam reversus, tanto majori omnium studio et benevolentiâ accipitur, quanto ejus sanctitas evidentiori miraculorum attestatione, et propheticae sponsionis certiori exhibitione quoquoversum sese celebrius diffudit. Attamen vir sanctus omni virtutum exercitatione instructus, et omni ex parte circumspectus, et adversus tentatoris versutias cautus et pervigil, in via propositi sui non tam in id erat intentus, quantum jam confecisset itineris, sed quantum adhuc certaminis superesset: sicque quotidie aliquid ad superiora pietatis studia adjicere nitebatur, acsi jamprimum novus tyro spiritalis militiae et sanctae conversionis semitam ingrederetur.

§ 7. Igitur de virtute in virtutem proficiscens, quod feliciter coeperat, felicius consummavit, et immarcescibilem sui agonis percepturus coronam, praesentis seculi obscuram lacrymarum vallem cum paradiso deliciarum permutavit: Christoque, cui fideliter servierat, septimo Calendas Julii sanctissimam reddidit animam, laetissime jam concinens in Christi praesentia: *Sicut audivimus, ita et vidimus*. Ubi sane nos et credimus et optamus eum nostrarum miseriarum memorem, tanto utique nostris relevandis incommodis efficaciorem, quanto divinae pietati conjunctior est. Corpus autem beati viri a fidelibus ejus temporis, qui ejus curabant exequias, diligentissime conditum ac humanissime terrae mandatum, beatae resurrectionis tempus praestolatur. Condita est supra illud ecclesia, quantum quidem earum rerum adhuc rudes poterant, ejusque memoria ab illis celebrabatur. Sed eam ecclesiam Nortmanni, crebro facta irruptione, saepe everterunt, vastatis atrociter locis omnibus illi adjacentibus.

§ 8. Ut autem divina providentia, cujus meriti esset vir sanctus, qui illic corpore quiescebat, ostenderet, id effecit, ut nunquam illi loco deesset, qui cultum debitum persolveret. Nec! mirum tamen humanis illum excubiis honorari, qui quotidianis

illic miraculis coruscaret: quae quidem tam multa sunt, ut si ea singulatim describere velimus, non modo difficilem sed etiam impossibilem et cui pares esse nequeamus, laborem suscepturi simus. Quamòbrem necesse est eum nos imitari, qui amoena prata perlustrans, dum, quos decerpat flores, animi dubius est, eàtenus suo desiderio moderatur, ut tot carpat, qui sufficiunt ad delectationem, non qui suo pondere premant abeuntem. Ita et nos ea debemus uti mediocritate, ut recitatio compendiaria et studiosis, et fastidiosis vicissim satisfaciat. Caeterum ut fidem dicendis adstruamus, non valde nobis laborandum credimus, cum profecto absurdum sit inde apud fideles aliquem ambiguitatis scrupulum existere, unde, auctore Deo, certum est, incredulos pristino valefecisse errori.

§ **9**. Mulier quaedam Esewar nomine, S. Adalberti servitio se devovit, certo sibi persuadens, inopiam et angustias viduitatis suae, ejus patrociniis relevatum iri. Cumque multis annis devotis instititisset obsequiis, piratae in ea loca irrumpentes, omnem circumquaque regionem hostiliter devastarunt: direptisque rebus et facultatibus, homines captivos abduxerunt. Mansit autem sola haec vidua, in tanta vastitate quid ageret, quo se verteret, modis omnibus ignorans: quippe quae prorsus nihil haberet alimoniae, nec ubi vel unde eam compararet, ulla ei copia suppeteret. Tandem hoc unum ei reliquum fuit, ut de consueta sancti Adalberti benignitate confideret. Nec sanctus despexit de ipso bene sperantem, sed opportunum illi remedium et opem tulit: quotidianum ei victum ab Oceani litoribus subministrans, atque hoc ipso satis declarans, quam verum sit, Deum timentibus nihil deesse. Non potuit pia vidua communem sentire calamitatem, quae specialius sancti Adalberti patrocinium sibi conciliarat.

§ **10**. Postea vero presbyter quidam, Amalathus nomine, officii sui religiosus cultor, angelico est oraculo admonitus, ut instaurandae sancti Adalberti ecclesiae, sine ulla dilatione operam daret. Ne qua autem posset illi inhaerere ambiguitas, eadem visio etiam aliis tribus viris, laicis illis quidem, sed bene religiosis, oblata est. Qui cum ei quid vidissent indicassent, et ille omnia videret cum sua visione consentire, multo ad aggrediendum opus factus est alacrior. Itaque accìtis undique operariis, in opus illud ferventer incubuit. Ubi autem artifices materiam comportatam inspexere, trabem unam caeteris multo breviorem viderunt: eaque re non mediocriter afflicti, in alterum diem distulere consultationem. Mane vident praesenti Dei beneficio trabem illam etiam caeteris longiorem, multaque affecti laetitiâ, tanto accuratius coepto insistunt labori, quanto certius cognovere etiam divinis se miraculis confirmari. Erat autem ecclesia illa, sanctissimo Adalberto consecrata, ad litus maris sita, atque ea causâ piraticae infestationi exposita. Sed quam admirabiliter saepius eam potenti miseratione

ab ea vexatione defenderit, non est silentio tegendum. Crebro enim Barbari in illam incurrere volentes, et propèmodum attingentes portum, nube se interponente videre illam non potuerunt, atque ita frustrati conatu suo, inanes abiere. Quae res in causa fuit, ut non modo a Christianis, sed etiam ab ethnicis frequenter visitaretur, illis suam animi devotionem crebris oblationibus haud obscure declarantibus. Neque id immerito, quandoquidem nullus eo frustra accessit, nec quemquam sui laboris poenituit.

§ **11**. Apparuit Christi confessor sanctimoniali cuidam in somnis (dicebatur ea Wilfit), jussitque ut sacra ipsius ossa, quae instar aliorum profunda humo condita erant, sub omnium conspectum elevarentur, ut fidelium devotio efficacius incitaretur, et ejus meritorum intercessio studiosius impetraretur. Et ne ambigua esset ea apparitio, tertio repetita est. Itaque sanctimonialis illa Theodorico primo Comiti et ejus loci domino, quid vidisset et audivisset, indicat. Comes porro, ut semper promptus fuit et officiosus ad ea quae religionis sunt, non distulit in opus conferre quae erant sanctimoniali demandata. Elevata igitur sunt beati viri ossa, et ecce sub sarcophago repertus est fons mire perspicuus, qui hodieque multis adfert corporum salutem. Aperto autem loculo pallium quo sacrum erat corpus obvolutum, penitus incorruptum inventum est. Porro is, quem diximus, Comes Theodoricus, in loco quem Hallen vocant, ex materia sive ex lignis construxit oratorium: constitutoque die, in quem fideles possent adesse, eo sacrum fecit thesaurum adduci: nec facile certus possit eorum numerus iniri, qui interim, dum sacrae reliquiae deportarentur, sanitatis beneficium impetrarunt. Sed quid sibi vult, quod confessor Christi sanctissimus, qui jam beatus in coelis, nullius indiget, qui etiam cum esset in humanis, humana omnia fastidivit, sua vult ossa elevari, et meliori loco reponi? Certe non ob aliud hoc ille voluit, nisi ut ii, qui ea cernerent, animis compungerentur, atque ita facilius divinitus adjuvari mererentur: tum etiam, ut magis magisque pii homines ad appetenda coelestia inflammarentur. In eo autem construendo oratorio cunctis strenue laborantibus, Sigifridus quidam sociorum diligentiam imitari nolens, omni membrorum officio destitutus, toto corpore contractus est. At salubri poenitentiâ correctus, mox revaluit.

§ **12**. Brumali tempore, omnibus frigore rigescentibus, Comes Theodoricus, de quo jam diximus, trahâ vehebatur per lacum mire profundum, sed congelatum. Ut est autem periculosa ejusmodi in aquis frigore concretis ambulatio, cum jam medium fere attigisset lacum, dirupta non satis solida glacies, praesens exitium Comiti minitabatur, qui cunctis fugientibus, solus illic relictus est. At ille cernens omni se humana ope destitutum, ad crebro compertum beati Adalberti patrocinium confugit. Mox,

quod dictu mirum est, ubi incredibilis pene est laci profunditas, non nisi ad cingulum usque mergi potuit, et tum ipse, tum ea omnia quae curru vehebantur, periculum illud evasere.

§ **13**. Non sunt autem oblivioni tradenda quae temporibus Theodorici junioris, qui fuit ejus, quem diximus, Comitis filius, nosipsi vidimus declarata miracula. Is enim paternae devotionis ferventissimus aemulator, in honorem S. Adalberti confessoris Christi, basilicam lapideam non sine multa difficultate construxit: quippe cum tellus haec arenosa et lapidum et calcis admodum inops sit. Ipsum quoque beati viri corpus sarcophago impositum, elegantis fabricae structurâ ornavit, et ne quid apud Deum de futurae beatitudinis praemio illi deesset, monasticae vitae cultores illic Deo vacare voluit, de suis proventibus tantum illis conferens, quantum ad victum quotidianum sufficeret. Pater quidem illius sanctimoniales illic collocarat: sed imminente eis saepius Frisonum feritate, ad propositi sui observantiam facultas eis minime suppeditabat.

§ **14**. Porro Theodoricus Comes junior, filium genuit Egbertum, quem studio religionis in Clerum voluit ascribi. Is vero Egbertus jam adultus, cum Subdiaconus esset, a die Palmarum usque ad ferias S. Adalberti hujus quae incidunt in septimum Calendas Julii, acri febre laboravit. Cum autem festum illum diem cum caeteris celebrare constituisset, fiduciâ meritorum sanctissimi Confessoris fretus, ita prorsus eo morbo absolutus est, ut nunquam illo correptus videretur; multaque hilaritate perfusus, ad Missarum solemnia sui ministerii devotionem adhibuit. Hic est Egbertus ille, qui postea in Trevirensem promotus Archiepiscopum, tum vivacissimo religionis ardore, tum egregiae moderationis libramine eam gubernavit Ecclesiam. Idem vero Comes Theodoricus filiam habuit imprimis charam, Erlindam nomine quae diu lusca fuit. Ea quoque sancti Adalberti experta est virtutem. Qui vero illam vir sanctus negligeret, tot ab ejus patre modis honoratus? Recepit ergo oculum incolumem, plus gaudens illo restituto, quam si nunquam ejus usu caruisset. Presbyter quidam ex Anglorum gente Wolmarus nomine, ad viginti annos caecus fuerat. Multa ille sanctorum loca adiit, ipsa quoque Apostolorum limina Romae visitavit. At quamvis divina benignitas per merita Apostolica multis saepe modis se declaravit, at tamen hujus viri sanitas S. Adalberto servata est. Itaque Româ revertens, ubi celebrem ejus famam comperit, Egmondam venit, ex fonte illo, quem sub sacri corporis locello repertum diximus, tertio oculos abluit, et vidit clarissime.

§ **15**. Hac quoque tempestate permulti variis affecti morbis, integram beati viri meritis sanitatem recepere. Inprimis autem daemoniaci efficacissimam ejus in se virtutem experiuntur. Nec mirum, cedere illi daemones, jam cum Christo regnanti, cujus

adhuc in carne militantis, ineluctabile certamen crebro experti sunt. Comes Ruosekinus haud procul a monasterio beati Adalberti morabatur. Is filium suum in eo monasterio Christo serviturum devoverat. At ubi postea ejus voti incuriosus praevaricator effectus est, puer usque adeo coepit adversa laborare valetudine, ut ejus vita plane desperaretur. Sed postquam ad altare sancti viri regulariter oblatus est, salus ei restituta est. Unde satis licuit animadverti, paternam perfidiam ejus amissae causam fuisse. Mulier quaedam infantem peperit, qui ad viginti dies a maternis uberibus nullum omnino lac sugere voluit. Erat res plena praesentis periculi, cui humana ratione mederi nemo posset. Itaque parentes offerunt illum ad altare S. Adalberti, et puer mox ad ubera inhiat. Qua in re, dum parvulo subtrahitur naturalis nutrimenti appetentia, et sancti Confessoris in curandis morbis patescit excellens virtus, et eidem infanti sublimioris instituti professio conciliatur. Oratorium beati viri custodum incuriâ bis flamma vorax absumpsit: et cum nihil ignis reliquum fecisset ex iis quae in oratorio illo habebantur, solum pallium, quo erat sacrum sancti Confessoris corpus obvolutum, nihil ab igne detrimenti accepit.

§ **16**. Haec de vita et virtutibus celeberrimi Confessoris Christi Adalberti, Medelocensis coenobii fratres conscripsere, jubente supradicto eximio Praesule Egberto, ejus monasterii domino, rerum ad divino cultum facientium studiosissimo procuratore.

§ **17**. Temporibus Florentii Crassi, qui fuit octavus Comes Hollandiae, cujus multa in Deum pietas, erga sanctum Adalbertum devotio, et ejus monasterium benevolentia extitit, id, quod jam commemoraturi sumus, gestum est. Paludem effecerat maris inundatio, cujus etiamnum vestigia magna supersunt. Ea plerumque hyeme increscens, adeo Egmondensi monasterio solebat imminere, ut aegre ab ejus ambitu arceri posset. Quadam autem hyeme plus solito inundans, pago vicino, quem Castriken vocant, non mediocrem agrorum et aedium vastationem minabatur. Incolae autem ejus pagi per id tempus et generis nobilitate, et rerum copiâ praepollebant: quae res illis insolentiae, contentionis et multorum malorum fomitem suggerebant. Illi ergo concitatis animis et armata manu Egmundam veniunt, aggerem undis objectum perfringere volentes, id quod sine magno monasterii damno fieri non poterat. Hac autem ratione undas tumescentes illi a suo pago avertere moliebantur. Ubi haec ad Abbatis Stephani, admodum venerandi senis, pervenere, quod viribus non poterat, consilio egregie praestitit. Misit enim ad illos, scrinium aureum, in quo erant sacrae reliquiae et unâ Adalardum, qui ei in Abbatis functione successit, ut tum sanctorum reverentia, tum Adalardi, qui sanguine conjunctus erat illis, qui in iis praecipui fuère, precibus permoti, ab ea temeritate absisterent. At illi mente

obstinata, quod animo conceperant, re ipsa perfecerunt, perrupto vi aggere monasterii. Tum vero Adalardus scrinium illud cum sancti patris Adalberti commemoratione aquis imposuit: et ecce aëre tempestate concitato, grando et nix e coelo ruunt, aquae in seipsas convertuntur, nec audent ad loca humiliora se effundere. Ejus miraculi novitate fracti et pudefacti Castrikenses, domum abiere.

§ **18.** Frisones vicini nostri, quemadmodum nobis retulit vir quidam eximia pietate, ad solemnitatem sancti Adalberti perpetua quadam consuetudine cum oblationibus frequentes venire solebant. Inter eos venit quandoque etiam mulier uno oculo orbata: quae cum sedulis precibus in beati viri ecclesia vacaret, lumen amissum recepit. Curatus est etiam quidam presbyter coecus. Testantur vero homines fide dignissimi, tot se saepe numero miracula conspexisse, praesertim in feriis sancti Adalberti, ut certus eorum numerus iniri non posset. Nostra quoque memoriâ non raro vidimus, hominibus cum multa fide et devotione ad ejus diem festum confluentibus, diversis morbis et incommodis affectos, atque etiam daemoniacos templum gemitibus et clamoribus implere, permultosque ex iis incolumes abire.

§ **19.** Petronilla, uxor quondam Florentii Crassi Comitis Hollandiae, marito defuncto, cum tres haberet filios tenerae aetatis, Comitatum strenue administrabat. Cum sint autem foeminae molles, possintque facile in fraudem impelli, male persuasa Petronilla a quibusdam potentibus familiaribus suis, ab Egmundanis fratribus petiit Asselinum Capellanum suum in monachum recipi, ut illo mox Abbate creato, ipsa de monasterii rebus liberius usurparet. Factus est ille monachus, et licet simplici esset ingenio, planeque rudis monastici instituti, etiam Abbas, sed solo nomine, effectus est. Tum vero res monasterii alii sibi vendicare coeperunt, eratque videre miseria, nobis penuriam patientibus, alios nostri oppressione gloriari. Fuere tum etiam, qui consulerent Petronillae, avaritiâ eos potius, quam religione, stimulante, ut vetus ecclesia, tanquam angusta et parum decòra, destrueretur. Itaque tres laici ejus ecclesiae praelati constituti sunt, lupi verius quam pastores, Folpertus albus, Eilgerus et Stephanus. Qui eam nacti opportunitatem, sub consulendi praetextu, clam de peculio nostro praedas agebant, domumque Dei paulatim expilantes, hominesque ecclesiae in suam ditionem redigentes, domos suas pecuniis impleverunt. Vidisses tum eorum proles, cognatos et affines inire matrimonia, dotes sibi parare ex facultatibus nostris, et ita brevi magnas opes ecclesiae nostrae ad magnam tenuitatem rèdigi. Sed non semper dormìtat ille, qui dicit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II). Cum facerent ergo illi quae minime deceret, ita divinitus mulctati sunt, ut omnes anno uno inopinata et immatura morte perierint, suo

exemplo docentes verissime dixisse Apostolum, *Qui templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus* (1. *Cor.* III). Deinde non solum ecclesiae et monasterii ejusque officinarum omnium ruinae instauratae sunt, sed etiam collapsi mores, et fratrum atque religionis magnus defectus, Domino favente, in melius reformata sunt.

MARTYRIUM

SS. JOANNIS ET PAULI

ITEMQUE GALLICANI VIRI CLARISSIMI

A TERENTIANO CONSCRIPTUM. CONSENTIUNT ANTIQUISSIMA MARTYROLOGIA : ADO EPISCOPUS MAXIMAM EJUS PARTEM FERE AD VERBUM HABET IN SUO MARTYROLOGIO. NOS ALIQUOT LOCA NONNIHIL ELIMAVIMUS.*

Anno 362.

§ 1. Sub Constantino Augusto, et Gallicano Duce Romani exercitus, Persarum gens quae Syriam invaserat, victa et profligata est : cumque idem Gallicanus triumphalibus infulis sublimatus, acceptus esset Augusto Constantino et charus, filiam ejus sacratissimam virginem Constantiam sibi poscebat uxorem : idque non mediocri instantiâ tum efflagitabat, cum gens Scythica quae Thraciam occupaverat, immineret **. Et quia magna erat auctoritate, Comites omnes et Praefecti cum universo populo Romano, ut id fieret, postulabant. Constantinus vero Augustus magno coepit animi dolore affici, quod sciret filiam suam in sancto proposito manentem, facilius occidi posse, quam vinci. Quae cum patris solicitudinem studio sanctitatis conaretur excludere, dixit ad eum : « Si certissimum non haberem, quod me non deserat Deus, recte et formidini meae, et solicitudini tuae locus aliquis daretur. Cum vero certa sim de Deo meo, pone pater omnem hanc solicitudinem tuam, teque me illi conjugem daturum promitte, ea conditione, ut si Scytharum gentem superaverit, me victor simul et Consul accipiat : porro sponsionis hujus gratiâ duas filias virgines, quas ex amissa conjuge suscepit, usque ad nuptiarum diem apud me esse sinat : atque ipse Joannem Praepositum et Paulum Primicerium meum apud se comiter habeat : ut et ipse me per

* Falso dicuntur per Terentianum scripta Acta haec, sed dicenda sunt Terentiano referente, et ab imperito interpolatore tradita litteris.
** Anno accidit Sarmatica seu Scythica irruptio CCCXXXII.

familiares meos alloqui et cognoscere possit, et ego per ejus filias votum, mores, institutumque illius cognoscam.» Facta sunt omnia haec, sicut virgo disposuit, et quasi instar arrhabonis cujusdam dantur Gallicano duo fratres eunuchi ex parte Augustae, et duae sorores, Gallicani filiae· ipsi Augustae traduntur: quae ita erant liberalibus studiis eruditae, ut vix in virorum sapientium numero illis pares scientiâ inveniri possent. Altera ex iis Attica, altera Arthemia dicebatur. Quas cum Constantia ad se venire didicit, expandens manus ad Dominum, sic oravit:

§ **2**. « Domine Deus omnipotens, qui me orationibus tuae martyris Agnae * a lepra mundasti, et semitam mihi timoris tui propitius ostendisti, virginitatisque thalamum reserasti: ubi tu sponsus, tu filius manifestatus es: tu genitus ex Maria, tu genitor probatus es Mariae: tu lactatus uberibus Mariae, tu omne seculum nutriens, simul etiam illam, a qua lactatus es et nutritus: tu infantulus crescens aetate, tu omni seculo incrementa tribuens: tu sapientiâ proficiens, cum ipse sis sapientia: tu ita magnus, ut te magnificentius nihil sit: tu verus homo ex matre editus in tempore, tu verus Deus ex Patre sine matre genitus in aeternitate: Deus de Deo, fecisti quae non erant: ex matre sine patre carnali editus quae lapsum incurrerant, reparasti: tu fusus in lucem, illuminatus es, cum sis ille, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Te deprecor, credens quod jussisti, te quaeso petens, quod ipse promisisti, cum diceres: *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan*. xv). Peto itaque Domine ut has Gallicani filias tu lucreris, ipsum quoque Gallicanum, qui me tibi auferre conatur, tuae fidei adjungere digneris. Aperi Domine os meum auribus earum, et aperi aures cordis earum sermonibus meis, consensusque illarum mihi pande januam, et tantam verbis meis vim largiaris, ut carnis commercium respuentes, tibi consecrari desiderent, atque ex hoc desiderio tantus amor in earum pectore existat, ut ferventer inhiantes ad thalamum illum tuum coelestem, plenis oleo lampadibus et tuae charitatis splendentibus flammis ad eum pertingant, ut loco ipsis inter sapientes virgines attributo, de tua misericordia gloriantes, nihil terrenum appetant, sed te solum integro viscerum suorum affectu concupiscant.» Hanc vero orationem fuisse Constantiae, ipsa narrante didicimus, quam etiam ab ea scriptam legimus. Uti vero Atticam et Arthemiam ad Dominum converterit, quod ad Gallicani martyrium explicandum pròperem, studiose praetereo.

§ **3**. Igitur veniens Gallicanus ovans, a Constantino, ejusque liberis, atque ab omni Comitatu et Senatu excipitur: nec prius ingressus est urbem Romam, quam ad sacra Petri Apostoli limina perrexisset. Dixit autem ad eum Constantinus: « Cum ad

* Vide Surii Vol. I, p. 531.

bellum proficisceceris, in Capitolium et templa ingressus, daemonibus immolasti: et jam inde victor rediens, Christum adoras et ejus Apostolos? Quid vero isthuc rei sit, mihi nosse cupienti pandi per ordinem. » Gallicanus eum adorans, ait: « Cum Scythica gens me in Thraciarum Philippopoli conclusisset, stragesque nostrorum plurimas edidisset, formidante me cum illis confligere, quod exigua esset mihi militum manus, illorum autem innumera multitudo, insistebam sacrificiis, et varias Marti victimas offerebam, et quid multis moror? Crevit tandem obsidio, et omnes tribuni et milites mei se hostibus dedidere. Cum autem cuperem ego fugae aditum reperire, Paulus et Joannes, quorum alter praepositus, alter primicerius est dominae meae, pietatis vestrae filiae, Constantiae Augustae, dixerunt mihi: Nuncupa votum Deo coeli, si te liberaverit, fore te Christianum: sicque eris victor amplius quam fuisti.

§ 4. « Fateor, sacratissime Imperator, simulatque votum hoc ore meo prolatum est, apparuit mihi juvenis staturâ excelsus, ferens in humero Crucem, et dicens: Sume gladium tuum, et sequere me. Cumque ego sequerer illum, apparuerunt mihi hincinde milites armati, confirmantes me atque dicentes: Nos tibi praestamus officium: tu ingredere castra, et dexterâ levàque tenens gladium evaginatum, respice donec ad ipsum regem pervenias. Ad quem cum pervenissem, prostratus ille ad pedes meos, rogavit ut sanguini ipsius parcerem. Ego flexus pietate, nullum penitus ex illis occidi, nec occidi jussi ab aliis. Atque ita universa Thracia a Scythis liberata est, et Scythae facti sunt tributarii. Tribuni omnes, qui ad me cum suis militibus reverti voluerunt, nisi fierent Christiani, a me minime recipi potuerunt. Eos autem qui in id consensere, gradu sublimiori affeci, caeteris militiâ privatis. Porro meipsum jam Christianum effectum, ita Deo devovi, ut etiam a conjugio promiserim abstinere. En habes quadruplicatum exercitum, habes Scythas tributarios, et omnem Thraciam in libertatem vindicatam. Mihi, quaeso, propitii, succedi jubete, ut libere possim vacare religioni quam didici, et in veritate perstare, quam profecto cognovi. » Haec dicente Gallicano, Imperator misit se in amplexus ejus, referens universa quae gesta sunt circa filias ejus, quemadmodum virgines Christo consecratae essent, et per illas sua gratiâ Christus alias duas acciverit, utque doctrinae summam complexae ad perfectionem contenderent, et inter ipsa rudimenta, quae perfectionis sunt, consectatae sint.

§ 5. Deinde cum Augusto Gallicanus intravit in palatium: cui beata Helena cum Constantia et duabus ejus filiabus occurrit, fundebaturque lacrymae gaudiis plenae. Nec permittebatur ad domum suam redire Gallicanus, sed quasi gener Augustorum, in palatio morabatur, cernens filias suas flentes in laudibus Dei.

Cum vellet autem privatus abscedere, rogatus ab Augustis, Consul processit, et in fascibus positus, quinque millia servorum libertate donavit, et cives Romanos fecit, praedia quoque et domos eis largitus est: omnesque facultates suas, iis exceptis quae filiarum erant, distrahi et pauperibus erogari jussit: manensque in urbe Ostiensi, sancto viro Hilarino se adjunxit, ejusque aedes auxit ad suscipiendos peregrinos, quos permultos recipiebat. Adhaeserunt autem ei multi ex servis ejus, quos manumiserat: divulgataque est fama ejus per totum orbem, ita ut ab Oriente et Occidente venientes, viderent virum ex patritio et consule, qui esset Augustis amicissimus, lavantem pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus solicite ministrantem, et caetera sanctae servitutis officia exhibentem. Ipse primus in Ostiensi urbe extruxit ecclesiam, et ditavit officia Clericorum. S. Laurentius Levita ei apparuit, adhortans eum, ut in ipsius nomine ecclesiam fabricaret in porta quae hodieque Laurentia nuncupatur. Rogatus autem, ut ibi institueretur ipse Episcopus, non consensit: sed ex sua voluntate quemdam, qui ordinaretur, elegit: tantamque gratiam ei largitus est Dominus, ut pleni daemonibus, mox ut in ejus conspectum venissent, mundarentur, et multa in eo esset curandorum morborum vis et efficacia.

§ 6. Cum autem decedenti Constantio * Julianus successisset, legem is tulit, ne Christiani quicquam in hoc mundo possiderent. Porro Gallicanus in pago Ostiensi quatuor casas habebat, quarum pensiones in eos quos diximus, conferebat usus, adeoque Dominum meruit habere defensorem, ut quicumque in eas ingrederetur ad fisci titulos constituendos, aut pensiones exigendas, statim a diabolo obsideretur: et quisquis actorum ejus esset exactor, leprosus fieret. Tum vero consulti daemones responderunt, nisi ad sacrificandum cogeretur Gallicanus, exactores proventuum ejus haec pericula minime evitaturos. Sed cum nemo ad hoc scelus ausus esset hortari Gallicanum, mandavit ei Julianus, ut aut sacrificaret diis, aut e finibus Italiae excederet **. Tum ille mox, relictis omnibus, Alexandriam petiit, et ibi per annum integrum junctus est confessoribus Christi. Postea mox secessit in erēmum, ibique a Rauciano Comite templorum, dum cogeretur sacrificare, et contemneret, percussus gladio in corpore, Christi martyrem fecit, atque ita gaudens cum triumpho perrexit ad Dominum. Cui statim basilicam sui nominis construxerunt, in qua exuberant martyrii ejus ex eo, et nunc beneficia.

§ 7. Hilarinus autem, qui quondam Gallicanum in urbe Ostiensi susceperat, cum cogeretur a fidei Christianae persecutoribus

* Constantini Magni filio qui obiit anno CCCLXI.

** Mendose hic agit auctor de Juliano tamquam Romae degente, qui tunc Constantinopoli aderat, et nonnisi per litteras potuit cum Aproniano Urbis Praefecto agere de SS. passione.

sacrificare, et nollet, fustibus caesus martyr effectus est, ejusque corpus in eadem urbe Christiani honorifice tumularunt *.

§ 8. Porro vero Julianus, captus cupiditate sacrilega, avaritiae suae Evangelii sententiam praetexebat. Facultates enim et patrimonia Christianis auferens, dicebat: Christus vester dicit in Evangelio: *Qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus*. Pervenit autem ad eum, Paulum et Joannem quotidie turbas Christianorum pauperum recreare ex iis opibus quas sacratissima virgo Christi Constantia reliquisset. Itaque misit ad eos qui dicerent illos debere ipsi adhaerere. At illi responderunt: « Homines Christiani sumus. Augustae memoriae Constantinus et ejus liberi. cum Augustae dignitatis apicem ornarent, et se Christi servos gloriarentur, nos illorum imperio famulabamur. Illi enim euntes in ecclesiam, posito diademate, ad adorandum Deum proni se in terram prosternebant. At postquam mundus dignus non fuit tales habere Augustos, et coeli eos inter Angelos susceperunt, tibi vero a Constantio regni solium tràditum, tu religionem virtutibus plenam deseruisti, et ea sectaris quae optimae nosti Deo minime probari. Ea igitur causâ te salutare noluimus, sed a societate Imperii tui nos penitus subduximus. » Julianus rursus mandavit eis: Ego etiam Clericatum in Ecclesia obtinui, et si voluissem, ad primum Ecclesiae gradum pervenissem. Sed considerans vanum esse, relictis rebus necessariis et utilibus, inertiam sectari et ocium, ad bellicas res animum appuli et diis sacrificavi, quorum favore ad imperii fastigium perveni. Unde perpendere debetis aequum non esse, ut vos in aula regia nutriti, desìtis làteri meo, sed potius id congruere, ut primos vos habeam in palatio meo. Quod si contemptus a vobis fuero, necesse mihi erit agere, ut contemni non possim. Paulus et Joannes dixerunt: « Non tibi hanc facimus injuriam, ut qualemcumque hominem tibi praeferamus. Dominum tibi anteponimus, qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt. Idcirco autem tuam hominis mortalis amicitiam declinamus, ne in Dei immortalis inimicitiam incurramus. Nosse igitur te volumus numquam ad te salutandum vel colendum, numquam ad palatium tuum nos esse venturos. » Julianus respondit: Habetis a me decem dierum inducias, ut animum vestrum componentes, prudentiori usi consilio, non coacti, sed ultro ad me venire maturetis. Quod si ita non feceritis, postea vel inviti facietis, quod sponte non vultis. Paulus et Joannes dixerunt: « Jam illos decem induciarum dies puta praeteriisse et quod te illis elapsis facturum minaris, hodie facito. » Julianus ait: Putatis, quod martyrum loco vos Christiani habituri sint? Et cum hoc dixisset, surrexit iratus, dicens: Post diem decimum

* Vide pag. praeced. § 5, et MARTYROL. Jul. d. XVI.

ad me sponte venientes, amicos vos habebo: nolentes autem, tanquam hostes publicos vos puniam.

§ **9**. Tum vero sancti viri Joannes et Paulus Christianos ad se invitantes, ordinaverunt de omnibus quae relinquere poterant, ac totos decem dies diu noctuque eleemosynis insistebant. Undecimo autem die intra domum suam constricti sunt, missusque est Terentianus Campiductor ad eos cum militibus horâ coenandi. Qui ingressus, ut eos vidit orantes, dixit: Dominus noster Julianus statunculam auream Jovis ad vos misit, ut illam adoretis, et thura ei incendatis: quod si non feceritis, ambo gladio feriamini. Non enim vos in palatio nutritos, publice occidi par est. Joannes et Paulus responderunt: « Si Julianus tuus est dominus, habeto pacem cum domino tuo. Nobis alius dominus non est, nisi unus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quem ille negare non timuit. Et quia semel a facie Dei projectus est, vult etiam alios secum trahere in perditionem. » Haec et his similia multa cum illi dicerent, Terentianus, volens placere Juliano, a quo in mandatis habebat, ut sine strepitu eos puniret, postquam eos ad adorandum Jovem et thura cremanda compellere non potuit, post tertiam noctis horam intra domum illorum foveam jussit fieri, in quam, ipso jubente, capite caesos et mox involutos deponi mandavit, ejusmodi sparsa famâ, jussu Caesaris eos in exilium relegatos esse, neque enim ullum caedis eorum vestigium extabat.

§ **10**. Non diu post Juliano in bello adversus Persas interfecto, et Joviano Christianissimo Imperatore illi subrogato, apertae sunt ecclesiae, et Christiana religio quiescere coepit. Daemones autem ex obsessis corporibus intra domum Joannis et Pauli ejiciebantur, confitentes sanctam passionem eorum: ita ut unico filio Terentiani, qui eos nocte decollaverat, in illam domum veniente, clamaret daemon per os ejus a Paulo et Joanne se inflammari. Tunc Terentianus veniens prostravit se in faciem, clamans, quod, nesciens quid faceret, homo paganissimus jussis Caesaris paruisset. Atque ita, dato nomine suo, ad proximum Paschae diem percepit Christi gratiam. Cumque deinde multum dolens, assidue preces et lacrymas funderet in loco illo, in quo sanctorum corpora quiescunt, ab illis filius ejus curatus est (*a*).

(*a*) SS. Joannis et Pauli exuvias Presbyteri duo reverenter rapuere et in eorum domo ad Clivum Scauri condiderunt. Haec autem domus jubente, ajunt, Joviano Juliani successore in ecclesiam conversa, Pammachii titulum obtinuit ex S. Pammachio (col. XXX aug.) haec corpora in lucem proferente et sacram aedem excitante, insignem postmodum factam Titulo Presbyteriali Cardin. et e *Stationibus* unam a S. Gregorio M. creatam. In ea, saepe temporis decursu reformata et ornata, corporum BB. Martyrum pars non exigua asservatur, multis decerptis alio deferendis eorumdem Reliquiis.

VITA S. ANTHELMI

EX PRIMAE CARTHUSIAE PRAEFECTO

EPISCOPI BELLICENSIS

EDITA A QUODAM EJUS AEQUALI ET FAMILIARI AMICO.
STYLUM MUTAVIT LAUR. SURIUS, PLERISQUE REDDITIS PARAPHRASTICOS.

Anno obiit 1178 — Nat. Sabaudus.

Prologus. Apud ethnicos antiquitus more comparatum fuisse novimus, ut majorum suorum, qui fortiter et praeclare se gessissent, imagines sive sculptas, sive pictas statuerent, ut earum contemplatione, posteri ad expetendam virtutis et probitatis gloriam, virorum fortium exemplis admoniti, incitarentur. At vero fideles unius veri Dei cultores, multo et solidius et convenientius atque dignius tum beatissimorum martyrum invictissimos agones et illustrissimos triumphos, tum sanctorum Confessorum praeclara certamina et cum saevissimo hoste diabolo conflictus diuturnos, egregiasque virtutes et stupenda miracula scripto comprehendere, et ad posteritatis notitiam transmittere voluerunt: quod nemo dubitat tum picturâ, tum sculpturâ longe esse praestantius, nec sane immerito id illi sibi faciendum putavere. Si, enim ethnici illi vel potentiâ, vel rebus fortiter et ad virtutis praescriptum gestis insignes, laude digni videntur, multo potius martyres et confessores Christi commemorandi, laude et praedicatione efferendi, multoque honore afficiendi sunt, idque in praepotentis Dei, qui in illis et per illos operatus est, laudem, gloriam et honorem. Illi enim hostes suos, homines mortales et infirmos: isti totum mundum et hostes invisibiles, multa vi et versutiâ instructos vicerunt. Illi opes et facultates perituras: hi thesauros indeficientes et regnum sempiternum obtinuerunt. Qua ex re facile potest animadverti, quam sit nobis necessarium eos omni qua possumus devotione venerari, et precibus agere apud illos, ut velint nobis semper et ubique esse patroni et protectores, ut etiam nos in aliqua ejus regni parte adscribi mereamur. Laudemus igitur Deum mirabilem in sanctis suis, eique gratias agamus, quod nostris temporibus B. Anthelmum Bellicensem Episcopum sanctorum suorum meritis aequatum perspicue declaravit, luculentis signis crebrisque miraculis illum longe lateque celeberrimum efficiens. De cujus vita et sancta conversatione, ne negligentiae arguamur, ego licet tantae rei impar, amore tamen illius, et ut ejus mihi patrocinium conciliem, impolito quidem

stylo, sed bona fide ac devota mente, ex multis pauca scribenda suscepi, non meis fretus viribus, sed illius virtute et benignitate, qui bruti animantis os verba edere docuit, et infantium linguas disertas facit.

§ 1. Celsa magnaque progenie claris in mundo parentibus tali prole beatis, patre Arduino, ex Allòbrogum (auctor Savojae habet) castello Signino *, matre nobilissimis suae patriae hominibus orta, beatus Anthelmus editus est: cui ea cura fuit, ut Deo, cui placuit, serviret: et ita qui erat nobilis genere, Christi servitute multo factus est nobilior. Divina autem providentiâ, cui is curae erat, id agente, parentum voluntate adhuc puer sacris discendis literis traditus est. Postquam autem adolevit, egregia indole fuit, tantaque divinitus gratiâ perfusus, ut apud omnes, qui eum nossent, charus haberetur. Etsi autem jam Deo quoque gratus esset, ut arbitramur, non tamen ilico ad religiosam vivendi rationem se conferre voluit, arridentis ipsi seculi blandimentis illectus, neque enim adhuc accurate versabatur in commemorandis novissimis, quorum sedula cogitatio retrahit a peccatis. Facile autem mihi persuadeo divinae sapientiae id ita factum esse dispensatione, quae fortiter suaviterque omnia disponit: ut quo illi res magis secundae magisque ad voluntatem fluerent, eo a Patre coelesti tractus ad Christum, majoribus sanctitatis meritis cumulatus videretur.

§ 2. Itaque in Gebennensem et Bellicensem ecclesias adscitus, brevi magnis est auctus opibus et proventibus, honoribus quoque et dignitatibus ecclesiasticis, ita ut provectioris aetatis viris, atque etiam gravissimis senibus anteferretur. In Gebennensi ** enim ecclesia Praepositus et Secretarius, in Bellicensi*** Secretarius creatus est: quae illic praecipuae dignitates habentur. Cumque multae ei essent facultates, non id ei studio fuit, ut opes colligeret et coacervaret, sed ut liberaliter et honeste eas expenderet. Delectabatur enim favoribus et laudibus hominum, ut solent illi qui in pretio haberi volunt. Praetereuntes vel adventantes illustres viros, tam religiosos, quam seculares, reverenter accipiens, immo et pertrahens, honorifice tractabat, et obsequia opportuna officiosissime exhibebat. Ita fiebat ut secundum sapientis sententiam, regno utilius meritis innumeros sibi longe lateque pararet amicos. Habuisse vero fertur aliud quiddam longe praestabilius, erga pauperes scilicet et afflictos animum pium et benignum. Certum est autem, unam aliquam virtutem, si insit in homine, etiam ad alias eum perducere, quod quidem vel maxime facit charitas, sine qua caeterae virtutes nullae sunt. Charitatis autem eximia proles est eleemosyna cujus qui studiosi sunt, amorem Dei et

* Gall. idiom. *Chignin* cujus extant ruinae apud Camberium *(Chambéry)*.
** *Genève*.
*** *Belley*.

thesauros inaestimabiles sibi acquirunt, tum etiam bona praesentis vitae et aetatis annos plurimos, amicos certos, fidos, magnos, atque sempiternos.

§ 3. Etsi autem, ut diximus, Anthelmus vanis et caducis esset rebus implicatus, at tamen summopere cavebat, ne quid flagitiose, impure aut turpiter admitteret. Et haec quidem pauca de seculari ejus vita praemisisse sufficiant: nunc ad ea referenda accedimus, quae illum efficiunt vere beatum. Appropinquante tempore illo, quo ad Christi imitationem se erat compositurus, et felici mutatione in alium virum abiturus, nempe perfectum, et in mensuram aetatis plenitudinis Christi, coepit hominum religiosorum, inprimis Carthusianorum, loca invisere, vitam eorum explorare, libenter illorum sermones audire: at necdum tamen magno conversionis desiderio, sed quadam potius curiositate. Admonebatur interim ab iis, quos adibat, servis Dei, sed quis illius facilem sibi conversionem ausus esset polliceri, cui tam prosperi essent rerum successus, tanta felicitas, tantae etiam majorum honorum propositae spes? Ecce autem invisente illo cum quibusdam coaetaneis suis Carthusiam, quam Portarum vocant, ut Christo illic servientes accederet, cum dominus Bernardus venerabilis Prior verba salutis ei loqueretur, cujus sane operâ innumeri a deviis vitiorum callibus ad Deum conversi sunt, et in diversa loca ablegati: itemque nonnulli ex fratribus eum summopere ad conversionem hortarentur, Christi gratiam et vitam aeternam summamque felicitatem et amplissimos in coelis honores ei promittentes: non tum quidem statim assensit, sed petens ut pro ipso Dominum orarent, atque illorum precibus se commendans, iisque valedicens, abscessit.

§ 4. Cumque ad inferiorem ejus Carthusiae domum venisset, ea nocte retentus est a fratribus et Bosone Procuratore, mirabilis industriae viro ejusque cognato. Mane iterum ascendit ad domum superiorem, fratres denuo adit, illorum domicilia et caetera omnia perlustrandi copia ei datur. Ut sensere autem fratres emollitum animum ejus, tempus nacti opportunum, de contemptu mundi sermones repetunt, hortantur ut exigua pro magnis, pauca pro multis, falsa pro veris, pro sempiternis fluxa et caduca, pro salutaribus noxia, pro vita mortem, pro Deo mundum contemnere ne dubitet. Quid multa? Divini timoris spiritu correptus, consilii et fortitudinis Spiritu confirmatus, repentina mutatione jam alius effectus, amicus Dei haud vulgaris propèdiem futurus, omnia quae mundi sunt, prorsus respuit et a se abdicat, uni Deo inhaerere constituit, ejusque cultui et servituti totum se addicit: moxque in fratrum illorum collegium et sodalitatem admitti se postulans, ab illis comiter receptus est. Hortantibus autem illum fratribus, ut propere res suas disponeret, iisque compositis ocyus rediret, certumque, ad quem adesse

deberet, diem illi praestituerent: ille non absurde ratus, juxta sententiam Domini Salvatoris, manu semel ad aratrum missa, non esse respiciendum retro, ne parum aptus esset regno Dei: Haec est, inquit, illa dies, qua deliberatum est mihi perpetuo cum Domino permanere. Suppetunt, unde aes alienum dissolvatur, nec desunt amici fideles, qui omnia exequantur. Itaque monastico ejus Ordinis habitu hilariter suscepto, cum multa pietate, devotione, fervore animi vixit inter illos: atque disciplinis regularibus et arrepti instituti observantiâ ita brevi instructus est, ut jam perfectus videri posset.

§ 5. Per id tempus primaria Carthusia paucissimos habebat monachos. Quamobrem dominus Hugo Gratianopolitanus * Episcopus, vir prudens et eximia virtute, qui beato Hugoni successerat, et postea Viennensis Archiepiscopus creatus est, multis precibus a Portarum Carthusiae fratribus contendit: ut fratrem Anthelmum, qui adhuc novitius erat, Carthusiae magnae permitterent. Dimissus ille ad eam Carthusiam, ubi Ordo Carthusianus primum coepit, adeo fuit propositi tenax et monastici Canonis diligens, constans et strenuus cultor, ut multas de seipso victimas offerret Deo, et vita ejus caeteris exemplo esset: quibus tamen certe id impossibile videbatur, ut ejus studia imitarentur, cum ille supra vires humanas sese perpetuo exerceret. Sed neque ille id potuisset, nisi divina fretus virtute, per illum et in illo omnia efficiente. Erat crebro pernox in vigiliis: orationi, lectioni, sanctae meditationi, laudibus divinis die noctuque vacabat: cumque Scriptura dicat, *Multam malitiam docuit otiositas* (*Eccles.* XXXIII): certumque sit, otium animae inimicum esse: ne ullum tempus vacuum abscederet, etiam labori manuario incumbebat, sed multo amplius exercitiis spiritualibus. Lacrymarum tanta illi copia fuit, ut in precibus et meditationibus, quarum magna illi erat assiduitas, in suorum alienorumque peccatorum commemoratione, erga afflictos et quasvis hominum calamitates commiseratione, denique pro coelestis regni desiderio quidam lacrymarum rivuli ab ejus oculis manare viderentur, intimo pietatis affectu expressi. In ecclesia sub solemni quotidianarum precum persolutione, torrentes quidam ex ejus oculis prorumpebant. Sub Missae sacrificio, ubi totum se Deo mactabat in holocaustum, totus erat spiritualis, totusque Deo inhaerebat. Frequentissimum id illi erat, nocte ac die verberare pectus, genua flectere, toto corpore se humi prosternere, terram exosculari, atque ita humiliare et abjicere sese coram Deo. Quotidie creberrimis virgarum ictibus caedebat dorsum et latera, plagasque plagis cumulando, nunquam patiebatur carnem livoris expertem aut cutem integram manere. Solitudinem, silentium, jejunia, obedientiam, caeteraque Ordinis instituta accurate observabat.

* Gratianòpolis gall. *Grenoble.*

§ 6. Cum his autem aliisque majoribus, quibus nec commemorandis quidem sufficimus, Dei servus studiis sese exerceret, Prior et fratres id consultum fore arbitrati sunt, ut ejus industriâ in rerum externarum administratione, tanquam necessaria uterentur. Itaque instituitur Carthusiae Procurator. Et ille quidem, ne inobedientiae culpâ se obstringeret, id ministerium humiliter suscepit, prudenterque ac strenue executus est. Si qua noxia vel inutilia aut reperiret, aut fortassis existerent, ea mox profligavit, religioni contraria demolitus est, inhonesta correxit, fratres laicos ab illicitis compescuit. Si quem vidisset dissolutum, vagum aut negligentem, arguendo, obsecrando, increpando, castigando eum emendatiorem efficere conabatur, nec quemquam sinebat a regulae praescripto deflectere. Pauperibus et egenis pro divinitus ipsi indita pietate et humanitate, multam exhibebat commiserationem, esurientes cibo recreabat, nudis praebebat vestes, afflictis et miseris non solum consolationem, sed etiam seipsum impendebat. Quamvis autem his atque id genus aliis misericordiae officiis diligentem navaret operam, at tamen studiosius ad amica Cellulae suae, tanquam nutricis et omnium magistrae, exercitia et quietem atque tranquillitatem assidue receptum habebat: atque ita Marthae bonum quidem, sed tamen in multa distractum, et actuosum curabat ministerium, ut potiorem Mariae partem, quam sibi delegerat, nequaquam deserendam putaret: sicque erat solicitus erga plurima, ut uni illi quod necessarium est, cui vacare coeperat, inhaereret, in neutro deficiens. Namque jejunia, vigilias, corporis castigationes et caetera, quae ante memoravimus auxit potius, quam quicquam illis detraxit. Mira quidem sunt haec, quippe quae humanarum virium excedant facultatem: sed praepotens Deus, qui est bonorum omnium largitor et auctor, cui voluntatem dederat, etiam vires suggessit.

§ 7. Cum jam autem tempus adesset a Deo praestitutum, quo non uni sibi, sed plurimis ad Deum adducendis eum intentum esse oporteret, vir Deo devotissimus cedente, immo cogente, illo qui tunc primae Carthusiae praeerat, et fratribus, Prior creatus est. Fuerat ejus loci Prior, sempiterna memoriâ dignus Guigo, vir venerabilis, qui pro divinitus ipsi collata gratia mellifluae doctrinae, hanc obtinet praerogativam, ut bonus Prior vocetur ab illis qui de illo loquuntur. Is Carthusiensi instituto modum certosque limites statuit. Regulam enim ipse conscripsit, quam Consuetudines voluit appellari: subditos instituit verbo et exemplo: solerti et vigilanti curâ, honeste, religiose ac sobrie quae ad ipsum attinerent, moderabatur: qui ab eo consilium peterent, iis recte et salutariter consulebat. Cujus celeberrimi viri idcirco hic mentionem facere voluimus, quod servus Christi Anthelmus Prior creatus, ad ejus se imitationem composuit, et subditos ita vivere voluit, quemadmodum ille in suis constitutionibus

praescripserat: si quid vero collapsum esset, id instaurare curavit. Intepuerat enim Ordinis observantia post decessum memorati Prioris, nec erat is, qui antea fuerat, religionis fervor sive severitas disciplinae, propter defectum virorum fortium: qui inde accidit, quod beatus ille sanctorum conventus, paucis periculum evadentibus, uno die vel potius una horâ pariter extinctus, laboris sui praemium a Domino percepit: quando ab altissimis montibus nix, humus et saxa in Cellas monasterii ruentia, fratres sua mole oppressere.

§ 8. Dedit igitur operam novus Prior Anthelmus tam aedificiis quam moribus instaurandis, ut si quid sancti Ordinis pristina religio et observantia accepisset detrimenti, id ad pridem conscriptas constitutiones reformaretur. Negligentem si quem cerneret, aut contumacem, admonitionibus, blandis verbis et minis, praeceptis quoque et objurgationibus ad meliorem frugem revocare nitebatur: quod si quis nollet resipiscere, planeque obstinatus esset, e fratrum sodalitate illum extrudere non dubitabat. Erant enim nonnulli, qui sanas institutiones ejus non ferentes, cum essent grandes in oculis suis, homines maligna mente et in contentiones proclives, illi sese opponere non vererentur. At ille non ferens eorum arrogantiam, ne aliorum pacem et quietem interturbarent, e monasterio eos ejecit. Sub illius itaque manu et disciplina proficiebant fratres, fortiter perseverantes in exacta monasticarum constitutionum observantia, idque non in prima Carthusia tantum, sed etiam in caeteris, illo Priores extimulante et adhortante. Et florebat tum Carthusiana religio, crescebatque et multiplicabatur.

§ 9. Quamvis autem pauci quidam fortassis plus aequo severum illum et rigidum in subditos arbitrarentur, at plures tamen, qui saniori essent judicio, tali patre gaudebant, et sanctorum delectabantur exercitatione studiorum. Diligebat enim suos vir sanctus, et paterna benevolentiâ complectebatur, providens eis de omnibus, quemadmodum solet mater, de filiorum suorum salute solicita. Gaudebat cum gaudentibus, cum lugentibus lugebat, aliorum damna et incommoda, sua putabat, ut posset ipse quoque de suis dicere illud Apostoli (2. *Cor.* XI): *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Solebat singulos crebro invisere, suavi eloquio mulcere, non solum animabus, sed etiam corporibus res necessarias praebere, prout cujusque moribus vel constitutioni congruere noverat. Si quid autem admissum esset ab aliquo, id lenitate ac mansuetudine potius, quam severitate corrigere studebat: et cum sibiipsi non parceret, aliis indulgendum sentiebat. Ita si qua ab aliquo culpa esset perpetrata, veniam dabat poenitenti, cunctisque fratribus ea quae ad victum pertinent, et multivaria solatia atque beneficia conferebat. Infirmis vel animo vel corpore, aut qui tentationibus

pulsarentur, ingenti curâ, salutis et consolationis fomenta adhibebat. Perfectiores vero omni honore dignos existimabat, et tanquam Christum Dominum in illis venerans, multa reverentiâ eos prosequebatur, ita ut etiam illis assurgeret modestiae causâ, magister discipulis, praepositus subjectis, omnes sibi anteponens, nulli se justitiâ parem sentiens. Sed cum erga morigeros et gratos talem se praeberet, ingratos, duros, rebelles, arrogantiâ tumidos severiter coërcebat, et sub jugum superbas cervices mittens, humiliabat, aequo justitiae libramento singulis pro dignitate restituens. Poenitentiam autem agentibus et se peccasse dolentibus, mira humanitate et commiseratione propitius erat.

§ **10**. Atque hoc pacto vir beatus in fratrum salutem curâ pervigili intentus, vitia persequebatur, virtutes fovebat et promovebat. Hortabatur eos, ut magis magisque proficerent, praemia illis cum Christo immensa et ineffabilia proponens. Dicebat cum beatissimo Apostolo, ut quae retro sunt, obliviscentes, in anteriora se semper extenderent. Neque vero his paucis dumtaxat, sed permultis prodesse curabat. Fratrem etiam suum traxit ad Christum nam alius frater eum jam praeoesserat. Traxit vero etiam patrem. Felicem nimirum parentem, qui tribus filiis, magna virtute viris, praeeuntibus, ipse quoque, contempto cum suis vanitatibus et mortiferis illecebris mundo, secutus est Salvatorem. Felicem plane, qui tales meruit habere liberos, qui rerum caducarum et instar fumi labentium spreta haereditate, et sibi et parenti aeternam semperque mansuram compararunt. Felix felices feliciter secutus est, non jam filios, sed patres in Christo. Adventantes etiam, quos non raros habet ea domus, hospites, animarum suarum saluti consulere cupientes, ad agendam poenitentiam et vitae emendationem invitabat, habita ratione morum et conditionis singulorum. Faciebat vero id indiscriminatim apud Clericos et laicos, apud seculares et monasticae vitae professores: quippe qui omnes cuperet salvos fieri, illam S. Jacobi sententiam animo versans: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus* (*suam*) *a morte* (*Jac.* v).

§ **11**. Erant autem exhortationes ejus nonnunquam graves quidem verbis, sed charitate et benevolentiâ refertae: et quamvis nonnulli eas graviter acciperent et moleste ferrent, mitibus sane gratae erant et jucundae: nec pauci iis correcti sunt, multi ad peccandum facti cunctantiores et tardiores, multi ad agendam poenitentiam adducti sunt. Castigabat verbis male viventes, maxime literatos, nec illorum dissimulabat vitia, omnis adulationis expers, et personas accipere nesciens, nemini parcens, ne ipsis quidem negligentibus aut avaris, vel munera exigentibus Episcopis, non Abbatibus erga subditos parum solicitis, vel non bona de se exempla praebentibus, non presbyteris foedae libidinis mancipiis, non denique quibuscumque sanctae Dei Ecclesiae praefectis

vel ministris publice peccantibus. Et certe reformidabant eum omnes, sed diversa plane ratione: alii non sine amore, alii cum indignatione et odio: alii benevolentiâ eum complectentes, alii stomachantes: alii blasphemantes et conviciis proscindentes, alii laude et praedicatione eum efferentes. Nec deerant sane, qui sanctum virum rusticum dicerent et importunum, nec tamen poterat vel ausus erat quisquam sinceritati et aequitati zeli illius sese opponere.

§ **12**. Interea vero multarum bonarum consuetudinum et institutorum ipse Carthusiae magnae auctor fuit. Instituit namque, ut ex iis quae monasticus Canon praescribit, nihil deesset fratribus, nihil illi unquam carum sentirent: sed praepararentur illis ea omnia, non habita pretii ratione, statutis ministranda temporibus. Atque iis aliisque commodis, hactenus suppeditatis, statuit non fraudandos esse fratres, ne, de rebus necessariis soliciti et anxii, minus vacarent divinarum rerum contemplationi et regularibus disciplinis. Terminos Carthusiae dilatavit et ita obstruxit, ut foeminae quae antea prohiberi non poterant, quin in eos ingrederentur, jam se exclusas sentirent. Structuras quasdam, prout expedire visum est, partim meliores reddidit, partim mutavit, partim novas effecit. Agriculturae, pastorum gregum, denique omnium quae ejus monasterii essent, curam gessit. Nec hoc silentio tegendum, quosdam illum aquaeductus multo labore prolixis spatiis effecisse, per quos ad cellas fratrum, ad culinam, caeterasque officinas tanta aquarum copia derivatur, ut perpetuo decurrentium lapsu etiam molendini rota postmodum illic constructa circumagatur.

§ **13**. His igitur aliisque permultis quae nimis operosum sit omnia annotare quae illius prudentiâ et industriâ effecta sunt, Carthusiae primariae et spiritualium et temporalium bonorum non parvae accessiones allatae sunt. Possunt autem monasteriorum praefecti beati viri exemplis edoceri, quemadmodum tum seipsos, tum suae curae commissa, id est, subditorum corpora et animas, caeteraque omnia regere ac moderari debeant. Erat ille ita studiosus lenitatis et mansuetudinis, ut esset tamen etiam suis locis et temporibus severus. Noverat vir prudens et gravitatem lenitate, et lenitatem gravitate temperare: quamquam vincebat in illo, naturali quodam Dei munere, et infinita pietas et misericordia. Cum esset autem talis et tantus vir, ad cellae quietem et solitudinem inhiabat, quod parum sibi praestare videretur, immo multam etiam jacturam fecisse, dum multis occupatus, non posset pro voto spiritalibus exercitiis inhaerere.

§ **14**. Itaque cum annis duodecim strenue ac religiose Carthusiam illam gubernasset, alio in locum suum subrogato, subesse malens quam praeesse, obedire potius quam imperare, ad cellam, cujus ardebat desiderio, se recepit, ejus gratissima

habitatione mirifice delectatus. Laetabatur enim solitudine: nec tamen saepius a Priore vocatus ad consilium, suam operam negabat: neque etiam destitit unquam reprehendere, si quid fieret praeter decorum aut Ordinis honestatem, vel quod instituto Carthusiano minime conveniret: immo vero quoad vixit, toti Ordini Carthusiano corrigendo, conservando, tuendo et propugnando suam operam, quasi communis quidam parens navavit, et nisi ille fuisset, non tantus in Carthusia disciplinae monasticae vigor et rigor perseverasset, sed illa quoque instar aliarum laxo fluxisset sinu. Multis vero etiam aliis sanctis locis, permultis tum Clericis, tum laicis, ad emendationem et religionis incrementum non parum contulere ejus ferventes adhortationes et optima vivendi exempla. Sed jam ad alia pergamus.

§ **15**. Per id tempus in Portarum Carthusia primi Prioris locum obtinebat eximius pater Bernardus *, qui quanti apud Deum meriti sit, qua memoriae celebritate dignus, multa et praeclara, tam in spiritalibus quam temporalibus, ejus opera et studia testantur: nempe ejus monasterii amplitudo, terrae spatia abunde sufficientia, domus ipsa aedificata et strenue gubernata, plurimisque referta bonis, fratrum diligens cura, disciplinae monasticae integritas, et boni mores fratrum pluraque religio, larga manus in Christo, et ad dandum et benigne faciendum egenis porrecta, alia etiam loca, quibus suae facultates non sufficerent, crebris et magnis fota beneficiis, e quibus sane nonnulla pessum iissent quae jam ejus suffulta liberalitate consistunt. Dabat namque ille indigentibus liberaliter, inprimis autem religiosis sive monasticae vitae cultoribus: et suppetebat quod largiretur. Atque hoc illi divinitus collatum erat munus, ut ab omnibus, qui vel viderent eum, vel de illo audirent, mire diligeretur, non a vicinis modo, sed etiam procul degentibus, adeo ut etiam plerique in longinquis regionibus, quidquid ille mandasset, libenter ejus parerent voluntati.

§ **16**. Innumeros peccatis deditos et implicatos, ad bonam frugem et vitae emendationem adduxit, et ad diversa monasteria et propinqua et remota remisit, illic Deo servituros. Ubi autem senectute premi se sensit, ab externis laboribus quiescere cupiens, ut posset accuratius uni vacare Deo, simul etiam indignum se existimans, qui semper aliis dominaretur, tandem apud se statuit aliis subesse potius quam praeesse. Abdicato itaque Prioris officio, de alio substituendo solicitus, cum esset vir prudens, nec vellet in incerto spem collocare, talem sibi subrogare conatus est, qui diligentiâ, auctoritate et integritate sua Ordinis instituta, diu illic ferventi spiritu observata tueretur, nec sineret tepescere fervorem, aut fratres in deteriora prolabi. Nemo autem moleste ferat, aut

* Cum Claravallensi Abb. et Eccl. Doct. pene coaevo non confundendus.

nos temeritatis arguat, quod haec de sancto viro nostrae narrationi attexere voluimus, quando sine iis non satis perspicuum esset, quid velimus, et solent plerumque exempla exemplis adjuncta, non parvum orationi ornatum addere. Elegit ergo vir sanctissimus Anthelmum, eumque, uti par erat, reverenter petens a magnae Carthusiae patribus, impetravit.

§ **17**. Postquam autem eo venit Anthelmus, quemadmodum in illo exequendo munere se gesserit, cum sint ejus mores jam supra explicati, retexere supervacaneum arbitramur. Non est tamen praetermittendum, quod domum illam plurimis bonis temporariis abundantem, sancto quodam foenore potioribus et praestantioribus cumulavit. Nam cum invenisset pecuniae non parum, frumenti et diversi generis annonae sive leguminum acervos et horrea plena, cogitare coepit, nulli ea usui fore, si sic congesta manerent. Statuit igitur pecuniam elargiri iis a quibus cum usura eam reciperet, nempe egenis frumentum quoque mutuo dare potius, quam putredini aut vermibus perdendum relinquere. Erat enim id temporis magnae annonae caritas: sed messe adventante, jam novas fruges carpere licebat: cui tamen rei alia accessit calamitas, in montanis locis grandinis tempestate omnibus plane perditis et vastatis quae monachorum illorum agricolae seminarant. Nec habebant jam quid vel ederent vel unde sementem novam facerent. Advertit ergo prudens et pius foenerator, ex iis quae habebat, posse se maxima lucra facere. Itaque maluit ea mutuo dare miseris, quam pro pretio distrahere. Quae enim distracta sunt, non redeunt ad venditorem: mutuo vero et foenori data, cum multo lucro revertuntur. Jussit ergo frumentum agricolis distribui, aliis plus, aliis minus, prout res poscere videretur: idque sine ulla stipulatione, bonum habens fidejussorem, qui fallere non novit, Deum, quem non dubitabat cum immenso foenore data restituturum. At pauperes illi ruricolae acceptis portionibus suis, laudabant Dominum, qui per fidelem servum suum tanta eis beneficia praestitisset. Quotquot autem ex eo frumento seminarunt, eos plane confidimus uberum spe frugum minime frustratos. Deinde mittens etiam manum ad pecuniam: mille aureos, quos invenit, et alia, sui Ordinis et aliis religiosis locis elargitus est.

§ **18**. Ita nimirum fidelis servus et prudens novit consulere ex foenore domui suae, thesauros nunquam defecturos acquirere, nempe temporaria sapienter dispergendo, spiritalia vero intemerata servando, animarum potius quam terrenae substantiae doctus lucra aucupari. Porro etiam si qua visa essent in ecclesiae ornamentis superflua, ea aliis locis, quae iis indigerent, impertiit. Idem fecit de varia domus supellectile, qua abundabat. Accessit vero etiam ad sylvas, quas illa domus amplas possidet, et magna arborum strage edita, spatia pratis opportuna effecit, et

agros accipiendis seminibus aptos. Curavit etiam pomarium ingens constitui, et in eo diversi generis surculos truncis inseri. Diligebant autem eum fratres, quando quidem non talem eum experiebantur, qualem eum fore existimarant, puta durum, severum et asperum. Placidum enim et affabilem se exhibebat, non praelati dignitatem prae se ferens, sed ipsis quoque subditis humiliorem se praebens. Domino Bernardo praestabat reverentiam, illum sibi anteponens. Idem erat erga religiosum Christi servum Joannem, cui adventanti solebat reverenter assurgere, nec id unquam praetermisit, etiam cum Episcopi, Abbates, aut cujuscumque dignitatis personae adessent. Pietas vero et commiseratio ejus erga afflictos, quanta fuerit, quanta erga omnes liberalitas, ab uno, quod memoratu dignum videtur, ejus exemplo animadvertere licebit.

§ **19**. Ea tempestate Comes Forensis dolo captum Lugdunum vastavit, diripiens omnia, inprimis autem malignitatis suae rabiem in ecclesiam exercens, Clericorum eversis aedibus, cum illi Deo protegente salvi evasissent. Itaque ipse Archiepiscopus Eraclius, et caeteri magna dignitate viri, haud secus ac pròfugi et proscripti ad Portarum Carthusiam advolarunt, ad quam alioqui convenire consueverant, de rebus magnis consulturi. Postquam autem eos consolatus erat vir magnanimus et fortis in Domino Anthelmus Prior, ista etiam addidit: « Ne, quaeso, velitis Domini mei hac illac errabundi vagari, vel alio vos conferre. Apud nos permanete, aut si pro expediendis negotiis interdum vultis egredi, ad nos revertamini. Nos enim, demptis equis vestris, et vos et presbyteros et Clericos vestros quamdiu necesse erit, alemus. Erit id pergratum nobis, et vobis nequaquam indecorum. » Euntibus igitur et redeuntibus illis, quibusdam etiam jugiter illic haerentibus, largis impensis cum multa gratiâ et alacritate ad victum pertinentia accurate sunt subministrata, donec non diu post, non sine grandi miraculo profligatis hostibus, Clerici ad sua reverterentur.

§ **20**. At cum vir Dei multis occupatus, ab illis, quibus potissimum inhiabat, spiritalibus studiis et exercitiis se distineri videret, vix biennii evolutis spatiis, Prioris officio, quod pacis reformandae necessitate, et Superiorum praecepto adactus susceperat, sese abdicans, ad tutissimum, semperque concupitum se in magna Carthusia cellae portum recepit. Etsi autem solitudinis et secreti esset amans, at crebro tamen magnorum virorum, Deum timentium, qui ejus amici erant, grata visitatione recreabatur, et illi vicissim sanctis ejus colloquiis delectabantur. Audiebatur enim etiam procul nomen ejus, et cuncti ejus constantiam mirabantur. At ille laudari se ferebat molestissime, non ab hominibus vanam et lubricam, sed a Deo stabilem, veram, sempiternamque gloriam appetens.

§ 21. Inter virtutes sane praeclaras quibus erat egregie instructus, non mediocriter eum commendabat studium et zelus invictus catholicae unitatis, ejusque adversus schismaticos virilis et constans propugnatio. Cum enim Romanae curiae Episcopi et Cardinales, totaque curia Alexandrum Apostolicae Sedi et universae Ecclesiae summum Pontificem Canonice electum praefecissent, et Octavianus *, qui primus eum elegerat, malo daemone impellente et ambitione obcaecante, sedem Apostolicam arripuisset, et, quod est execrabilius, Ecclesiam illam in Imperatoris ditionem redigere non esset veritus (erat enim potens et illustri familiâ, multis fautoribus fretus, cum Catholico Pontifici pauci quidem, sed meliores, studerent), atque ea causâ universa pene Ecclesia anceps vacillaret: Ordo Carthusianus primus ante omnes in Ecclesia Occidentali, quemadmodum satis constat, Alexandrum pro Catholico et vero Pontifice habendum, eique praestandam obedientiam confirmavit. Ecquis autem ejus rei auctor fuit? Nimirum Anthelmus, et cum eo Gaufredus, sapiens et egregia facundiâ vir, atque in divinis scripturis eruditissimus. Horum studio, labore et operâ effectum est, ut diu nutantes confirmati Priores, caeterique Carthusiani instituti fratres, Pontifici Alexandro obedientiam promitterent. Atque ii ipsi permultos Ecclesiastici Ordinis praelatos et subditos illorum, in schisma propendentes, aut nutabundos et dubios, ab errore revocarunt, et in sana sententia confirmarunt, Alexandrum catholicum probantes, Octavianum reprobum reprobantes, reum condemnantes, et schismaticum cum ejus fautoribus execrantes. Imperator igitur, qui non nisi sua voluntate et auctoritate Pontificem creari volebat, cujus administer erat, non dominus, isthuc de Anthelmo rescivit, veraeque fidei cultorem et defensorem non solum odio habuit, sed etiam condemnavit, cum illius nec maledicere esset, nec benedicere. Interim vero praeeuntibus Carthusianis ac Cisterciensibus, Alexander Pontifex a Gallis, Hispanis, Britannis brevi receptus est. Quae quidem inter caetera nos referre voluimus, ut perspicuum fieret, quanto animi fervore justitiam et veritatem aemulatus sit Christi servus Anthelmus, Deusque laudetur et glorificetur, qui sanctos suos adjuvando, claros et celebres reddit.

§ 22. Quamvis autem ut diximus, solitudine et silentio delectaretur, libenterque carnis afflictioni, spiritus contritioni, sanctaeque meditationi perpetuo vacaret, non tamen licuit ei diu manere intra Cellulae amicos recessus, Domino volente, ut tam illustris lucerna non sub modio latèret, sed posita super candelabrum, luceret in domo Dei. Accidit tum Bellicensem ecclesiam orbari pastore suo: et cum de successore ageretur, pars potentior quemdam elegit adolescentem, genere nobilem, eique aedes Episcopi traditae sunt. Sed pars altera in ejus electionem minime

* Antipapa qui Victoris III temere nomen assumpsit.

consentiens, monachum quemdam in defuncti locum subrogavit, missis legatis ad Pontificem Maximum, qui tum in Galliis morabatur, ut ejus auctoritate confirmaretur et consecraretur. Ejus legationis facile princeps et dux erat Sigibodus, homo astutus et mire èloquens, multaeque literaturae: qui oratione polita et phalerata facile in suam sententiam pertraxit eos qui erant in curia Pontificis: at Pontifex ipse neutram electionem voluit ratam habere, distulitque legatis dare responsum, non dubitans etiam alterius partis nuncios venturos, quorum rationes aeque ut priorum audire volebat.

§ **23**. Interea Christus illius Ecclesiae curam gerens, utilem et bene idoneum illi antistitem contulit. Erant in fratribus moderatiores aliquot, pauci illi quidem, ut semper rariores sunt sapientes, quibus neutrius partis probabatur electio. Ii caeteros in concordiam redigere cupientes, magnum illum Carthusianae solitudinis cultorem Anthelmum eligunt. Consentiunt illis reliqui omnes gratulabundi, adeoque etiam ille, qui prior electus fuit cum amicis suis, erat enim Anthelmi consanguineus. Sed cum non ignorarent, sine multa difficultate illum a Carthusiae solitudine avelli non posse, ad Pontificem Alexandrum propere abierunt: qui ubi cognovit quid molirentur, gavisus est, dicens illos felices fore tali pastore, taleque consilium propitio Deo ipsos suscepisse. Et primo quidem pius Pontifex et istos et alios, qui ad ipsum venerant, per seipsum conatus est in concordiam redigere: sed Sigibodus, qui se omnia pro voto habiturum putabat, tam bonam electionem moliebatur abolere, multis rationibus assevèrans suam ratam, hanc vero irritam esse debere. Blande vero admonitus, quin et rogatus a Pontifice, cum tanti Patris non posset resistere voluntati, invitus tandem assensit. Omnibus itaque conciliatis et animo conjunctis, Pontifex datis ad Anthelmum literis, Apostolica auctoritate praecepit, ut Ecclesiae Bellicensis (*a*), cujus esset praesul electus, curam suscipere nulla occasione differret. Mandavit etiam Priori Carthusiae et fratribus, ut eum traderent petentibus, et si recusaret, praecepto compellerent.

§ **24**. At ubi Anthelmus didicit quid gereretur, et jam adesse qui ipsum essent abducturi, fugae se mandare constituit, exemplo Christi Salvatoris, qui Judaeis eum rapere volentibus, et regem constituere, fugam iniit, docens ea re dignitates et honores neutiquam ambiendos, sed fugiendos potius esse. Sed Dominus Christus cur eam fugam capesseret, non ignorabat: Anthelmus vero propèmodum extra se positus, quod faceret, nesciebat. Dominus, qui non suam, sed Patris venerat facere voluntatem, idcirco fugit, quod tempus ab omni aeternitate praefixum nondum adesset, quo a Patre clarificatus regnaret: Anthelmus vero ea causâ subducere se voluit, et necessario recusato ministerio, suae

(*a*) *De Belley*: Bellicium urbs est Galliae, hodieque Episcopalis, Brugesiae (*Busey*) caput.

obsequi voluntati, quod necdum compertum haberet rem a Deo geri. Perquirentes autem fratres, postquam eum repererint, e latebris extractum, vix in conventum perducere potuere. Exponunt ei Pontificis mandatum, exhibent literas, addit Prior etiam suum praeceptum, rogant legati nomine totius Ecclesiae Bellicensis, hortantur fratres, ut provinciam divinitus ipsi demandatam suscipiat, nec suam voluntatem ausus sit divinae anteferre. Ecquid vero iis omnibus effectum est? Ille prorsus renuit, palam protestans, se extra illam eremum nunquam egressurum. Tandem pia quadam et callida machinatione proponunt ei, alterum e duobus ut eligat: aut Pontificis mandato impositum amplectatur ministerium, aut ipsum Pontificem adeat, quem ajunt ejus cognita voluntate, nunquam illi vim adhibiturum. Ea igitur spe ductus ille, iter ingressus est, legatis eum non deserentibus.

§ 25. Ut autem pervenit ad Pontificem, ab ipso et tota curia honorifice acceptus est. (Noverant enim virum esse magni meriti et eximiae virtutis). Postquam autem ad colloquium ventum est, dixit Anthelmus, se non alia causâ eo accessisse, nisi ut posset Pontificis experiri misericordiam, ne ejus auctoritate ad id adigeretur, quod neque sibi, neque Ecclesiae, a qua expeteretur, conducibile foret. Multa tum in seipsum coepit jactare convicia, illiteratum, idiotam, imperitum, improbum, inutilem se clamitans, atque iis aliisque id postremo adjiciens, se votum nuncupasse Deo, nunquam ab eremo se recessurum, atque idcirco invitum cogi non debere. Enixe igitur illo petente, ut Pontifex ipsi parceret, ille respondit: « Noli, fili, noli calvas excusationes praetexere, neque enim te fingere decet. Novimus qua si industriâ, ubi animum adjicere et intendere vis. Quid ita nunc inerti pusillanimitate contràheris? Obedias oportet. Ego enim quod scripsi, scripsi. Memineris Scripturae dicentis, quasi peccatum ariolandi esse, repugnare: et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere (*Ex* 1. *Reg.* xv). Simul animadverte, quanta sit obedientiae virtus, quam professus diu coluisti. Qui teipsum abnegare, et Christum sequi velle professus es, non debes tuae obsequi voluntati, sed ad Christi exemplum et imitationem te componere, qui factus est Patri obediens usque ad mortem Crucis: a qua etsi pro humana conditione abhorreret, at tamen constanter dixit Patri: *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*» His atque id genus aliis sermonibus Pontifice eum demulcente, ille pudefactus conticuit, et pro tanti Patris reverentia non fuit ausus ulterius reluctari. Consecratus inde est solemniter ab ipso Apostolicae Sedis Pontifice Alexandro ipsis feriis nativitatis perpetuae Virginis, quae tunc in Dominicum diem inciderant, eodemque Pontifice ipsum retinente, ad dies aliquot mansit in Curia: et cum multa de rebus variis familiariter inter se colloquerentur, et Anthelmus crebro ex Scripturis opportuna

testimonia proferret: Ita ne, inquiebant, rudis plane et indoctus est iste, ut ipse nobis persuadere voluit? Cum autem solicitus in eam curam incumberet, ut discedendi ipsi facultas daretur, Pontifex congruis quibusdam munusculis donatum, a se cum benedictione dimisit. Hactenus nonnullis de vita et moribus beati viri ante pontificatum commemoratis, nunc ad ea, quae Episcopus gessit, breviter exponenda, Deo favente, accedemus.

§ **26**. Non habuit sane in illo locum, quod vulgo dici solet, Honores mutare mores. Idem enim permansit, qui antea fuerat vitae gravitate, virtutum constantiâ, perseveranti religionis studio: ad preces, vigilias, jejunia et caeteras corporis afflictiones adjecit potius aliquid, quam detraxit. Divinum officium non in sacello suo, sed dignius et majori cum decoro, in summa aede cum Canonicis humiliter persolvit. Quotidie fere, quod antea raro permittebatur, salutarem Deo hostiam offerebat cum multa devotione, et copia lacrymarum. Sacris initiatos, maxime sacerdotes, summo honore dignos affirmabat pro concione, jussitque suis auditoribus, ut multa eos reverentiâ prosequerentur, illos porro admonuit, ut sine criminis nota seipsos integros et inculpatos Deo ministros exhiberent. Sed audiebat de illis, quae animo ejus non possent non esse molesta. Erant enim nonnulli in eis, qui quod sine pudore dici non potest, publice suas foverent concubinas: quidam etiam, quod execrabilius est, qui se foedissima adulterii infamiâ contaminarent. Quare anno primo ministerii sui ad synodum convocatis presbyteris, et blanditiis et minis eos sui officii admonere volens, ita locutus est: «Quis honor, quae dignitas sit sacerdotii, advertere debetis fratres et conpresbyteri mei. Vos, auctore beatissimo Petro Apostolo, genus electum, regale sacerdotium: vos inter Deum et homines mediatores estis. Sacerdos enim Angelus Domini exercituum est. Vos sicut luminaria in mundo lucere debetis, et alios optimis exemplis potius, quam verbis solis, docere. Quantae, oro, dignitatis est, Creatorem omnium, Deum immensae majestatis contrectare manibus, panemque illum vivum, qui de coelo descendit, e mensa Domini accipere? Sane quisquis hoc non mundo corpore et pura mente per temeritatem facere non dubitat, is, Apostolo teste, *judicium sibi manducat, non djiudicans corpus Domini*. Et sunt tamen etiam in vobis, qui id minime attendant: non quod ignorent, sed quod negligant et parvipendant. Nam quod abominabile et valde execrabile est, turpiter sese abjicientes, et a tanti honoris fastigio in sordes et coenum sese praecipitantes, sancta polluere non verentur, turpitudine sua omnipotentis Dei in se iram concitantes. An vero parum vobis est (vobis loquor, qui hujus facinoris rei estis) quod quemadmodum per Ezechielem dicit Dominus, pascentes vosmetipsos, non modo oves, quod vos facere oportebat, non pascitis, infirmos confirmando, debiles roborando, fractos

consolidando, dispersos reducendo, et ex luporum faucibus raptos extrahendo: sed etiam turpissimae vitae toxico oves Christi inficitis, et quibus ad obtinendam vitam aeternam auctores et duces esse deberetis, eas vobiscum in aeternae mortis praecipitia adducitis? Sed haec quidem hactenus a vobis perpetrata, tametsi par erat, eorum causâ vos et ecclesiasticis proventibus et sacris ordinibus privari, tamen in praesens mihi meritas non dabunt poenas. Si qui vero deinceps sese ad meliorem frugem recipere noluerint, in illos ego certe multa severitate animadvertere non omittam. Nolim enim dissimulando vestrae me iniquitatis reddere participem. Quod si vos noveritis parcere saluti vestrae, Deum quoque propitium sentietis.»

§ **27**. Haec primo anno dicta sunt ab illo: altero anno cum quidam nollent resipiscere, sed suis involuti faecibus, pro infami contubernio mallent vincula catenasque colla prementes perpeti cum ignominia, quam ad pudorem et honestatem cum Dei amore se componere, sex aut septem audivimus Ordine privatos. Ita quos non potuit humanitate et mansuetudine corrigere, illos severitate et justa animadversione emendatos dilexit, fovit, tuendosque suscepit, ut nemo esset qui sacerdotes aut laedere ulla ex parte ausus esset, aut turpe aliquid de eis dicere. Suas vel ecclesiae terras, homines, coemeteria, et quaecumque ad ipsum attinerent, integra conservare, clericos, viduas, pauperes defendere summopere curavit. Si quis illis, quae tuenda susceperat, illata aliqua injuriâ ipsum offendisset (erant autem per id tempus illis in locis non pauci raptores et maligni homines), quantacumque is dignitate vel auctoritate esset, nulli parcens, nullius personam accipiens, nihil quicquam reformidans, immo tum multo constantior, si speraret martyrem se futurum, sicut scriptum est (*Prov.* XXVIII): *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit:* anathemate eum percellebat, nec unquam, nisi satisfactione accepta, absolvebat.

§ **28**. Comes Humbertus (*a*), Amedei filius, quemdam ejus presbyterum jusserat comprehendi. Petiit ille presbyterum sibi restitui: sed cum non impetraret, Praepositum ejus, qui presbyterum ceperat, cum tota domo ejus excommunicavit. Postquam autem cognovit, ubi presbyter detineretur, Episcopum Maurianensem dominum Wilhelmum misit, ut eum ex illa captivitate extraheret. Invenit hominem Episcopus ille, monuit Praepositum, qui tum aderat, ut missum eum faceret. Nolente Praeposito,

(*a*) Tertius hujus nominis ex inclytis religione, prudentiâ, virtute bellica, Sabaudiae Principibus. Defuncto in Cypro patri Amedeo III successit, sed severioris vitae et sacrarum contemplationum cupidus, Cisterciensibus Altaecumbae Monachis cooptari voluit. Bis inde Praelatorum consilio evocatus, bis, ut primum regni se negotiis absolvere potuit, in Coenobium se restituit, ubi in osculo Domini obdormivit anno MCLXXXVIII, et clarus signis, Beatorum fastis rite est adscriptus. Inter plurima ejus in Ecclesiam merita, S. Sedi addictissimus, pro ea Friderico Barbarossae strenue restitit. Rem cum S. Anthelmo agitatam faede exaggerat hujus Vitae scriptor. S. Episcopum vero fortitudinis pastoralis nonnihil finibus excessisse patet ex sententia Summi Pontificis.

Episcopus eum e custodia abduxit, contradicente eodem Praeposito et vociferante: Equidem tibi non resisto: sed tamen sciet haud dubio dominus meus, quis captivum ejus abstulerit. Post ubi presbytero illi significatum fuit insidias illos moliri, ut rursus ipsum caperent, fugâ sibi consulere statuebat. Pervenit id ad notitiam servorum Praepositi, illique abeunti insidias tendentes, cum gladiis repente ei occurrunt. Illo se defendere volente, tam atroci eum vulnere affecere', ut intra paucos dies moreretur. Idem vero Comes per calumniam asserebat, quaedam in possessionibus Ecclesiae ejus regalia esse: nec tamen, vivente sancto Episcopo, propterea injuriam facere Ecclesiae, aut aliquid ab ea exigere ausus fuit.

§ **29**. De his igitur cum eum compellasset Episcopus, ille irâ percitus, minari coepit, non se diutius dissimulaturum, quin quae sui essent juris exigeret. Rursus autem monente Episcopo et excommunicationis sententiam intentante, nisi et calumniâ abstineret, et pro sacerdotis nece, quantum ad ipsum attineret, Deo satisfaceret: Comes monita ejus contemnens, minasque jactans et pericula intendens, asserensque se Pontificis Maximi privilegio munitum, a nemine posse excommunicari: ab Episcopo, nulla ejus potentiae habita ratione, anathemate plectitur, cum praesens adesset. Tum vero illo furore inflammato, et graviter comminante, illis quoque, qui ei aderant, affirmantibus, pro tanta in principem temeritate, mox Episcopum capite puniri oportere: vir Dei majori constantiâ sententiam suam repetens, pertinacem Comitem multo etiam expressius a Christo et ejus corpore, quod est Ecclesia, praecìdit, satanae illum tradens. Stupebant sane, qui huic negotio intererant, nec parum timebant viro Dei, cum ille maneret intrepidus, magni beneficii loco habiturus, et impense etiam gavisurus, si tanta posset gratiâ dignus haberi, ut propter justitiae defensionem ad martyrii palmam et beatitudinem liceret pervenire. Erat enim non mercenarius, sed verus pastor: non ex illis negligentibus, quibus per Ezechielem Dominus improperat: Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in praelio in die Domini. Quae verba exponens beatus Gregorius Papa: Ex adverso, inquit, ascendere, est quibuslibet potestatibus prave agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israël in praelio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra perversorum injustitiam ex justitiae auctoritate vindicamus.

§ **30**. Non est autem praetermittendum, quanta justitiâ auctoritate et constantiâ suam in Comitem supradictum sententiam prosecutus sit. Cum enim Comes ille Sedis Apostolicae Pontifici significasset, se contra datum sibi privilegium a Bellicensi Episcopo excommunicatum, idem Pontifex mandavit beato viro per

Tarentasiensem * Archiepiscopum Petrum et alium quemdam Episcopum, ut charissimum filium suum Comitem Humbertum, quem satis temere excommunicasset, absolveret: ipsis etiam iisdem Episcopis praecipiens, ut si nollet Anthelmus, cujus constantiam noverat, ipsi eum absolverent. Veniunt Episcopi, adferunt mandata a Pontifice, multis hortantur verbis, ut summo Pontifici debitam praestet obedientiam, et irati principis animum impendenda absolutione sibi conciliet. Ille respondet: Qui juste ligatus est, solvi non debet, nisi prius per poenitentiam satisfaciat illi, quaem laesit: atque ita etsi fortassis non digne et pro meritis, saltem misericordiâ persuadente et justitiâ parcente, catholicae Ecclesiae restituatur. Neque enim vel ipsi beato Petro sic est haec collata potestas, ut vel non solvenda solvere, vel non liganda ligare debeat. Quanto igitur minus nobis? Id igitur certum habetote, me a semel pronuntiata sententia non deflexurum, sed eam plane retenturum **. His auditis Episcopi discessere, nec, quamvis id mandatum illis esset, Comitem fuere ausi absolvere. At tamen Pontifex cum id didicisset, Comitem absolvit, idque Anthelmo significavit. Ea autem re permotus vir fortis in Christo, et moleste ferens, relicta Bellicensis Ecclesiae cathedrâ, cupiens uni Deo in silentio et solitudine vacare, ad cellae optatam se quietem recepit. Sed Dominus qui ad id eum honoris evexerat, non permisit ut illic maneret. Cum enim Bellicensis Ecclesia et omnis illa regio ejus absentiâ se desolatam sentiret, Clerici illius, Pontificis Maximi literis, quas impetraverant, freti, eum repetierunt, atque aegre tandem obtinentes, cum debito honore et reverentia eum reduxerunt.

§ **31**. In Episcopatu suo vir sanctus in eam curam semper incubuit, ut ex veritatis et misericordiae praescripto omnia fideliter et accurate gereret: nec minus tamen pristinae vacabat religioni, immo vero solicite ne alicubi in toto ordine Carthusiano sanctarum institutionum sive consuetudinum rigor langueret, fervor tepesceret. Ab ejus nutu pendebant Carthusiani Priores, et illo moderante, sancta negotia disponebantur. Dabat vero operam, ut omnia religiose et ex Ordinis instituto atque praescripto fierent. Habuit autem semper locum suum in prima Carthusia, et in ea Cellam vacuam, ita ut unus esset ex iis, quos habitatorum certus numerus admittebat. In ea autem Cella saepe morari solebat, cum esset pertaesus negotiorum temporalium, ut illic recrearet spiritum suum, non Episcopi majestatem, sed humilis monachi subjectionem prae se ferens. Recreabat autem sese, non ciborum lautitiis, sed jejuniis et precibus: non somno vel desidiâ, sed vigiliis et sanctis exercitiis: non rumoribus aut fabulis vel musicis instrumentis et modulationibus, sed sacris

* De eo Surius Vol. V, p. 215.
** Haec profecto ad laudem S. Episcopi minime conferunt.

meditationibus, divinis contemplationibus et jubilo mentis: non gaudio, cujus extrema luctus occupat, sed luctu et moerore, cui aeterna consolatio promittitur. His, inquam, Dei fidelis servus reficiebatur et confirmabatur alimentis, perennis gloriae spe illum roborante et consolante.

§ **32**. Solebat etiam non raro visitare loca religiosa, inprimis autem ipsi domestica aut suae professionis: cumque venisset ad quamlibet sanctam congregationem, convocatis fratribus, gratissima et mellita oratione proponebat illis magnorum exempla virorum, quos aut vidisset ipse, aut de quibus auditione accepisset, mores eorum, dicta factaque commemorans. Deinde comiter et jucunde singulos ad se accitos, sibi assidere voluit, aut ipse e suo loco surgens, ad illos se conferebat, omnibus se conformans et accommodans, nec plus deferens majori, atque minori. Tum vero familiari et placida exhortatione, vultu ad hilaritatem et jucunditatem composito, animabat eos ad suscepti instituti perseverantiam et profectum, ad ferendum libentibus animis jugum Domini suave et onus leve: simul ob oculos eis statuens illud immensum praemium futurae beatitudinis, a Deo ipsum diligentibus praeparatum, quale nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et quia vir sanctus nihil sibi tribuebat, nec sua sibi sufficere arbitrabatur, sed aliorum se ope indigere ab animi humilitate persuasum habebat, studiose eos orabat, ut in precibus suis ipsius essent memores. Ad quamcumque venisset servorum Dei congregationem, ab iis se in fratrem recipi et petiit, et impetravit: idque speciatim in cunctis Ordinis Carthusiani monasteriis. Erat enim rationi consentaneum, ut quem Deus in illo coelesti regno eximium fore sciebat, ei in praesenti Ecclesia optata suffragia non negarentur. Conciliis Ecclesiasticis, aut secularium negotiorum tractatibus quoties interfuit, nullus vel Episcopus, vel alterius ordinis aut status fuit, qui non eum sibi anteponeret. Omnes eum reverebantur, ipsa etiam Romana Curia. Si quid enim vitiosum aut reprehensione dignum in aliquo cerneretur, quantacumque is auctoritate polleret, non dubitabat eum arguere, tantus illi inerat justitiae et veritatis zelus. Neque enim ex arrogantia vel hypocrisi id faciebat, sed fervore charitatis.

§ **33**. Nec deerant, quibus ille ejus justitiae zelus esset invisus: atque illi quidem, eo praesente, ori suo digitum imponebant, sed absenti detrahebant, ejusque facta rodebant dente canino. Compluribus sane ejus castigationes et reprehensiones non erant ingratae. Adversum superbos severus et rigidus erat, eorum contemnens arrogantiam: humilibus comem, placidum et affabilem se praebebat. Obstinati, pervicaces, et qui nollent resipiscere, durum et quasi indignabundum eum experiebantur: obedientes et morigeri, lenem, humanum et familiarem. Erga

peccatores poenitentes quam pius, benignus et misericors fuerit, norunt illi, qui ei peccata sua confessi sunt, et ejus manus impositione cum Deo in gratiam restituti. Totis sane visceribus condolebat illis, idque non sine lacrymis, quas ab oculis ejus eliciebat non moeror animi, sed ingens pietas et misericordia et laetitiae magnitudo. Jure enim gaudendum existimabat, cum (ipso Christo testante) gaudium sit in coelis coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Consolabatur quoque illos, dicens veniam et Dei gratiam ipsos esse adeptos: atque deinceps, licet omnes ex animo diligeret, istos tamen peculiarius, non aliter, quam suos mater filios. Miseris et afflictis condolebat, eosque consolatione, consilio, auxilioque fovebat. In pauperes vero et inopes quis illo unquam benignior, quis humanior visus est? quis majori erga illos misericordiâ, quis de illorum sublevanda inopia solicitior fuit? Ex iis quae habebat, nihil suum arbitrabatur, sed omnia pauperum: quod quidem etiam revera sic erat. Non incubabat ille pecuniae thesauris, qui non permanent: sed illis potius coacervandis intentus erat, qui in coelis repositi, amitti vel corrumpi numquam possunt. Itaque demptis iis quae moderatus victus poscere videretur, caetera omnia in pauperes erogabat, inprimis autem religiosos sive monasticae vitae cultores.

§ **34**. Cum autem sancta loca omnia amore et benevolentiâ complecteretur, duas quasdam sanctas congregationes sibi tuendas fovendasque susceperat, singulari quodam studio illas prosequens, et magnis sustentans beneficiis, tum in iis quae ad structuras, tum quae ad victum vestitumque essent necessaria. Ex his una erat ancillarum Christi, viduarum et virginum quae sexum imbecillem cum ipso mundo virili animo vicerant, et in loco, qui Buntzis * dicitur, eremiticam ducebant vitam. Altera erat leprosorum, sub regula degentium: quam quidem vir sanctae conversationis et mirae humilitatis, Deo devotus Guigo miles Christi eo in loco, quem, inter saxa, vocant **, ad Rhodani magni fluminis ripam construxerat instituueratque. Haec duo loca crebro solebat sanctus Episcopus invisere, animarumque et corporum curam gerere: delectabaturque eorum colloquiis, nec foeminarum reformidans accessum vir castissimus, nec leprosorum fastidiens familiaritatem servus Christi humilimus.

§ **35**. Eo anno, quo ab hac vita decessit, magna annonae caritas magnam famem et calamitatem invexit in homines. Tum vero ille quasdam sanctorum congregationes suis fovit beneficiis, et confluentium undique pauperum turbam usque ad messis tempus quotidianis eleemosynis sustentavit. Mirabantur omnes, unde

* Vulgo *Bons*, Abbatia Ord. Cisterc. aedificata a Margarita Sabauda Humberti III sorore, ubi et ipsa habitum sumpsit.
** Ab incolis *Entrocessey* dicitur.

tanta illi suppeterent. Sed Dominus, qui quinque panibus totidem hominum millia satiavit, poterat servo suo fideli augere et multiplicare ea quae illius causâ distribuebat. Certum autem diem praefixerat, ad quem usque promiserat se illas eleemosynas continuaturum. Itaque Domino, qui extra mundi hujus exilium ad patriam eum evocare constituerat, tantisper expectante, donec id, quod voverat, esset executus, eodem ipso die quem eleemosynis illis praestandis extremum praestituerat, a Domino vocatus, decessit e vita. Illo autem die adventante, et futurae vitae, cujus obtinendae causâ fideliter laboraverat, initio propinquante, acuta febre correptus, cum, ut fit in ea aegritudine, verbis erraret, at tamen de rebus necessariis interrogatus, prudenter et accurate respondebat, in nullo prorsus errans. Flebant autem omnes ejus amici et familiares, idque pietate potius, quam moerore ducti, sciebant enim ejus obitu dolendum non esse, quod ad illum attineret. Petebant vero ab eo benedictionem et consilium: èt ille bene eis precabatur, et consilia suppeditabat. Cumque dicerent, ut res suas distribueret, respondit: Absit a me, ut faciam testamentum, qui nihil habeo: quippe qui non sum de hoc mundo. Hucusque ex ministerio sacerdotii licuit mihi res commendatas curare et dispensare: at nunc quando iis frui non possum, nec dispensare licet. Tunc Comes Humbertus, Deo suam illi gratiam aspirante, et beati viri, qui ejus sitiebat salutem, intercedentibus meritis et corde compunctus *: statim venit ad virum Dei... ** et cum humiliter et obnixe veniam peteret, in gratiam rediit, impositisque ei manibus vir Dei bene precatus est ei, dicens: « Deus omnipotens Pater et Filius et Spiritus Sanctus, benedictionis suae et gratiae tibi tribuat largitatem: crescere te faciat et multiplicari, itemque filium tuum. » Cumque non haberet Comes nisi filiam, rati plerique illum errare, suggerebant ut filiam diceret, non filium. At ille semel atque iterum repetiit filium. Quam quidem prophetiam non multo post tempore novimus completam, nato illi filio.

§ **36**. Porro Clericos suos ipsum consulentes admonuit vir pius, ut mutuo se charitate complecterentur, studerent concordiae et unitati, et pacis vinculo inter se colligarentur. Ita demum illustri cursus sui agone peracto, sanctus Dei confessor Anthelmus Episcopus aeternum adeptus est bravìum: expletisque circa eum quae ei praestari par erat, officiis, inter litanias et cantica spiritum Domino reddidit, sexto Calendas Julii, anno aetatis suae amplius septuagesimo, Episcopatus vero decimoquinto, ipso regnante, cujus regnum non habet finem, Domino nostro Jesu Christo: cui est cum Patre et Spiritu Sancto gloria, laus et honor, virtus et potestas per infinita secula seculorum, Amen.

* Pietate et humilitate ductus...

** Quae his falso Auctor Vitae scribit in seq. sententiam sunt permutanda:..... flexis ante lectulum morientis Episcopi genibus, simultatem et controversiam quae intercesserat, fusis lacrymis dolens, quamvis a Rom. Pontifice jam absolutus, obnixe veniam petiit, sicque cum illo...

DE QUIBUSDAM MIRACULIS EJUS

QUAE ALIQUOT LOCIS CONTRAXIMUS.

§ 1. Etsi vero non impar esset meritis, nec Deo minus gratus beatus Anthelmus plerisque miracula facientibus, attamen in vita sua haud secus atque pestem quamdam id vitare constituit, ne sanctus diceretur. Non enim in se gloriari ille noverat, sed in Domino: nec aequum arbitrabatur, ut efficiendorum miraculorum gratiam sibi usurparet ipse indignus (ita enim de se sentiebat) peccator. Sed interim tamen eximiae virtutes et praeclara opera ejus, miracula erant: et licet ille se celaret, non pauci tamen ejus meritis se sensere molestiis liberatos. Quam vero celeriter fides ejus optata impetrarit a Domino, ex eo, quod subjicimus, potest miraculo animadverti. Cum die quodam iter faceret, qua transiturus erat, miser quidam jacebat homo, a serpente ictus. Is veneno se per corpus diffundente, versus in tumorem, acerbissime cruciabatur, nihil nisi mortem expectans. Venientem ad eum locum virum Dei orabant qui aderant, ut paululum subsisteret, praestaretque consilium, quid remedii esset homini calamitoso adhibendum. Tum ille misertus ejus, non sine lacrymis Crucis signum in eum expressit: moxque tumor et dolor omnis evanuit. Dignum sane erat ut Christus propter servum suum, qui crucem suam tollens, ipsum secutus erat, et carnem suam crucifixerat cum vitiis et concupiscentiis, Crucis ministerio et mala pelleret, at bona largiretur. Severissime autem vir Dei prohibuit sociis, ne cui indicarent: caeteris quoque qui illic aderant, dicebat, Dei beneficia non suis meritis, sed illorum fide impetrata, ne sibi ascribenda putarent. Neque enim tantopere fur in furto deprehendi reformidat, quam hic vir sanctus hominum laudibus celebrari: quippe qui non alio, quam peccatoris, loco se haberet.

§ 2. Postquam autem ex mundi hujus caligine ad illam lucem sempiternam commigraverat, Dominus non est passus sanctum suum, qui se occultaverat, diutius in obscuro latère, sed evidentibus miraculorum signis ejus sanctitatem declaravit. Nam cum ejus venerabiles celebrarentur exequiae, et sacrum corpus monumento conderetur, eo loco, ubi humatum est, tres lampades erant, quae non interdiu, sed noctibus accendi solebant, praeterquam in praecipuis solemnitatibus. Erat igitur etiam haec solemnitas praeclara, non funeris, sed triumphi. Ecce enim, dum cuncti ad sacrum funus intenti sunt, vident in una ex iis lampadibus ignem immenso lumine coruscare. Admirantibus illis et stupentibus, etiam aliae duae divinitus accenduntur, simulque

omnes illustrius de se lumen spargunt. Fit clamor ecclesiae exultantis, et Deum laudantium. Accurrunt omnes tum indigenae, tum peregrini qui illic aderant, tantoque spectaculo obstupescunt. In iis fuit etiam Comes Humbertus et socer ejus Girardus Viennensis, et qui cum illis erant viri illustres non pauci.

§ 3. In territorio Gratianopolitano vir nobilis erat, Deum timens cum conjuge sua. Amaverat illos Anthelmus, totius boni amator. Deerant iis proles, quod matrona sterilis esset. Ut autem pervenit ad eos fama tot miraculorum quae ad sepulcrum viri Dei fiebant, ait uxor marito suo: Ibo ad dominum meum sanctum Anthelmum, nihil dubitans, quin sit mihi a Domino prolem impetraturus. Abiit, preces obtulit devotas cum multa fide et spe, domum reversa concepit et enixa est. Ejusmodi miraculum fecerat etiam in vita sua. Negotii cujusdam expediendi causâ venit Genevam, hospitio acceptus est a Bujamundo amico ipsius. Postquam assedit: Ubi est, inquit, domina? Volo eam videre. Venit illa, hortabatur vir beatus ambos, ut fidem conjugii et mutuum amorem conservarent, bonis operibus essent dediti, divinoque timori semper inhaerèrent. Dixit autem ad illum Bujamundus: Domine, satis quidem omnia ex sententia habemus: sed unum, quod vel maxime optamus, deest: nempe proles. Tum vir sanctus vocat ad se matronam, pingit Crucem in fronte ejus, dicit ore jucundo: In nomine Domini fac mihi unum filium. Mox in virtute Crucis mandatum fides, et fidem effectus consecutus est. Concepit enim ex marito, et opportuno tempore edidit filium.

§ 4. Adolescens quidam nobilis, nondum adeptus militiae cingulum, oderat sanctum virum, fortassis ab illo quandoque objurgatus. Is cum transiret reverendum ejus sepulcrum, videretque ibi jacère homines morbidos et male affectos, illorum fidem stultitiae tribuens, ibat cachinnans. Et ecce subito acri corripitur febre, et intolerabili ardore vexatur, spem vitae abjiciens. At colligens sese, duci coepit poenitentiâ, sociorumque manibus, cum per se non posset, eo perductus, humiliter veniam petiit, vota nuncupavit, et liberatus est. Idcirco enim corpore poenas luit, ut animo sanaretur. Alius quidam nobilis adolescentulus hemitritaeo, id est, semitertiana febre dire cruciabatur, cui accedebat etiam morbus caducus. Is de vino, quo ablutum fuit sacrum beati viri corpus, bibens, curatus est: ejusdemque vini potu multi a diversis sunt morbis liberati.

§ 5. Mercator quidam ab extera regione revertens, pro distractis mercibus suis aurum, argentum et magnam serici copiam reportabat. Cum transmitteret autem Rhodanum flumen, equus, cui ea omnia imposuerat, cum sarcina e navi decidit. Et primo quidem videbatur ab illis qui erant in navi, dum fluminis impetu traheretur: sed pressus sarcinâ, ab eorum oculis subductus est. Postquam igitur casso labore eum desiit mercator inquirere,

eumque se recuperaturum desperavit, quod eo in loco sit quasi abyssus quaedam, ut audivit beati Anthelmi nomen et miracula, fide et spe animatus, venit ad sacrum corpus ejus, positoque illic cereo quem in ejus honorem confecerat, in vigilias et preces incubuit, munera obtulit, vota fecit. Mane post celebrata divina mysteria, per piissimi confessoris merita de divina confidens misericordia rediit ad locum, a quo moestus recesserat, spe bona factus hilarior: et ecce videt cadaver equi, quem longius vi fluminis raptum conspexerat, in portum ejectum, remque suam omnem salvam et illaesam, cum sane admiratione dignum esset, sericum nihil madefactum, nihil ulla ex parte corruptum. Itaque ablata sarcinâ, solius equi jacturam non magnipendens, Deo et piissimo ejus confessori gratias egit, laetusque abscessit.

§ 6. Sed si ego ea omnia, quae benignus Deus per servum suum mirabiliter efficere non desinit, annotare velim, tempus me citius, quam materia, deficiet. Non possum tamen unum illud praetermittere quod caeteris longe antecellere videtur. Fiscilliacum vocant rus, quod a Bellicensi urbe sex abest milliaribus. In eo puerulus quidam trium circiter annorum, matre ejus alibi occupata, domo egressus, longiusque progressus, hac illac errabundus vagari coepit. Tarda tandem horâ recordata mater pignoris sui, undique circumspiciens, nec tamen ulla ejus vestigia aspiciens, metu et tremore correpta, quod male agi cum parvulo suspicaretur, circumquaque sedula curiositate inquisivit eum. Ad extremum ad praeterfluentis rivi alveum se conferens, videt filiolum suum lapsum in aquas: cumque procul ab aquis corpusculum agitari cerneret, existimans eum adhuc vivere, in hanc erùpit vocem: Deus et sancte Anthelme a vobis reposco filium meum. Deinde accedens propius, et eum extrahens ab aquis, ut vidit exanimem, vellere capillos, scindere vestes, genas unguibus lacerare, pugnis verberare pectus, vallem omnem moestis complere clamoribus coepit, miseram se vociferans, et sibiipsi volens adferre manus. Accurrit vero pater anxius, advolant vicini ad tam miserandum spectaculum, dolent vicem parentum miserorum. Inde domum deportatur puer, diu fovetur, sed non calescit, nec quicquam in eo vitalis spiritus deprehenditur, cum a mane usque in vesperam fere confotus esset. Igitur de ejus sepultura agitur, sed mater se opponit, constantique animo dicit: Ego cadaver feram ad beatum Joannem et sanctum Anthelmum dominum meum. Credo eorum meritis a Domino restitutum mihi iri filium meum, quem propter peccata mea abstulit mihi fraus inimici. Illa sic instante, pater parvuli corpusculum, comitante matre et vicinis, in ecclesiam Bellicensem adducit, et ad beati Anthelmi deposuit sepulcrum. Aderant ejus urbis permulti utriusque sexus homines, qui eos secuti erant in ecclesiam, quibus miserae matris lamenta et fideles preces, lacrymas excutiebant.

Nam instar Chananaeae illius, multa fidei constantiâ, precumque instantiâ clamabat se peccatricem, sibi dicebat poenam deberi, atque a se ultionem expetendam, non ab innoxio infantulo: simul implorans sanctorum illorum, quos diximus, suffragia. Nec est frustrata spe sua. Nam paulo post coepit moveri puer: sed mater territa, ab eo recessit, rei eventum contemplatura. Deinde audiuntur leves quidam infantuli vagitus: post paululum, cum nemo ad eum accederet, cunctis stupentibus surrexit, et arrepto scipione, qui juxta illum erat, ad mensuram factus corpusculi ejus, ad sanctum sepulcrum progressus est, ibique resedit. Tum demum mater ausa accedere cum aliis affatur puerum, et ille respondet, prorsus incolumis, nec quidquam mali sentiens, perinde acsi nihil incommodi perpessus esset. Existit apud omnes ingens exultatio, cum timore quodam et admiratione conjuncta: flent parentes praegaudio, pietate moventur universi. Clerus, nobiles, plebeji adveniunt, Deum pariter omnes laetabundi laudant et praedicant, qui per sanctos suos faciat magna et admiranda.

§ 7. In Ecclesia sane Bellicensi meritis beati Anthelmi multa alia facta sunt miracula, quae hominum incuriâ non sunt in scripta redacta: quamquam eorum tam ingens profecto est numerus, tantaque assiduitas, ut commemorari omnia non possint: quando confluentibus undique turbis ad ejus venerabile corpus, innumera credentibus beneficia obtingunt. Gaude igitur et laetare Ecclesia Bellicensis cum tota dioecesi, tam eximii patris illustrata praeconiis. Laetamini cives: quia quem in vita meruistis habere pastorem, nunc multo etiam magis protectorem et pium apud Deum intercessorem habetis. Laetamini vel maxime omnes vos, qui in Clero estis, quibus tantus obtigit thesaurus: quo locupletati, non sentietis inopiam, si tamen digna veneratione vos nosse ostenderitis, quantus et qualis sit, et quanto colendus honore. Non desinet ille vestri curam gerere: per illum, Domino largiente, multa vobis aderit prosperitas et pax, sine qua non potest ulla crescere Ecclesia, nisi forte, quod absit, circa illum negligentes sitis. Date igitur operam, ut ex animo illum diligatis ac veneremini. Habetis in illo exempla virtutum illustria: sit ille vobis instar speculi ob oculos propositus, sanctisque sectandis moribus illum imitamini, ut ad quam ille jam pervenit beatitudinem, eam vos quoque, illius meritis et precibus adjuti, adipisci mereamini (*a*).

(*a*) Anno MDCXXX cum ageretur de S. Anthelmo in Patronum eligendo Bellicensis Dioecesis, coetu Clericorum et Procerum adstante frequentissimo, ad recognitionem et elevationem sacri corporis ventum est; idque integrum penitus illaesumque est repertum. Tunc gloriosa quaedam sunt ad ejus adspectum et tactum renovata prodigia; tunc etiam dira lues cum finitimas regiones depopularetur, arcâ S. Anthelmi ad publicas supplicationes exposita, et urbis illius incolae servantur incolumes, et exteri ad S. Episcopi depositum vota nuncupantes lethali morbo sanantur. Venerabiles Reliquiae, divina providentiâ eas mire e manibus efferatorum anni MDCCXCIII eripiente, adhuc honorifice (uno ossium dempto quo ditatum Primatiale Lugdun. templum) in proprio Sacello asservantur Cathedralis Bellic. ecclesiae.

eumque se recuperaturum desperavit, quod eo in loco sit quasi abyssus quaedam, ut audivit beati Anthelmi nomen et miracula, fide et spe animatus, venit ad sacrum corpus ejus, positoque illic cereo quem in ejus honorem confecerat, in vigilias et preces incubuit, munera obtulit, vota fecit. Mane, post celebrata divina mysteria, per piissimi confessoris merita de divina confidens misericordia rediit ad locum, a quo moestus recesserat, spe bona factus hilarior: et ecce videt cadaver equi, quem longius vi fluminis raptum conspexerat, in portum ejectum, remque suam omnem salvam et illaesam, cum sane admiratione dignum esset, sericum nihil madefactum, nihil ulla ex parte corruptum. Itaque ablata sarcinâ, solius equi jacturam non magnipendens, Deo et piissimo ejus confessori gratias egit, laetusque abscessit.

§ 6. Sed si ego ea omnia, quae benignus Deus per servum suum mirabiliter efficere non desinit, annotare velim, tempus me citius, quam materia, deficiet. Non possum tamen unum illud praetermittere quod caeteris longe antecellere videtur. Fiscilliacum vocant rus, quod a Bellicensi urbe sex abest milliaribus. In eo puerulus quidam trium circiter annorum, matre ejus alibi occupata, domo egressus, longiusque progressus, hac illac errabundus vagari coepit. Tarda tandem horâ recordata mater pignoris sui, undique circumspiciens, nec tamen ulla ejus vestigia aspiciens, metu et tremore correpta, quod male agi cum parvulo suspicaretur, circumquaque sedula curiositate inquisivit eum. Ad extremum ad praeterfluentis rivi alveum se conferens, videt filiolum suum lapsum in aquas: cumque procul ab aquis corpusculum agitari cerneret, existimans eum adhuc vivere, in hanc erùpit vocem: Deus et sancte Anthelme a vobis reposco filium meum. Deinde accedens propius, et eum extrahens ab aquis, ut vidit exanimem, vellere capillos, scindere vestes, genas unguibus lacerare, pugnis verberare pectus, vallem omnem moestis complere clamoribus coepit, miseram se vociferans, et sibiipsi volens adferre manus. Accurrit vero pater anxius, advolant vicini ad tam miserandum spectaculum, dolent vicem parentum miserorum. Inde domum deportatur puer, diu fovetur, sed non calescit, nec quicquam in eo vitalis spiritus deprehenditur, cum a mane usque in vesperam fere confotus esset. Igitur de ejus sepultura agitur, sed mater se opponit, constantique animo dicit: Ego cadaver feram ad beatum Joannem et sanctum Anthelmum dominum meum. Credo eorum meritis a Domino restitutum mihi iri filium meum, quem propter peccata mea abstulit mihi fraus inimici. Illa sic instante, pater parvuli corpusculum, comitante matre et vicinis, in ecclesiam Bellicensem adducit, et ad beati Anthelmi deposuit sepulcrum. Aderant ejus urbis permulti utriusque sexus homines, qui eos secuti erant in ecclesiam, quibus miserae matris lamenta et fideles preces, lacrymas excutiebant.

Nam instar Chananaeae illius, multa fidei constantiâ, precumque instantiâ clamabat se peccatricem, sibi dicebat poenam deberi, atque a se ultionem expetendam, non ab innoxio infantulo: simul implorans sanctorum illorum, quos diximus, suffragia. Nec est frustrata spe sua. Nam paulo post coepit moveri puer: sed mater territa, ab eo recessit, rei eventum contemplatura. Deinde audiuntur leves quidam infantuli vagitus: post paululum, cum nemo ad eum accederet, cunctis stupentibus surrexit, et arrepto scipione, qui juxta illum erat, ad mensuram factus corpusculi ejus, ad sanctum sepulcrum progressus est, ibique resedit. Tum demum mater ausa accedere cum aliis affatur puerum, et ille respondet, prorsus incolumis, nec quidquam mali sentiens, perinde acsi nihil incommodi perpessus esset. Existit apud omnes ingens exultatio, cum timore quodam et admiratione conjuncta: flent parentes praegaudio, pietate moventur universi. Clerus, nobiles, plebeji adveniunt, Deum pariter omnes laetabundi laudant et praedicant, qui per sanctos suos faciat magna et admiranda.

§ 7. In Ecclesia sane Bellicensi meritis beati Anthelmi multa alia facta sunt miracula, quae hominum incuriâ non sunt in scripta redacta: quamquam eorum tam ingens profecto est numerus, tantaque assiduitas, ut commemorari omnia non possint: quando confluentibus undique turbis ad ejus venerabile corpus, innumera credentibus beneficia obtingunt. Gaude igitur et laetare Ecclesia Bellicensis cum tota dioecesi, tam eximii patris illustrata praeconiis. Laetamini cives: quia quem in vita meruistis habere pastorem, nunc multo etiam magis protectorem et pium apud Deum intercessorem habetis. Laetamini vel maxime omnes vos, qui in Clero estis, quibus tantus obtigit thesaurus: quo locupletati, non sentietis inopiam, si tamen digna veneratione vos nosse ostenderitis, quantus et qualis sit, et quanto colendus honore. Non desinet ille vestri curam gerere: per illum, Domino largiente, multa vobis aderit prosperitas et pax, sine qua non potest ulla crescere Ecclesia, nisi forte, quod absit, circa illum negligentes sitis. Date igitur operam, ut ex animo illum diligatis ac veneremini. Habetis in illo exempla virtutum illustria: sit ille vobis instar speculi ob oculos propositus, sanctisque sectandis moribus illum imitamini, ut ad quam ille jam pervenit beatitudinem, eam vos quoque, illius meritis et precibus adjuti, adipisci mereamini (*a*).

(*a*) Anno MDCXXX cum ageretur de S. Anthelmo in Patronum eligendo Bellicensis Dioecesis, coetu Clericorum et Procerum adstante frequentissimo, ad recognitionem et elevationem sacri corporis ventum est; idque integrum penitus illaesumque est repertum. Tunc gloriosa quaedam sunt ad ejus adspectum et tactum renovata prodigia; tunc etiam dira lues cum finitimas regiones depopularetur, arcâ S. Anthelmi ad publicas supplicationes exposita, et urbis illius incolae servantur incolumes, et exteri ad S. Episcopi depositum vota nuncupantes lethali morbo sanantur. Venerabiles Reliquiae, divina providentiâ eas mire e manibus efferatorum anni MDCCXCIII eripiente, adhuc honorifice (uno ossium dempto quo ditatum Primatiale Lugdun. templum) in proprio Sacello asservantur Cathedralis Bellic. ecclesiae.

VITA

S. VIGILII MART. ET EPISC. TRIDENT.

UT HABETUR IN FRONTE OPERUM EJUS CONTRA EUTYCHEN TOMO QUINTO BIBLIOTHECAE SS. PATRUM, MARGARINI DE LA BIGNE DOCTORIS THEOL. PARISIENSIS.

Sub initium Saec. V.

Vigilius patriâ Romanus, illustribus ortus parentibus, Athenis liberales artes, et sacras literas didicit, brevique tantum sibi pietatis et eruditionis thesaurum per Dei gratiam comparavit, ut annos natus viginti, ab Aquilejensi Episcopo, ad quem divina delatus fuit providentiâ, pastor ordinaretur Tridentinorum, quibus mira fide et constantiâ Evangelium Jesu Christi praedicavit, et potentiam beneficiumque ejus, miraculis in Christi nomine designatis commendavit. Caecis enim visum et surdis auditum reddidit, mutorum linguas solvit, et daemoniacos, et variis morbis vexatos sanavit. Praeterea stylum in haereses strinxit, et haereticos, ut sinceritatem doctrinae Apostolicae plene assereret, et purgatam Ecclesiae Christo contraderet. Extant hodie quinque ejus libri contra Eutychen: non extant, quorum in quinto libro meminit. Ait enim se libros aliquot composuisse de Conciliorum decretis, et nominum religiosa novitate, contra Sabellium, Fotinum, et Arrium. Porro cum divinae bonitati jam visum esset fidelem servum in gaudium Domini sui introducere, placuit ipsum prius martyrii quoque coronâ decorare. Quemadmodum itaque haereses constanter impugnarat, ita idololatriam nefariam funditus extirpatam cupiebat. Prostabat autem in valle illa quae flumen Sarcham fundit, Saturni aereum simulacrum, quod incolae homines feri et agrestes, magna religione venerabantur. In hanc itaque ferendi Evangelici seminis gratiâ profectus Vigilius Raudenam, fratribus germanis Claudiano et Majorano, Juliano item presbytero comitibus, pervenit, ac protinus in ipsum idòlum incidit. Zelo itaque Dei exaestuans, spiritu laetus ac alacer, Saturnum aggreditur, ac spurcum idolum dejicit, frangit, et in praeterfluentem conjicit, ut turpissimae rei vel memoria apud posteros interiret, solius autem Domini nomen sanctificaretur et regnaret. Mox vero in basim seu fulcrum dejecti idoli residens vir Dei, verbum Domini illis, qui ejus facinoris spectatores fuerant, praedicare coepit, testificans salutem veram non aliunde vel sperandam vel petendam esse, quam a Jesu Christo, Dei et

hominis filio. Caeterum barbari et impii idololatrae, deum et religionem suam contumeliâ affectum putantes, concurrunt, et servum Christi, animam suam Patri commendantem, lapidibus sternunt, obtegunt atque collidunt, anno aetatis suae quadragesimo, Episcopatus vigesimo (*a*).

MARTYRIUM

S. ZOILI CORDUBENSIS

UT HABETUR IN LUCII MARINEI SICULI,

REGIS HISTORIOGRAPHI, *de Rebus Hispaniae libro 5.*

Incerta aetate.

Beatissimus martyr Zoilus, parentibus clarissimis Cordubensibus progenitus, ab infantia Christianus, cum esset adolescens, et publice Christum confiteretur, subito a paganis arreptus, ad praetorium cujusdam judicis praesentatus est: atque ab ipso ut ad culturam daemonum rediret, diu est exhortatus. Qui dum multa dierum spatia, tam sermonibus quam muneribus admonitus esset, in coemeterio praefatae civitatis, cum peregrinorum corporibus est sepultus, ne aliquando a Christianis cognosceretur, et digna veneratione coleretur. Sed cum Christo donante pax Ecclesiae data esset temporibus Regis Sisebuti, quidam vir nobilis de Gothorum propagine clarus, Agapìtus nomine, ex laico vitam appetens monachi, sic ad summum sacerdotium electus est. Et quoniam pro amore Christi seculum dimiserat, non distulit illum fraudare bonis suis. Cum corpus suum jejuniis maceratum in stramine reclinaret, per quietem noctis ostensum est ei, quo loco corpus praedicti martyris jacèret: et quo nomine vocaretur, et pro cujus amore capite plexus esset. Qui mane facto, congregatis fratribus et vulgi multitudine, quae viderat indicavit, atque cum omnibus Christianis ad ostensum sibi locum sine mora perrexit. Ad quem perveniens, rastrum manu arripiens effodere coepit, quousque ad corpus beatissimi martyris, sicut a paganis fuerat absconditum, Deo juvante pervenit. Quo quidem invento, gaudio magno repleti sunt omnes. Praefatus denique Episcopus, prae

(*a*) Cujus sanctum corpus *(adde ex Officii Lectionibus histor.)* magno populi comitatu, multis cum lacrymis Tridentum delatum, ibi in basilica a se erecta honorifice sepultum est.

Compluribus in Venetis Ecclesiis, nec non in finitimis Concordiensi et Goritiensi colitur S. Vigilius; in Tridentina autem, utpote Patronus princ., Officio per integrum proprio, Dupl. 1 cl. cum Oct. Liturgici etiam cultus honore prosequuntur Tridentini mense martio SS. Claudianum et Magorianum ejus fratres, ac XXX apr. sanctam ejus matrem Maxentiam, qui una cum Vigilio Româ Venetias se contulerant.

amoris magnitudine, cum corpus beati Zoili demulceret osculis, atque indignum se judicans, ut manibus suis tanti viri tangeret reliquias, subito, osculando crebrius, caruit primorum dentium adjutorio. Quos ad oris officio, ut minutos esse conspexit, in sarcophago, ubi viri corpus humatum fuerat, projecit. Peracto inventionis obsequio, sequenti nocte per visum S. Zoilus ita affatus est ei: Cur me saepius osculando verberasti? jam pro eis quae a me poposceras intercedens a Domino Jesu Christo impetrasti, et nunc certus esto, quia dimissa tibi sunt peccata.

S. SAMSONIS PRESBYTERI

HOSPITUM EXCEPTORIS SIVE XENODOCHI NUNCUPATI

VITA

AUCTORE SIM. METAPHRASTE

Floruit Saec. V. Patriâ Constantinopolit.

§ 1. Hic magnus, et cujus omnem orbem terrae pervasit fama, Samson genus quidem duxit ex illa celebri et inclyta (*nova*) Roma. Ortus est autem ex non ignobilibus nec vulgaribus parentibus, sed etiam valde honestis et claris: quorum magnae quidem erant opes: gloriabantur autem se genus ducere ex sanguine Imperatoris. Sed cum viri hujus maximi res externae ita se haberent, neque res quoque suas habebant contemptui. Quomodo? Nam et virtutis magnam curam gerebat, et divinae scripturae lectioni erat intentus: et tanquam jucundissimo cibo ei diligenter adhaerebat: et brevi tempore venit ad omnem ejus cognitionem. Verum cum neque medicinae quae erat ars valde humana, vir longe humanissimus studium abjecisset, sed se etiam ei diligenter dedisset, etiam si arte parum admodum ad quaestum sit usus, in pauperibus tamen cessit divinae gratiae ministerio, morbos curans immedicabiles, et tanquam gratiae velamento arte utens propter summam humilitatem.

§ 2. Postquam autem ejus parentes e vita excessissent, non amplius cunctabatur, nec differebat: sed apta accepta occasione, utpote quod nullus esset prohibiturus, ea faciebat quae sibi videbantur, et iis, in quas cadit interitus, divitiis, et quae sunt ad breve tempus divitias commutabat aeternas, convenienter divinae voci Domini quo jubet vendere ea quae habet, et praebere eleemosynam, et hinc parare cramènas quae minime veterascunt.

Dabat vero opes non parce, nec paulatim, sed nec guttatim distillans, sed profuse admodum et large, ambabus, ut dicitur, manibus effundens in ventres pauperum, aut esurientium: idque non semel, aut bis, sed per totam vitam. Ei enim semper aequalis, et cum eo nutrita fuit eleemosyna. Servorum autem greges nolebat amplius apud se manere neque in servos uti arroganter imperio: sed potius libertate, dignabatur ingenue, eis abunde praebens quod ad victum sufficeret. Quid enim ei opus erat servitute hominum, qui se verum et germanum servum Domino consecraverat? Sic itaque in facultates affectus, et quibus temporalibus tanquam vinculis laxatus, erat re vera levis et accinctus, et una quidem tunicâ, uno autem famulo contentus. Deinde Româ relicta hic vir egregius in hanc novam venit Romam, divini, inquam, Constantini civitatem. Atque quaenam quidem eum causa permoverit, nequaquam possum dicere. Sed non sine Dei numine, neque omnino inutiliter versatus est in hac regia civitate: in qua est etiam sacrum ejus corpus repositum, thesaurus sacrosanctus, divitiae quae minime consumuntur, omnium morborum remedium.

§ 3. Hic ergo omni ex parte magnus Samson, cum ad hanc pervenisset civitatem, in quadam parva et humili domo habitabat. In proximi autem cura gerenda assiduus. Nam cum hanc domum benignitatis argumentum et gratuitam fecisset officinam, eos qui morbo premebantur, hospitio excipiebat, et fraterne tractabat: nec solum in eos omni utebatur curâ et diligentiâ, ut volunt leges artis, sed et cibum, et cubile eis impertiebat, convenienter Christi praeceptis, partim quidem artem, partim autem atque adeo magis ostendens gratiam. Ubi enim est artis opus, daemones expellere, et morborum mirabilem efficere curationem? Quae quidem ei facere, non minus quam velle, erat facile. Et (ut semel dicam) alterius quidem aliquid aliud, Samsonis autem hospitalitas et benignitas, et in egentes misericordia, erat adeo propria, ut propèmodum rediret ad necessitatem naturae: sicut Soli quidem illuminare, igni autem urere. Hinc etiam evadit manifestus ei, qui tunc erat Christi Pontifex. Bonitatis enim splendor et decus eos, qui eam exercent, cito propalat. Is autem erat Menas, virtute non obscurus. Et ab illo ordinatur sacerdos, triginta jam annos natus, et pauloplus. Deinde ei etiam evadit manifestus, qui administrabat Imperium. Id autem ex eo accidit:

§ 4. Justinianus quidem erat qui imperabat, cujus et Imperii diuturnum fuit tempus, et vita illustris. Ei morbus incubuit valde gravis, cum ei male affecta essent pudenda, et vesica gravi laboraret ulcere. Atque ille quidem patiebatur, et laborabat, nec dolores ferre poterat. Ei autem erat circumfusum examen medicorum, et circa eum, ut mos est, aderant magno studio disputantes: Quid ergo Imperator? Postquam vidit eos multa

amoris magnitudine, cum corpus beati Zoili demulceret osculis, atque indignum se judicans, ut manibus suis tanti viri tangeret reliquias, subito, osculando crebrius, caruit primorum dentium adjutorio. Quos ad oris officio, ut minutos esse conspexit, in sarcophago, ubi viri corpus humatum fuerat, projecit. Peracto inventionis obsequio, sequenti nocte per visum S. Zoilus ita affatus est ei: Cur me saepius osculando verberasti? jam pro eis quae a me poposceras intercedens a Domino Jesu Christo impetrasti, et nunc certus esto, quia dimissa tibi sunt peccata.

S. SAMSONIS PRESBYTERI

HOSPITUM EXCEPTORIS SIVE XENODOCHI NUNCUPATI

VITA

AUCTORE SIM. METAPHRASTE

Floruit Saec. V. Patriâ Constantinopolit.

§ 1. Hic magnus, et cujus omnem orbem terrae pervasit fama, Samson genus quidem duxit ex illa celebri et inclyta (*nova*) Roma. Ortus est autem ex non ignobilibus nec vulgaribus parentibus, sed etiam valde honestis et claris: quorum magnae quidem erant opes: gloriabantur autem se genus ducere ex sanguine Imperatoris. Sed cum viri hujus maximi res externae ita se haberent, neque res quoque suas habebant contemptui. Quomodo? Nam et virtutis magnam curam gerebat, et divinae scripturae lectioni erat intentus: et tanquam jucundissimo cibo ei diligenter adhaerebat: et brevi tempore venit ad omnem ejus cognitionem. Verum cum neque medicinae quae erat ars valde humana, vir longe humanissimus studium abjecisset, sed se etiam ei diligenter dedisset, etiam si arte parum admodum ad quaestum sit usus, in pauperibus tamen cessit divinae gratiae ministerio, morbos curans immedicabiles, et tanquam gratiae velamento arte utens propter summam humilitatem.

§ 2. Postquam autem ejus parentes e vita excessissent, non amplius cunctabatur, nec differebat: sed apta accepta occasione, utpote quod nullus esset prohibiturus, ea faciebat quae sibi videbantur, et iis, in quas cadit interitus, divitiis, et quae sunt ad breve tempus divitias commutabat aeternas, convenienter divinae voci Domini quo jubet vendere ea quae habet, et praebere eleemosynam, et hinc parare crumènas quae minime veterascunt.

Dabat vero opes non parce, nec paulatim, sed nec guttatim distillans, sed profuse admodum et large, ambabus, ut dicitur, manibus effundens in ventres pauperum, aut esurientium: idque non semel, aut bis, sed per totam vitam. Ei enim semper aequalis, et cum eo nutrita fuit eleemosyna. Servorum autem greges nolebat amplius apud se manere neque in servos uti arroganter imperio: sed potius libertate, dignabatur ingenue, eis abunde praebens quod ad victum sufficeret. Quid enim ei opus erat servitute hominum, qui se verum et germanum servum Domino consecraverat? Sic itaque in facultates affectus, et quibus temporalibus tanquam vinculis laxatus, erat re vera levis et accinctus, et una quidem tunicâ, uno autem famulo contentus. Deinde Româ relicta hic vir egregius in hanc novam venit Romam, divini, inquam, Constantini civitatem. Atque quaenam quidem eum causa permoverit, nequaquam possum dicere. Sed non sine Dei numine, neque omnino inutiliter versatus est in hac regia civitate: in qua est etiam sacrum ejus corpus repositum, thesaurus sacrosanctus, divitiae quae minime consumuntur, omnium morborum remedium.

§ 3. Hic ergo omni ex parte magnus Samson, cum ad hanc pervenisset civitatem, in quadam parva et humili domo habitabat. In proximi autem cura gerenda assiduus. Nam cum hanc domum benignitatis argumentum et gratuitam fecisset officinam, eos qui morbo premebantur, hospitio excipiebat, et fraterne tractabat: nec solum in eos omni utebatur curâ et diligentiâ, ut volunt leges artis, sed et cibum, et cubile eis impertiebat, convenienter Christi praeceptis, partim quidem artem, partim autem atque adeo magis ostendens gratiam. Ubi enim est artis opus, daemones expellere, et morborum mirabilem efficere curationem? Quae quidem ei facere, non minus quam velle, erat facile. Et (ut semel dicam) alterius quidem aliquid aliud, Samsonis autem hospitalitas et benignitas, et in egentes misericordia, erat adeo propria, ut propèmodum rediret ad necessitatem naturae: sicut Soli quidem illuminare, igni autem urere. Hinc etiam evadit manifestus ei, qui tunc erat Christi Pontifex. Bonitatis enim splendor et decus eos, qui eam exercent, cito propalat. Is autem erat Menas, virtute non obscurus. Et ab illo ordinatur sacerdos, triginta jam annos natus, et pauloplus. Deinde ei etiam evadit manifestus, qui administrabat Imperium. Id autem ex eo accidit:

§ 4. Justinianus quidem erat qui imperabat, cujus et Imperii diuturnum fuit tempus, et vita illustris. Ei morbus incubuit valde gravis, cum ei male affecta essent pudenda, et vesica gravi laboraret ulcere. Atque ille quidem patiebatur, et laborabat, nec dolores ferre poterat. Ei autem erat circumfusum examen medicorum, et circa eum, ut mos est, aderant magno studio disputantes: Quid ergo Imperator? Postquam vidit eos multa

quidem dicere, et magna verba loqui, nihil autem conferre ad curationem, immo vero laedere, et majores dolores afferre, ipse agitabatur quidem doloribus, ferre vero non poterat. Atque omnes quidem medicos ex aequo condemnans ut inutiles, in malam rem abire jussit: ad Deum autem confugit, et ei magno studio adhaeret, et illinc quaerit auxilium. Nonnunquam enim egestas docet, quid nobis sit utile, et efficit, ut discamus, undenam verum veniat auxilium. *Auxilium* enim *meum*, inquit, *a Domino* (*Ps.* 120).

§ **5**. Cum itaque vehementer petiisset, non tarde consequitur, sed ei in somnis ostenditur multitudo medicorum, qui ordine quidem astabant, honesta vero, et quae sacerdotibus conveniebat, erant veste induti. Vidit autem quemdam accedentem Eunuchum, ex auro quidem contexta veste indutum, Praeposito vero amictu similem, qui visus est ostendere unumquemquam ex medicis, quo sit vultu, aetate et habitu: inter quos unum, qui erat specie humilis, canis decorus, vestitu honestus et compositus, et diligentius curare, ut notus esset Imperatori, et efficere, ut sciret qualis esset in omnibus, et dixisse: Hic solus, et nullus ex aliis, tibi potest dare, ut a morte libereris. Postquam autem a somno fuit excitatus Imperator, verum judicans esse somnium (ut crederet enim effecerat qui providerat ut videret, et quae visa fuerant, erat re ipsa confirmatus), impletur quidem gaudio: accersit autem statim medicos. Et illi quidem convenerunt, et se ei omnes coram steterunt. Ille vero unumquemque lustrabat, diligentissime perscrutans, et non minus examinans, quam aurum lapis Lydius, vultumque et figuram, et aetatem, convenienter signis quae erant ostensa per somnia. Postquam autem nullum vidit tale signum in eis qui aderant, dolore afficiebatur, et perplexo erat animo, et erat adhuc sitientior, ut qui non esset promissum assecutus. Hinc acris et vehemens facta est inquisitio, donorumque et maximorum honorum promissiones, quos, virum, qui quaeritur, erat ostensurus, consequenter signis quae viderat Imperator, mox erat accepturus.

§ **6**. Cum autem esset difficilis inventio (celabatur enim, non formam mutans, ut fingunt Proteum, sed quodam divino hoc eveniente consilio, ut tardior ostensio eum redderet magis desiderabilem), vix tandem unus ex medicis Imperatoris, notus quidem Imperatori, magno autem Samsoni familiaris, et qui res illius optime noverat, non virtutis solum, sed etiam gratiae et miraculorum, eum manifestum reddit. Hinc autem ille facile erat conjicere, eum esse, qui illum erat curaturus. Hic ergo ipse magnum illum Samsonem notum reddit Imperatori, et ei tantam conciliat laetitiam, quantam ii, qui laborant morbo corporis, et ab eo cupiunt liberari, soli possunt intelligere. Atque statim quidem venit admirabilis Samson: neque enim inter visum et

auditum intercessit tempus vel brevissimum: tantum ejus videndi Imperatorem ceperat desiderium. Cum vero eum vidisset, ex iis quae noctu visa fuerant, pulchre recognovit ea quae cernebantur interdiu, utpote oculorum mansuetudinem, formae hilaritatem, morum honestatem, barbae squallorem, aspectus tristitiam, et quae eum decebant signa moderationis. Haec cum ille, admirabili accedente Samsone, esset contemplatus, non potuit amplius contineri, sed surgens prae immoderata laetitia, eum, qui specie vilis erat et abjectus, is, qui erat insignis Imperio, amplectitur, et suaviter admodum osculatur, non os solum, sed etiam caput, dicens: Certe, o pater, tu es ipse, qui mihi admirabiliter in somnis apparuisti: Quin etiam te morbum meum pollicitus es curaturum. Haec cum dixisset, statim ingressus est in Regiae penetralia, sanctum illum manu tenens a quo erat assecuturus miraculum.

§ 7. Postquam autem ingressus est Imperator, et eum habuit secum sedentem, nondum eum humane accipiendo satiatus, plura adhuc faciebat. Ejus manus capiens, suis imponebat oculis, et eas cum maxima voluptate deosculans, et in eas distillans lacrymas, laetabatur. Morbi enim, qui eum premebat, necessitas efficiebat, ut homo appareret potius, quam Imperator, et qui humanis flectebatur miseriis, quam qui Imperatoria efferebatur magnificentiâ. Verumenimvero haec magna Imperatoris moderatio et religio gravem sancto injecit molestiam, et perinde acsi ei fieret injuria, et in eum nimia exerceretur modestia, non potuit tenere silentium: sed « ne sic feceris, o Imperator, neque tam demisse et abjecte, acclamabat: nec eo, quod te ipse immodice deficias et dèprimas efficias ut damner arrogantiae. In quo enim sum communibus hominibus superior, qui sum miser, et peccatis obnoxius, et opus habeo magna Christi benignitate et clementiâ? Verum enimvero haec tua fidei abundantia et fervor, est futuri a Christo auxilii certus nuncius, qui est Rex Regum, et potest omnia facere. » Cum sic dixisset, imposuit, manum parti patienti. Et ea quidem suo fungebatur officio: is autem copiâ humilitatis volens celare abundantiam gratiae, quibusdam rebus, quas parti laboranti ex arte imposuit, curationem conabatur adscribere. Sed medicamentum, quod applicabatur, vincebat quae celabatur veritas: et qui in aliis fuerat cognitus rerum effector mirabilium, in hoc quoque fuit cognitus fecisse miraculum. Non multi enim dies praeterierunt, et Imperator fuit omnino liberatus a morbo, et est integram assecutus sanitatem, repletusque est laetitiâ et admiratione, illa quidem propter recuperatam valetudinem, hac autem propterea, quod qui eum sanum fecerat, Deo esset familiaritate conjunctus.

§ 8. Deinde etiam, ut magni Samsonis opportunis donis remuneraret curationem, aurum donavit splendide ac magnifice, et

quaecumque poterant incitare desiderium ejus, qui secundum carnem, inquam, vivit, et non secundum spiritum, ut dicit divinus Apostolus. Illi autem tenuiter et frugaliter vivere, erat bonum per se expetendum, omnibus quidem divitiis beatius, quavis vero gloriâ ad dignitatem excellentius. Imperatoris certe liberalitatem et munificentiam opportunis et validis recusavit excusationibus: « Illa mihi das, *dicens*, o Imperator quae lubenter reliqui propter Christum, ut qui multas possiderem pecunias, et multas haberem possessiones. Quomodo ergo ea accipiam, sine quibus vivere aperte invèni utilius, et a quibus prudenter discessisse, Deo esse conjunctus, dilucide est ostensum? Quod si propter summam tuam benignitatem et humanitatem, vis nobis aliqua in re gratificari, id fiat Deo potius, et ita quod factum fuerit, ad nos quoque transibit. Fiet autem hoc, si prope meam domunculam, quam et ipse habito, et aliquos ex iis qui morbis laborant introducens curo, pro viribus, aegrotantibus domum aptam excitaveris. Hoc enim tibi et clarum nomen pariet, et conciliabit mercedem quae auferri non poterit. » Audivit Imperator, et quod petitum fuerat, lubenter admisit, tanquam donum potius, quam tanquam petitionem. Et statim (tunc enim divinum construebat templum nomine Dei Sophiae) jussit ut id quoque simul aedificaretur prompto et alacri animi studio, et eorum, qui aedificabant, magna multitudine, et omnium impensarum copiâ, ipso quidem suppeditante liberaliter, ex magni vero Samsonis sententia effecto aedificio. Postquam autem pulchre et magnifice fuit aedificatum, et ab ejus fuit nomine denominatum, protinus illi fuit permissum. Et ipse erat divinus ille Samson, cui commissa fuerat domus administratio.

§ 9. Adjicit autem Imperator aliud quoque dignum Imperatoria munificentiâ. Non exiguam enim suorum bonorum partem, et non sine egregio proposito, huic aedi sanctae consecrat, divisam scilicet ex praedis quas admirabilis ille Belisarius ad eum attulerat e terra Assyriorum, quae re vera erant praeclarae et opimae. Deinde domum quoque munit donis possessionum, quae et ad alios ejus sumptus sufficiebant, et ad alimentum medicorum, et eorum quibus erant alia commissa munera. Cum multos autem annos sic transegisset ille beatus in cura gerenda aegrotorum, de quibus omnibus erat instar patris solicitus, et jam ad gravem devenisset senectutem, et corpus imbecillum ei mortem parturiret, parum quidem aegròtat, et quod posset ostendi esse prooemium et occasio mortis. Moritur autem non tristis, neque graviter et aegre ferens decessum, ut solent animae quae corporis et mundi nimio tenentur amore: sed leviter et hilariter, ut qui pulchre sciret, a quo vocaretur, et a qua perturbatione ad quam transiret requiem, et quantae voluptates essent beatam ejus animam excepturae. Ex laboribus enim remunerationes, et

fructus noverat ex seminibus. Atque Deo quidem digna et munda illius anima ad coelestes transit habitationes: sacrum vero et sanctum ejus corpus deponitur honorabiliter in maximo templo Motii martyris, utpote quod magnus ille Samson ex eo diceretur trahere cognationem, non corpore solum, sed multo magis animo et moribus. Quam multis autem clarus fuerit miraculis, qui est in rebus omnibus maxime admirabilis, non in vita solum, sed etiam multo magis post mortem, neque lingua potest dicere, neque auris admittere. Quomodo enim, cujus nec in hodiernum quidem diem constiterunt fluenta miraculorum? Immo vero nec consistent quidem, donec ille idem fuerit, et ejusdem utetur visceribus, pro hominibus apud Deum intercedens. Pauca ergo, si videtur, ad Dei gloriam, et ad eorum, qui audiunt, delectationem, ex iis quae post ejus hinc excessum facta sunt, tractanda sunt oratione.

§ **10**. Et primum quidem quod et multae linguae canunt, et libri ferunt, et omnes credunt, et quod in populari tumultu, qui adversus magnum illum et inter Imperatores clarissimum est excitatus, ut fieret, accidit: quo tempore audacissimorum atque inprimis temerariorum hominum manus, igne accenso, praeclarissimas et ditissimas aedes aggrediuntur. Atque incepit quidem malum a maximo templo Dei Sophiae, quod cum in orbem omnia exedisset, deinde serpens venit usque ad praeclaras aedes divini Samsonis, et tectum arripit celeriter, et fremens ulterius procèdit et existimabatur fore, ut mox tota domus omnino interiret. Quid ergo est postea consecutum? Multae quidem ex adverso in eo movebantur manus gratae et piae, quid non facientes, et quid non molientes ex iis quae possunt fieri ad ignis cohibendum impetum? Sed malum erat inexpugnabile. et omne superabat auxilium. Vincitur tamen et eo fuit potentior cura magni Samsonis. Fuerunt enim, fuerunt qui tunc digni sunt habiti, qui divinum viderent Samsonem per tectum circumcirca cursitantem, et ignem increpantem, et veluti frementem, et admirabiliter ejus impetum retardantem. Cujus quidem aspectu ille veluti obstupefactus retrocessit, et est repressus. Deinde cum tonitru repente erupisset, copiosa quoque affluxit pluvia, quo factum est, ut ignis quidem extingueretur, domus autem conservaretur illaesa praeter tectum.

§ **11**. Adjiciatur aliis magni Samsonis miraculis miraculum quoque Genesii. Nam cum eo quod affert terrorem, habet etiam in se jucunditatem, et est auditu dignissimum. Hic ergo Genesius erat quidem unus ex clero: fuit autem multos annos minister Xenodochii non minus enim quam triginta annorum fuit ejus ministerium. Erat autem in eo admodum socors et negligens. Una itaque nocte accedens sanctus, multas ei plagas inflixit. Cur non, dicens, ea praebes, quibus egent ii qui laborant? Et cur negligenter versaris in hoc tuo ministerio? Haec autem

non in somnis, neque ad nudam solum visionem facta sunt, sed ea res ipsa ostendit. Mane enim mutum quidem erat os Genesio, nigrores autem et livores manifesti in corpore, qui non minus quam lingua, id quod factum fuerat, significabant. Cum itaque quidnam sibi accidisset, rogatus explicare non posset, ei datur charta, et in ea scribit, quomodo se habuissent quae facta fuerant. Tres interim dies praeterierunt, et ille quidem adhuc erat elinguis. Cum haec autem jam audiisset Drungarius, non amplius contineri poterat, sed ad sacram domum statim accedit, cupiens quidem per interrogationem et responsionem audire apertius quae facta fuerant: sed modum non inveniens propter vincula, quibus adhuc erat adstricta lingua ejus qui passus fuerat, rem committit precibus: Sancte Dei, dicens, si scis quanta mea sit in te fides, et quam fuerim in tuo ministerio diligens, concede, ut Genesius, ipsa linguâ, ea quae passus est enunciet. Cum ille sic esset precatus, non fuit fraudatus sua petitione: sed ab ipso rogatus Genesius, primum quidem balbutiebat, exiliterque et intercise loquebatur, et ea dicebat quae minus intelligi poterant. Linguâ autem ei paulatim relaxata, omnia explicat, adjiciens etiam de domo magni Samsonis: propter illam enim magis succensebat, quae, vivente quidem sancto, et in vita adhuc superstite, male se habebat, et nullius erat pretii: cum autem e vita migrasset, et manifesta jam esset ejus sanctitas, oportebat eam omnino honorari, et tanquam domum illius reputari. Quod quidem factum est pie et religiose: mutata enim est in templum, et assecuta est eam, quam par est, venerationem.

§ 12. Conjungatur praecedentibus Georgii quoque miraculum: non est enim leve, nec vulgare, neque contemnendum. Is erat quidem minister monachi cujusdam et sacerdotis, nomine Ephedim. Cum autem hydròpe laboraret, et in sacra magni Samsonis aede esset repositus, omnia quidem repulit quae ei a medicis prius erant ad medelam adhibita, ut a quibus omnibus nihil opis sensisset. Deinde cum aegre ferret, quod tandiu illic decumberet, sacra illa aede relictâ, abit in domini domunculam. Non cessat autem dominus eum monere et hortari, ut revertatur, et in sancti domo adhuc maneat. Cum vero non persuaderet (a verbis enim abstinebat asperioribus propter morbi gravitatem). At oratorium, inquit, saltem ingredere, adoraturus ipsam sancti imaginem. Deinde cum oleum acceperis, et te unxeris, in tuo lecto recumbe. Ille autem fecit quod jussus fuerat. Postquam vero fuit dies, jubebatur quidem a domino adhuc facere similia. Ille autem: Sed ego, inquit, convalui, et Sancti virtute sum puram assecutus sanitatem. Hac enim nocte mihi apparens in somnis sanctus, et meum ventrem tetigit, et dixit mihi: Abi, cum sis sanus: nihil enim mali te vexat amplius. Haec ad fidem faciendam domino non suffecerunt, sed ejus fecit periculum, et

diligenter est scrutatus illius vultum, et ventrem, et pedes, et reliqua membra. Cum vero nullas morbi vidisset reliquias, nec vestigia, Deum laudavit, et sancto egit gratias, cum videret famulum habuisse medicum non mercede conductum, nec fallacem, eumque pristinam recupèrasse valetudinem.

§ **13**. Porro autem Irene quoque erat morbus similis. Erat enim hydrops: isque morbus gravissimus: qui etiam elegantem, et magis admirabilem adeptus est curationem. Atque erat quidem Ireni maritus unus ex iis qui aedi sacrae ministrabant. Propter quem cum decubuisset, a medicis quidem desperarat se posse consequi salutem. Sanctus autem noctu apparens cum quibusdam aliis duobus, cum quibus ut plurimum solebat apparere (eos vero esse dicunt divinos illos, qui sine ulla medentur pecuniâ Cosmam et Damianum), eam primum rogavit Sanctus, quidnam mali pateretur. Illa autem videbatur ostendere: sanctus vero unum eorum alloqui, et dicere: Oportet ejus femori adhibere sectionem. Et ille quidem sic fecit. Ea autem, ut quae dolorem quemdam senserat, e somno est excitata: nihil vero cognovit ex iis quae passa est. Cum autem esset dies, ad eam accedens famula, cum vidisset aquam sub lecto fusam, quod turpiter et indecore se gereret, exprobravit, et quod neque surrexisset, neque ullam vocasset ex ancillis, sed inquinasset et vestes et stragula. Illa autem negabat, dicens, se nihil tale fecisse. Deinde remota tunicâ, cum visa esset sectio, et humor effluens, cognitus quidem fuit medicus: ipsa vero sana extitit, et domum pulchre est reversa.

§ **14**. Hoc est, quod tibi a nobis offertur donum, maxime pater Samson, nescio quidem, an ex tui animi sententia, sed certe pro nostris viribus. Quod quidem benigne et placide accipias, qui es benignissimus: morborumque nostrorum, atque ideo animae potius, quam corporis, bonus sis medicus, dux et custos totius nostrae vitae, Christum reddens mihi propitium. Quem decet omnis gloria, honor et adoratio nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

DE S. IRENAEO

EPISCOPO LUGDUNENSI ET MARTYRE

EX THEODORICO RUINARTIO (*a*) IN ACTIS MARTYRUM SINCERIS

Circa ann. 203 — Nat. Graecus.

§ 1. Ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis Epistolae... subjungit Eusebius, Libro Historiae Cap. IV, alterius Epistolae fragmentum ad Eleutherium Papam, in qua Martyres Lugdunenses IRENAEUM, quem ad eam deferendam destinaverant, non solum suae Ecclesiae *Presbyterum*, sed multo magis ut *aemulatorem testamenti Christi* commendant. Hujus epistolae occasione, paucis de hoc sanctissimo Antistite hic agere visum est. Licet enim diu post supra scriptos Martyres * passum fuisse constet, cum tamen ejus Acta perierint, aut certe hactenus nos lateant, non incongruum fore existimavimus, iis quae de aliis Sanctis Lugdunensibus protulimus, quaedam de eo subjicere, quae ex ipsius scriptis atque ex aliorum veterum testimoniis desumemus, ne tantum Ecclesiae Gallicae lumen sub modio recondi videatur.

§ 2. Jam diximus... Irenaeum in S. Polycarpi Smyrnensis episcopi schola educatum fuisse; idque ex ejusdem Irenaei verbis in epistola ad Florinum... constat. At qua occasione, quove tempore in Gallias ex Asia accesserit, incompertum plane nobis est; nisi quod anno CLXXVII, quo maxime efferbuit Lugduni adversus Christianos persecutio, ejus urbis ecclesiae Presbyter esset, quod ex epistola laudata ad Eleutherium Rom. Pontificem ediscimus. Quin et eum aliquot ante hanc persecutionem annis in ea civitate fuisse conversatum, colligi potest ex eo, quod non solum pro rebus Ecclesiae gerendis Romam missus fuerit, sed etiam quod eum tunc dignum omnes judicaverint qui Pothino Episcopo ** quem persecutio sustulit, in tam impeditis Ecclesiae temporibus substitueretur.

§ 3. In episcopali cathedra constitutus, ministerii sibi a Deo commissi partes egregie adimplevit, Ecclesiam non modo verbis et vitae sanctimoniâ, sed etiam multis praeclare scriptis illustrando. Quo autem animo scriberet, ipsemet aperit in Praefatione libri

(*a*) Apud Rhemos in Galliis ortus Ruinartius anno MDCLVII, adolescentulus Congregationi Benedictinae S. Mauri nomen dedit, et Parisiaco S. Germani de Pratis Monasterio, studiis tunc florentissimo, adscriptus est. Mira supra aetatem ecclesiasticae historiae et litterarum eruditione instructum, socium eum adscivit laborum suorum clarissimus Mabillonius. Plura egregia edidit vel sua vel antiquorum emendata et adnotationibus illustrata; quorum praestantissimum fuit ACTA MARTYRUM SINCERA, eo elaboratum critices judicio ut nil in hoc genere laudabilius invenire sit. Pie obiit annos natus 52.

* Vide Sur. supra p. 35.

** Seu Photino; ibid.

quinti adversus haereses, ubi sic loquitur: « Quoniam et in administratione sermonis positi sumus, et omnimodo elaboramus secundum nostram virtutem, plurima tibi quidem in subsidium praestare adversum contraditiones haereticorum, errantes autem retrahere, et convertere ad Ecclesiam Dei; neophytorum quoque sensum confirmare, ut stabilem custodiant fidem, quam bene custoditam ab Ecclesia acceperunt.» Nihil in his libris omisit, ut arma Catholicis adversus haereticos ministraret. Hinc S. Epiphanius, *haeresi* 31 quae est Valentini, num. 33, de eo sic loquitur: « Optimus ille senex Irenaeus... vir omnino Spiritus Sancti donis instructissimus, tamquam fortis athleta productus a Domino, et coelestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctus, qui sincerae fidei ac scientiae praesidiis, omnia illorum prostravit evertitque mendacia.» Idem opus laudat Hieronymus in epistola ad Magnum oratorem Romanum, cujus ope Patres adversus quoslibet haereticos decertarunt. S. Basilius Magnus ipsius auctoritate, pro asserenda Spiritus Sancti divinitate, usus est, L. de Spiritu S. Cap. 29. Eamdem Augustinus contra Pelagianos adhibuit Libro 1. contra Julianum Cap. 3, ubi Irenaeum *antiquum hominem Dei* appellat. His adjungi possunt Clemens Alexander Cyrillus Jerosolymit., Theodoretus variis in locis, ac precipue in Dialogo 1. qui dicitur *Incommutabilis,* ubi ipsum *lumen Occidentalium Gallorum* dicit. Unde Irenaeum non immerito inter viros sanctitate et praestantià insignes, qui haereses nascentes retuderunt, numerat Tertullianus in libro adversus Valentinianos, eumque ibidem *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* appellat. Et re quidem vera, hunc beatum Antistitem sacras et prophanas scientias optime calluisse, ex ipsius Operum lectione facile quisque advertere potest, quamvis simplicem scribendi modum, et absque omni verborum ornatu se amplexum fuisse dicat in Praefat. ad libros contra haereses.

§ 4. Computari etiam debet inter praecipua antiquitatis ecclesiasticae monumenta, egregia epistola quam idem Irenaeus ad Victorem Papam scripsit, ut eum a consilio quod adversus Asiae Ecclesias, ob controversiam de Paschatis die commotam, animo conceperat, revocaret. Hujus epistolae aliquot fragmenta refert Eusebius Hist. L. quinto, C. 24, quibus in Irenaei elogium subjungit: « Irenaeus quidem nomini suo vere respondens, Εἰρεναῖος quippe graece, latine *pacificum* sonat, nec solo nomine sed etiam vitae instituto ac proposito pacificus, pro Ecclesiarum pone haec monuit et allegavit.» Alias de eodem argumento epistolas ad varios Episcopos ab eo scriptas fuisse testatur idem Eusebius loco laudato; sed illae exciderunt.

§ 5. Istis aliisque multis laboribus perfunctum Irenaeum vitam martyrio glorioso consummasse, non solum recentiores auctores tradunt, sed et ipse Hieronymus in Cap. LXIV Isaiae, ubi

eum *virum Apostolicum Episcopum et Martyrem* dicit. Idem asserit auctor libri Quaestionum et Responsionum ad Orthodoxos, qui inter Opera Justini Martyris vulgatus est, responsione ad quaest. 115. At S. Gregorius Magnus L. IX, Epist. 50, ad Aetherium Lugdunensem episcopum, conqueritur, quod B. Irenaei gesta et scripta, a se diu conquisita, reperire non potuerit. Sed scriptorum optimam partem habemus, Libros scilicet quinque adversus haereses, et aliquot, ut supra dictum est, epistolarum fragmenta apud Eusebium; sed utinam Acta etiam integra et sana haberemus. Eorum quidem fragmentum a se repertum fuisse affirmat Baronius in Notis ad Martyrologium Rom. et in Annalibus Ecclesiast. ad annum 105, n. 28, sed nec ipsum unquam protulit. Ibi refert milites jussu Severi Imperatoris urbem Lugdunum circumdedisse, statimque omnes Christianos qui in ea inventi sunt fuisse obtruncatos, atque inter alios Irenaeum, quem post varios cruciatus occisum, sepelivit Zacharias Presb. Innumeros Martyres cum Irenaeo interfectos fuisse testatur etiam Gregorius Turon. Libro 1. Historiar. num. 29, quem in crypta S. Joannis sepultum fuisse ait L. 1. de Gloria Martyrum, C. 50; quae omnia Ado caeterique Martyrologiorum scriptores inseruere ad diem XXVIII Jun... S. Irenaei martyrium, quantum conjici potest, anno circiter CCIII contigit. Ejus festivitatem rècolunt Graeci die XXIII Aug., cum altero Irenaeo Sirmiensium Episcopo. Acta S. Irenaei Lugdun. quae legebantur in Cod. MS. Cisterciensi, talia non sunt (*ait Ruin.*), ut inter sincera et genuina locum habere debeant.

SS. PLUTARCHI, SERENI, HERACLIDIS, HEROIS VEL HERONICIS

MARTYRIUM

ITEM ALTERIUS SERENI, POTAMIOENAE ETC.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA EUSEBII CAESAREENS. *Lib. 6, Cap. 4*

INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO

Anno 295.

§ 1. Cum egregia Origenes vitae ex sapientiae praeceptis divinitus institutae exempla, his qui ad ipsum observandum oculos adjiciebant, proposuisset, merito quidem complures ex discipulis ad simile vitae genus libenter amplexandum provocavit: ut

jam etiam ex infidelium numero viri non plebeji, sed praestantes cum in omni genere literarum, tum in philosophia, vel maxime ad ejus disciplinam cupide raperentur. Qui quidem cum ejus sedulitate fidem et certam in verbo Dei persuasionem interiore mentis suae recessu ingenue sincereque hausissent, in illo persecutionis tempore praeclare se admodum et constanter gesserunt: unde nonnulli eorum capti, beato martyrio finem vivendi gloriose fecerunt. Ex quorum numero primus erat Plutarchus, de quo paulo ante mentionem feci: quo ad mortem abducto, parum aberat, quin iste, de quo sermo instituitur, Origènes, dum illi in extremo jam vitae suae exitu adesset, a Plutarchi civibus (quippe causam mortis Plutarchi in eum transferebant) jam denuo interfectus fuisset. Caeterum perspicax Dei providentia illum etiam eo tempore e periculo eripuit. Post Plutarchum secundus ex Origenis discipulis martyr fuit Serenus: cujus in Christum fides, quam animo imbiberat, ignis incendio satis explorate probata fuit. Heraclides, tertius martyr et quartus Heronex, eàdem schola profecti, quorum uterque, prior, dum adhuc catechumenus erat, posterior ante nuper jam baptizatus, securi percussus fuit. Praeterea ex eodem ludo alius a primo Serenus, quintus athleta, pro pietatis defensione quam susceperat, pleno ore laudatur: cui post ingentem tormentorum perpessionem, fama est, caput cervicibus abscissum esse.

§ 2. Ex mulierum numero quae erant ejus disciplinâ institutae, Rhais adhuc catechumena, baptismum, ut ipse Origènes quodam in loco ait, per ignem consecuta, excessit e vita. Septimus inter istos numeratur Basilides, qui Potamioenam, multorum commendatione insignem, ad supplicium deduxit, de qua frequens et celebris sermo apud cives suos jam habetur: utpote quae cum infinitas prope pugnas pro corporis pudicitia et virginitate, qua prae caeteris excellebat, contra insanos amatorum suorum impetus (in ea enim praeter animi virtutes eximia praeterea et integra corporis pulchritudo cum mira venustate elucebat) constanter sustinuit: tum multiplices et graves aerumnas pro fide in Christum exhauriens, ad extremum post tormenta acerba dictuque horrenda, una cum matre Marcella ignis incendiis absumpta, mortem oppetiit. Ferunt quidem Aquilam (hoc enim Judicis nomen fuit) postquam graves universo illius corpori plagas inflixisset, tandem ad corporis ignominiam et contumeliam libidinosissimis gladiatoribus illam se traditurum interminatum: illam autem paulisper intra se meditatam, cum rogaretur, quid sentiret, ejusmodi responsum dedisse, unde visa est illis aliquid impietatis (sic enim putabatur) manifesto elocuta. Atque evestigio, post definitivam de ea latam sententiam, Basilides unus ex satellitibus, eam acceptam ad locum supplicii deduxit. Simulatque autem multitudo ei molestiam facessere, et verborum petulantiâ insectari

conabatur, hic eos, qui contumeliam ei faciebant, repulsos coërcuit, et maximam clementiam summamque humanitatem in eam declaravit. Illa vero hominem pro illius erga se commiseratione vehementer amplexata, bono animo esse hortatur, nam ait se, simulac abiret e vita, a Domino suo veniam et gratiam pro eo efflagitaturam, et non diu post, ejus in se merita justa remuneratione compensaturam. Haec cum dixisset, pice ferventi per varia et diversa corporis membra ab imis pedibus usque ad capitis verticem sensim ac pedetentim diffusa, generoso et excelso animo migravit e vita. Tale certamen ab hac percelebri et gloriosa virgine confectum fuit.

§ **3**. Non longo temporis intervallo interposito, Basilides, cum satellites socii sui certa de causa jusjurandum ab ipso exigerent, asseveranter affirmat, omnino sibi non licere jurare: Christianum enim se esse, et hoc se pròpalam fateri. At illi primo eum etiamnum jocari putabant. Verum ubi illud constanter asserit, abducitur ad Judicem, et coram illo intentionem confessus, in vincula conjicitur. Cum fratres in Domino ad eum adventarent, causamque repentinae et admirabilis hujus mutationis sciscitarentur, fertur respondisse, Potamioenam triduo post martyrium noctu ei assistentem, coronam ipsius capiti imposuisse, dixisseque se pro eo gratiam a Domino postulasse, postulatam obtinuisse: et Dominum, non longo tempore post, eum ad suam gloriam recepturum. Post illa, ubi fratres sigillum in Domino ei impertiverant, postero die securi percussus, praeclara martyrii coronâ donatus est. Alii item complures Alexandriae eisdem temporibus, utpote quibus Potamioena secundum quietem apparuisset, eosque fuisset impense ad Dei verbum amplexandam cohortata, frequentes ad fidem Christi accessisse commemorantur.

DE S. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS

CONGRESSIONE CUM SIMONE MAGO

ET MARTYRIO

PER EGESIPPUM *De Excidio Jerosolym., L. III, C. 2.*

Anno 67.

§ **1**. Erant Neronis temporibus Romae Petrus et Paulus doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio: qui virtute suorum operum Imperatorem adversum fecerant, captum magi Simonis delinimentis, qui sibi animum ejus conciliaverat. Cui adjumentum victoriae, subjectiones gentium, vitae longaevitatem,

salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur, atque ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiae locum: quandoquidem etiam praesulem suae salutis, vitaeque custodem arbitrabatur. Sed ubi Petrus ejus vanitates et flagitia detexit, et species illum rerum mentiri, non solidum aliquid aut verum efficere demonstravit, ludibrio habitus, et digno est consumptus moerore. Et quamvis in aliis terrarum partibus Petri esset expertus potentiam, tamen praeveniens Romam, ausus est jactare, quod mortuos resuscitaret *.

§ 2. Defunctus erat id temporis Romae adolescens nobilis, propinquus Caesaris, cum universorum dolore. Admonuere plerique experiendum, utrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: sed apud gentiles nulla facti hujusmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium: perrectum est ad Petrum. Fuere qui etiam Simonem accersendum putarent: uterque affuerunt. Ait Petrus Simoni, qui se de sua jactaret potentia, priores sese partes dare: ut si posset, mortuum resuscitaret. Si ille non resuscitaret, se non defuturum, ut Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon, qui putaret apud urbem gentilium plurimum suas valituras artes, conditionem proposuit, ut si ipse resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui magnae potentiae (sic enim appellabatur) lacessendo injurias irrogavisset: sin vero praevaluisset Petrus, in Simonem pari genere vindicaretur. Acquievit Petrus, adorsus est Simon: accessit ad lectulum defuncti, incantare atque immurmurare dira carmina ut coepit, visus est caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quod jam viveret, quod loqueretur cum Simone. Ira et indignatio in Petrum, quod ausus esset conferre sese tantae potestati. Sanctus Apostolus poposcit silentium, et dixit: « Si vivit defunctus, loquatur: si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur. » Phantasma illud esse, non veritatem, quod videatur caput movisse. Denique separetur, inquit, Simon a lectulo, et tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon a lectulo, manet sine specie motus alicujus qui mortuus erat. Adstitit Petrus longius, et intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: Adolescens, surge: sanet te dominus Jesus. Et statim surrexit adolescens, et locutus est, ambulavit, et cibum sumpsit: et dedit eum Petrus matri suae. Qui eum rogaretur, ut ab eo non discederet, ait: « Non derelinquetur ab eo qui eum fecit resurgere, cujus nos servi sumus. Secura esto mater de filio, non verearis: habet custodem suum. » Et cum populus in Simonem insurgeret, ut lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad poenam ejus, quod cognoscit suas artes nihil valere: vivat, et Christi regnum crescere videat vel invitus.

§ 3. Torquebatur Magus Apostoli gloriâ: collegit sese, atque

* Vide et infra in Commentario Auct. Metaphraste, pagg. 634 et seqq.

omnem excitans carminum suorum potentiam, congregat populum, offensumque se dicit a Galilaeis: relicturum se Urbem, quam tuèri solèret. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus veheretur: cui, quando vellet, coelum patèret. Conscendit statuto die montem Capitolinum, ac se de rupe dejiciens, volare coepit. Mirari populus, et venerari plerique, dicentes Dei esse potentiam, non hominis, qui cum corpore volitaret: nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait: « Jesu Domine, ostende ei vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste, qui crediturus est, decipiatur. Decidat Domine, sic tamen, ut nihil se potuisse vivens recognoscat. » Et statim in voce Petri implicatis remigiis alarum quas sumpserat, corruit: nec exanimatus est, sed fracto debilitatoque crure, Aritiam concessit, atque ibi mortuus est.

§ 4. Quo comperto, deceptum se Nero et destitutum, dolens tanti casum amici, sublatumque sibi virum utilem et necessarium Reipublicae, indignatus, quaerere coepit causas, quibus Petrum occideret. Et jam tempus aderat, quo sancti vocarentur Apostoli Petrus et Paulus. Denique dato ut comprehenderetur praecepto, rogabatur Petrus, ut sese alio conferret. Resistebat ille, dicens, nequaquam se facturum, ut tanquam metu mortis territus cederet: bonum esse pro Christo pati: qui pro omnibus se morti obtulisset: non mortem illam, sed immortalitatem futuram: tanquam indignum, ut ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos doctrinâ sua compulerit se hostias pro Christo offerre, deberi sibi secundum Domini vocem, ut et ipse in passione sua Christo gloriam atque honorem daret. Haec et alia Petrus obtexere, sed plebs lacrymans quaerens ne se relinqueret, et fluctuantem inter procellas gentilium destitueret: victus fletibus Petrus, cessit: promisit se Urbe egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus et celebrata oratione, proficisci solus coepit. Ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, et adorans eum dixit: Domine, quo vadis? Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quod ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non utique corporis dolore, sed quadam misericordiae compassione, aut gloriae celebritate. Et conversus, in Urbem rediit, captusque a persecutoribus cruci adjudicatus, poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur, quod indignus esset, qui simili modo crucifigeretur ut passus est Dei Filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, ut Christus praedixerat, vel quia persecutor non invitus indulget poenarum incrementa, et ipse Paulus, alter cruce, alter gladio necatus est.

EJUSDEM S. PETRI VITA

PER D. HIERONYMUM SCRIPTA

Lib. 70 De Viris illustribus.

§ 1. Simon Petrus filius Joannis, provinciae Galilaeae, vico Bethsaida, frater Andreae Apostoli, et princeps Apostolorum, post episcopatum Antiochensis Ecclesiae, et praedicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinque annis cathedram sacerdotalem tenuit (*a*), usque ad ultimum annum Neronis, id est, decimumquartum *. A quo et affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis: asserens se indignum, ut sic crucifigeretur, ut Dominus suus.

§ 2. Scripsit duas epistolas quae Catholicae nominantur, quarum secunda a plerisque ejus esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed et Evangelium juxta Marcum, qui auditor ejus et interpres fuit, hujus dicitur. Libri autem ejus, e quibus unus Actorum ejus inscribitur, alius Evangelii, tertius Praedicationis, quartus Apocalypsis, quintus Judicii, inter apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romae in Vaticano, juxta viam triumphalem, totius Urbis veneratione celebratur.

VITA SANCTI PAULI APOSTOLI

PER D. HIERONYMUM SCRIPTA

Lib. De Viris illustribus.

§ 1. Paulus Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Benjamin et oppido Judaeae Giscalis fuit **. Quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciae commigravit, a quibus ob studia legis missus Jerosolymam, a Gamaliele viro doctissimo, cujus Lucas meminit, eruditus est. Cum autem interfuisset neci martyris Stephani, et acceptis

(*a*) Ut praesto habeatur quid scite respondendum iis qui impio stultoque ausu obsoletos de S. Petri adventu in Urbem et diuturno ejusdem Romano Pontificatu errores praetendunt, magni momenti et summae auctoritatis Opusculum commendare juvat quod inscribitur: DE BEATISS. PETRI... PRIMATU, ROM. ITINERE ET EPISCOPATU... DISSERTATIONES, etc.; Romae, MDCCCLXXII, ex Typograph. Polyglotta S. C. de Propag Fide.

* Extremum intellige annum quem Nero in imperio complevit, scilicet aerae Christi 67; anno namque sequenti nondum medio mortem ipse sibi immanis turpissimusque tyrannus conscivit.

** *Lege*: Tarsi in Cilicia natus est, quo, capta a Romanis patriâ, parentes ejus commigraverant; a quibus etc... *(Baronius ad ann. 36)*.

a pontifice templi epistolis, ad persequendos eos qui Christo crediderant, Damascum pergeret, revelatione compulsus ad fidem quae in Actibus Apostolorum scribitur, in Vas electionis de persecutore translatus est. Cumque primum ad praedicationem ejus Sergius Paulus proconsul Cypri credidisset, ab eo, quod eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen, Paulus: et juncto sibi Barnaba, multis urbibus peragratis, revertensque Jerosolymam, a Petro Jacoboque et Joanne, Gentium Apostolus ordinatus.

§ 2. Et quia in Actibus Apostolorum plenissime de ejus conversatione scriptum est, hoc tantum dicam, quod post passionem Domini vigesimoquinto anno, id est, secundo Neronis, eo tempore, quo Festus procurator Judaeae successit Felici, Romam vinctus mittitur, et biennium in libera manens custodia, adversus Judaeos de adventu Christi quotidie disputavit. Sciendum autem in prima satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiae, Paulum a Nerone dimissum, ut Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus praedicaret: sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum, eo tempore, quo et passus est, de vinculis dictans epistolam: « In prima mea satisfactione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non eis imputetur. Dominus autem mihi affuit, et confortavit me, ut per me praedicatio compleretur, et audirent omnes gentes: et liberatus sum de ore leonis. » Manifestissime leonem propter crudelitatem Neronem significans. Et « Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvavit me in regnum suum coeleste,» quod scilicet praesens sibi sentiret imminere martyrium; *Ego* enim *jam immolor*, praemiserat, *et tempus resolutionis meae instat.*

§ 3. Hic ergo quartodecimo Neronis anno, eodem die, quo Petrus, Romae pro Christo capite truncatus, sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini trigesimo septimo. Scripsit autem novem ad septem ecclesias epistolas: ad Romanos unam, Ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas: praeterea ad discipulos suos, Timòtheo duas, Tito unam, Philemoni unam. Epistola autem quae fertur ad Hebraeos, non ejus creditur, propter styli sermonisque distantiam: sed vel Barnabae, juxta Tertullianum: vel Lucae evangelistae juxta quosdam: vel Clementis, Romanae postea Ecclesiae Episcopi, quem ajunt ipsi adjunctum, sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone. Vel certe quia Paulus scribebat ad Hebraeos, et propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputaverat: scripserat ut Hebraeus Hebraeis Hebraice, id est, suo eloquio disertissime, ut ea quae eloquenter scripta fuerant in Hebraeo, eloquentius verterentur in Graecum: et hanc causam esse, quod a caeteris Pauli epistolis, discrepare videatur.

DE SS. APOST. PETRO ET PAULO

EX EUSEBII CAESAREENS. *Ecclesiast. Hist. lib. 2, cap. 23.*

INTERPRETE IOANNE CHRISTOPHORSONO.

§ 1. Nero igitur, qui hoc pacto infestissimus Dei hostis primus praedicatus fuit, ad Apostolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proinde Romae, eo regnante, securi percussum, et Petrum etiam suffixum cruci, historiarum monimentis proditum est. Quinetiam insignis ac testata Petri et Pauli inscriptio quae in coemeteriis Romae ad hoc usque tempus manet, hujus rei gestae fidem facit. Atque haec ita se habere, confirmat itidem vir Ecclesiasticus. Cajus nomine, qui Zephyrini Pontificis Romani temporibus vixit, inque disputatione scriptis prodita, quam cum Proclo, Cataphrygum haeresis, et opinionis patrono habuit, eadem ipsa de locis, ubi sacra Apostolorum, quos supra citavimus, tabernacula locabantur, asserit: Ego, inquit, Apostolorum trophaea perspicue possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam quae Ostiensis dicitur, te conferre, trophaea eorum, qui istam Ecclesiam suo sermone et virtute stabiliverunt, invenies.

§ 2. Porro Dionysius Corinthiorum Episcopus illos ambos martyrium eodem tempore pertulisse, sic ad Romanos scribens commemorat. Petrum et Paulum, qui Romanos et Corinthios primum in Ecclesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam admonitione impulsi, in unum locum conclusistis. Nam ambo, cum et nostram Corinthi, et vestram Romae Ecclesiam fundassent, et ejusdem doctrinae praeceptis, tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subierunt. Atque ista hoc loco intexuimus, quo rei gestae major certiorque adjungatur fides.

COMMENTARIUS

QUI TRACTAT SINGULATIM CERTAMINA, LABORES

ET PEREGRINATIONES ET CONSUMMATIONES

SS. ET PRINCIPUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

EX SIMEONE METAPHRASTE.

§ 1. Non eos solum, qui fuere ab initio patres artium admittimus, et eorum favemus laboribus, sed etiam, si quid aliud postea inventum est a posteris, id fovemus et amplectimur. Quinetiam istos, ob id maxime laudamus, et eorum honorificam

facimus mentionem, quod quae sparsim ei singulatim ab aliis inventa sunt, ii conjungentes et concinnantes, in unum corpus redegerunt, et ei formam dederunt, et artes posteris perfectas reliquerunt. Nos quoque eos frequentes, ut fidelium satisfaciamus desiderio, tanquam informem materiam, ea quae de summis Apostolorum Petro et Paulo, hic et illic decantantur, tractantes, eis formam tribuimus, corpusque articulis expressum efficimus. Quoniam ergo hoc est nobis institutum, et ad res tantas nostrum studium conferimus, incipiendum est dicere, undenam primis Christi discipulorum fuerit ad vitam ingressus.

§ 2. Petrus ergo (ut illius primum faciam mentionem, cujus primae fidei commissa fuit cura Ecclesiae) fuit quidem genere Hebraeus: Palaestinae autem regionem habitabat Galilaeam. Patria vero ei fuit Bethsaida, quoddam parvum et vile oppidulum, ejusdem tribus et patriae, cujus ii, qui de Simeone gloriantur Patriarcha. Pater autem erat Jonas, non is, qui redditus fuit a ventre balenae, sed qui ex spiritali monstro, multos liberavit per filium. Fuit autem in diebus Hyrcani cui aures unâ cum Regno ablatae sunt a fratre. Non is vero solus natus est patri, sed cum eo quoque erat frater Andreas. Cum autem accepisset Petrus filiam Aristobuli fratris Barnabae Apostoli, ex ea genuit filium unum, et unam filiam. Et Andreas quidem qui vitam a negotio remotam, et conjugis expertem agebat, fit Joannis Praecursoris discipulus, qui Baptismum praedicabat ad poenitentiam. A quo cum audiisset illud, *Ecce agnus Dei*, dum Servatorem Christum digito indicavit, relicto Baptista Joanne, secutus est Jesum. Magnus autem ille Petrus, cum esset acerrimus et diligentissimus, magis versabatur in iis quae ad victum comparandum pertinent, ut qui et cum uxore habitabat, et senis patris provideret senectuti. Cum eum autem aliquando otiosum invenisset Andreas, adduxit ad Christum. Ille vero eum admisit, et Petrum vocavit, ejus mentis soliditatem per nomen significans.

§ 3. Postquam autem fuit relatus in numerum discipulorum, apparet statim vir probus, et fervens spiritu. Quocirca regni coelestis claves ei creduntur: super mare perinde ac incorporeus, propriis pedibus ingreditur: Domini Transfigurationis spectator efficitur: Patris vocem suis audit auribus: in eos qui peccant, docetur esse patiens: et universi orbis terrae cura ei committitur. Sed haec quidem, et his plura fusius tractans sacer liber Evangeliorum, ipsas quoque rerum causas nobis declarat.

§ 4. Cum jam autem magnus Deus et Salvator noster Jesus Christus per voluntariam et salutarem suam passionem, abolevisset diabolum qui mortis tenebat imperium, et mortis vincula perfregisset, et tertio die resurrexisset, hic Petrus princeps Apostolorum, cum esset magistri ditatus praesidentiâ, os efficitur reliquorum Apostolorum, vel, ut magis proprie dicam, magister.

Et cum deinde duodenarium quidem numerum Apostolorum in alterius locum substituto Matthia, supplevisset: plurimas autem conciones Judaeis, qui in Sancti Spiritus effusione aderant, et propterea stupebant, quod aliis linguis Dei magnalia annuntiarent, effudisset, et aliis orationibus eis tulisset testimonium, tria millia statim ad fidem in Christum evocavit. Et cum eum, qui erat ab ortu claudus, in speciosa templi porta, una cum Joanne Evangelista curasset: et rursus eos, qui erant congregati, arguendo instituisset, et ad salutem invitasset: et verum Deum esse Dominum nostrum Jesum Christum ex Mose et Prophetis evidenter ostendisset, non solum miraculi magnitudine, sed orationis quoque vehementiâ omnes obstupefecit, et ad fidem in Christum attraxit, et decies mille virorum Ecclesiam constituit Jerosolymis. Ananiam autem et Sappliiram ejus uxorem, qui novam quamdam fecerant usurpationem, sibi, inquam, tanquam propria usurpantes quae Deo consecraverant, gravi reprehensione statim vitâ privavit. Umbraque ejus non solum varios morbos expulit ab hominibus, sed mortuos etiam excitavit. Liddae paralyticum Aeneam verbo curavit. Joppae pauperum amantem Dorcadem mortuam excitavit. Caesareae Centurionem Cornelium, qui erat gentilis, ad fidem in Christum evocavit cum tota familia, et Spiritu Sancto implevit per baptismum. Quinetiam fidei portam gentibus aperuit per eam quae illi apparuit vasis linei visionem, in quo erant omnes bestiae terrae, et vocem quae de coelo una cum vase est delata, et eum est adhortata, ut surgens sacrificaret et comederet, nihil eorum esse commune existimans. Ab Herode autem, qui etiam dictus est Agrippa, duabus catenis vinctus, et in carcerem conjectus, cum diligenter custodiretur a quatuor quaternionibus militum, a divino Angelo liberatur a vinculis, et a carcere, ei portis sua sponte apertis. Propter Simonem autem sceleratum illum Magum, obit omnes civitates Coelesyriae, et praeterea Pontum et Asiam atque etiam Galatiam. Et cum in eis seminasset verbum fidei, ad ipsam usque Romam pervenit.

§ **5**. Ut eas autem cursim persequamur, hae sunt: Cum ab Jerusalem venisset Caesaream Stratonis, et ex iis, qui ipsum sequebantur, presbyteris Episcopum ei constituisset, venit Sidonem. Ubi cum multos curasset, et Episcopum constituisset, venit Berytum. In qua etiam cum ex iis qui sequebantur, unum ordinasset Episcopum venit Byblum. Deinde Tripolim: et apud Marsonem virum quemdam prudentem diversatur. Quem cum fidelibus, qui erant Tripoli Phoeniciae, Episcopum constituisset, venit Orthosiam. Deinde Antardum. Deinde in insula quae dicitur Atadus. Deinde Balanaeas: et illinc Panta. Deinde Laodiceam: in qua cum multos qui morbis laborabant, et vexabantur a daemonibus, curasset, Ecclesiamque congregasset, et Episcopum constituisset, venit Antiochiam Syriae civitatem. Quo in loco Simon

quidem magus, eos, qui ad eum quaerendum ab Imperatore missi fuerant, declinans, constituit fugere in civitates Judaeae. Petrus autem Domini Apostolus, cum simulac esset ingressus, multasque Antiochiae fecisset curationes, et unum Deum in tribus personis, iis qui erant congregati, feliciter annunciasset, et Episcopos ordinasset, Martianum quidem Syracusis in Sicilia, Pancratium autem Tauromenii, venit Tyanen Cappadociae, et illinc Ancyram Galatiae. In qua cum precatione suscitasset mortuum, multosque catechèsi instituisset, et baptizasset, et Ecclesiam constituisset, et Episcopum ordinasset, venit Sinope Ponti civitatem. Deinde Amaseam quae est in mediterraneis Ponti. Deinde Gangram Paphlagonum. Deinde Claudiopolim Honoriadis. Deinde Nicomediam Bithyniae. Deinde Niceam. Deinde cum festinaret ascendere Jerosolyma propter Paschae festum, revertens venit Pisinuntem. Deinde per Cappadociam et Syriam, rursus venit Antiochiam. Et illinc profectus, venit Jerusalem.

§ 6. Quo in loco, cum jam tertius annus praeteriisset a vocatione magni Pauli, ab ipso Paulo visitur, sicut ille ipse dicit: « Post tres annos ascendi Jerosolymam ad videndum Petrum, et mansi apud eum dies quindecim. » In quibus cum Canones et Ecclesiasticas constitutiones exposuissent, beatus quidem Paulus profectus est ad opus ad quod vocatus fuerat. Magnus autem Petrus rursus reversus est Antiochiam. Ubi cum Evodium constituisset Episcopum, venit Synadem Phrygiae civitatem. Deinde Nicomediam. In qua cum Pròchorum ordinasset Episcopum, venit Ilium civitatem Hellesponti. Quo in loco cum Centurionem Cornelium constituisset Episcopum, reversus est Jerusalem. Visus est autem ei Dominus in visione, dicens: Surge Petre, vade ad Occidentem: opus enim habet, ut tuis illustretur facibus: et ego ero tecum. Simon autem paulo ante captus ab iis, qui eum quaerebant, ut prius diximus, Romam ducitur, ut luat poenas eorum quae perpetraverat. In qua cum fuisset, et arte sua magica multos mente movisset et decepisset, non solum non dedit poenas, sed etiam a multis deus fuit existimatus. Romanos enim praecursor ille satanae sua Magiâ in tantam adduxit admirationem, quinetiam ipsum quoque Claudium: ut ei posita statuâ inter duos pontes in Tiberi inscriberent: Simoni deo sancto. Et haec quidem Justinus et Irenaeus fusius persequuntur. Nos autem pergemus coeptam persequi narrationem.

§ 7. Cum ergo quae visa fuerant magnus Petrus annunciasset fratribus, et vale eis dixisset, rursus venit Antiochiam visitans Ecclesias. Quo in loco cum magnum invenisset Paulum, certo quodam consilio ab eo arguitur *. Deinde cum Tarsi Urbanum constituisset Episcopum, et Epaphroditum Andriacae Lyciae, et

* Vide hac de re Epist. Pauli Apost. ad Galates cap. II, vv. ab 11 ad 14; Augustinum Epist. 82 ad Hieron. et Hieronymum adv. Pelagianos L. 1.

Phygellum Ephesi, quem ajunt a recta via divertisse, et cum Simone sensisse, et Smyrnae Apellem, qui erat frater Polycarpi, venit in Macedoniam. Cum Philippis autem Olympum Episcopum constituisset, et Thessalonicae Jàsonem, et Corinthi Silan, cum enim illic invenisset apud magnum Paulum permanentem, et Patris Herodionem, navigavit in Siciliam. Et cum venisset Tauromenium, diversatur apud Pancratium virum sapientissimum. Quo in loco cum quemdam Maximum catechesi instituisset, et baptizasset, et Episcopum ordinasset, Romam appellit. In qua cum quotidie synaxes celebraret, et unum Deum Patrem omnipotentem, et unum Dominum Jesum Christum filium verum de Deo vero, et unum Spiritum Sanctum Dominum et vivificum, in synagogis et domi doceret, attraxit multos ad fidem in Christum, et per sanctum baptisma liberavit ab errore idolorum: adeo ut brevi tempore ad sanctum baptismum omnes fere accurrerint, et Deo per Apostoli doctrinam crediderint.

§ 8. Haec videns Simon, non satis duxit tacere, et suam celare improbitatem: sed gloriâ et existimatione se superatum esse arbitratus, si sineret Apostolum, totis viribus, iis qui Romae erant, veritatem annunciare, audacter simul et indocte coepit libere loqui in media civitate, et imperite aggressus est ei contradicere. Ubi et umbras quasdam eum sequi et praecedere: quas dicebat esse animas mortuorum, et mortuos suscitatos, et ei, tanquam deo, honorem tribuentes, claudosque recte ingredi et saltare ostendebat: seque instar fabulosi illius Pròtei in varias formas mutans, ostendebat aliquando quidem duas habentem facies: deinde autem, parvo interjecto spatio, transformabatur in capram, et serpentem, et vòlucrem, et qualem par est eum videri, qui a ratione alienis servit cupiditatibus: et igni saepe assimilabatur: et simpliciores omnibus modis non cessabat decipere. Ille autem magnus Domini Apostolus, si solummodo cernebatur, omnes ejus machinationes facilime dissolvebat, et in nihilum resolvebat.

§ 9. Cum multae ergo (ut est consentaneum) inter eos fuissent utrinque controversiae, et disputationes: nesciret autem Simon, quidnam amplius ageret, aram quamdam lauro coronatus ascendit. Ex qua turbas primum iracunde alloquens: Quoniam, inquit, adeo insipientes fuistis, o Romani, ut me quidem relinqueretis, Petrum vero sequeremini, ecce in conspectu vestro mandabo Angelis meis, et me tollent in manibus, et ad Patrem meum ascendam in coelum, et illinc vos extremo afficiam supplicio: ut qui non in iis, quae vobis dixi, perstiteritis. Haec cum dixisset, plaudens deinde manibus, per aërem missus coepit volare, quibusdam umbris, vel malis potius daemonibus, eum impellentibus et portantibus. Magnus autem ille Apostolus Petrus cum se parum retinuisset, audientibus omnibus, coepit dicere: « Domine Jesu Christe, qui es Deus meus, ne sinas eum implere quod

proposuit, ne immittat petram scandali, et lapidem offensionis malignus in eos qui in te crediderunt.» Et sublatis ad Simonem oculis, clara voce clamavit: « Vobis satanae ministris praecipio, ne eum portetis, sed eum dimittatis in eo loco, in quo nunc est.» Statimque, cum quae circa ipsum apparebant, umbrae recessissent, et in nihilum resolutae essent, Simon lapsus ab aëre, ad terram fertur casu misero et miserabili, et contrito toto infelici corpore, secundo post die miseram emittit animam, acribus cruciatus doloribus. Cum hoc autem factum esset, et turba multis horis clamaret: Magnus est Deus qui nobis a Petro praedicatur: Petrus cum altum quoddam sedile ascendisset, manumque movisset, et turbis praecepisset silentium, postquam ex Mose et Prophetis Dominum nostrum Jesum Christum Deum ante secula annunciasset, et plurimos daemones fugasset ab hominibus, et morbos curasset varios, eos dimisit.

§ **10**. Cum autem non diu mansisset apud Romanos, et sancto baptismo multos regenerasset, et Ecclesiam constituisset, et Linum Episcopum ordinasset, venit Tarracinam. In qua cum Epaphroditum ordinasset Episcopum, venit Sirmium civitatem Hispaniae. Quo in loco cum Epaenetum constituisset Episcopum, devenit Carthaginem civitatem Africae. In qua cum Crescentem ordinasset Episcopum, venit in Aegyptum. Et cum Thebis, quae septem habent portas, Ruffum, Alexandriae autem Marcum Evangelistam, eorum qui se in disciplinam tradiderant, Episcopatui praefecisset, rursus venit Jerosolyma ex revelatione, propter Deiparae Mariae migrationem. Deinde reversus in Aegyptum, per Africam rursus Romam rediit. Ex qua venit Mediolanum, et Photicen, quae sunt civitates in continente. In quibus cum constituisset Episcopos et presbyteros, venit in Britanniam. Quo in loco cum longo tempore fuisset moratus, et multas gentes non nominatas attraxisset ad fidem Christi, Angelicam aspexit visionem, quae dicebat: Petre, instat tempus tuae resolutionis, et oportet te ire Romam: in qua cum mortem per crucem sustinueris recipies mercedem justitiae. Cum ergo propterea Deum glorificasset et egisset gratias, et apud Britannos mansisset dies aliquot, et verbo gratiae multos illuminasset, et Ecclesias constituisset, Episcoposque et presbyteros, et diaconos ordinasset, duodecimo anno Caesaris Neronis rursus Romam revertitur.

§ **11**. Quo in loco cum Linum invenisset consummatum (*a*), ejus loco ordinavit Clementem recusantem et non admittentem eam curationem. Cui cum ad id accommodatis verbis persuasisset, et ut bono esset animo, fuisset hortatus, eum provehit ad cathedram. Tunc multi quidem illustres prompto et alacri animo fidei obediebant: multae autem nobiles foeminae addebantur iis

(*a*) Ordo Chronologicus in tota hac Dissertatione est et confusus et graviter turbatus. Linus, ex. gr., tribus mensibus post Petrum supervixit et Pontificatum tenuit; eique Clemens immed. successit.

qui salvi fiebant. Cum vero duae foeminae Imperatoris, quae plus quam aliae ab eo diligebantur, fidei accessissent, et pudice vivere statuissent, quoniam erat libidinosissimus Nero et impudicissimus, furebat adversus omnem Ecclesiam, maxime autem Petrum principem Apostolorum, ut qui fuisset causa pudicitiae ejus foeminarum quae crediderant in Dominum. Quamobrem cum irâ supra modum efferbuisset, capitis pronunciat sententiam adversus omnes qui in Christum sperassent. Cum itaque milites omnes protinus comprehendissent, eos deducunt ad locum damnatorum: et Clementi quidem parcunt, ut qui esset cognatus Caesaris: Herodionem autem et Olympam, una cum magna multitudine gladio subjiciunt: Petrum vero illum magnum Domini Apostolorum inversum Cruci affigunt. Quamobrem cum ex clavis dolores, similiter atque Christus Deus noster, ipse quoque sustinuisset, puram et immaculatam suam animam in manus Dei deponit. Clemens autem ejus discipulus et Episcopus, cum maxime venerandum et sanctum ejus corpus magnifice composuisset ad sepeliendum, in loco insigni deposuit. Sed de vita quidem et praedicatione, et fine magni Apostolorum Petri, hucusque sit a nobis dictum breviter. Necesse est autem de claro quoque et beato Apostolo Paulo, quomodo poterimus, dicere.

§ **12**. Magnus ergo et beatus Domini Apostolus Paulus, erat ipse quoque Hebraeus quidem genere, ex tribu autem Benjamin, claris natus parentibus, haeresi Pharisaeus, ascribens sibi patriam Tarsum civitatem Ciliciae sub praeceptore Gamaliele, in lege Mosis insigniter eruditus, ardens morum paternorum aemulator, qui a pueritia Romanus vocabatur Saulus. Persequebatur autem et populabatur Dei Ecclesiam per ignorantiam. Quamobrem ei grata erat interfectio Stephani primi Martyris, ut qui omnium, qui lapides in eum jacebant, susceperit vestes custodiendas, ut ad illius caedem omnium manibus uteretur. Porro autem primus quoque ubique aderat cum iis qui agitabant seditionem, studens destruere praeconium pietatis: multaque erant et magna, quae ab ipso fiebant adversus Ecclesiam: et nihil ei ad summam deerat insaniam. In hoc enim pietatem exercere, et se praeclare gerere arbitrabatur, sicut ipse fatetur in Epistolis, et Lucas refert in libro qui inscribitur Actus Apostolorum. Etenim non solum is, quomodo multi Judaei, odio habebat et aversabatur praeconium pietatis, sed etiam majorem totius gentis iram provocabat adversus eos qui ei ministrabant.

§ **13**. Postquam enim id vidit repente refulsisse, et fidei praecones evasisse minis superiores, aemulatione percitus et ratus se maxima affici injuriâ, si praeconium quidem per universam terram diffunderetur, praecones autem persecutorum parvifacerent periculum, omne studium adhibuit, ut hos quidem de medio tolleret, illud vero retardaret, ac reprimeret. Quamobrem cum a

sacerdotibus et doctoribus illo tempore accepisset epistolas ad Judaeos qui erant Damasci, iter ingressus est contra eos qui erant in ea, discipulos. Sed qui ex utero matris eum segregavit ad suum ministerium, videns eum injusta teneri insaniâ, injusta voluntate et justo animi proposito, et ei in media via appàrens, corporeis quidem eum orbat oculis, magnitudine purissimae lucis quae ei apparuit: ejus autem mentem et animam adeo illuminat, ut eum, qui erat olim persecutor, dilectum statim et fidelissimum fecerit suum praeconem. Sauli itaque nomine in Pauli nomen transmutato, mittit ad Ananiam quemdam discipulum in urbe Damasco. A quo cum Paulus sanctum accepisset baptismum, et Christi intemeratis communicasset sacramentis, efficitur fidelis socius praedicationis. Tantam ergo mutationem ostendit hic beatus post vocationem, et ad tantum in Christum exarsit desiderium, ut praecones veritatis non solum verbis, sed factis etiam confirmaret: qui eum adhuc timebant, et suspectum habebant, ostendens se toto animi studio erupisse in amorem Domini. Quocirca cum fuisset cum iis qui erant Damasci discipulis, statim coepit praedicare Christum in synagogis, Judaeos confutans et rursum confirmans eum esse Christum.

§ **14**. Cum autem ei fuissent cognitae, quae a Judaeis parabantur insidiae, per murum in sporta dimittitur a discipulis, et in Jerusalem accedit ad Apostolos. In qua libere loquens in nomine Domini Jesu, disserebat et disceptabat adversus Gentiles. Sed cum ei quoque rursus significatae fuissent insidiae, a fratribus deducitur Caesaream], et illinc venit Tarsum. Quo cum venisset Barnabas, et eum invenisset, deduxit Antiochiam. Cum toto autem anno illic coetus haberent, et satis magnam docuissent multitudinem, et discipulos primum nominassent Christianos, in Judaeam ad fratres mittuntur cum ministerio, propter famem, quae fuit tempore Claudii Caesaris. Cum implessent autem ministerium, reversi sunt Jerosolyma. Ubi Domino sacrum obeuntes ministerium, et jejunantes, a Sancto Spiritu segregantur ad opus, ad quod vocati fuerant. Emissi autem, venerunt Seleuciam, et illinc in Cyprum navigarunt: et cum fuissent Salaminae, Dei verbum annunciarunt. Cum vero pervasissent insulam usque ad Paphum, excaecant pseudoprophetam Barieu, qui multos pervertebat. Quod cum factum esset, evenit statim ut multi crederent, atque etiam ipse Proconsul, qui erat in Insula. Illinc autem profecti, veniunt Pergen Pamphyliae, et illinc Antiochiam Pisidiae. In qua cum die sabbatorum concionatus esset Paulus in synagoga, attraxit multos ad fidem in Christum. Quamobrem Judaei pleni aemulatione, eum et Barnabam ejècerunt e civitate. Ii vero ex ea egredientes, excusserunt pulverem e suis pedibus, convenienter praecepto Domini.

§ **15**. Et cum venissent Iconium, et illic longo tempore versati

essent, multosque Judaeos et Gentiles, atque etiam beatam Teclam ad fidem Domini evocassent, a Judaeis, qui non crediderant, et Gentilibus, afficiuntur contumeliis, et appetuntur lapidibus. Cumque Lystram et Derben confugissent, quae sunt urbes Lycaoniae, medentur ei qui fuerat claudus a matris utero. Quo in loco cum presbyteros ordinassent, et Pisidiam pervasissent, venerunt in Pamphyliam. Et cum Pergae locuti essent sermonem, descenderunt in Attaliam. Cum autem venissent Antiochiam, et congregassent ecclesiam, annunciarunt quaecumque cum eis fecisset Dominus. Illinc dimissi, pervaserunt Phoeniciam et Samariam, narrantes conversionem gentium. Cum venissent autem Jerusalem, revertuntur Antiochiam. Quod non oporteat circumcidi neque vesci sanguine, et abstinendum sit a suffocato et immolatis, ab Apostolis afferentes tractantem Epistolam. Quo cum venissent, et satis longum tempus illic egissent, abierunt, Barnabas quidem in Cyprum, Marco assumpto, Paulus autem in partes Syriae et Ciliciae, cum Silam elegisset, et quae erant in civitate, Ecclesias confirmasset. Cumque venisset Derben et Lystram, et Timotheum assumpsisset discipulum, eum circumcidit. Deinde cum obiissent Phrygiam et Galatiam, a sancto Spiritu loqui sermonem prohibiti, venientes per Mysiam, tentarunt proficisci in Bithyniam, neque sivit eos sanctus Spiritus.

§ **16**. Cum autem transiissent Mysiam, descenderunt in Troadem; et cum illinc accessissent in Samothraciam, veniunt Neapolim. Et cum venissent Philippos Macedoniae versati sunt illic dies aliquot. Quo in loco cum credidisset Lydia purpuraria, in domum ejus venientes gratiâ precationis, spiritum Pythonicum ejiciunt ab ancilla. Quamobrem ab ejus dominis appetiti maledictis, ut qui alienos mores annunciarent, caeduntur virgis a Magistratibus, et in carcerem conjiciuntur, eorumque pedes ligno caute et diligenter stringuntur. Quo in loco cum media nocte orarent, et Deum laudarent, fit maximus terraemotus, et carceris fores aperiuntur, et vincti omnes relaxantur, et custos carceris efficitur fidelis cum tota familia, cum, quod ducit ad salutem, a Paulo accepisset baptismum. Egressi autem e civitate, cum Amphipolim transmisissent et Apolloniam, venerunt Thessalonicam. In qua cum multos accepissent in disciplinam, Judaeos ad iram provocarunt. Qui etiam collecta multitudine, conturbabant civitatem. Et cum accessissent ad aedes Jàsonis, quaerebant eos producere ad populum. Et cum non invenissent, traxerunt Jasonem, et aliquot ex fratribus ad magistratus civitatis. A quo cum satis accepissent, eos dimiserunt.

§ **17**. Illinc autem egressus Paulus cum iis qui cum eo erant, venit Beroeam. Quo in loco cum multos accepisset discipulos, Timotheus quidem et Silas illic remanent, magnus autem Paulus per mare venit Athenas. Transiens autem, et ea contemplans quae

ab eis colebantur, aram quoque invenit, in qua erat scriptum, Ignoto Deo. Ex quo parva accepta occasione, annunciat eis in medio Areopàgo Dominum nostrum et Deum Jesum Christum, initium ducens in ipsa arae inscriptione: statimque satis multos baptizavit ad fidem in Christum. Inter quos Dionysium quoque Areopagìtam, et honestam quamdam mulierem, nomine Dàmarim, et cum eis alios. Post haec vero Athenis abiens Paulus, venit Corinthum: et cum Priscillam et Aquilam invenisset ejusdem cujus ipse erat artis, apud eos diversatur. Quo in loco cum annum et menses quinque transegisset, et multos tam ex Judaeis, quam ex Graecis, gratiae verbo illuminasset, et ad Domini fidem evocasset, Priscillâ et Aquilâ, et Timòtheo assumptis, venit Ephesum, eisque illic relictis, venit Caesaream una cum Timòtheo. Cumque salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam. In qua cum aliquantum temporis esset versatus, egressus est, deinceps transiens per Galatiam et Phrygiam.

§ **18**. Et cum per superiores partes venisset Ephesum, tribus mensibus cum Judaeis disserens in synagoga de Regno Dei, persuasit ne iis attenderent quae adumbrate dicebantur a lege, sed ea ad spiritum transferrent et componerent. Cum autem apud eos alios duos annos et paulo plus mansisset, et fere totam Asiam ad fidem Christi attraxisset, et non vulgares virtutes, non per se solum, sed etiam per sudaria et semicinctia sua perfecisset, et omne genus morbos et daemones exegisset, et Timotheum Episcopum eis constituisset, egressus est, ut iret in Macedoniam. Cum illas autem partes transmisisset, venit in Graeciam. Et cum tres illic menses transegisset, et multos accepisset discipulos, venit Tròadem. Quo in loco cum Eutychum, qui, dum dissereretur, dormitaverat, et ex tertio coenaculo deorsum ceciderat, et mortuus erat, suscitasset, venit Assum, deinde Mitylenen. Et cum die sequenti esset ex adverso Chii, altera die appulit Samum. Et cum mansisset Strongilae, die sequenti venit Miletum. Ex qua cum misisset Ephesum, accersiit presbyteros Ecclesiae. Postquam autem accessissent, cum eis disserit de humilitate, et malorum tolerantia: deinde de constitutione Ecclesiastica, et gregis cura. Et rursus, cum ea quae et sibi Jerusalem eunti, et eis post ejus recessum erant eventura, praedixisset: et, quod oporteat vigilare in eos qui instar luporum sunt gregem avide divulsuri, eis mandatum dedisset, eosque Deo commendasset, et precatus esset, navem ascendens, statim solvit. Qua vectus, cum venisset in Coum Insulam, Rhodum navigavit: et illinc Pàtara. Quo in loco cum alterum ascendisset navigium, Cypro relicta a sinistris, praeternavigavit Syriam: et cum venisset Tyrum (illic enim navis impositum onus exonerabat) et invenisset discipulos, mansit apud eos septem dies. Et denuo navi usus, venit Ptolemaidem, et illinc Caesaream, et ad Philippum Evangelistam, qui erat ex septem

diaconis, diversatur. Et post dies aliquot, sublatis sarcinis, venit Jerusalem. Et septem dies purificatus, templum ingreditur, annuncians impletos esse dies purificationis.

§ **19**. Quo in loco qui erant ex Asia Judaei, cum eum aspexissent, conturbarunt omnem multitudinem, et manus suas in Paulum immiserunt, clamantes, viri Israëlitae, ferte auxilium. Cum fuisset autem maximus populi concursus, coeperunt in eum haec dicere: Hic est, qui adversus legem et locum hunc, omnes ubique docet. Quinetiam gentiles introduxit in templum, et id inquinavit. Statimque mota multitudo, incitata est, ut eum tolleret de medio. Sed mox adveniens Tribunus Lysias, eum liberat, et cum militari auxilio eum mittit ad Praesidem Felicem, cui successit Festus. Cum sensisset autem Paulus a Judaeis in ipsum strui insidias, pro tribunali ad Caesarem statim provocat, et tunc quidem dimittitur a judicio: cessant autem quae in eum a Judaeis parabantur insidiae: et deinceps a Praesidibus et magistratibus mittitur ad Caesarem. Cum vero esset constitutum, ut Paulus navigaret in Italiam, cumque eo accepto, Centurio quidam nomine Julius, una cum aliis vinctis navem ascendisset Adrumetinam, venit Sidònem, et illinc in Cyprum. Cum autem praeternavigassent pelagus quod est ex adverso Ciliciae et Pamphyliae, veniunt Miram urbem Lyciae. Et cum navem ascendissent Alexandrinam, vix Cnidum perveniunt. Et cum subnavigassent Cretam per Salmonem, venerunt in locum qui dicitur Pulchri portus. Ex quo cum solvissent, et Cretam praeterlegerent, et ventus, qui dicitur Typhonicus, qui latas excitat undas, spirasset, prope Caudam, quae sic dicitur, decurrunt Insulam, et vehementi tempestate exagitati, et navis armamentis projectis suis manibus.

§ **20**. Cum autem omnes magna affecti tristitiâ et mortem expectarent, surgens Paulus in medio eorum, jussit eos esse bono animo, cum nulla sit eorum peritura anima, praeter navem: hortatusque est eos ut cibum sumerent, ut qui jam quatuordecim dies manerent jejuni. Cumque servati essent ii qui erant cum Paulo, ex navigatione nave dissoluta ab undarum violentia, descendentes in terram, cognoverunt insulam vocari Meliten. Quo in loco cum congregaret Paulus sarmentorum multitudinem, vipera ejus manum apprehendit. Quam cum in ignem excussisset, nihil mali passus, Deus existimatus est a Barbaris. Quinetiam cum patrem Publii liberasset ab eo quo laborabat tormine intestinorum, et plura alia fecisset miracula, cum iis qui secum navigabant, alia nave venit Syracusas, et illinc Rhegium, deinde Putèolos, postremo Romam ipsam. Cum autem cognovissent fratres ejus adventum, iverunt ei obviam usque ad Forum Appium, et tres Tabernas. Et Centurio quidem reliquos vinctos tradidit duci exercitus: Paulus autem toto biennio servabatur ab uno milite,

omnes qui ad ipsum veniebant excipiens, et Dei Regnum cum omni fiducia praedicans absque impedimento. Atque haec quidem hucusque narravit Lucas in Actibus Apostolorum, qui librum eo tempore composuit.

§ 21. Eusebius autem, qui secundo libro historiae Ecclesiasticae haec est accurate perscrutatus, dicit Paulum, cum tunc quidem causam dixisset apud Neronem, fuisse absolutum, et Dei verbum, cum esset relaxatus, Romae agentem praedicasse totis decem annis. * In quibus dicitur pèregre profectus in Hispaniam, Galliam et Italiam, Christi praeco verbum disseminasse, et multos à diis patriis evulsisse, et cum grege Domini conjunxisse. Jam vero cum esset in Hispania, tale quid dicunt accidisse. Mulier quaedam et genere, et opibus, et doctrinâ insignis, cum jam olim auditionem accepisset Apostolicam, cupiebat ipsis quoque intuèri oculis praeconem veritatis, et ipsis auribus institui in verae pietatis dogmatibus. Cum ergo ei visum esset divina quadam inspiratione in forum proficisci, quo tempore qui vel ex sola fama ab ea diligebatur, per medium ejus transibat, dicitur et eum vidisse leniter et placide ingredientem: ut qui non solum gratiâ plenos mores haberet caeteros, sed etiam ipsum incessum, et marito suo persuasisse, cui nomen erat Probus (eorum autem qui illic erant, erat facile princeps) ut intra aedes suas hospitem exciperet. Postquam vero fuit accersitus, et fuit prope illos, ejusmodi aliquod miraculum accidisse mulieri: nempe apertis mentis suae oculis, vidisse in fronte ejus, qui fuerat hospitio acceptus, literas aureas, quae dicebant, Paulus Christi praeco. Illam autem propter visionem insperatam invasit et voluptas, et timor: et lacrymis plena procidit ad pedes Apostoli, et catechèsi ab eo instituta, primum quidem suscipit baptismum, appellata Xanthippe: ** Postea autem Probus ejus maritus, qui erat notus Neroni: deinde etiam Philòtheus praefectus: et deinceps omnes, qui illam habitabant regionem. Quod autem in Hispania praedicaverit Paulus, hoc aperte dicit in Epistola ad Romanos, sic scribens: « Nunc autem non amplius habens locum in his regionibus, desiderium autem habens veniendi ad vos a multis annis, cum proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos: spero enim transiens vos videre.» Quoniam ergo etiam antequam fuisset Romae in animo habuit praedicare in Hispania, cum ei feliciter successisset, ut ad primam veniret ex civitatibus, non neglexit ea quae ei prius visa fuerant: etiamsi Romam rursus reversus, in ea cessat a longis laboribus.

§ 22. Cum ad insaniam summam processisset Nero, primum quidem sustulit Agrippinam matrem propriam: praeterea vero

* Suspecta quae sequuntur in hoc § sunt, ac de suo a Metaphr. addita. In Eusebio certe non leguntur. Vide Bar. ad ann. 61, § 4.
** In Martyrol. Rom. cum Polyxena, XXIII Sept.

patris quoque sororem, et Octaviam suam uxorem, et alios innumerabiles, qui genere ad eum attinebant. Postea autem generalem movit persecutionem adversus Christianos: et sic venit ad caedem Apostolorum. Quo tempore accidit, ut Paulus quoque tricesimosexto anno * salutaris passionis, tertiodecimo ** autem Neronis, fieret martyr, ei capite gladio amputato. Gajus vero quidam vir Ecclesiasticus, et Zephyrinus *** Romanus Episcopus, et Dionysius Episcopus Corinthius, scribunt, uno tempore, et simul Petrum et Paulum subiisse martyrium, tertiodecimo anno Imperii Neronis: Dicunt enim Neronem eo tempore fuisse motum adversus Christianos, propter ejus foeminas quae in Dominum crediderant, et pudice casteque vivere statuerant: nec cum eo congredi deinceps sustinebant: non autem propter Simonem magum. Ei vero, quod ab eis dicitur, fert testimonium Joannes quoque ille linguâ aureus (*Chrysostomus*), in rebus divinis egregius, et cujus mens est plena spiritu, scribens in oratione adversus eos qui prohibent ne fiant monachi: «Neronem omnino auditis: fuit enim vir insignis libidine, qui primus et solus invenit in tali imperio intemperantiae novos quosdam modos et turpitudinis. Hic ergo Nero beatum Paulum (fuit enim iisdem, quibus ille temporibus) eo modo criminans, quomodo nos nunc hos viros sanctos (ejus enim pellici valde dilectae persuasit, ut simul acciperet verbum fidei, et liberaretur ab immunda illa congressione) hoc modo (inquam) ille criminans, corruptoremque et seductorem, et ea quae vos nunc loquimini, Paulum vocans, primum quidem vinxit inclusum in carcere. Postquam autem non persuasit, ut desisteret puellae dare consilium, tandem ei caput amputavit.» Et haec quidem is, qui moribus et sermone est vir Apostolicus, de beato fine divini Pauli.

§ **23**. Principes ergo et divini (ut prius diximus) Apostoli decimotertio (14°) anno Neronis consummantur. Execrandum autem Simonem lapsu ex volatu fractum, ajunt mortem sibi conscivisse teterrimam. Dicunt vero quidam praecessisse quidem Petrum anno uno, et beatam illam et Dominicam suscepisse perpessionem, cum animam posuisset pro ovibus. Eum autem fuisse consecutum magnum illum Apostolum Paulum, ut dicit Justinus et Irenaeus, cum totis quinque annis synaxes et deceptationes per se facerent ante resolutionem ad Christum. Atque ego quidem eis magis assentior. Eusebius autem Pamphili dicit, Petrum duodecim quidem annos esse versatum in Oriente, viginti autem et tres annos transegisse Romae, et in Britannia, et in civitatibus quae sunt in Occidente: adeo ut sit totum tempus praedicationis Petri triginta et quinque anni. Paulum autem ipsum quoque viginti et unum

* Corrige: trigesimooctavo quorum primus 9, postremus 6 constat mensibus.
** Decimo-quarto.
*** Non Zephyrini testimonium allegat Eusebius, sed Caji qui Romae Zephyrini temporibus floruit. Hujus et Corinth. Dionysii chronologiam vitiavit Metaphr.

annum praedicasse pietatem in Christum, et alios duos annos Caesareae transegisse in carcere. His vero conjungit duos quoque priores annos, quos egit Romae, et ultimos decem: ut ejus quoque praedicationis, et vocationis universum tempus sit trigintaquinque anni (*a*).

§ 24. Et sunt quidem nostra hujusmodi, et quae possunt nostrum in vos desiderium ostendere, o Apostoli, et fraternum amorem in eos qui sunt congregati: Haec enim est vestra lex, et communis Domini et magistri, ut nos invicem diligamus, et quaeramus multorum utilitatem. Vos autem vicissim nobis reddite curam, quam nostrum geratis, adversus vitia victoriam, contra daemones resistentiam, animi quietem ac pacem erga omnes, atque adeo etiam ipsos qui nulla de causa sunt nobis inimici, animi simul lenitatem ac patientiam, beneficentiam et mutuum amorem. Vos certe rogamus, in quocumque universi loco sitis, sed etiam in universo, ut credimus, nos quoque respicite, et ad animi tranquillitatem nostram vitam deducite, peccatorum expertem, rectis factis et bonis operibus plenam, divinis dignam oculis: ut in hac vita vobiscum festum perpetuo celebrantes, in futuro bona quoque promissa consequamur: gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

EORUMDEM SS. APOSTOLORUM PRINCIPUM

ENCOMIUM S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

PERINSIGNIS ELEGANTIA ET ELOQUENTIA HYMNUS IN HORUM FESTO.

§ 1. Coeli et terrae video certamen, propter praesentem celebritatem memoriae Apostolorum, coelestibus quidem virtutibus laudantibus, et bonis verbis prosequentibus doctrinam laboris eorum, utpote quod per eos cognitum fuerit carnis a Verbo susceptae mysterium: quomodo clamet Paulus: Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiplex Dei sapientia: qui sunt autem in terra, hominibus contendentibus per commemorationem, summis Apostolis dignas laudes afferre, ut qui per ipsos redierint ad salutem. Quid enim est Petro majus? Quid vero potest conferri cum Paulo? qui quidem opere et sermone omnem naturam creatam vicère tam in coelo, quam in terra: qui luto corporis implicati, vel ipsis Angelis inventi sunt majores. Quid ergo dicemus de magistris naturae creatae

(*a*) Cum Pauli Conversio anno post Ascensionem Domini contigerit, annus Praedicationis Petro est supra Paulum addendus; vocationis autem ante Paulum ferme quatuor. Hinc juxta nuper allatam, ad signum * correctionem, tempus pro utroque Apostolo deducat Lector.

tam infernae, quam supernae? Non invenio orationem dignam ad laudandum eos, qui nostrum genus laudavere: qui universam terram et mare obiere, et peccatorum radices evulsere et pietatis semina dejecère in cordibus hominum, qui erant increduli. Petrus magister Apostolorum, Paulus cognitor Oeconomiae supernarum virtutum: Petrus frenum ingratorum Judaeorum, Paulus adhortatio gentium.

§ 2. Vide autem excellentem Domini sapientiam. Petrum quidem elegit ex piscatoribus; Paulum autem ex iis qui consuebant tabernacula. Et quod electionis quidem apparet, est ex iis artibus: quod autem intelligitur, est valde admirabile, quia Dei quoque est electio. Quoniam enim obruebatur gloria Judaeorum, piscatori commisit Deus, ut scrutaretur profunda maris, quod percipitur intelligentiâ: dicens ei: *Vade ad mare, et jace hamum, et cum qui ascenderit, primum piscem sustuleris, aperi os ejus, et invenis statèrem* (*Matth.* XVII, 26). Mare dicens, mentem Judaeorum instabilem: hamum autem, doctrinae verbum artificiosum: et piscem, legem. Aperire autem os ejus, significat eam interpretari: quomodo rursus in eo invenire statèrem, significat examinare ipsam spiritaliter. Paulo autem, utpote sutori tabernaculorum, totas gentes tradidit, ut eos qui lege et gratiâ nudati erant, pelle indueret coccinea quae aquâ et sanguine Domini tincta fuerat. Audivit enim ipse quoque Dominum ad ipsum clamantem: Ad gentes procul ego mittam te. O beata dyas, cujus fidei sunt creditae animae mundi universi. Petrus principium fidei orthodoxae, magnus interpres sacrorum Ecclesiae, Christianorum necessarius consiliarius, thesaurus supernarum virtutum, qui fuisti honoratus a Domino Apostolus. Paulus magnus praeco veritatis, orbis terrarum gloriatio: qui es homo in coelis, et Angelus super terram, gloria Ecclesiae: qui volas aquila in excelsis. qui es lyra spiritus: qui es hirundo et cicàda, qui instrumentum Dominicum, qui vigilans Christi minister.

§ 3. Paulus et Petrus juncti boves Ecclesiae, qui universo orbi terrarum bonam intulerunt negotiationem, qui crucem pro jugo sustulerunt, pro onere autem, nomen Salvatoris: pro collaribus vero, testamentum Scripturarum: pro stimulo, gratiam spiritus. Paulus et Petrus, qui Ecclesiam in dies laetificant, receptacula spiritalia, orbis terrae publica diversoria, sanctae interpretandae Trinitatis instrumenta, a Deo Verbo susceptae carnis oeconomiae interpretes. Petrus, amor meus spiritualis: Paulus, vas electionis, meus baculus. Petrus, templum Dei: Paulus, os Christi: qui es trium cubitorum, et ad tertium coelum pervenis: qui loco circumscriberis, et mundum universum Domino circumscribis: qui ab Jerusalem et circumcirca usque ad Illyricum sparsisti Evangelium: qui es velox cursor, qui divina es impletus gratiâ: Cui fecit Dominus testimonium, quod portes nomen ejus in conspectu

totius orbis terrae: qui tertium coelum pervasisti, et ingressus es in paradisum, et usque ad Dominicam quae mente comprehendi non potest, cathedram ascendisti, et arcana mysteria audivisti quae non licet homini loqui.

§ 4. Quid autem Petro quoque dicemus, qui est dulce Ecclesiae spectaculum? Is revera est lampas universae terrae, alba et casta columba, acris et vehemens Apostolus, fervens spiritu, Angelus et homo, gratiâ plenus, solida petra fidei, vetustus Ecclesiae sensus: Qui, Beatus es, et columbae filius propter castitatem, audiisti ex ore Domini. Qui claves regni coelorum accepisti ab ipso Domino. Vos Angelorum ordines spoliastis. En quid dicam amplius? Vos laudat ipse Dominus, Vos estis lux mundi, dicens. Qui estis potentiores Regibus, fortiores militibus, ditiores divitibus, sapientiores philosophis, eloquentiores oratoribus: qui nihil habetis, et omnia possidetis. Vos estis martyrum tolerantia: Patriarcharum orthodoxa sententia: Monachorum exercitatio: Virginum coronatores: qui camum haereticis imponitis: qui legiones daemonum expulistis, qui aras idolorum diruistis: qui et infra et supra divites fuistis: ut qui superorum quidem claves acceperitis: eorum autem, qui sunt infra, solvendi et ligandi peccata potestatem habetis.

§ 5. O rudis idiotae miraculum. O illiterati sapientia. Petrus umbrâ sua Paralyticos astringit, et solvit mortem: Paulus vestimentis suis morbos expellit, et fugat daemones. Qui intermediam habetis Matrem Domini, et quovis justo spiritu estis praestantiores: columnae Ecclesiae, magna orbis terrae lumina: Gaudeas, Petre, petra fidei: Gaudeas, Paule, gloriatio Ecclesiae: qui mala innumerabilia propter ipsam sustinuistis, in carceribus inclusi, a Judaeis odio habiti, a Barbaris tracti et raptati, a Regibus caesi et ignominiam passi: quibus nec facile quidem licuit respirare, nec permissum fuit cessare a doctrina: qui propter pondus vinculorum membra movere non poteratis, et omnem orbem terrarum peccato alligatum vestris solvebatis Epistolis. Vos daemonum phalanges fudistis: per vos Sancti Spiritus gratia diffusa est in orbem terrae: caliginem erroris vos e terra contraxistis.

§ 6. Quasnam ergo vobis referemus gratias, qui tantum laborastis? Memini tui, Petre, et obstupesco. Recordor tui, Paule, et mente emotus opprimor lacrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, vestras contemplans afflictiones, nescio. Quot carceres sanctificastis? Quot catenas decorastis? Quot tormenta subiistis? Quot maledicta tolerastis? Quomodo Christum portastis? Quomodo praedicatione Ecclesias laetificastis? Sunt benedicta vestrae linguae instrumenta. Sanguine conspersa sunt membra vestra propter Ecclesiam. Vos sine defectu imitati estis Christum in omnibus. In omnem terram exiit vester sonus, et verba vestra in fines orbis terrae. Inseparabilem quae ei a vobis est desponsa,

Christus conservet Ecclesiam. Nemo ante vos, neque post vos, talis apparuit. Quis enim sermonem, qui in docendo versatur, suscipiens, ausus est aliquid dicere absque vestra traditione? Vos omnes effecistis magistros: nostram vicit caecitatem vestra tolerantia: ut qui optaretis esse anathema, ut mundum lucraremini. Quid de caetero vobis retribuemus pro omnibus bonis quae nobis tribuistis? Fit hodie commemoratio vestrae decertationis.

§ 7. Gaudeas, Petre, cui datum est, ut ligno Crucis Christi fruereris. Et ad magistri quidem similitudinem voluisti crucifigi, non recta tamen figura, sed potius capite demisso deorsum: tanquam qui a terra in coelum iter faceres. Beati clavi, qui membra tua penetrarunt mihi desiderabilia, et quae coelesti gloriâ sunt mihi praestantiora. Tu qui cum omni fiducia in manus Domini animam tradidisti: qui indivulse Domino serviisti, et ei desponsae Ecclesiae: qui diligis Dominum: qui ferves spiritu: qui es Domino fidelissimus omnium Apostolus.

§ 8. Gaudeas, Paule, cui beatum caput fuit ense amputatum, cum homo esses, quem verba enarrare non possunt. Quisnam ensis tuum guttur pervasit discernendi maxima potestate praeditum, Dominicum instrumentum, quod a coelo habetur id admiratione, et quod terra reveretur? Quisnam locus tuum excepit sanguinem, qui cruentavit quidem exteriorem tunicam Barbari, qui te palo affixit: atram autem ejus animae vestem dealbavit modo inexplicabili, et usque adeo, ut lucem fidei induerit, et ea citra invidiam contribùles impertierit. Sit mihi ensis ille pro corona, et clavi Petri pro lychnitibus gemmis, infixis in orbem diadematis, et illustrantibus formam meam ex peccato turpissimam.

§ 9. Non est nobis, o venerandi Apostoli, oratio, neque mens sufficiens, ut aliquid suppeditet ad vobis agendas gratias. Egèni sumus omnis doni, quod offeratur excellentibus potestatibus. Mutuo date vos, qui estis vere divites, indigentibus, vel potius donate: neque enim possumus mutuum reddere. Et si beatas voces a vobis acceperimus, exclamabimus: Salve beata biga, quae una es anima in duobus corporibus, Petre et Paule. Salvete vos semper in Domino: sine intermissione pro nobis, rogamus orate. Promissa vestra implete. Sunt enim haec vestra conventa: unius quidem hoc: Venite mecum, et bonis ne deficiamur: alterius vero illud: Studebo post meum adventum vestri facere mentionem. Pactorum ergo conventorum nolite oblivisci, sed Trinitati principio carenti nullo intermedio assistentes, petite quae sunt nobis omnibus salutaria: In Christo Jesu Domino nostro, quem decet gloria in secula seculorum, Amen.

ENCOMIUM

S. ET MAGNI APOST. PAULI

COLLECTUM A THEODORO DAPHNOPATO
EX DIVERSIS ORAT. DIVI CHRYSOSTOMI IN EUMDEM GENTIUM DOCTOREM.
APUD SIMEONEM METAPHRASTEN.

Coronatus anno 67.

§ 1. Universa quidem lex encomiorum, et omnis oratio composita arte Oratorum, a splendoris sanctorum vincitur magnitudine: maxime autem, quae de divinis et principibus habetur Apostolis. Quantum enim alios, martyres, inquam, et justos gloriâ et honore, et apud Deum propinquitate superant, tanto etiam sunt superiores lege encomiorum eorum decertationes, et ea in quibus aliis antecellunt: quod humanam rationem superant et cogitationem quae pro universo orbe terrarum certamina susceperunt, et quae praeclare gesserunt. Quamobrem vestrum veluti placantes desiderium, etiamsi coeptum sit audax, cum eorum laudes verbis studeremus extollere, cogitassemus autem id plane fieri non posse, nec a nobis esse suscipiendum, ex iis quae a divino Patre, et melle fluente Chrysostomo varie dicta sunt, moralibus, inquam, orationibus et suasionibus, sermonibusque et encomiis, et iis quae sunt aliter ab eo laborata, id quod est utile (ut par est) eligentes, et in unam harmoniam et consonantiam componentes, eis unum ex omnibus encomium obtulimus, eisdem (ut semel dicam) dictionibus, quoad ejus fieri potuit, et sententiis et verbis id ornantes.

§ 2. Sic autem habet: Apostolicorum quidem actuum inscriptionis totum jam vobis debitum exolvimus. Deinceps autem erat consequens, libri aggredi principium, et dicere, quidnam sit illud: *Primum quidem verba feci, o Theophile, de omnibus, quae Jesus coepit facere et docere* (*Ex Act.* I). Sed Paulus non sinit nos uti hoc ordine consequentiae, ad se et ad recta ejus facta linguam nostram vocans. Cupio enim videre ipsum vinctum introduci Damascum, non catenâ ferrea, sed voce Domini. Cupio videre ipsum captum, hunc, inquam, magnum piscem, qui mare universum agitavit, qui fluctus innumerabiles excitavit in Ecclesiam. Cupio videre eum vinctum non hamo, sed verbo Domini. Nam quomodo quidam piscator sedens super altam petram, et ex alto tenens arundinem, hamum mittit in mare: ita etiam noster Dominus, qui piscatum ostendit spiritalem, sedens tanquam in alta petra coelorum, tanquam hamum vocem illam emittens

desuper, et dicens: *Saule, Saule, quid me persèqueris?* sic cepit hunc magnum piscem.

§ 3. Quis enim illum crudelem et inhumanum, et persecutorem, et blasphemum, et Ecclesiam sic vastantem, ut etiam domos ingrediens traheret viros et foeminas, et omnia confunderet et perturbaret, sustinuisset, si non repente eum Rex noster transmutasset, et ad se reduxisset? Etenim discipuli quoque, ubi eum vidissent affuisse, timore affecti horrebant, et ne eum quidem audebant aspicere et quando rursus fuit ex amicis, eumdem metum ostendebant. Si eum ergo timebant etiam reconciliatum, si fuisset inimicus et hostis, quid non fecissent? Ego autem quid agam? Necesse est, ut maxima fugiam celeritate, ne si me rursus apprehenderit, abducat a proposito. Scitis enim quod cum saepe mihi alio eunti, et ad aliud converso occurrisset, me in media detinuit oratione, et sic cepit, ut in ea persuaserit finire orationem.

§ 4. Hic ergo beatus Paulus, qui universum orbem terrae illuminavit, in tempore vocationis aliquando est excaecatus: sed illius excaecatio facta est totius orbis terrae illuminatio. Quoniam enim male videbat, eum Deus recte excaecavit, ut utiliter aspiceret. Et quoniam Dei Ecclesiam summe persequebatur, et erat adeo vehemens et alienus a congressione, accipit frenum vehementius, ne si eum abduceret impetus illius animi alacritatis, non obediret iis quae dicebantur, et ut sciret, cum quo bellum gereret: quem non solum punientem, sed neque beneficio afficientem ferre potest. Neque enim eum obcaecaverunt tenebrae, sed lux modum excedens, ei offudit tenebras.

§ 5. Si nos ergo bellum circumsisteret barbaricum, et in acie hostes maximam exhibuissent molestiam: deinde Imperator hostium, qui innumerabiles admovebat machinas, et nostra omnia confundebat, multoque tumultu et turbâ replebat, et ipsam minabatur se urbem diruturum, et igni mandaturum, et nobis intentabat servitutem, repente a nostro Rege ligatus in urbem duceretur captivus; non omnes cum foeminis et infantibus exiliissemus ad illud spectaculum? Cum autem nunc quoque est bellum conflatum, Judaeis omnia perturbantibus, et ad oppugnandam Ecclesiam machinas omnes adhibentibus, hostium vero caput est Paulus, qui omnia magna facit et dicit, qui omnia permiscet et perturbat, eum autem alligavit Dominus noster Jesus Christus Rex noster, non egrediemur omnes ad hoc spectaculum, ut videamus eum duci captivum? Etenim Angeli e coelis videntes eum vinctum introduci, exultabant, non quoniam videbant eum vinctum, sed quoniam mente agitabant, quod homines e vinculis esset liberaturus: non quoniam eum manu duci cernebant, sed quoniam intelligebant, quam multos ille homines esset e terra in coelum deducturus: non quoniam eum lumine orbatum

aspiciebant, sed quoniam cogitabant, quam multos ille esset educturus e tenebris.

§ 6. Propterea ego quoque aliis omnibus dimissis, ad Paulum exilire contendo. Paulus enim, et Pauli desiderium coëgit nos hunc facere saltum. *Quis loquetur potentias tuas, Domine* (*Ex Psal.* 106). Quoniam non sivisti Paulum latère, quoniam talem virum ostendisti orbi terrae. Laudaverunt te omnes Angeli uno animo, quando astra fecisti, et quando Solem: sed non sic, ut quando Paulum ostendisti universo orbi terrae. Propterea terra fuit coelo laetior, quoniam hic est laetior solari luce. Et hic quidem Sol cedit nocti: ille autem superavit diabolum. Et hic quidem in alto fertur, et deorsum immittit radios: ille autem inferne oriens, non medium coeli et terrae luce implevit: sed et os aperuit, et Angelos magna implevit voluptate. Si enim propter unum peccatorem poenitentiam agentem est gaudium in coelis, ipse vero ex prima concione venatus est quinque virorum myriades, quemadmodum superiores virtutes gaudio non implebit infinito? Quid autem dico? Sufficit Paulus solummodo loquendo, ad efficiendum ut coeli exultent et laetentur. Quid enim est hujus visceribus ferventius, qui totum orbem terrae percurrit tractus, lapidibus appetitus, ut vinctus et vinctos solveret, et ad se traduceret?

§ 7. Neque enim tanquam pugnans sic res confecit, sed tanquam ad promptam et paratam veniens victoriam, sic erexit trophaea, destruens, diruens, dejiciens diaboli munitiones, et machinas daemonum. Et neque parum quidem respirabat, ab his ad illos, et rursus ab illis ad alios transiliens, tanquam optimus aliquis Imperator, quotidie trophaea erigens et victorias, vel potius horis singulis. Tunicâ enim sola indutus veniens in aciem, cum ipsis viris capiebat urbes adversariorum, telaque et lanceas. Et omnia lingua Pauli. Solum enim loquebatur, et illius verba, quasi ignis fluxiones in hostes incidentes, fugabant quidem daemones, et eos, qui ab ipsis detinebantur, homines ad ipsum deducebant. Quando enim malum illum ejecit daemonem, quinque praestigiatorum et maleficorum hominum convenientes myriades, combusserunt libros artis magicae, et transierunt ad veritatem. Et quomodo cum in bello turris cecidit, aut dejectus fuit tyrannus, qui cum illo erant, omnes abjectis armis accurrunt ad Imperatorem: ita etiam tunc factum est. Ejecto enim daemone, obsessi omnes cum libros abjecissent, vel potius dissolvissent, ad Pauli pedes concurrebant.

§ 8. Ille autem tanquam uno exercitu dirigens aciem adversus orbem terrae, nusquam consistebat, sed tanquam alatus esset quispiam omnia faciebat. Et nunc quidem claudum corrigebat: nunc autem alium orbabat, magum, inquam. Et nec in carcere quidem inclusus quiescebat, sed illic quoque custodem carceris

ad se traduxit, efficiens illam pulchram captivitatem. In admiratione habetur David, qui Goliath uno solo dèprimit lapide: sed si quis praeclara Pauli facta examinaverit, et cum facto illius pueri comparaverit, quantum interest inter pastorem et Imperatorem, tanta est inter hunc et illum differentia. Hic enim non lapidem jaciens prostravit Goliath, qui percipitur intelligentiâ: sed solum loquens, perfregit universam diaboli catervam. Et tanquam leo rugiens, et flammam linguâ emittens, sic invadendo erat omnibus intolerabilis, et in omnem partem assidue transiliebat. Ad hos currebat, ad illos veniebat: ad hos transibat, ad illos resiliebat, vento invadens celerius, et perinde ac domum unam, aut navigium unum, gubernans universum orbem terrae: et eos quidem, qui submergebantur, sursum attrahens: eos vero, qui caligabant, confirmans, nautas adhortans, cervicibus imminens, proram circumspiciens, funes tendens, remum tractans, velum trahens, coelum suspiciens.

§ **9**. Ipse denique erat omnia, et nauta, et gubernator, et qui proram regit, et velum, et navigium, et omnia patiens, ut mala solveret aliorum. Et quomodo quidam athleta ipse luctans, currens, pugnis decertans : aut miles muros oppugnans, pedes, manus conserens, et navali pugnans certamine, nullum non pugnae genus obibat, et ignem spirabat, neque ullus poterat ad eum accedere, uno corpore totum orbem terrae occupans, et una linguâ omnes fundens ac fugans. Non sic multae tubae irruebant in lapides urbis Hierichontinae, et eos diruebant, ut vox Pauli, quae resonabat, humi diabolicas dejecit munitiones, et ad se traduxit adversarios. Et per fenestram demissus fuit e pariete, ut ab inferiori loco sursum transmitteret eos, qui humi sunt abjecti.

§ **10**. Atque famem quidem, et sitim, et nuditatem, et naufragia, et metus, et insidias, et carceres, et plagas, et alia omnia, quae sustinuit beatus Paulus propter praedicationem, nihil arbitror oportere dicere. Sufficiebat enim unumquodque eorum ad valde conturbandam et frangendam sanctam illam animam. Quando autem dicit: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non accendor?» hoc est, quod omnium maxime perpetuam et intolerabilem ei praebebat animi aegritudinem. Si enim in unoquoque eorum, qui scandalizabantur, ipse accendebatur, non poterat ardor ille extingui ex illius anima. Non deerant enim, qui scandalizabantur, et igni praebebant materiam. Videre autem Judaeos non credentes, quamnam eum vel parvam sinebat habere dilationem doloris et aegritudinis? Optarem enim, inquit, anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem, qui quidem sunt Israëlitae. Quod autem dicit, est ejusmodi: Mihi esset optabilius in gehennam incidere, quam Israëlitas videre non credentes. Qui autem in

gehenna elegit supplicium, ut possit omnes Judaeos adducere, clarum est, quod qui hoc non fuit assecutus, iis, qui puniebantur in gehenna, vitam egit graviorem.

§ **11**. O ardentem amorem charitatis. Qui adversus ignem fuit audax Paulus, qui adamàntinus, qui firmus et validus, qui immobilis, qui inflexibilis, qui dicebat: « Quis nos separabit a charitate Christi? afflictio, an angustia, an fames, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius?» qui in terra et mari suam ostendebat audaciam, qui adamantinas irridebat mortis portas, is postquam vidit lacrymas quorumdam dilectorum, adeo fuit fractus et contritus, ut ne celaret quidem affectionem, sed statim diceret: Quid facitis flentes, et cor meum conterentes? O miraculum. Non contrivit eam abyssus aquarum, et paucae eum lacrymae contriverunt et fregerunt. Quid facitis flentes. et conterentes cor meum? Quid dicis? Dic mihi, Adamantinam illam animam potuit conterere lacryma? Certe, inquit: magna est enim vis charitatis: Ea me vincit et superat: resisto enim omnibus, praeterquam charitati.

§ **12**. Audite quicumque ne pecunias quidem propter Christum despicitis, immo vero propter vosipsos et stupetis, Pauli amorem in Christum cogitantes et admirantes. Neque enim Christum sic diligebat propter ea quae sunt Christi, sed propter ipsum res illius. Et unum solum timebat, ne excideret ab ea, quae est in illum, charitate. Hoc enim erat ei vel gehennâ terribilius, sicut etiam in ea manere vel regno optabilius. Quando ergo ille propter Christi desiderium vel in gehennam non recusat incidere, et a regno excidere, si ùtraque haec essent proposita, nos autem ne praesentem quidem vitam despicimus, sumus ne digni vel illius calceis, cum tantum absumus ab ejus animi magnitudine? Si enim, qui unius domus tantum curam gerit, etsi habeat procuratores, ministros, et oeconomos, saepenumero ne respirat quidem propter curas, cum nemo sit, qui ei molestiam exhibeat: qui non unius domus, sed civitatum, et populorum, et gentium, et universi denique orbis terrae curam gerit, suntque tot et tanta negotia. et tam multi, qui insultant et obsunt, idque cum sit solus, et tot et tanta patiatur, et tantam curam gerat, quantam nec pater filiorum, cogita quid sustinuit.

§ **13**. Si quis vult diligere germane et sincere, et scire vim charitatis, currat ad ejus alumnum beatum Paulum, et ille eum docebit, quantum sit certamen ferre separationem a dilecto, et quanto animo opus habeat. Hic enim, hic, qui carnem exuerat, et corpus deposuerat, et orbem terrae fere nuda obierat animâ, et omnem perturbationem ex animo expulerat, et incorporearum virtutum imitabatur impatibilitatem, alia quidem omnia ferebat facile, tanquam patiens in alieno corpore et carceres, et catenas, et abductiones, et flagella, et minas, et mortem, et omne genus

supplicii : ab una autem separatus anima, quae ab eo diligebatur, adeo fuit confusus et conturbatus, ut in qua dilectum sperans se visurum non invenit, ex civitate protinus recesserit. Quid hoc, o beate Paule? ligno quidem alligatus, et carcerem habitans, et flagris caesus, et in tergo sanguine circumfluens, et mysteriis initiabas et baptizabas, et offerebas sacrificium, et neminem despiciebas, qui esset salvus futurus. Cum venisses autem in Troadem et terram invenisses purgatam, et paratam ad excipienda semina, tantum lucrum ejecisti e manibus, et statim resiliisti? Certe, inquit: magna enim me invasit tyrannus animi aegritudine, et meum animum valde confudit Titi absentia, meque sic vicit et superavit, ut cogerer hoc facere.

§ **14**. Vidisti quam sit magnum certamen dilecti ferre separationem, quam res sit molesta et acerba, quam excelso opus habeat et juvenili animo? Neque enim sufficit iis qui diligunt, solum esse vinctos animo, neque eo sunt contenti ad consolationem: sed etiam corporea opus habent praesentiâ : et si hoc non adfuerit, non recisa est parva pars laetitiae. Vis scire, quam pulchra sint arma ad attrahendos fratres, etiam si sint infideles? esse mitem, et mansuetum, et facilem moribus. Audi quid dicat Paulus, ad judicem ingrediens infidelem, ab eo judicandus : « Beatum me existimo, qui sum a te judicandus. » Haec autem dicebat, non ei adulans, absit: sed volens lucrifacere per mansuetudinem. Quamobrem eum etiam ex parte lucrifecit: et Judicem cepit is, qui existimabatur tunc esse condemnatus: et Pauli esse victoriam ipse, qui erat victus, alta voce confitetur, praesentibus omnibus, dicens: Propèmodum mihi persuades, ut fiam Christianus. Quid ergo Paulus? « Optarim ego non solum te, sed etiam omnes, qui adsunt, hoc esse, quod ego sum.»

§ **15**. Atque in multis quidem locis sunt multa signa Pauli miraculorum: sed non sunt tam desiderabilia, quam stigmata: et non tam in Scripturis quidem delectat faciens miracula, quam male patiens, flagellatus, tractus, lapidibus appetitus. Lapidantes enim eum, inquit, traxerunt extra civitatem. Et rursus: Cum eum flagellassent, et multas ei plagas imposuissent, conjecerunt in carcerem. Quanta gloriatio, quanta voluptas, quantus honor, quantus splendor, scire se esse vinctum propter Christum? Sed vide rem admirabilem. Et commotus est, inquit, carcer, alligato Paulo, et omnium vincula sunt relaxata. Vidisti vinculorum naturam vincula resolventem? Expergefactus autem custos carceris, cum vidisset januas apertas carceris, stricto gladio se erat interfecturus. Quid ergo Paulus? Clamavit magna voce, dicens: «Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus.»

§ **16**. Vides quam hic sit a vana gloria et superbia alienus, et quam benevolus? Non dixit: Propter nos haec facta sunt: sed tanquam unus ex vinctis, dicit: Omnes enim hic sumus. Si enim

tacuisset, et non per magnam vocem manus illius continuisset, ensem per guttur transegisset. Clamavit autem, quoniam in interiorem carcerem erat conjectus. Contra teipsum, inquit, hoc fecisti, cum interius conjeceris eos qui te sunt liberaturi a periculo. Vidisti quam sit benignus, et quantam hominum curam gerat Paulus? Maluit ipse esse vinctus et periclitari, quam illum despicere pereuntem. Quomodo autem miles aliquis habens universum orbem terrae contra se bellantem, et se in mediis versans hostium ordinibus, et nihil grave patiens: ita etiam Paulus solus inter barbaros et inter Graecos, ubique terrarum, et ubique in mari se ostendens, mansit inexpugnabilis. Et quomodo scintilla in stipulam et foenum incidens, ea, quae uruntur, transmùtat in suam naturam: ita hic quoque omnes invadens, traducebat omnes ad veritatem.

§ **17**. Quem non obstupefecisset potentia vinculorum, beato Paulo impositorum, quod qui eum vinxerant, eos ad pedes vincti duxerit, et illos ei subjunxerit? Procidit enim, inquit, custos carceris ad Pauli pedes, et qui erat solutus, jacebat ad pedes vincti, et qui vinxerat, rogabat vinctum, ut solveretur a metu. Dic mihi: Non tu vinxisti? non in interiorem conjecisti custodiam? non pedes ligno constrinxisti? Cur tremis? cur tumultuaris? cur lacrymaris? cur ensem strinxisti? Nesciebam, inquit, Christi vinctorum tantam esse potentiam. Quid dicis? Accepit potestatem coelos aperiendi, et non erat aperturus carcerem? Solvit eos, qui vincti erant a daemonibus, et erat ferrum eum superaturum? Qui ligatas itaque solvebat animas, corpus suum solvere non potuisset? Qui per suas vestes alios ab illis solvebat vinculis, et liberabat a daemonibus, ipse per se non solvisset? Propterea primum fuit vinctus, et tunc solvit vinctos, ut scias quod Christi servi vincti, majorem habent vim, quam soluti. Sic enim praeclariores ostenduntur sancti vires, quando vel vinctus vincit solutos.

§ **18**. Quando ergo is qui est vinctus, non solum seipsum solvit, sed etiam solutos, quisnam est usus murorum? quidnam accepit commodi ex eo, quod ad interiorem conjecerit custodiam, cum aperuerit etiam exteriorem? Vis scire, quanta res sit catena ferrea, propter Christum corpori servi ejus imposita? Audite beatum Paulum de hoc ipso gloriantem, et dicentem: Rogo ergo vos ego vinctus in Domino. Magna est et insignis dignitas regni et consulatus: est autem omnium maxima, esse vinctum propter Christum. Nihil enim est aeque praeclarum, ac vinctus propter Christum, ac catenae impositae sanctis illis manibus. Hoc est longe praeclarius et magnificentius, quam esse Apostolum, quam doctorem, quam Evangelistam. Si quis diligit Christum, novit quod dicitur.

§ **19**. Si quis vehementi ardet amore Domini et novit vim vinculorum, maluerit esse vinctus propter Christum, quam coelos

habitare. Forte enim est hoc quoque praeclarius, quam sedere a dexteris ejus: et magnificentius judicandum, et beatius quam sedere super duodecim sedes. Si quis mihi daret optionem, aut universi coeli, aut illius catenae, qua Pauli vinctae sunt manus, illam ego praeponerem. Si quis me collocaret, aut supra cum Angelis, aut cum Paulo vincto, carcerem elegissem. Si quis me faceret, aut confessorem illarum quae sunt circa thronum, potestatum, aut ejusmodi vinctum, mallem esse talis vinctus. Nihil enim melius, quam male aliquid pati propter Christum. Si quis mihi daret, ut mortuos suscitarem, non hoc elegissem, sed catenam. Etenim nihil est illa catenâ beatius.

§ **20**. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus manent illa vincula, et videre catenas, quas timent quidem et horrent daemones, reverentur autem Angeli. Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, et haberem corpus robustum ac validum, non recusarem tantam suscipere peregrinationem, ut viderem catenas et carcerem, in quo vinctus erat Paulus. Si quis mihi concederet, ut viderem Paulum e coelo despicientem, et vocem emittentem, aut e carcere, mallem e carcere. Qui enim sunt in coelo, ad eum veniunt, quando est in carcere. O beata vincula, o beatas manus, quas ornavit illa catena quae Paulo est imposita. Non erant tam venerandae ejus manus quae Lystris claudum excitarunt, quam erant circumdatae vinculis.

§ **21**. Si fuissem ego illis temporibus, tunc ego eas maxime essem complexus, et meis pupillis imposuissem. Non cessassem deosculari manus quae dignae sunt habitae quae pro meo Domino vincirentur. Non tam beatum esse censeo, quod raptus fuerit in tertium usque coelum, et in paradisum, quam quod conjectus sit in carcerem. Non tam eum beatum pronuncio, quod verba audierit quae homini loqui non licet, quam quod vincula sustinuerit. Etenim sunt haec illis quoque multo majora. Est enim mihi magis expetendum, ut male patiar pro Christo, quam ut honorer a Christo.

§ **22**. Hoc Paulus quoque cogitans dicebat, ut est verisimile: Si ipse qui propter me factus est servus, et gloriam exinaniit, non existimabat se unquam tam esse in gloria, quam quando pro me fuit crucifixus, quid me non oportet pati? Audi enim eum dicentem: Glorifica me tu Pater. Quid dicis? Ad Crucem duceris cum latronibus et sepulchrorum effossoribus, ut sceleratorum et execrandorum hominum mortem subeas, es conspuendus, et àlapas subiturus, et haec gloriam vocas? Certe, inquit. Nam pro his quos diligo, haec patior, et haec merito esse gloriam existimo. Si ergo Dominus meus, qui miseros dilexit et miserabiles, eam rem vocat gloriam, et eam praefert gloriae quae est in sede paterna, multo magis ego haec debeo putare gloriam.

§ **23**. Sic Pauli animâ nihil est beatius. In quibusnam autem

gloriatur? In vinculis, in afflictionibus, in catena, in stigmatibus. « Vado enim, inquit, Jerosolyma alligatus spiritu, quae in ea eventura mihi sunt, ignorans, nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mibi protestatur, dicens quod vincula et afflictiones Jerosolymis me manent. » Propter hoc ergo, ut vinciar propter Christum, ut moriar propter ipsum. Non solum enim alligari, sed etiam mori paratus sum propter nomen Domini mei Jesu. Quid hoc ergo est? Non erubescis, non verèris orbem terrae captivus obiens? non times ne quis Deum tuum damnet imbecillitatis? ne quis propterea non accedat? Non talia sunt, inquit, mea vincula: sciunt, inquit, resplendère vel in regnis. Ut vincula mea, inquit, manifesta fierent in omni Praetorio, et multi ex fratribus in Domino, confisi meis vinculis, multo magis sine metu auderent verbum Dei loqui.

§ **24**. Vides vinculorum majorem potentiam, quam mortuorum resurrectionis? Vinctus fuit Romae et plures attraxit. Vinctus fuit Jerosolymis, et vinctus concionans Regem obstupefecit, et Praesidem metu affecit. Metu enim affectus eum dimisit. Vinctus navigavit, et naufragium prohibuit, et sedavit tempestatem. Cum esset ipse in vinculis, illud venenatum eum tetigit animal, et eo illaeso cecidit. Vide autem hoc ubique fieri. Nam cum multas ei plagas imposuissent, et esset vinctus, idque rursus valide (eum enim in interiorem conjecerant custodiam) vel in his tunc valde securus, media nocte, quando valde remissi dormiunt, canebat et Deum laudabat. Quid hac animâ esse possit magis adamantinum? Cogitabat enim pueros quoque in igne cecinisse et in fornace. Forte enim ratiocinabatur: Ego nihil tale passus sum.

§ **25**. Sed recte faciens oratio, me ad alia rursus eduxit vincula, et alium carcerem. Quid agam? Volo tacere, sed non possum. Inveni alterum carcerem, illo multo mirabiliorem. Sed nunc arrectis mihi adeste animis, perinde ac si nunc incipiam orationem, mentemque adhibete alacrem et vegetam. Volo orationem abrumpere, ea autem non permittit. Non possum quiescere, non possum tacere: multa me circumfluunt. Nescio quid primum dicam, quid secundum. Quamobrem rogo, ne quis a me postulet ordinem. Magna est rerum cognatio. Longa fuit Pauli catena, et diu nos detinuit.

§ **26**. Sed non propterea tacebo. Si enim ipse in carcere non tacuit nec in flagellis, ego silebo sedens, cum dies sit, et loquens in magna animi quiete et relaxatione? Et quomodo hoc fuerit consentaneum? Quis enim non stupeat, quis non admiretur, vel potius, quis pro dignitate stupeat et admiretur, nobilem illam, et magnitudine coelo parem Pauli animam, quod vinctus et inclusus, et tanto intervallo disjunctus, scripsit ad Philippenses? Scitis enim, quantum sit spatium inter Romam et Macedoniam. Sed neque viae longitudo, neque temporis diuturnitas, neque molestia

ac turba negotiorum, neque periculum et mala frequentia, neque aliquid aliud charitatem et memoriam expulit discipulorum: sed de eis omnibus in animo cogitabat, et non tam catenis vinctae erant ejus manus, quam desiderio discipulorum alligata erat et fixa anima. Et quomodo Rex, qui thronum mane ascendit, et sedit in aula regia, protinus innumerabiles undique accipit epistolas: ita ille quoque sedens in carcere, tanquam in aula regia, longe plures frequenter accipiebat, et mittebat literas iis quae ubique erant, gentibus, ad illius sapientiam de suis rebus omnia referentibus. Et eo plura, quam Imperator, administrabat negotia, quo majus ei creditum fuerat Imperium.

§ **27**. O Pauli potentiam. Implicatus erat catenis, et diademate redimitum Neronem feriebat. Sordidis erat indutus pannis, ut qui habitaret carcerem: et magis quam purpurâ, omnes convertebat ad vincula sibi imposita. Super terram stabat retentus, et deorsum intuens: et eo dimisso, qui erat in curru aureo, omnes illi attendebant: idque merito, erat enim usitatum spectaculum, videre Imperatorem in albo curru sedentem: hoc autem erat novum et admirabile, videre captivum aeque libere alloquentem Imperatorem, atque Imperator servum vilem et miserabilem alloqui consueverat.

§ **28**. Magna circumsistebat multitudo, et erant omnes servi Imperatoris: admirabuntur autem eum, non suum dominum. Verumenimvero non animadvertebant se leonem laudare ex unguibus, cum oporteret dicere ea quae vere erant. Quaenam vero ea sunt? Ea quae sunt in coelis. Quando veniet cum Rege coelorum, cum praeclaro curru: quomodo tunc Nero sedebit moestus et tristis? Si enim nondum erat tempus coronarum, et athleta tantum est honorem consecutus: quando venerit athleta, quanto honore fruetur? Erat inter alienos hospes et peregrinus, et si in tanta tunc habetur admiratione: quando fuerit inter suos, quid non boni consequetur? quid non participabit? quid non adipiscetur?

§ **29**. Nullus Romae Imperator tantum est honorem assecutus, quantum Paulus. Sed Imperator quidem foris jacet alicubi, Paulus autem tenet medium civitatis, tanquam regnans et vivens. Si autem hic ubi sustinuit persecutionem, et ubi fuit vexatus et agitatus, tantum est honorem consecutus: quando venerit quid erit? Si ubi erat tabernaculorum opifex, fuit adeo splendidus: quando venerit, splendore contendens cum radiis solis, quid erit? Si cum tanta humilitate tantam superavit magnificentiam, quando venerit, quid erit? Res non licet effugere. Quis non pudore afficitur, quod tabernaculorum opifex in majore fuerit honore, quam is qui in majori habitus est admiratione, quam omnes Reges? si autem hic ea facta sunt quae sunt supra naturam, in futuro quanto magis?

§ **30**. Quid in mundi gloria est Alexandro gloriosius, aut quid sublimius? Non vivus multa magna gessit et praeclara? Non et gentes, et urbes subegit, et bella multa vicit et praelia, et erexit trophaea? Non existimatus est esse Deus tertiusdecimus a senatu Romanorum? Sed quo vivus quidem bella recte gereret, et victorias obtineret, cum et Rex esset, et exercitus haberet, nihil mirum. Post mortem autem et sepulturam, ubique et in terra et in mari, quotidie tam multa facere, hoc est, quod maximam affert admirationem. Ubi enim est (dic mihi) corpus Alexandri? ostende mihi et dic diem, in quo decessit. Sed non potueris; Pauli enim et praeclarum corpus viderit, qui ad maxime regiam venerit civitatem, et illustrem ejus mortis diem universus orbis terrae celebrat. Et res quidem illius, etiam sui ignorant: res autem hujus sciunt etiam barbari: et Christi servi sepulchrum est regis atriis splendidius. Nam ipse quoque, qui est indutus purpurâ, vadit corpus illius complexurus, et fastu deposito, consistit orans mortuum, ut ejus curam gerat apud Deum. Et tabernaculorum effectoris, et piscatoris, et mortui, tanquam defensoris eget is qui est redimitus diademate. Idque videris non solum Romae fieri, sed etiam Constantinopoli. Etenim hic quoque magnum Constantinum se magno honore esse affecturum existimavit filius, si eum deponeret in vestibulis piscatoris. Et quod sunt janitores in regia Imperatoribus, hoc sunt in corpore Regis piscatoribus. Et hi quidem, tanquam loci domini, tenent interiora: illi autem tanquam accolae et vicini, satis habuerunt, si janua aulae eis attribueretur. Et Reges quidem ministrorum et famulorum: qui sunt autem subjecti, tenent locum Regum.

§ **31**. Quis nunc mihi dederit, ut Pauli circumfundar corpori, et sepulcro affigar, et videam pulverem illius corporis, per quod pervasit universum orbem terrae? quod quae deerant, Christo supplevit? quod stigmata portavit? quod praedicationem ubique seminavit? Pulverem corporis, per quod Christus est locutus, lux illuxit quovis fulgore lucidior? et vox illuxit quovis tònitru daemonibus terribilior? Neque enim tonitru est tam nobis terribile, quam illa vox fuit daemonibus. Si enim horrebant ejus vestes, vocem quoque multo magis. Hujus oris vellem videre pulverem, per quod Christus magna locutus est, et arcana, et majora, quam per seipsum: per quod beatum illud verbum est locutus, Vellem esse anathema pro meis fratribus: per quod locutus est coram Regibus, et non erubuit: per quod fugiebant daemones, non solum loquentem audientes, sed etiam cum procul essent: per quod composuit omnia quae sunt in terra, quinetiam ea quae sunt in coelis quomodo voluit administravit, illic ligans et solvens quos volebat, pro sibi data potestate.

§ **32**. Quis mihi ostenderit pulverem Pauli cordis, quod in unoquoque eorum, qui peribant, inflammabatur, et infantes

abortivos iterum parturiebat? Hoc desiderarem videre vel dissolutum, quod est coelis sublimius, orbe terrarum latius, radio splendidius, igne calidius, adamante validius, quod novam vixit hanc vitam, nempe nostram. Vivo enim jam non ego, vivit autem in me Christus, inquit. Fuit ergo cor illius cor Pauli, et tabula Sancti Spiritus, et liber gratiae: quod dignum fuit habitum, ut Christum amaret, ut nemo alius: quod mortem despiciebat et gehennam, et conterebatur a fraternis lacrymis. Quid enim facitis flentes, inquit, et conterentes cor meum? Vellem videre pulverem manuum Pauli quae erant in catena, per quarum impositionem suppeditabatur spiritus, per quas divinae scribebantur literae. Vidistis enim, inquit, quod literis ad vos scripsi manu mea, manus illas, quas cum vidisset vipera, cecidit in rogum.

§ **33**. Vellem videre pulverem oculorum, qui pulchre fuerunt occaecati, qui rursus aspexerunt ad salutem orbis terrae, qui digni sunt habiti Christum videre in corpore. Vellem illorum quoque pedum videre pulverem, qui orbem terrae obierunt, et non fuere defatigati, qui in ligno vincti erant, quando fuit terraemotus in carcere, qui tam habitabilem, quam inhabitabilem orbis regionem pervaserunt. Et quid opus est dicere singula? Vellem illum ipsum videre leonem spiritalem. Quomodo enim leo ignem ex oculis emittens in greges vulpium, ita in daemonum et philosophorum irruebat catervam, et tanquam aliquod fulmen immissum irrumpebat in turmas diaboli. Neque enim diabolo adversus eum prodibat in aciem, sed usque adeo timebat et tremebat, ut si vel umbram vidisset, et vocem audivisset èminus, pròtinus aufugeret.

§ **34**. Cogitate et stupete, quale sit Roma visura spectaculum, Paulum repente surgentem e capsa cum Petro, et se extollentem, ut Christo fiat obviam; quale donum sit Roma ad Christum missura: quibusnam sit duabus coronis redimita, quibusnam sit aureis cincta catenis. Coelum non est tam splendidum, quando Sol emittit radios, quam civitas Romanorum has duas emittens lampadas per universum orbem terrae. Quaenam ergo oratio sufficiet pulchris Pauli factis enarrandis? Aut quaenam poterit lingua consequi hujus encomia? Sive enim Prophetae preclarum aliquid effecerunt, sive Patriarchae, sive justi, sive Apostoli, sive Martyres, haec omnia Paulus adeo summe habet comprehensa, ut nullus magis illorum possederit id quod habebat bonum.

§ **35**. Quando ergo quaecumque sunt bona inter homines, ita una comprehendit anima, et omnia insigniter: non solum autem quae sunt hominum, sed etiam quae Angelorum, quomodo assequemur laudum magnitudinem? Qua non ergo fuerimus digni condemnatione, si cum unus homo omnia in se bona sit complexus, nos ne minimam quidem ejus partem imitari studeamus? Nam ex multis quidem aliis recte factis habetur Patriarcha in

admirationem, maxime autem ex eo, quod suum sacrificavit filium. Isaac vero propter patientiam, quod cum a suis expelleretur finibus, non restitit, sed suis omnino cessit possessionibus, donec eorum, qui ei molestiam afferebant, injustam satiavit cupiditatem. Porro autem Jacob quoque propter fortitudinem atque patientiam. Et David propter mansuetudinem. Et Elias, quod fuerit zelo percitus pro Domino.

§ **36**. Sed quid cum Paulo fuerit conferendum, qui haec omnia simul insigniter est complexus? Neque enim ipse sacrificavit filium, sed seipsum sacrificavit millies. Nec ex propriis solum fuit expulsus finibus, sed et terram, et mare et Graeciam, et Barbariam, et universam, ut semel dicam, terram, quantam Sol aspicit, obiit, tanquam alatus, tractus, verberatus, lapidibus appetitus, quotidie moriens: Neque bis septem annos serviit, aestu diei adustus, et frigus noctis perpessus: sed totam vitam transigens in fame et nuditate, catenisque, carceribus, insidiis et periculis. Lenitatem vero et mansuetudinem quis magis quidem, immo vero quis aeque atque Pauli anima, utraque haec factis recte praestitit? Si autem ejus zelum aspexeris, tantum videbis eum superare Eliam, quantum ille fuit aliis Prophetis superior. Sed Joannes quidem comedebat locustas et mel agreste: hic autem versabatur in medio orbe terrarum, sicut ille in deserta solitudine, locustas quidem et mel agreste non còmedens, sed hac longe frugaliorem sibi mensam appònens, et nec necessarium quidem habens alimentum, propter studium praedicationis.

§ **37**. Restat de caetero, ut eum exaequemus Angelis. Nemo autem id, quod dicimus, nimiae arguat audaciae. Si enim Joannem Scriptura vocavit Angelum, quid mirum, si eum, qui est omnium praestantissimus, contulerimus cum illis potestatibus? Etenim quidnam sit homo, et quanta sit nostrae naturae nobilitas, et quantae virtutis sit capax hoc animal, maxime omnium hominum ostendit Paulus. Et nunc stat, ex quo factus est, clara voce Dominum defendens adversus eos qui nostram reprehendunt, constitutionem, et ostendens inter Angelos et homines non multum interesse, si nobis velimus attendere. Non aliam enim sortitus naturam, neque aliam adeptus animam nec alium mundum habitans, sed in eadem regione, legibusque et moribus educatus, omnes homines superavit, qui fuerunt, ex quo nati sunt homines. Et quomodo mortuus in mortuum fuerit immobilis, ita naturae insultus accurate sopiens, in nulla re humani aliquid unquam passus est.

§ **38**. Si ergo Paulus, qui tot rebus recte gestis erat praeclarus, et tanquam Angelus videbatur in terra, quotidie studebat lucrifacere, et stare in acie adversus pericula veritatis, et sibi merces colligere spiritales, et nunquam consistere: quaenam fuerit relicta nobis excusatio, qui non solum sumus vacui omnibus

recte factis, sed etiam tam multis subjecti delictis, quorum si vel unum nobis adsit, sufficit ad nos deducendos in barathrum perditionis: et nihil studii ponimus, ut ea saltem corrigamus: tantum abest, ut virtutis opera attingamus? An non erat ille ejusdem, cujus nos sumus, naturae? Incendor enim hujus viri desiderio, et ideo non cesso circa idem assidue versari, et tanquam ad exemplar aliquod archetypum ad ejus animam intuens, considero vitiorum despicientiam, insignem magni fortisque animi virtutem, amoris in Deum ardorem, et valde miror, quemadmodum in universo quidem virtutum coetu unus homo volens se recte gesserit: nostrum autem unusquisque ne in re quidem qualicumque se velit recte gerere.

§ **39**. Quis nos liberabit a supplicio inevitabili, cum Paulus tantam ostenderit virtutem, qui est ejusdem nobiscum naturae particeps, qui est obnoxius eisdem animi perturbationibus, qui conflictatus est cum tanta temporum difficultate, et quotidie, ut semel dicam, trahebatur, lacerabatur, et publice convellebatur ab iis qui bellum gerebant adversus praedicationem? Ne autem ex nostra lingua audiat aliquis quae hic beatus recte gessit, magnique et excelsi animi virtutem, quam quotidie ostendit pro praedicatione Evangelii, necesse est ipsum audire dicentem: « In eo autem, quod audet aliquis (in insipientia dico) audeo et ego. »

40. Considera pium et religiosum animum: Non solum audaciam rem vocat, sed etiam insipientiam, nos erudiens, non temere absque necessitate, nemine cogente, gloriose proferre quae a nobis facta sunt, si aliqui ex nobis inventi fuerint, qui aliquid boni fecerint. Hebraei sunt, et ego: Israëlitae sunt, et ego: Semen Abrahae sunt, et ego. Propter hoc, inquit, sibi placent, et se magnifice circumspiciunt. Ne existiment nos his defici: Nam nos quoque sumus eorumdem participes. Deinde subjunxit: Ministri Christi sunt? Desipiens loquor, Plus ego.

§ **41**. Hic mihi contemplare beatae hujus animae virtutem. Quoniam enim et audaciam et insipientiam vocavit id, quod ab eo factum est, etiamsi esset ad tantam redactus necessitatem, ne sic quidem contentus fuit iis quae dicta sunt: sed quando erat ostensurus se eos longe superare, ne quis existimaret eum haec loqui inductum nimio sui amore, rursus vocat insipientiam id quod a se dicitur, propèmodum dicens: An non scio me rem facere quae vulgo fit, et quae me non decet? Sed me cogit multa quae eo me impulit, necessitas. Quare mihi, inquit, ignoscite loquenti verba insipientiae.

§ **42**. Hujus vel umbram saltem nos imitemur, qui tam multa peccatorum onera habemus imposita. O saepe, si parvum aliquid recte geramus, ne hoc quidem sustinemus recondere intra cordis penetralia: sed propterea quod hominum venemur gloriam, id gloriose traducimus, et in medium proferimus, et propter

intempestivas has nugas nos Dei privamus remuneratione. Sed non sic ille beatus: sed cum dixisset. Plus ego: enumerat deinceps ea quae fortiter gesserat, et dicit: In laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. Quid dicis? Novum quiddam est et admirabile quod a te dicitur. Licetne mortem saepe subire? Certe, inquit, si non experientiâ quidem, at voluntate: docens nos, quod assidue talia adibat pericula propter praedicationem quae mortem ei pariebant. Sed Dei gratia in ipsis mediis periculis conservabat athletam, ut ad discipulos magna ex eo rediret utilitas.

§ **43**. Id autem rursus, quod deinceps subjungitur, ut semel dicam, obscurat omnia quae dicta sunt. Quis enim, inquit, est infirmus, et ego non sum infirmus? Quis scandalizatur, et ego non uror? Pape, quanta est hujus viri benignitas et benevolentia, quanta vigilantia, quanta solicitudo? Cujusnam matris sic dissecabantur viscera, ejus filio febricitante, et in lecto jacente, ut hic sanctus pro his qui erant in unoquoque loco infirmi, magis erat infirmus, et, pro iis qui scandalizabantur, urebatur? Considera enim mihi emphasim dictionis. Non dixit, Quis scandalizatur, et ego non crucior? Sed uror, inquit, nobis intensum dolorem significans, et mirum in modum ostendens, se intrinsecus inflammari et accendi pro iis qui patiuntur scandala.

§ **44**. Scio me extendisse orationem in magnam longitudinem. Sed nescio quomodo cum incidissem in divitias recte factorum hujus Sancti, tanquam ab aquarum vehementissimo impetu lingua mihi trahebatur. Quamobrem in hoc loco sistens orationem, rogo vestram charitatem, ut eum assidue in mente circumferatis, et hoc assidue cogitetis, quod cum eamdem, quam nos, haberet naturam, et esset subjectus iisdem affectionibus, essetque ejus studium vile et abjectum, ut qui pelles consueret, et staret in officina, postquam se voluit dèdere virtutis laboribus, et se dignum reddere, qui susciperet Spiritum Sanctum, largam munificentiam fuit consecutus a superis. Quam detur nobis consequi gratiâ et clementiâ Domini nostri Jesu Christi: cui gloria et potentia cum Patre et S. Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum numquam desinentium, Amen *.

* De externa emortuali die, qua in Martyrologio Rom. recensetur, hodie Surius post S. Paulum Apost. S. Cassium collocavit: hunc retinendum commode locum censuimus; vide infra.

DE S. CASSIO NARNIENSI EPISCOPO

AUCTORE S. GREGORIO PAPA. *Dialogorum L. III, C. VI.*

Obiit anno 557 — Nat. Italus.

Neque hoc Petre sileam, quod multi nunc, qui hic de Narniensi civitate adsunt, mihi sedulo testificantur. Eodem namque Gotthorum tempore, cum praefatus rex Totila Narniis venisset, ei vir vitae venerabilis Cassius ejus urbis Episcopus, occurrit. Cui quia ex conspersione semper facies rubère consueverat, hoc rex Totila non conspersionis esse credidit, sed assiduae potationis, eumque omnimodo despexit. Sed omnipotens Deus, ut quantus vir esset, qui despiciebatur, ostenderet, in Narniensi campo, quo rex advenerat, malignus spiritus coram omni exercitu ejus spatharium invasit, eumque vexare crudeliter coepit. Qui cum ante regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus: hunc ab eo vir Domini, oratione facta, signo Crucis expulit, qui in eum ingredi ulterius non praesumpsit. Sicque factum est, ut rex barbarus servum Dei ab illo jam die veneraretur ex corde, quem despectum valde judicavit ex facie. Nam quia virum tantae virtutis vidit, erga eum illa mens effera ab elationis fastu detumuit.

ITEM EX EJUSD. HOMILIA 37 IN EVANG.

§ 1. Audistis dicentem Dominum, fratres charissimi: *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, nonne sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere, ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quae pacis sunt* (*Lucae* XXIV). Rex contra regem ex aequo venit ad praelium, et tamen si se perpendit non posse sufficere, legationem mittit, et ea quae pacis sunt postulat. Quibus ergo lacrymis nos sperare veniam debemus qui illo in tremendo examine cum rege nostro ex aequo ad judicium non venimus, quos nimirum conditionis infirmitas et causa inferiores exhibet? Sed fortasse jam mali operis culpas abscidimus, jam parva quaeque exterius declinamus. Numquid ad reddendam rationem cogitationis nostrae sufficimus? Nam cum viginti millibus venire dicitur is, contra quem minime sufficit iste qui cum decem millibus venit. Decem millia quippe ad viginti millia, simplum ad duplum sunt. Nos autem si multum proficimus, vix

exteriora nostra opera in rectitudine servamus. Nam etsi jam luxuria carnis abscissa est, tamen adhuc a corde funditus abscissa non est. Ille autem qui judicaturus venit, exteriora simul et interiora judicat, facta pariter et cogitationes pensat. Cum duplo ergo exercitu contra simplum venit, qui nos vix in solo opere praeparatos, simul de opere et cogitatione discutit. Quid igitur agendum est, fratres charissimi, nisi ut dum nos cum simplo exercitu contra duplum illius sufficere non posse conspicimus, dum adhuc longe est, legationem mittamus, rogemus ea quae pacis sunt? Longe enim esse dicitur, qui adhuc praesens per judicium non videtur. Mittamus ad hunc legationem, lacrymas nostras, mittamus misericordiae opera: mactemus in ara ejus hostias placationis, cognoscamus nos cum eo in judicio non posse contendere. Pensemus virtutem ejus fortitudinis, rogemus ea quae pacis sunt. Haec est nostra legatio quae regem venientem placat. Pensate fratres quam benignum sit, quod is, qui suo adventu valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc, ut diximus, legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram, oblata cum lacrymis et benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia qui in se resurgens a mortuis, jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus.

§ 2. Multos, ut arbitror, vestrum, fratres charissimi, contigit nosse hoc, quod volo ad memoriam vestram narrando revocare. Non longe a nostris fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus, longe traductus est. Cumque diu teneretur in vinculis, cum uxor sua eum ex eadem captivitate non reciperet,* extinctum putavit. Pro quo jam velut mortuo, hostias hebdomadibus singulis curabat, offerre. Cujus toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab ejus conjuge hostiae fuissent oblatae pro animae ejus absolutione. Nam longa post tempora reversus, admirans valde, indicavit uxori suae, quod diebus certis hebdomadis singulis ejus vincula solvebantur. Quos videlicet dies ejus uxor atque horas discutiens, tunc recognovit eum absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo fratres charissimi, hinc certa consideratione colligite, oblata a nobis hostia sacra quantum in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero, potuit in altero solvere vincula corporis.

§ 3. Multi vestrum, fratres charissimi, Cassium Narniensis urbis episcopum noverunt, cui mos erat quotidianas hostias offerre Deo, ita ut pene nullus dies vitae ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valde etiam concordabat vita, nam cuncta quae habebat, in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii venisset,

velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cujus et vitam et exitum quodam venerabilis vitae Diacono, qui ab eo fuerat nutritus, referente cognovi. Ajebat enim, quod quadam nocte ejus Presbytero per visum Dominus astitit, dicens: Vade et dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali Apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit Presbyter: sed quia e vicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem Episcopo nunciare pertimuit. Alia nocte Dominus rediit, ejusque inobedientiam vehementer increpavit, atque èadem jussionis suae verba retexit. Tunc Presbyter surrexit, ut pergeret, sed rursus infirmitas cordis, impedimentum facta est indicandae revelationis. Ad admonitionem quoque iteratae jussionis obduruit pergere, et quae viderat, manifestare neglexit. Sed quia magnam mansuetudinem contemptae gratiae major solet sequi ira vindictae, visione tertia Dominus apparens, jam verbis addidit verbera, et tam districta caede mactatus est, ut in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Episcopum, eumque jam ex more juxta beati Juvenalis martyris sepulcrum ad offerendum sacrificium consistentem reperit, secretum a circumstantibus petiit, seque ejus pedibus stravit. Cumque eum ubertim flentem Episcopus vix ad se levare potuisset, lacrymarum causas cognoscere studuit. Ille vero relaturus ordinem visionis, prius vestimento ex humeris devoluto, detexit plagas corporis (ut ita dicam) testes veritatis et culpae, monstravit quanta animadversione districtionis membra illius accepta verbera livore inflicto sulcaverant. Quae mox ut Episcopus vidit, exhorruit, et quis sibi talia facere praesumpsisset, cum magnae obstupefactionis vocibus inquisivit. At ille respondit, haec se pro ipso fuisse perpessum. Excrevit cum terrore admiratio. Sed nullas jam Presbyter inquisitioni ejus moras adjiciens, secretum revelationis aperuit, eique jussiones Dominicas, per ea quae audierat verba, narravit, dicens: « Age quod agis, operare quod operaris: non cesset manus tua, non cesset pes tuus: natali Apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. » Quibus auditis, Episcopus in oratione se cum magna cordis contrititone prostravit. Et qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensae orationis magnitudine, ad horam nonam usque protelavit: atque ex ipso jam die magis magisque aucta sunt ei lucra pietatis, factusque est tam fortis in opere, quam certus ex munere: quippe qui eum, cui debitor ipse fuerat, ex ea promissione, jam coeperat habere debitorem.

§ 4. Huic autem consuetudo fuerat, singulis annis natalitio Apostolorum die Romam venire: jamque ex hac revelatione suspectus, venire juxta morem noluit. Eodem ergo tempore

solicitus fuit, secundo quoque anno vel tertio in mortis suae expectatione suspensus, quarto quintoque et sexto similiter. Qui desperare jam de veritate revelationis poterat, si verbis fidem verbera non fecissent. Cum ecce anno septimo usque ad expectati natalis sacras vigilias incolumis pervenit, sed lenis hunc in vigiliis calor attigit, atque ipso die natalitio filiis suis se expectantibus, Missarum solemnia implere se posse recusavit. Illi vero, qui de ejus erant egressione pariter suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese unanimiter adstringentes, ut die eodem nequaquam acquiescerent Missarum solemnia celebrare, nisi pro eis ad Dominum idem Antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in episcopii oratorio Missas fecit, et manu sua corpus Dominicum pacemque omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificii peracto, ad lectulum rediit, ibique jacens, dum sacerdotes suos ac ministros circumstetisse cerneret, quasi vale ultimum dicens, de servando eos vinculo charitatis admonebat, et quanta debuissent concordiâ inter se uniri, praedicabat: tum subito inter ipsa sanctae exhortationis verba, voce terribili clamavit, dicens: Hora est. Moxque assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientum sibi contra faciem tenderetur. Quo tenso, emisit spiritum. Sicque sancta illa anima ad gaudia aeterna perveniens, a carnis corruptione soluta est.

§ **5**. Quem fratres charissimi, quam vir iste in morte imitatus est, nisi eum, quem in vita sua fuerat contemplatus? Dicens enim, Hora est, de corpore exiit: quia et Jesus, peractis omnibus, cum dixisset. Consummatum est, inclinato capite, tradidit spiritum. Quod ergo Dominus, fecit ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidianae hostiae, illa cum eleemosynis et lacrymis missa legatio, quantam cum rege veniente gratiae pacem fecit. Relinquat ergo omnia qui potest. Qui autem omnia relinquere non potest, cum adhuc rex longe est, legationem mittat lacrymarum, eleemosynarum et hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit quia non possit portari iratus.

INDEX ALPHABETICUS SANCTORUM

QUORUM HISTORIAM

IN SURIO HABES PRO MENSE JUNIO

	Dies M.	Pag.
ABRAHAM Abbas	15	362
ADALBERTUS Levita Conf.	25	572
ADEÒDATUS Episc.	19	469
ALBANUS Martyr Anglus	22	480
AMANTIUS cum Sociis MM.	10	232
ANDREAS a Chio Mart.	1	5
ANTHELMUS Bellic. Episc.	26	587
ANTONIUS a Padua Conf.	13	291
AQUILINA Virgo Mart.	13	278
ATTALUS e MM. Lugdunens.	2	35
AVITUS Presb.	17	444
BARNABAS Apost.	11	250
BASILIUS Magnus, Ep. et Eccl. Doct.	14	319
BENNO Misnens. Episc.	16	373
* BERNARDUS Menthon. Archidiac.	15	358
BLANDINA Virgo e MM. Lugdunens.	2	35
BONIFACIUS Mogunt. Episc. Mart.	5	112
CAPRASIUS Abbas	1	20
CASSIUS Narn. Episc.	29	663
CEREALIS cum GETULIO et Sociis MM.	10	232
CLAUDIUS Episc. Bisunt.	6	142
CRESCENTIA cum VITO et MOD. MM.	15	343
DULA *vide* TATIANUS.		
EDILTRUDA sive EDILDRADA Virgo Anglor. Reg.	23	492
ELISEUS Proph.	14	315
EPÀGATHUS e MM. Lugdunens.	2	35
FEBRONIA Virgo Mart.	25	535
FELICIANUS et PRIMUS FF. MM.	9	217
FERRÈOLUS cum FERRUCCIONE et Sociis MM.	16	370
* FRANCISCUS Caràcciolo Conf.	4	105
GALLICANUS cum JOH. et PAULO MM.	26	581

	Dies M.	Pag.
Gerardus Monachus	13	283
Gervasius et Protasius MM.	19	463
Getulius cum Sociis MM.	10	232
Gudwalus Episc.	6	146
Heraclides cum Herone et Sociis MM.	28	624
Heron vel Heros sive Heronicus M.	2	624
Hypatius Tribunus cum Sociis MM.	18	452
* Irenaeus Ep. Lugdun. Mart.	28	622
Ismaël cum Manuele et Sab. MM.	17	435
Joannes Baptista Precurs. Dom.	24	495
Joannes et Paulus FF. MM.	26	581
* Joannes Franc. Regis Conf.	16	396
Julitta cum Quirico MM.	13	363
Landelinus Abbas	15	353
Laurentinus et Pergent. FF. MM.	3	94
Leontius cum Sociis MM.	18	451
Liphardus Abbas	3	98
Ludgardis Virgo Cisterc.	16	409
Lupicinus Reclus. Conf	24	326
Manuel, Sabel et Ism. MM.	17	435
Marcella cum filiab. duob. et aliis Sociis MM.	28	624
Marcellinus et Petrus MM.	2	43
Margarita Reg. Scotiae, Vid.	10	243
Màturus e MM. Lugdunens.	2	35
Maurinus Abb. et Mart.	10	235
* Maximus Episc. Taurin.	25	555
Medardus Episc. Noviom.	8	203
Modestus cum Vito et Crescentia MM.	15	343
Norbertus Episc.	6	158
Onuphrius Anachor.	12	266
Pamphilus cum Val. et Sociis MM.	1	15
Parisius Bonon. Monachus	11	265
Paulinus Nolae Episc.	22	484
Paulus Apost. Gentium Doct.	29	629 et 637
Paulus Constantinopol. Episc. Mart.	7	197
Paulus cum Sociis MM.	1	15
Pelagia Virgo et Mart.	9	223
Pergentinus et Laurent. FF. MM.	3	94
Petrus Apostolor. Princeps	29	626 et seqq.

	Dies M.	Pag.
Petrus et Marcellinus MM.	2	43
Photinus vel Potinus Episc. e MM. Lugdunens.	2	35
Plutarchus cum Serenis duob. MM.	28	624
Ponticus adolescent. cum Lugdun. MM.	2	35
Porphyrius, Seleucus et Socii MM.	1	15
Potamioena Martyr cum Sociis	28	624
Primitivus cum Getulio et Sociis MM.	10	232
Primus et Felicianus FF. MM.	9	217
Prosper Episc. Rhegiensis	25	530
Protasius cum Gervasio MM.	19	462
Quiricus et Julitta MM.	16	363
Quirinus Episc. Sciscianus	4	101
Rhaidis Virgo cum Sociis MM.	28	624
Robertus Abbas Cisterc.	7	199
Sabel cum Man. et Ism. MM.	17	435
Sampson Presb. Xenodochus	27	614
Sanctus Diac. e MM. Lugdunens.	2	35
Secundus Amer. Mart.	1	12
Seleucus cum Theodulo et Sociis MM.	1	15
Sereni duo Martyres	28	624
Simeon Monachus	1	23
Simplicius Episc.	24	528
Tatianus Dula Mart.	15	338
Theodulus cum Porph. et Sociis MM.	1	15
Theodulus miles cum Sociis MM.	18	452
Ursicinus medicus Mart.	19	462
Valens cum Pamph. et Sociis MM.	1	15
Vigilius Trident. Episc. Mart.	26	612
Vitalis et Ursicinus MM.	19	462
Zoilus Martyr	27	613
Zosimus miles Mart.	19	358

Habita facultate Auct. Eccl.